FR. SIXTI SENENSIS

BIBLIOTHECA SANCTA.

Digitized by Google

Digitized by Google

17 — 14

FR. SIXTI SENENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM
BIBLIOTHECA SANCTA

CRITICIS, AC THEOLOGICIS ANIMADVERSIONIBUS,


Nec non duplici adjecto Sacrorum Scriptorum Elencho

ADAUCTA ET INLUSTRATA

A FR. PIO-THOMA MILANTE
EJUSDEM ORDINIS

Ex-Vicario Generali Congregationis Sanctae Mariae Sanitatis,
S. Th. Magistro, & in Regia Neapolitana Studiorum
Universitate Primario Professore.

TOMUS PRIMUS.



NEAPOLI MDCCXLII.
EX TYPOGRAPHIA MUTIANA
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PONTIFICI

BENEDICTO XIV.

F. PIUS-THOMAS MILANTE.
F. P. D.

QUOD TUUM est, TIBIQUE summo jure debetur, Nomini TUO, SANCTISSIME PATER, maturo sanoque consilio, sacrandum decrevi. *Bibliotheca Sancta* est, eaque inter plures principem certo certius obtinens locum, de Agiographis, Canonicisque Scriptoribus, ac Voluminibus pertractans; nec non de ceteris ad Exegematicam ne dum, verum & ad Polemicam Theologiam pertinentibus, quibus sacra dogmata propugnantur, & Divina Volumina, Orthodoxae fidei basis ac fundamentum, discernun-

Digitized by Google

tur vindicantur aperiuntur . *Vero igitur Chriſti in terris Vicario*, (a) *Praeſulum Vertici Apoſtolico*, (b) *Petrae divina virtute ſolidatae*, (c) *Rectori Domus Domini*, (d) *Principi & Doctori Orthodoxae fidei*, (e) *& Organo Spiritus Sancti* (f) dicandum erat Opus a noſtro Sodale elaboratum ad Judaeorum perfidiam retundendam, ad heterodoxorum novitates ventilandas, ad repellendos tenebrionum cavillos, atque ad eruditionem in fideli populo dilatandam. Hoc, inquam, ex momento Angelicus Doctor S. Thomas *Continuum ſuper Matthaeum* Urbano IV. P. M. ſacrandum cenſuit, ſuamque ea de re aperuit mentem, dum illi ſuos dicavit labores. Veneratus namque illius dignitatem ac gloriam, nec non ſupremam ejus in diffiniendis, vindicandiſque orthodoxae fidei articulis authoritatem, ei propterea Sacroſanctum Jesu Chriſti Evangelium dignis Commentariis inluſtratum nuncupandum adſeruit, ut nimirum Throno illi ſiſteretur divinum inſtrumentum expoſitione reſeratum, unde legitima Bibliorum interpretatio promanat (g), ac juxta Salomonis ſententiam: (h) *Ad locum, unde exeunt flumina, revertantur*.

A Xyſto Senenſe, ut primum in vulgus edita fuit *Bibliotheca Sancta*, in obſequii teſſeram, atque in perpetuae gratitudinis monimentum ab eodem nuncupata fuit SS. Pontifici Pio V. Fidei vindici optimo, e Bononia oriundo, atque ex nobili Ghisleſiorum familia nato, e Praedicatorum familia ad Petri ſolium evecto, & Patri amantiſſimo, atque ſingulari ejuſdem Patrono. Dum igitur impraeſentiarum eadem *Bibliotheca* novo praelo commiſſa, criticis ac theologicis animadverſionibus, duplicique adjecto ſacrorum Scriptorum elencho adaucta & inluſtrata vulgatur, cuinam, niſi TIBI SANCTISSIME PATER erat nuncupanda ? TU enim ex nobiliſſima LAMBERTINORUM Bononienſi familia natus ſingulari gloria fulges. TU ab adoleſcentia ſuper ſenes intelligens profeciſti de virtute in virtutem . TU pro Ec-

cleſiae

(a) Concil. Florentinum in decreto unionis.

(b) Synodus trium Provinciarum Africae ad Theodorum Papam.

(c) S. Leo M. Serm. II. in natal. SS. Apoſtolor. Petr. & Paul.

(d) Concil. Carthaginenſe Epiſt. ad Damaſum.

(e) Sergius Epiſcopus Cypri Epiſtol. ad Theodorum probata in Concil. Lateranenſi ſub Martino I.

(f) Honorius Auguſtudunenſis De Scrip. Eccleſ. in S. Gregorio M.

(g) S. Tho. Epiſt. nuncupator. ad Urb. IV.

(h) Eccleſiaſt. Cap. I. v. 7.

Digitized by Google

cleſiae decore zelo Dei ſuccenſus, & non quae tua ſunt, ſed quae Jesu Chriſti quaerens, in diebus TUIS corroboraſti Templum.

TU fidem, quam ſemper propugnaſti, ad Petri ſolium evectus nobiliori ſtudio promoviſti, &, ut utar verbis ejuſdem Angelici Aquinatis Urbanum IV. adloquentis, *Beati Petri fidei ac confeſſionis haeres legitimus, pro ſtudio mens veſtra invigilat, ut tantae ſapientiae lux fidelium corda perfundat, & haereticorum confutet inſanias, quae portis inferorum merito deſignantur*. TU, inquam, SANCTISSIME PATER, Praedicatorum Ordinis amantiſſimus, & dum Advocati munus exerceres, & dum Praelatitia dignitate fulgeres, & adhuc praeclariſſimo Cardinalium coetui cooptatus, inter ejuſdem Ordinis fratres, tuos velut inter agnatos, converſatus, illos foviſti, decoraſti; ac tandem ad ſupremum faſtigium evectus Dominicanos omnes benigno reſpicis vultu, paterno complecteris ſinu, & Ordinem totum gratiis cumulare non deſinis, ut TUAM erga nos, & noſtram familiam primaevam haud quaquam variatam charitatem oſtendas: qua & de cauſſa BENEDICTI XIV. nomen TIBI impoſitum voluiſti in ſuprema Cathedra ſedens, in memoriam videlicet BENEDICTI XIII. ex eodem Ordine ad Petri Solium exaltati, qui TE S. R. E. Cardinalem ampliſſimum pro merito creavit, ac ſucceſſorem in Pontificio Throno deſignavit. TIBI ergo SANCTISSIME PATER nuncupanda erat ab alumno Praedicatorum Ordinis *Bibliotheca Sancta Xyſti Senenſis*, dum adaucta, & perpolita, novis typographicis formis edebatur in vulgus.

At quanta heinc mihi, & Authori gloria adcreſcit! quam bene mihi, & illi conſului! Neque enim, ut uſuvenit, urbanitatis ergo vanum TIBI Moecenatis nomen adpingitur, qui, ſingulari gloria nitens, omnium ore laudandus omnium obſequia promereris. Fruſtra itidem generis TUI nobilitate utramque paginam implerem, ubi in TE nobiliora ſuſpicienda ſuperſunt; & quamvis ab adulatione remotiſſimus multa vere dicere poſſem, aliena tamen, non TUA, laudarem. TUA ſunt praeclariſſimae illae animi ingeniique dotes, quibus maximo Reipublicae beneficio Supremi Pontificatus apices patuere: TUA

ſunt,

Digitized by Google

sunt, sapientiae illa monumenta TUAE in libris, quos *De Servorum Dei beatificatione, & de Beatorum Canonizatione* publici juris feciſti, aliiſque varii argumenti, quos ad plurium eruditionem, & profectum edidiſti. Qui puriſſimi Verbi Dei, Patrum, Conciliorumque latices? Quae ſacrae civiliſque prudentiae, nuſquam non ſuo loco jacta ſolida fundamenta? Quanta Eccleſiaſticae hiſtoriae, quanta Critices, quanta antiquitatum ſive ſacrarum, ſive profanarum, quanta Rituum, quanta celebriorum Authorum ſtupenda potius, quam imitanda ſeges? Quid ni de te, quod de Doctore Maximo Hieronymo dictum eſt, Caſſiani verbis non dicam: (a) *Catholicorum Magiſter, cujus ſcripta per univerſum Orbem, quaſi Divinae lampades rutilant?* Cum autem talia in Eccleſiaſticis ſtudiis praeſtiteris BEATISSIME PATER, magnae laudis mihi loco erit, ſi TIBI harumce rerum juſto Aeſtimatori, Judici, Magiſtro ſacrabuntur, quae ego in recudendo magni iſthoc nominis opere non indiligenter, & ſaepe aut adnotavi, aut ſupplevi, & quandoque etiam (abſit verbis invidia) quod tantum virum operis authorem ob ſeculi ruditatem latuit, nunc ſub clariori Coelo notum aperui, addidi, manifeſtavi. Sed quia non ideo ſtudiis inſenui, ut popularem auram captarem, ſed ut Militantis Eccleſiae non deſes, non inglorius miles haberer, magnum ab iis colligam fructum, ubi SANCTITAS TUA ea, qua ſolet, digna Chriſti Vicario (b) comiſſima manſuetudine, SIBI labores hoſce nuncupari non dedignabitur: itaut jamjam Xyſti Noſtri oboleſcens gloria, TE Patrono, apud Poſteros nominis ſui memoria perennet. Ceterum Qui TE in iſthoc ſummo rerum humanarum ad Eccleſiam gubernandam faſtigio collocavit, nobis diu ſoſpitem ſervet, ut praeſto pro Chriſtianae Reipublicae bono ſemper ſint, quae ad hanc uſque diem experta, & deinceps ſperari poſſunt ab Sanctitate eximia cum eximia doctrina conjuncta, quae duo ſunt, quae TE vere PONTIFICEM MAXIMUM conſtituunt, cujus ſupremo judicio, dum haec corrigenda propono, qua decet reverentia, corde ut poſſum, ſanctiſſimos exoſculor pedes. Vale.

LE-

(a) Johan. Caſſianus contr. Neſtorium de Verbi incarnation. Lib. VII.

(b) S. Bernardus Lib. II. de Conſiderat. Ad Eugen. cap. 7.

Digitized by Google

LECTORI
BENEVOLO
F. PIUS-THOMAS MILANTE.



UUM N. Cl. Xysti Senensis Bibliothecam Sanctam ab omnibus, qui docti audiunt, commendatam, novis Typographicis formis demandandam, eamque Criticis, ac Theologicis animadversionibus inlustrandam suscepi; eoque certe ex momento, quod Cl. Authorem N. ad eam primitus edendam impulit, nimirum, ut ingenui Adolescentes sacris studiis dediti primores delibarent purioris Theologiae latices, qui citra omnem dubitationis aleam ex limpido Scripturarum fonte promanant, plura mecum animo pervolvi, perpendique, quidve vel ex zelo, vel ex zelotipia, aliove ex momento possent, vel detractores objicere, vel Censores notare, adtentius mei ipse met Censor effectus serio consideravi, quae propterea Tibi Candide Lector aperienda statui, ne te veritas lateret, utque re penitius adcuratiusque perspecta innoxium me discerneres ab criminationibus, sive censuris eisdem, nec non in mei vindiciam, ea, qua polles, comitate adsurgere posses: heinc loco Prologi Galeati cederet, quae ab Authoribus consuevit operibus adponi, Praefatio, nec a me omittenda, hic praefigitur ad totius operis notitiam, & claritatem.

Primo quidem, & fortasse primum displicebit aliquibus, quod ea non impleverim promissa, quae in meis Exercitationibus Dogmatico-Moralibus extant (nisi forte, & verius ea dicas animi mei desideria, & vota) de edendis in vulgus Tractatibus *De Incarnatione Verbi Divini*, *ejusque conversatione in Mundo*, necnon *De Sacrosanctis Ecclesiae Symbolis*, quos utique Tractatus jam praelo paratos, esto ad limam adhuc non revocatos, ibidem adserui. Is quidem, non inficior, Amice Lector, mihi insederat animus, hoc dubio procul erat in votis: verum, quia mihi hoc solemne, hoc praecipuum, hoc consuetum, & fere divinum est, ut paream Amicis justa petentibus, eorumque votis ac consilio propriam voluntatem submittam, animumque sacrem, ab studio illo destiti, ut obtemperarem iis revera Sapientibus, ac litterario Orbi apprime notis, dum mihi suaserunt, ut, omni alio omisso labore, hanc susciperem spartam inlustrandi Criticis animadversionibus Xysti Senensis Bibliothecam; & quidem etiam conformiter ad aliorum votum, qui tam nobile opus ad umbelicum usque perductum, juxta recentiorum Criticorum normam exoptabant: praesertim vero, id consulebant Amici, ne alius extra Praedicatorum Ordinem (ut fama pervolabat, percrebescebatque rumor) hanc sibi adsumeret provinciam adjiciendi criticas notas Dominicano Authori. (Quo etiam ex momento ad tempus ab hoc eodem sic incoepto studio aliquantulum destiti, manumque e tabula retraxi, ut suadentibus ac jubentibus Amicis, ocius ederem *Vindicias Regularium*, quae dilationem non patiebantur, ut ex iis, quae ibi dixi, & ex operis argumento constat.) Vel ex eo igitur laudandus ero probis doctisque, quia aliorum consilio adquiescens pro domo mea laborem suscepi studiumque adsumsi: praesertim, ut ex commentariis istis Tyronibus non modicum adferrem lumen ad primora nobilioraque studia capessenda. Num autem post hunc exantlatum laborem, post hoc editum opus, confestim ad limam revocavero, quos indigitavi Tractatus, ut eos praelo committam? Ut verum fatear, adserere pro certo non possum. Suadent, inculcant Amici, quibus mea vota aperui, ut perficiam integrum Cursum Polemicum, eumque

Digitized by Google

perfectius elaboratum, a pluribus expetitum, a nonnullis ſuſpiratum, ſed nondum typis commiſſum (eſto variis ſparſim editis operibus, iiſque elaboratiſſimis, & a viris ſummis publici juris factis non deſit diuioribus integra Polemica Bibliotheca, quae tamen praeſto non eſt pauperioribus, aliisque, qui e diſſitis regionibus inibi impreſſa opera habere non poſſunt), vim etiam faciunt, ut ſequens veterum Theologorum ductum, juxta tamen modernum Criterium, abſolvam integrum Controverſiarum Tractatum adverſus praecipue recentiores Acatholicos, qui longe ab eorum Patriarchis in plurimis ſentiunt: adduntque laudati Sapientes, ut huicce interſeram ex parte ſaltem, quos compoſui Tractatus, quae vero ad Hiſtoriam, Diſciplinam, & Exegiticam rem ſpectant, ſeorſim edantur. At num etiam hoc, quod illi ſuadent, re vera dignum opus aliquando, aut a me adſumetur, aut (ſi ſuperis placet) adſumtum perfectumque typographicis formis committatur? ille ſolum novit, in cujus manu ſunt hominum corda, ex quo pendent noſtrae vitae momenta, ſalus, otium, praecipue vero divinum ejus auxilium, ad id genus opera perficienda unice neceſſarium. In provecta, etſi non devexa, ſum aetate, laboribus attritus, pluribus ex ſuperiori mandato implicitus curis negotiiſque. D.O.M. igitur, quod de me decrevit, ipſe ſolus novit, eique me totum commiſi, ipſum in ſpiritu humilitatis enixe rogare non deſino, ut ad id me praemoveat adjuvet perducatque, quod ſolum in ejus gloriam cedit.

Alterum, & forte fortuna gravius, quod improperabunt mihi non pauci, certe, ut reor, eſt operis ipſius argumentum, quod ſaltem audaciae ſpeciem praeſeferre videtur: quia, nimirum, tantillus ego quum ſim, infimaeque notae Theologus, auſus fuerim Criticas, & Theologicas animadverſiones adponere Bibliothecae Sanctae Xyſti Senenſis viri in Exeganatica re facillime Principis, Theologi primi nominis, Graece, & Hebraice doctiſſimi, quem propterea commendant ſuſpiciuntque primi ſubſellii Scriptores. Verum ſi res in lance Sanctuarii adpendatur, & ad lydium lapidem conferatur cum argumento ejuſdem generis, quod pertractarunt docti, aeque ac pii authores, inveniar certe innoxius; quinimo ex ipſo met argumento commendabilis. Quod ut plenius dignoſcatur eadem paritate utar, quam illi in parili cauſſa ad ſui vindiciam uſurparunt. Cum Gigante quidem pigmaeus contendere nequit, hic illi ſe comparare non poteſt; quod ſi fecerit riſu excipietur audacia, & ſuperbus puſio fuſte, & helleboro dignus ab omnibus exiſtimabitur; at ſi Gigantis humeris inſideat pigmaeus, quiſnam audebit inficias ire homuncionem hunc plura eminus conſpicere prae Gigante, hujuſce procera ſtatura elatum, proindeque in Gigantis gloriam redundare, quicquid pigmaeo facilius feliciuſque accidit ſic elevato? Plura, inquam, vidi ego, quae in noſtro eximio Scriptore animadverto: at quomodo, niſi inſidens humeris ejus? Ipſe facem praeſtitit, ipſe me, ut haec viderem evexit, & quae ſub clariori Coelo nunc enitent, quid mirum ſi conſpicua ea ſint mihi, quae tantum virum in obſcuriori Seculo latuerunt? vitio temporis, non Authoris, vertendum eſt certe: quinimmo, ut clarior fulgeret veritas olim ſub caligine occultata, quis tenebras excuſſit primus, niſi tantus, tamquam inſignis homo, qui apocrypha a certis, ſpuria a genuinis, falſa a veris diſcernere primum coepit, cunctis poſt ſe indigitata ſemita ad rem penitius examinandam? Ab eo igitur in praeſentiarum elevor ad plura videnda, quae ipſe, vel digito monſtravit; in ejuſque gloriam ac laudem vergit omnis animadverſio, eſto prima fronte, primoque adſpectu in ejuſdem veluti contumeliam, ſaltem indoctis, cedere videatur. Theologicas, quas addidi, notas ex ejus met doctrina hauſi, tantumque ut eam inluſtrarem in votis mihi fuit, qui ad Theologicas veritates clarificandas virorum inluſtrium opera contuli, nec minimum fere quid ea in re de propria penu depromſi: quapropter in me cenſoriam virgam extendere nequit nec lividus inviduſque Ariſtarchus. Quid itidem mirum ſi poſt viam ſtratam, aſperamque ſemitam in planam redditam, addat, qui poſtea per eam incedit, aliquid ad ornatum? Qui primus improbum ſuſcepit laborem omnem promeretur laudem, ceu ille, qui iter impervium olim, facile reddidit ceteris, eſto hi omiſſos in via lapides removeant, ceſpites neglectos evellant, ſcrobes non repletas cum tellure coaequent, delapſos removeant truncos, verbo dicam, perpoliant viam primitus ab alio factam. Facile quidem eſt, ſicut inventis addere, ita laborioſo jam peracto operi adjicere, quod deeſt, ad complementum or-

ornatum, & perfectionem. Quod in eo optarunt Critici haud ignobiles, esto nimium rigidi, Dupinius, videlicet, Simonius, aliique, (qui tamen ejusdem Xysti opus commendarunt, adhuc dum aliquos in eo naevos notarunt) ut potui, perfeci: ad lydium lapidem, & ad incudem revocatis gravioribus quibusdam controversiis, aliis autem magis magisque explicatis, roboratisque Orthodoxae Religionis articulis. Xysto igitur gloria sarta tecta custoditur, dum ejus operi novi adhibentur commentarii: nec quidem aliquid inde gloriae promeruisse mereor, qui ab aliis Eruditis pridem adnotata in medium produxi, collegique simul ad ornamentum ejusdem: strictim fere universim rem totam percensui, & integram messem generatim quasi in manipulos redegi, ut quae adnotanda erant non omitterem, & potius digito monstrarem, quam opere complerem, diatribam, quae aliis monimentis munimentisque haud egeret: quae operosius erant peragenda, notula explevi, ut vel ex animadversione novum reciperet lumen, qui seria studia capessere exoptat, adnotatis laudatisque propterea Selectioribus ea de re pertractantibus Authoribus, ut ex eis velut ex limpidis fontibus puros hauriret latices, qui pleno pectore bibere cupit: ad mantissam plura adjeci, ut copiosior evaderet Xystina seges ab omnibus commendata; quamvis in ea adhuc brevitatem servare contenderim, juxta regulam normamque ea in re tenendam a Sapientibus traditam, atque a viris doctis in parili caussa servatam. Et quamvis aliquando, nec saepe, excesserim mihi propositam metam, id factum scias necessitate cogente ad veritatem edisserendam; nec extra ordinem, & seorsim volui adponere unam alteramve exercitationem, ne novitate additamenti confusionem potius, quam claritatem, lumen, ac facilitatem praestarem legentibus eas. Prolixior certe in iis fui, quae majorem discussionem, & exactius requirebant examen: praesertim ad averruncandum scandalum pusillorum, quos facillime poterant in errorem inducere quidam minus instructi, simplicioresque Theologi, aut timidi quidam Critici, qui non semel trepidant aliqua excipere, quia ab Acatholicis traduntur, esto ab Orthodoxis quoque eadem doceantur, & rem ad incudem haud probantes facillime Novatorum inventis ac commentis adcensent etiam adiaphoras quaestiones, in quibus Apostolo testante, unusquisque potest in suo sensu abundare, ut S. Thomas expendit *Quodlibeto VIII. Qu. VI. Art.* 3. Quid enim ad rem, quid ad fidem, quod philologica quaestio, aut mera facti disquisitio sit primitus ab aliquo extra Romanam communionem degente peracta? fas hoc eis citra perfidiae culpam fuit, fas etiam est nobis in idem descendere, post eos, examen: quamvis, ut verum fateamur, omnes, aut fere omnes quotquot in praesentiarum agitantur Criticae quaestiones, primitus ab Orthodoxis intentatae fuerint, esto sub initium ex communi, aut errore, aut etiam ex opinione, qui primus hunc lapidem movit, non aufugerit aliorum censoriam virgam, licet qui temporis successu & easdem pertractarunt, atque ab aliis traditam, praeter aut contra vulgarem opinionem, sententiam vindicarunt, laudem promeruerint, pluresque habuerint suae sententiae judices ac sectatores. Quia ergo in id genus rebus veritati velificandi mihi animus fuit, omnique praejudicio abacto, quod sentiebam, depromere, aperire, & clare adserere studui, omnes lustravi recentiores Criticos, cujuscumque forent conditionis, & non semel idcirco laudavi etiam exegreges a Romana, seu (ut rectius loquar) ab Orthodoxa Apostolica fide alienos, eaque in re Majorum inlustriumque de litteraria Republica, & de S.R.E. optime meritorum vestigia secutus, a veritate nec per volam nec per hilum declinare sategi.

Verum, Amice Lector, heinc certissime me carpent nonnulli habentes fortasse zelum, sed non secundum scientiam, quia, nimirum, quae ab recentioribus Acatholicis adseverantur, aliquando tenui, ex eisque doctiores non sine laude commendavi. Ex eo, inquam, scrupulis addicti quidam, sed non bene instructi, me arguent, quasi piaculum foret Catholicis Criticis etiam Protestantes, & qui se Reformatos adpellant, adcensere, ac crimen contra Religionem in re mere adiaphora commendare viros, etsi doctos, haereseos tamen labe infectos. At quam abs re, & sine consilio id agent, si fortasse agant, bene nosti ex iis, quae in priori Tomo Exercitationum mearum *Epistola ad Lectorem* admonuit doctissimus Cyrus de Alteriis, innumeris ad fictitium crimen repellendum monumentis

Digitized by Google

adductis. Ut autem ii ſcrupulum deponant, ne illorum caeſpitatio aliquando trepidantem te reddat, quaeſo, ut recte perpendas eiſque inſinues, quid ea in re egerint primores Eccleſiae Patres, qui etſi zelo Religionis exarſerint, haud tamen dubitarunt inter Patronos propriae adſertionis laudare deſertores. Quid etiam ſi Gentium Apoſtolum conſulant Poëtarum dicta non ſemel uſurpantem ad veritatis munimen? Quod ſi vero inde ſcandalum patiantur, quia cum laude percenſeo illos, objice, quaeſo, eis Viros ſummos, qui longe ante me id ipſum egiſſe commendantur. Hieronymus quippe, etſi Origenem haereſeon fontem notaverit, ejus tamen doctrinae haud detraxit, quin etiam illum *Epiſt. ad Pammach. & Ocean.* adpellavit *Magnum Virum*, & Latronianum ſecta Priſcillianiſtam, ut ipſe met confeſſus eſt *Lib. de Script. Eccleſ. Cap.* 127. non ambegit vocare *valde eruditum*; idque genus encomiis pluries nonnullos exornat doctos, quos percenſet, heterodoxos. Auguſtinus *Lib. de haereſibus* Tertullianum acatholicum dicit, ſed *eloquentiſſimum* adpellat: quod longe ante eum egerat Cyprianus, qui etiam *Magiſtrum* nominare ſolebat. Vincentius Lirinenſis de Tertulliano pariter loquens in *Commonitor. Cap.* 1. ita eum laudat: *Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis, atque humanis exercitatius?* Julianus Eclanenſis Epiſcopus Pelagianorum ſignifer a V. Beda *Praefat. in Cantica* dicitur *Rhetor peritiſſimus*. Acacius perfidus I. Nicaenae Synodi impugnator ab Hermia Sozomeno *Lib. III. Hiſtor. cap.* 2. dicitur *copioſus in ſententiis, & in dicendo elegans*. Et ne longum traham funem, ſat eſt, vel obiter, luſtrare Patres, ut eadem veritas plenius dignoſcatur.

Ne autem quis cavilletur ex diſparitate temporis, & ex diſcrimine Veteres inter ac novos Acatholicos, quaſi haec poſſent obſtare; ex eiſque fas eſſet aliter interpretari divinum mandatum, ex quo juxta doctrinam Angelici 2.2. *Quaeſt. XI. art.* 4. tenemur etiam charitatis adfectu diligere fidei hoſtes, quorum tamen errores deteſtari debemus, aut licitum foret non ſervare juſtitiam, qua unicuique jus ſuum ſervare tenemur, & concludenter non debemus doctrinae (quae etiam in doemonibus reſidet) gloriam removere ab iis, qui etſi longe abierint a Romana communione, docti tamen fuerunt, reliquos dabo praeclariſſimos noſtrae ſanctae communionis viros, qui etiam nuperos Acatholicos, laudem promerentes ex doctrina, laudare, & non ſine encomiis, haud detrectarunt. Card. Bona *Notit. Auctor.* Julium Caeſarem Scaligerum dicit *eruditorum maximum*, & ibidem Johannem Gerardum Voſſium adpellat *omni doctrinarum genere, atque omni eruditione mirabiliter excultum*, Johannes Morinus *Epiſt. LIV.* Patritium Junium ſalutavit *Clariſsimum & eruditiſsimum*, Et *Epiſt. LXXI.* Johannem Buxtorfium *Virum Clariſsimum*. Johannes Baptiſta Cotelerius *Tom. I. PP. Apoſt. in II. Clem. Epiſt.* Jacobum Uſſerium laudavit *Virum perdoctum*. A Petro de Marca Archiepiſcopo Pariſino *Lib. VIII. Concord. cap.* 8. *Vir eruditiſsimus* dicitur David Blondellus, & ab eodem de Marca Diſſertatio de Conſtantinopolitani Patriarchatus inſtitutione ſcripta legitur *Ad Clariſsimum Calviniani Ritus Virum*. Johannes Seldenus *unus e maximis viris, quos unquam Anglica Gens habuerit*, dicitur ab Hadriano Baillet *Judic. Erud. Pariſ.* 1685. Claudius Salmaſius ab Octavio Ferrario *Epiſt. ad Lector. de Re veſtiar.* dicitur *vir omni litterarum genere eminentiſsimus, & ſine controverſia hujus aevi ſummus*. Jacobus le Long *praef. ad Biblioth. ſacr.* Johannem Baptiſtam Ottium *eruditiſsimum* laudat. Richardus Simonius *Lib. III. Hiſt. Critic. Vet. Teſt. cap.* 14. cum plures laudet, cum Germanos, tum Anglos, tum Gallos *Proteſtantes* (ut univerſim ita eos adpellat) Johannem Mercerum prae ceteris ita commendat: *Johannes Mercerus ... inter Proteſtantes interpretes eruditiſsimus, & judicio praeſtantiſsimus plane extitit, qui magis adhuc commendatione, & laude dignus foret, ni avitam Religionem deſerens in Calvini caſtra transfugiſſet*. Renatus Maſſuet *Praefat. in S. Irenaeum* Johannem Erneſtum Grabbe *Eruditiſsimum* dicit. Honoratus a S. Maria *T. I. Animad. Critic.* Johannem Clericum dicit *egregium Proteſtantem*. Et ut miſſos faciam N. Serry, Dupinium, alioſque Orthodoxos, quibus id ſolemne fuit ad veritatis juſtitiae & charitatis cuſtodiam: quibus encomiis non decorantur a Romana communione, & vera Jesu Chriſti Eccleſia ſegreges, ſed re vera docti, Hugo Grotius (eſto hic a Dionyſio Petavio, & Philippo Brietio occultus Catholicus adſtruatur) Samuel Bochartus, Guillelmus Beveregius, Petrus Juſtellus, Johannes Pearſon, Antonius Vandale, Matthaeus Hillerus, Joſeph Bin-

Digitized by Google

Binghamus, Gaſpar Sagittarius, Johannes Albertus Fabricius, Henricus Hammondus, aliique eis eruditione pares? quibus itidem titulis eorum eruditio non commendatur ab Orthodoxis eruditis? Ille certe ſolus ignorat, qui in litteraria Republica plene hoſpes eſt & peregrinus. Ad rei veritatem, praeter ſupra laudatos Catholicos, conſuli poſſunt Cll. VV. Daniel Huetius, Johannes Fronto, N. Natalis Alexander, Johannes Mabillonius, Auguſtinus Calmet, Bernardus Lamy, Henricus Valeſius, &, ut innumeros omittam, pius juxta ac doctus Cardinalis Thomaſius, cujus memoria in benedictione eſt. Horumce igitur inluſtrium virorum exempla ſecutus laudavi doctos Heterodoxos, at eorum ſphalmata deteſtor, qui vivere exopto, & mori cupio in vera Jesu Chriſti Apoſtolica Romana Eccleſia, pro qua ſanguinem cum vita fundere paratus ſum, cujuſque judicio, ſicut & Romani Pontificis ſupremi Eccleſiae Hierarchae Petri ſucceſſoris & Chriſti Vicarii opera mea omnia ſubmitto.

Haec, inquam, praenotanda duxi ad mei vindiciam, & decorem. Ad novi tamen operis notitiam ſuſceptique laboris cognitionem, ſcias, velim, Candide Lector, quod in hac noviſſima editione ſelectiora, ac correctiora, variaque itidem Sixtinae Bibliothecae exemplaria, vetuſtiora praeſertim, adhibuerim, & quae Author primitus edidit, & quae poſtmodum, ſed ex ejus correctione, dum in vivis erat, fuerunt in vulgus edita: nimirum Venetam Anni MDLXXV. Lugdunenſem ejuſdem Anni, Colonienſem An. MDLXXVI. & Pariſienſem editionem cura Johannis Hayi Ann. MDCX. ut, quod in una deerat, ſupplerem ex alia, & mendum in una corrigeretur ex alia, quod facillime quilibet acu tanget, ſi fortaſſe otium ei aderit cuncta exemplaria luſtrandi conferendique ſimul.

Verum, quia inter Xyſtinae Bibliothecae editiones eam commendat Johannes Popeblount *Cenſ. celebr. Author.* quae prodiit Coloniae Anno MDCXXV. *reviſa, & ſcholiis illuſtrata a Johanne Hayo Societatis Jesu*, aliqua de hac editione adnotare non piget, ne quis fortaſſe ex eo me carpat, me criminetur, quia hanc ipſam non retinui, illiuſque ad amuſſim noviſſimam editionem omnibus numeris abſolutam, ut ajunt, efformandam haud ſuſceperim. Colonienſis haec a Popeblount laudata editio certe non fuit peracta ſtudio, & cura P. Hayi, qui longe ante fato ceſſerat, quum ex P. Alegambe in *Bibliot. Societ. Jeſ.* Ann. MDCVII. Hayus diem clauſerit extremum: fuit igitur illa Colonienſis laudata nova editio peracta ad formam Lugdunenſis Anni MDXCI. quae cura Johannis laudati fuit edita, cujus etiam ad exemplar fuit primum Pariſiis Anno MDCX. alia editio peracta, ut conſtat, praecipue ex epiſtola nuncupatoria ejuſdem P. de Hayo, & ex eadem Pariſienſi editione, quam apud me habeo. Num autem in Lugdunenſi Hayana editione ea offendantur ſphalmata, quae in Pariſina extant, praecipue in Graecanico textu ſpiritibus & accentibus plurimum deſtituto, & in Hebraico nimium inverſo, involuto, & mendis ſcatente? adſerere non poſſum, nec ex eo, vel eminus in Hayum extendere cenſoriam virgam, quia propriis oculis illam luſtrare nequivi; magnum tamen, vel ex eo laborem ſubii, quia Orientales textus recte efformaturus ſedulam adhibui operam, & ad limam perducere ſtudui, ne in re tanti momenti inreperet ſphalma; nec non quia ſine punctis Hebraicos characteres Xyſtus adhibuit, aliquando Latinis characteribus illos ſcribendos reddendoſque curavi. Quae autem in Hayo commendantur ab aliis, fortaſſe, quia corticem manu tangentes nucleum non ſunt perſcrutati, & in hac nova editione fuerunt a me omiſſa, clarificanda occurrunt; nec ea manifeſtare taedet ad mei vindiciam, & operis exiſtimationem. Scholiis ſe inluſtraſſe Sixtinam Bibliothecam gloriatur Hayus, & ex eo laudatur. At quidnam ſint haec ſcholia, ut ſcias Amice Lector, oportet. Non adnotationes, non obſervationes, non animadverſiones ea ſunt, ut ex nomine praefertur, ſed indiculi quidam marginales, iique breviter, & generatim indigitantes, quod in corpore, ſeu in textu Author habet, quodve ab initio, ex profeſſo, & ex inſtituto ibi tractat, ſecus autem, quod aliunde fortaſſe laudatur ad rem, de qua eſt ſermo. Scholia Hayana itidem ſunt Patrum, & Scripturae loca ab Xyſto in corpore notata, & ab Hayo in margine reſcripta. Num autem haec ſcholii nomen promereantur? judicent eruditi, quum mihi non inſideat animus carpendi tam celebrem virum, qui dumraxat me innoxium oſtendere ſtudeo. Haec, inquam, Scholia, utpote inutilia libenter omiſi, quae

Xy-

Digitized by Google

Xyſtus adhibuit, ſummo zelo ſervavi, quae itidem opportuna erant, ad marginem ſtatui, eſto nec ab Hayo unquam excogitata, nec ſemel ea, quae magis rem ab Authore traditam inluſtrant: quare in Catalogo Scriptorum plura id genus occurrunt, & quae non ſemel critica animadverſione adnotanda erant, ſed primis curis ab oculis evolarunt. Scripturae loca, quae non erant in corpore, in margine itidem adnotanda curavi, ſecus autem, quae erant plene expreſſa in opere Authoris: eaque repoſui, quae Xyſtus omiſit, & verſiculos capitum, juxta praeſentem conſuetudinem, adpinxi per numeros arabicos, ad diſcrimen Sixtinae adnotationis, quae per litteram marginalem Bibliorum exprimitur; quinimo non ſemel loca Authorum a Xyſto praetermiſſa ibidem adpinxi: quae omnia ille certe, & ſolus acu tanget, qui noſtram editionem cum Hayana, ceteriſque, aut prioribus, aut poſterioribus conferet, & comparando perpendet non immodicum ea in re laborem, quem citra omnem dubitationis aleam deſpicient, aut ſaltem non adpendent alii, qui nulla conlatione facta, aut perfunctorie marginales notulas perſpicient; aut eſto ſerio, aliorum ſtudio tribuent, quod propriae fuit induſtriae propriique laboris. Sedulam navavit operam Hayus, ut Vulgatae editionis correctior textus adponeretur in Sixtina Bibliotheca, & ille dubio procul, qui in noſtra nunc habetur poſt correctiones a Xyſto V. & Clemente VIII. adhibitas, eraſo eo Vulgatae Bibliorum editionis textu, qui conſuetus, ac obvius erat tempore Xyſti Senenſis. Verum, qui vel leviter eſt doctus, ea in re commendare non poterit ſtudium hujuſce Theologi, qui, ita corrigendo, autographum Xyſti Senenſis corrupit, ac labefactavit. Quotquot enim eruditi audiunt hoc unum inclamant, & univerſim ſedulo ſervandum, ſancteque cuſtodiendum inculcant, nimirum, ut in nova Veterum editione ſyncere textus illorum typis mandetur, nec apice quidem immutato, nec variato jota: quod ſi vero aliquid corrigendum in eo occurrat, vel ad marginem adnotetur, vel etiam peculiari adjecto ſcholio ventiletur error, veritas ediſſeratur propugneturque. At variare textum, praeſertim ubi nullus error in fide occurrit, piaculum eſſe Sapientes quique adſerunt adfirmantque. Et nonne Patres, qui ante VI. Seculum ſcripſerunt, dumtaxat Septuaginta viralem verſionem Bibliorum, aut aliam ab Hieronymi verſione interpretationem adhibuerunt? Nonne omnes, qui ante Tridentinam Synodum opera ediderunt, aut Italam veterem, aut Vulgatam priſtinam uſurparunt retinueruntque editionem? Notum eſt cunctis, luceque meridiana clarius innoteſcit. Quis autem unquam, aut in illius Vulgatae editionis textum, aut in iſtis Xyſtinam, Clementinamque correctiorem editionem collocare audebit eraſo priſtinae Scripturae textu tunc in Eccleſia recepto, illiſque propterea conſueto? Certe nemo. Hayus ergo, dum N. Authoris Bibliothecam Sanctam ita corrigere ſtuduit, laudem non promeretur. Quapropter, ne rite me carperent Sapientes, autographum N. Xyſti etiam, & praecipue in Divinis Scripturis ſartum tectum cuſtodivi, & ubi variatio ex nova Bibliorum editione occurrit, pro qualitate rei moderamen adhibui, ne, vel Lectorem ad taedium excitarem, vel debita notitia eundem privarem: ideoque pro rerum varietate, vel ad marginem noſtrae Vulgatae textum recenſui tranſcripſique, vel conſulendam eam fore ad variationem dignoſcendam, vel etiam aliquando aſteriſcum adpoſui ad indigitandam levioris momenti correctionem praeſentis noſtri textus; at ubi leviſſima ea foret, nec ſigno indigitavi.

Tandem ex eo Sixtinae Bibliothecae editor Hayus ſummopere a Poſſevino commendatur, quia IV. ejuſdem Bibliothecae Libro hic plures addidit Exegematicos Scriptores, quibus illa adaucta, & inluſtrata coruſcat. Verum pace cinerum utriuſque Cl. Viri dixerim, vel ex eo certe non eſt commendanda Hayana editio, quae a ceteris idcirco praefertur, quia non fuit bene perpenſa. Et Poſſevinus, qui illam magnificavit, rem totam haud bene perpendit: Hayus vero, qui in ea exornanda adaugendaque inſudavit, laborem (levem certe ex opere ſuo) ſubiit inutilem, rem totam involvit, & Noſtri Authoris opus additione ſua foedavit. In primis cur non ſeorſim, vel diſtincto charactere, aut diſcriminante nota quadam authores ſignavit, quos addendos ipſe curavit? Id quidem ſemper praeſtitere viri eruditi omnes, qui aliorum opera inluſtranda ſuſceperunt, ut notum eſt iis etiam, qui vel a limine litterariam hiſtoriam ſalutarunt. Cur etiam Xyſti Senenſis non retinuit ſtylum in percenſendis authoribus, quos adjecit, ſed brevi epigra-

phe

Digitized by Google

phe Authoris nomen & opus potius digito monſtravit, quam ſermone diſtinxit? Longe abiit a praxi, & conſuetudine eorum, qui id genus elenchos perficere curarunt. Verum haec leviora ſunt: alia adnotanda ſuperſunt, quae certe aliquam promerentur cenſuram, non quidem ad dedecus Cl. Scriptoris, quem veneror, ſed ad notitiam operis, & novae hujuſce editionis vindiciam: quapropter ſingillatim ea expendam ad notitiam, & criterium veritatis.

Fateor, & lubentiſſime quidem, in Xyſtina P. Hayi editione octoginta circiter adjectos legi Exegematicos Scriptores, quos in reliquis editionibus non eſt advenire, etſi Hayus omiſerit Lucam Loſſium a Xyſto commemoratum. Verum ea ex additione cenſoriam virgam in eum extendere ex laudato momento fas eſt. I. Eos inter adcenſet XVII. Viros, qui poſt Noſtri Authoris obitum, aut floruerunt, aut exegematica opera ediderunt in vulgus, quos propterea non decebat adnumerare reliquis, quos N. Xyſtus omiſit. II. Ex additis ab eo Authoribus eradendi ſunt octo, ceu qui perperam, & ſtrictim nimis repetiti ſunt ab Hayo, quum eoſdem Xyſtus in eodem Syllabo prius diſtinxerit, ac pro merito decorarit, eorumque opera clariſſime recenſuerit. Hi enim ſunt in Hayana editione Auguſtinus Steuchus, Xyſto *Auguſtinus Chiſami Epiſcopus*, Benedictus Stendel, Xyſto *Benedictus Stendal*, Petrus de Tarantaſia, Xyſto *Innocentius V.* antea Petrus de Tarantaſia dictus, Jacobus de Lauſana, Xyſto *Jacobus Lauſanenſis*, Arnoldus Veſaluenſis, Xyſto *Arnoldus Haldrenius Veſalienſis*, Galfridus Clarae-Vallenſis, qui Xyſto eſt *Gaufredus Antiſiodorenſis*, & revera ipſiſſimus, ut omnes adnotarunt, atque ex eodem Xyſto liquet; & quamvis Xyſtus non adnotaverit Commentarios ejus in Cantica, Hayus plura ejuſdem Gaufridi, ſeu Galfridi, opera reticuit, nimirum commentarios in Apocalypſin a Xyſto laudatos, in Orationem Dominicam, in illud Eccleſiaſtae *Memento Creatoris tui*, in illud Matth. *Ecce nos reliquimus omnia*, qui, olim Bernardo tributus, Gaufrido reſtituitur a Cl. Mabillonio, Tractatus de Veſtibus Sacerdotalibus, & alia opera, quae diſtincte commendat Oudinus *Sec. XII. Tom. II. col.* 1494. Humbertus de Leonardo, & Johannes Hayton, iidem met a Xyſto recenſiti. III. In laudato Catalogo Hayus commemorat Conſtantinum Fontium, quem certe laudare non debebat, utpote haereticum extra fidei communionem defunctum, cujus propterea cadaver S. Inquiſitionis Tribunal ultricibus flammis addixit, ut legere eſt apud Nicolaum Antonium in *Bibliotheca Hiſpanica*. Similiter eoſdem inter Scriptores percenſet Alexandrum Setonum, Scotum, a fide Apoſtatam, quem inter Authores primae claſſis proſcripſit Index Romanus, qui ſub Clemente VIII. P.M. prodiit, & adnotavit etiam Poſſevinus. IV. Ibidem Hayus aliquot Scriptores enumerat, quos, vel ut dubios, vel ut nothos rejicere fas eſt. Commemorat namque Gilibertum quendam Anglum in Cantica Canticorum, cujus nomen, & opus, apud neminem de litteraria hiſtoria agentem, eſto Anglum, occurrit, & certo certius ille Gilibertus eſt, quem commemorat Xyſtus, ille, inquam, qui S. Bernardi Commentariis imperfectis in Cantica complementum adjecit. In medium producit Johannem de Valeis Ord. Minorum, cujus nec nomen quidem in ſua Bibliotheca Wadingus adpinxit. Ex uno Bertramo ejuſdem Minorum Ordinis duos confecit, unum de Turre dictum, alterum vero Mediolanenſem adpellatum, quum hic unus fuerit, ut idem Wadingus oſtendit, & ego clariſſime adnotabo in Auctario meo. Ex uno itidem Alexandro Ceſtrienſi Epiſcopo duos fecit, ut ex ejuſdem Hayi verbis fere innoteſcit. V. Eiſdem Exegematicis Scriptoribus Hayus adcenſet Chryſtophorum Clavium virum aliunde doctum, ſed qui de Matheſi ſolummodo pertractavit, nec eminus quidem in ſuis operibus Dei verbum ſcriptum digito monſtravit. Adgregat etiam Petrum Caniſium, ſed ex nullo opere, quod ad rem praeſentem poterat pertinere, ut ex eodem Hayo adnotante colligere eſt.

Hiſce ergo momentis Hayanam Xyſtinae Bibliothecae editionem omnino praetermittendam animo duxi; retento autographo noſtri Scriptoris, illoque, quod ſecundis curis ipſe, dum adhuc in vivis erat, correxit adauxitque. Hiſce éditionibus, ad majorem operis perfectionem, ſcholia, animadverſiones, & notas adjeci, ſed minutiori charactere, ut quid meum, quid illius foret cunctis propatulum fieret. Et quamvis fortaſſe aliquis, aut ſeverior Criticus, aut rigidior Theologus, alia exoptarit, quae ex incuria, vel ex toedio, aut ex oſcitantia a me omiſſa exiſtima-

Digitized by Google

ſtimavit: ut ulteriorem adjiciam vindiciam, & veraciter quidem abſque ullo fuco, omni excuſationis fraude ſemota, ſcito Candide Lector, id non caſu eveniſſe, neque ex ſegnitie, ſed conſulto: ne tot tantiſque notis taedium ingererem legentibus plures omiſi, quas haud neceſſarias exiſtimavi; at quae opportuna cenſui non praeterivi, ibique firmius pedem fixi, ibi diutius ſum immoratus, ubi res agebatur majoris momenti difficilioriſque examinis, & bis praecipue, ut ſuperius dixi, ut ventilarem eos, qui fortaſſe Acatholicis eas adcenſent ſententias, quas primipili Romanae communionis recentiores Theologi ultro libenterque ſequuntur: praeſertim quum Tyronibus conſulere optarim, quibus, quae de novo forent addenda, haud celare ſtudui.

Ut autem opus pleniſſime abſolveretur, nihilque vel ad ornatum, vel ad eruditionem, deeſſet, praeponendam duxi vitam Authoris noſtri, quamvis ex ſolo N. Jacobo Echardo tranſcriptam, nec non encomia Virorum inluſtrium, cum Romanae communionis, tum eorum, qui Proteſtantes audiunt, vel qui ſe Reformatos adpellant, ut magis magiſque Xyſti Senenſis gloria dilatetur; tandemque tranſcribere haud omiſi ejuſdem Authoris epiſtolam nuncupatoriam ſui operis ad S. Pium V. Pontificem Maximum ab eo dum in vivis erat datam. Gratanter ergo benevole Lector meos hoſce qualeſcunque labores excipe. Si quid boni in eis offenderis, D. O. M. bonorum omnium datori repende grates: ſi quid autem in eis inveneris, quod minus tibi rectum videtur, vel quomodocumque cenſoriam promeretur virgam, animum lauda, & compatere neſcienti meliora parare: pluribus quidem diſtractus, pluribuſque praepeditus ſeriis occupationibus, meliorem, quam fortaſſe exoptas, diligentiam, & curam adhibere nequivi: utque mihi, & Tibi proficere poſſis, Deum pro me ſupplex, & fervens exora. Vale in aevum Deo charus, quum nil ultra optare liceat, quam Deo placere.

JACOBUS ECHARD ORDINIS PRAEDICATORUM

Tom. II. Bibliothec. Script. Ordinis fol. 206.

FR. Sixtus Senenſis Etruſcus a patria ſic nuncupatus, quod Senis natus ſit Anno MDXX. Hebraeus genere, Judaeiſque parentibus ortus, ac Judaica ſuperſtitione a puero imbutus, a qua revocatus adoleſcens, atque ad Chriſti fidem converſus, Ordinis Minorum habitum, regulamque demum profeſſus eſt, ut in vita S. Pii Papae V. diligenter animadvertit Antonius de Fuen mayor *lib. I.* Ceterum, ut erat literis apprime inſtitutus, perſpicaciſſimi ingenii vir, acrioriſque judicii, ac linguarum ſacrarum peritus, ſacris etiam ſe deinceps terendis, exponendis, intelligendiſque Bibliis addixit. Quo in ſtudio primum ipſe nactus eſt praeceptorem Ambroſium Catharinum, de quo ſupra ad 1553. idque ipſe met teſtatur Sixtus *Bibliot. Sanct. lib. IV.* ſic loquens, *Ambroſius Catharinus Politus Minorenſis primum Epiſcopus, & poſtea Compſae Archiepiſcopus, natione Etruſcus, patria Senenſis, concivis meus, & mihi primus in divinis Scripturis praeceptor*, &c. Quo autem tempore Catharinum Sixtus audierit, certo nobis non liquet, at quantum conjecturis aſſequor, non quidem in patria, niſi forte puer adhuc XII. circiter Annorum, ſed ut veriſimilius videtur, in Galliis, ubi Catharinus ab Anno MDXXXIV. ad MDXLIII. fere haeſit variis in locis, Toloſae etiam docens, ac diutius Lugduni plura ibidem edens opuſcula. Ad aliquam igitur earum urbium ſe contulerit Sixtus, & ſi jam Minorum inſtitutum amplexatus fuerat, forte miſſus a Superioribus, quod tum ſolemne. Ut ut ſit clariſſimus evaſit Eccleſiaſtes, & ab Anno MDXL. ad MDL. a pluribus Italiae civitatibus certatim accitus. De quo ſic ille: *Hanc Ambroſii praeceptoris mei ſententiam* (duplicis videlicet praedeſtinatorum a Deo generis, unius quidem certo, & inevitabili decreto Dei, alterius vero conditionato, ac mutationi obnoxio) *ipſe olim adeo veram credidi, & adeo aptam exiſtimavi ad evellendas duras quaſdam, & atroces de praedeſtinatione opiniones, quibus haeretici noſtrorum temporum* (Calviniani, ſcilicet, & Lutherani) *animos ſimplicium deſperatione impleverant, ut eam ab anno aetatis meae XX. uſque ad XXX. in multis ac praecipuis Italiae urbibus pro concione explicaverim non ſine audientium plauſu, ac perturbatorum mentium fructu* (Quis fructus, ut

id

Digitized by Google

id obiter notem, mendacio acquiescere?) *Sed tum postea animadvertissem hujusmodi assertionem difficultatibus, & angustiis non paucis premi, & ob id a plerisque doctis ac piis Theologis non probari, satius duxi ab ejus praedicatione desistere, quam pio eruditorum judicio improbata docere. Scripsit adversus hanc opinionem Dominicus Soto Segobiensis in Commentariis, quos edidit in Epist. ad Romanos Cap. IX.* Haec ipse Sixtus de suis annis ad Annum usque Christi MDL. Postea Deo procul dubio sic permittente, atque in melius disponente, in errores gravissimos; sed & haereses, de quibus postulatus apud Supremum Romanae Inquisitionis generalis Tribunal, & apprehensus latam jam capitis, ac rogi sententiam pertinacibus debitam subiisset, ni F. Michaëlis Ghislerii, tum hujusce Tribunalis generalis Commissarii curis, & lacrymis ad saniorem mentem adductus fuisset, qui & vita donandum curavit, & obtinuit a S.P. Julio III. Sixtus tamen, seu vitae taedio, seu futurae, sibique superstiti hinc imminentis infamiae inter suos Minores timore perculsus, latae jam adversum se capitis sententiae revocationem respuebat, magis eligens vitam commerita mortis poena praecidere, quam infamem producere cum sociis. At Ghislerius Deo afflante, ceu futuri praescius, Sixtum aliquando fortissimum fore praevidens Ecclesiae columen, fideique pugilem, ut & has infamiae nubes abstergeret, vitaque nova, ac tranquilla deinceps vivere posset, pro voto illius mutato pristini Minorum instituti contubernio, suo illum cooptavit cum Apostolicae Sedis authoritate Praedicatorum Ordini, ipsumque propriis ipse manibus propria & veste donavit. Quibus sane alludit Sixtus praefixa Bibliothecae suae Sanctae epistola nuncupatoria Michaëli, tum Pio V. inscripta, quem sic alloquitur: *Ausus sum illud* (opus) *piissimo Beatitudinis tuae nomini consecrare, existimans nulli magis convenire Bibliothecam Sanctam dedicari, quam Tibi Sanctissimo Christianae Bibliothecae reparatori: atque a me uno praesertim, quem Tu olim ab inferis revocatum, & errorum tenebris erutum sincerae veritatis lumine lustrasti, & ad sublimioris disciplinae observantiam perductum, habitu sanctae professionis tuae, tuis ipse vestibus, tuis ipse manibus induisti, & in filium tuo renatum spiritu adoptasti, meque in hoc sacro Praedicatorum Ordine ita benignitate, ac liberalitate tua semper in hanc usque diem fovisti; ut nulli magis debeam in terris, quam Tibi* &c. Quae certe cum iis, quae Gabutius in Vita Pii V. *lib. I. cap.* 3. refert, optime cohaerent, dilucidiusque a citato *Antonio de Fuen mayor* explicantur. *En este officio* (commissarii, videlicet, sancti Officii generalis) *libro a Fray Sixto Senes hombre de gran credito mas herage relapso y pertinaz, y condenato al ultimo castigo del fuego. Reduxelo primiero y tras la vida del alma, puesto a los piez de Julio III. que entonces presidia en la Iglesia, alcançole gracia de la del cuerpo, diziendo esperava trocado a quel hombre le avia Dios da hazer instrumento de la salud de muchos. Pero Fray Sixto de la Orden de los Menores despreciava la libertad de la vida, si era per estar afrentado entre sus Frayles: y el commissario le hizo admittir entra los suyos, dandole el habito con proprias manos y vestidos. Despues con insiñes trabajos este illustro la religion doctissimo interprete de los mas difficultosos lugares de la Escritura, con que eternizo su nombre y agradecimiento, contando a los venideros el beneficio recebido en la primera plana de sus obres* &c. Sixtus ergo Praedicatorum Ordini ascriptus, novusque jam factus homo novam induit vitam, haereticaeque juxta, & Judaicae perfidiae vindex acerrimus, & profligator, Ghislerii exemplo familiarique convictu, & consortio cultus, & eruditus, non inutilem eidem paulo post praestitit operam contra Judaeos, uti ipse met narrat *lib.* 4. *Biblioth.* ad calcem: *Pius V. P.M.*, inquit, *cum ante Pontificatum ei divinitus collatum amplissimo ac sacro totius inquisitionis Senatui praesset, Anno videlicet humanae salutis MDLIX. misit me Cremonam ad abolendos Thalmudicos Hebraeorum libros impiae ac prodigiosae doctrinae, quos Judaei ex omni ferme Italia in eam urbem tanquam in commune Judaicae nationis asylum convexerant. Cum igitur ea de causa coepissem diligenter evolvere universas ipsorum Bibliothecas, & Typographicas officinas omnium, quae tum in Italia erant, copiosissimas, reperi infinitum numerum Hebraicorum voluminum, inter alia vero* &c. Ex quibus aperte liquet ipsum mox, ut Praedicatorum Ordinem professus est, Ghislerio Commissario, ac deinde supremo Inquisitori Cardinali Alexandrino in profligandis Judaeis usui fuisse: Ordinem autem Praedicatorum ingressus est Sixtus inter MDLI., quo primum Ghisle-

Digitized by Google

rius Commiſſarius S.Officii inſtitutus eſt, & MDLV., quo ineunte nempe XXVIII. Martii obiit Julius, qui Sixtum morte liberavit. Ille ergo deinceps, juxta ſuſceptum Ordinis inſtitutum, ſaluti animarum totus incumbens, poſterioris hujus vitae innocentia, regulariſque diſciplinae cultu, ac illibata doctrina, fidei ſinceritate, & firmitate ſic illuxit, ut prioris labes omnes abſterſerit & infamiam, Chriſtique Eccleſiam variis ſuſceptis exantlatiſque pro ea laboribus, ſcriptiſque eruditis ornaverit, uno praeſertim Bibliothecae ſuae Sanctae, quam ineunte Pii V. parentis optimi pontificatu Anno MDLXVI.exeunte publici juris fecit, & eidem inſcripſit: quo certe vix ullum reperire ſit utilius Chriſtianae Reipublicae opus, aut probatius. Tandem Coelo maturus Sixtus,licet praecocibus annis,ſummo ſuorum, & Eccleſiae diſpendio raptus eſt aetatis ſuae Anno XLIX., ſalutis MDLXIX. in Conventu Januenſi S.Mariae de Caſtello, ſepultus ibidem, cujus & alumnus fuerat, ut aſſerit Pius noſter *P.II. Lib.IV.* ſub Vincentio Juſtiniano Magiſtro Ordinis: ubi & refert Sixtum lethaliter tandem decumbentem, quaecunque adhuc inedita ſcripſerat, forte non ſuo calculo praelo matura, ante obitum igni tradidiſſe. Atque haec una ratio, cur ex tot tantiſque, quae vir ille eruditiſſimus ediderat, operibus, quaeque ipſe a ſe ſcripta recenſet *Biblioth. lib.IV.* nullum aliud praeter Bibliothecam Sanctam poſteritati ſuperſit, quae una ſane Lectori pio, & erudito cuilibet infinitorum pene voluminum loco ſit,& opportunior. Haec autem ſunt, quae jam ante annum MDLXVI. ſcripſerat Sixtus ab ipſo recenſita.

1. *De uſu concordantiarum liber.*
2. *Quaeſtiones Aſtronomicae in varios Scripturae locos.*
3. *Quaeſtiones Geographicae in varios Scripturae locos.*
4. *Quaeſtiones Phyſicae in varios Scripturae locos.*
5. *Problematicae Epiſtolae in varios Scripturae locos.*
6. *Sophias Monoteſſeron, ſeu ex IV. libris Sapientialibus Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Sapientiae, & Eccleſiaſtici liber unus Sapientiae.* Lipenius tamen hoc opus typis ait prodiſſe Lugduni 1575. & Coloniae 1626. in *fol.*
7. *Compendium ſcholaſticum in Epiſtolam ad Romanos.*
   Ad Jo:Baptiſtam S.Clementis Cardinalem.
   Idem Lipenius ait typis editum Pariſiis 1610. & 1615. in 4. penes quem fides.
8. *Quaeſtiones Scholaſticae in eandem epiſtolam ad Romanos. Ad eundem.*
9. *Homiliae Quadrageſimales in Evangelia, quas Genuae quatuor annis pro concione habuerat. Tom.IV.*
10. *Homiliae in Evangelia, quas in feſtis Pentecoſtes, & adventus per ſex annos Genuae pro concione recitaverat. Tom.VI.*
11. *Homiliae octo in Heptahemeron: Sex in priora Job capita tria: Sex in Pſalmum primum; Viginti in Pſalmum L. quem Genuae pro concione expoſuerat.*

Quae omnia proinde igne conſumta ſic auctore volente perierunt, ut ſupradiximus, nobiſque unum hoc e tantis mercibus ab incendio ſervatum eſt eximium opus, ſcilicet *Bibliotheca Sancta*: cujus hae proſtrant editiones.

I. Venetiis, Franciſci Senenſis 1566. in fol. Tom. duobus: Iterum ibidem auctior 1580. in 4.

II. Francofurti, Nicolai Baſſaei 1575. in fol. Item Lugduni ſumtibus Philippi Tinghi Florentini 1575. in fol. Tomis duobus.

III. Coloniae 1576. & 1586. in fol. Quae optimae editiones.

Ibidem hoc titulo: *Ars interpretandi Sacras Scripturas abſolutiſſima, cui coronidis inſtar acceſſerunt SS.Patrum regulae 234.& Canones 372.F.Franciſco Fruitio Valliſoletano, & P.Johanne Hoffmeiſtere collectoribus ad ſacras literas recte citoque perdiſcendas imprimis neceſſarii.* Typis Petri Horſt 1588. & antea 1577. in 8. ſed in hac editione profertur tantum Bibliothecae liber tertius, quod non monuit Poſſevinus.

Poſtea, ut dicitur in programmate, *Ab auctore antequam ex humanis excederet, recognita & aucta nova Chronographica Tabula ſecundum temporum collationem locupletata: nunc vero a Joanne Hayo Scoto, S.J. plurimis in locis a mendis expurgata, atque ſcholiis illuſtrata.* Lugduni, Sibylle a Porta 1591. & 1593. in fol. Pariſiis, Rolini Theodorici 1610. in fol. Coloniae, Petri Cholin 1626. in 4.

Laudatur praeterea *Predica del modo per conſervar la Republica*, edita extat Romae in Barberina.

Quoad

Digitized by Google

Quoad Bibliothecam in octo libros ea dividitur.

I. *De divinis utriusque Teſtamenti voluminibus pertractans, ſingula ipſorum argumenta, auctores, auctoritatemque, rerumque ab ipſis auctoribus deſcriptarum tempora diligentiſſime exponit.*

II. *Scriptorum omnium, quorum in Sacris Voluminibus fit mentio, ſcripta univerſa, tam quae extant, quam quae non extant, tam vera, & indubitata, quam apocrypha, & pſeudepigrapha recenſet, ipſorumque argumenta ac multa in his obſcura lucide explicat.*

III. *Artem exponendi Sancta Volumina complectens, ſexaginta fere modos explanandi ſancta ſcripta catholicis expoſitoribus uſitatos oſtendit aptiſſimis regulis, & exemplis.*

IV. *Catalogum eorum continens, qui divina volumina catholicis interpretationibus illuſtrarunt, comprehendit expoſitorum omnium, qui ab Anno CCC. ante Chriſtum natum, uſque ad Sixti Senenſis tempora ſanctos libros, recte, pieque expoſuerunt, nomina, genus, dignitatem, ſeculum, commentariorum numerum, & varietatem, linguam, ſtylum, expoſitionis genus, exponendi methodum, & praeſertim virorum illuſtrium varia de praecipuis expoſitoribus judicia. His accedunt appendicis loco, de Hebraeis divinorum voluminum expoſitoribus elenchus, itemque de falſarum inſcriptionum cauſis, & quibus conjecturis earum deprehendatur falſitas, brevis admonitio.*

V. *Cenſorium jus in expoſitores divinorum veteris Teſtamenti Voluminum ſibi vendicans, habet annotationes, cenſuras, caſtigationes, obſervationes, & elucidationes eruditiſſimorum Eccleſiae Doctorum ſuper variis locis, in explanationibus nobiliorum expoſitorum partim caute legendis, partim prorſus vitandis, partim pie interpretandis, aut ſaltem modeſte excuſandis.*

VI. *Eodem annotandi ſtudio, & ordine cenſuras, & annotamenta in explanatores librorum novi Teſtamenti continet.*

VII. *Adverſus eos decertans, qui libros novi Teſtamenti haereſibus ſuis obſcurare tentarunt, omnes haereſes, quae ab Aſcenſione Chriſti uſque in hanc diem adverſus ſingulas Novi Teſtamenti ſcripturas exortae ſunt, tam ex ipſis divinis litteris, quam ex Veterum PP. ſcriptis acerrime confutat.*

VIII. *Iiſdem armis cunctas haereſes adverſus ſingula veteris Teſtamenti volumina ab haereticis excitatas evertit.*

Opus ſane, quod mirati ſunt eruditi omnes, avide exceperunt, laudarunt impenſe, & nocturna diurnaque manu etiamnum verſant. Criticen in eum ſuam fateor experiri voluit Poſſevinus, cujus ſumma eo tandem recidit, nam in ſingulis immorari, nec locus eſt, nec otium, nimirum, ut illi videbatur, Sixtum de auctoribus, quos recognoſcit, non abſolutam, & ab omni parte perfectam pronunciaſſe cenſuram, multaque poſteris addenda reliquiſſe. Sed quotus quiſque eſt ab hinc poſt Sixtum ſeſqui ſeculo, qui in hujuſmodi omnia dixerit? Quot Poſſevinus ipſe, & quos laudat Bellarminus, & Baronius, viri ſane celeberrimi, & ab his innumeri noſtrorum temporum Critici, ipſe ſeveriſſimus δοκιμαστής Simonius *Hiſt. Crit. du vieux teſtam. lib. III. cap.* 17. *pag.* 457., cui tamen, ut id obiter dicam, ex hujus eruditionis, & artis peritis, inter primos eſt Sixtus noſter, quot, inquam, poſteris reliquere diſcutienda? Sixto ſat fuit de Scriptoribus a ſe recenſitis tantum notaſſe, quantum ſuae Bibliothecae ratio poſtulabat, viamque venturis complanaſſe: quibus ſolum parem, & qualem in Sixto agnoſcis erga Romanam Eccleſiam Summumque Pontificem reverentiam optes.

In rejiciendis larvati Petri a Valle-clauſa objectis non eſt, quod Lectorem diutius morer, quae ſola Bibliothecae Sanctae lectione abunde confutantur. Librum *Eſther* ad primum veteris Teſtamenti Canonicorum ordinem ſpectare agnoſcit Sixtus, cur tamen de eo nonniſi in ſecundo ordine agat, rationem reddit, in eoque nihil Synodi Tridentinae decretis adverſum ſtatuere ſe luculenter evincit. Origenem non pluris facit, quam habuerint SS. Patres. Euſebium Caeſaraeae Paleſtinae Epiſcopum ſanctum vocaſſe futiliſſimum eſt Valcluſini mendacium. Quod autem hoc eum elogio Uſuardus ornarit in ſuo Martyrologio, alias in tota Occidentali Eccleſia uſu recepta, an Ord. Praedicatorum impingenda pluribus Seculis eo antiquior culpa, quam & ferunt in antiquiſſimo Hieronymi Martyrologio extare.

Digitized by Google

EGREGIA VIRORUM INLUSTRIUM TESTIMONIA DE SIXTO SENENSE, EJUSQUE BIBLIOTHECA SANCTA.

THOMAS STAPLETONUS DUACENUS, AC LOVANIENSIS DOCTOR, ET PROFESSOR

Relectione principiorum fidei doctrinalium.

SIxtus Senenſis Doctorum Princeps, qui Sacras Scripturas accuratiſſime tractavit.

JOHANNES HAYUS SOCIETATIS JESU

In Epiſtola nuncupatoria praepoſita editioni Xyſtinae.

SIxtus Senenſis vir doctiſſimus, deque ſtudiis Theologicis optime meritus.

ANTONIUS POSSEVINUS SOCIETATIS JESU

In Apparatu Sacro Tom.III.

SIxtus Senenſis Ordinis Praedicatorum, & Praedicator Divini Verbi ſyncerus, quem & nos concionantem audivimus, Pio V. Pontifice Maximo ob varias diſciplinas, & linguas Latinam, Graecam, Hebraicam, una cum zelo divini cultus, clarus, ſcripſit uſque ad annum 1566., quo aetatis ſuae annum agebat quadrageſimum ſextum .... Praeterea (edidit) in totum Bibliorum corpus Bibliothecae Sanctae libros octo ſaepe jam in Italia, in Galliis, in Germania excuſos. Quos quoniam alia ratione compoſuit, quam reliqui unquam ante ipſum catalogos confecerant, expedit de his aliqua hic praeloqui &c.

AUBERTUS MIRAEUS DECANUS ANTUERPIENSIS

De Scriptoribus Eccleſiaſticis Sec.XVII.

SIxtus Senenſis Ordinis Praedicatorum Theologus, & Concionator eximius, linguarum Orientalium peritiſſimus, ex praecipuis Eccleſiae Catholicae auctoribus Bibliothecam Sanctam in VIII. Libros digeſſit, & Pio V. dicatos Venetiis 1566. edidit.

HYPPOLITUS MARACCI, LUCENSIS, CONGREGATIONIS MATRIS DEI

Bibliothec. Marian. P.II.

SIxtus Senenſis Ordinis Praedicatorum, natione Italus, ex patria ſui cognominis oriundus, Vir, praeter ſingularem in Scholaſtica Theologia, & lectione SS.Patrum eruditionem, divini verbi Praedicator ſyncerus, & linguarum Latinae, Graecae, & Haebraicae peritiſſimus.

LUDOVICUS THOMASSINUS ORATORII DOMINI JESU

Theologiae Dogmatic. P.III. Tract.IV.

PIo V. P.M. Bibliothecam ſuam dicavit Sixtus, ſacra eruditione tota refertiſſimam, variiſque adverſus Lutheri haereſes jaculis inſtructam.

JO-

Digitized by Google

JOHANNES MABILLONIUS ORDINIS S.BENEDICTI

De ſtudiis Monaſticis.

SIxti Senenſis Bibliotheca utiliſſima eſt iis, qui ad lectionem Sacrae Scripturae ſe accingunt. -- Ejuſdem (Sixti) in varios Scripturae locos quaeſtiones aſtronomicae, geographicae, phyſicae, problematicae ſaepius excuſae, &c.

NATALIS ALEXANDER ORDINIS PRAEDICATORUM DOCTOR SORBONICUS &c.

Hiſtor. Eccleſiaſt. Sec. XVI. Cap. V.

SIxtus Senenſis Ordinis Praedicatorum Theologus, & Concionator eximius, Hebraice, Graece, & Latine doctus, in Sacris libris multum verſatus, de eiſdem, ac de tota Eccleſia benemeritus eſt editis octo Bibliothecae Sanctae libris.

BERNARDUS LAMY CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

Praefat. ad Apparatum Biblicum.

PAucis doceo quibus, & quot Libris conſtent Biblia. Quale ſit cujuſque Libri argumentum, a quibus, & qua Lingua ſcriptus: quae ſit ejus auctoritas: Haec Sixtus Senenſis copioſe, & erudite proſecutus eſt in Bibliotheca ſua Sancta.

RICHARDUS SIMONIUS CONGREGATIONIS ORATORII DOMINI JESU

Hiſtor. Critic. Vet. Teſtamenti Cap. XVII.

SIxti Senenſis opus, nomine Bibliothecae Sanctae, utilius multo ad Sacrorum librorum intelligentiam.

PETRUS ANNATUS PRAEPOSITUS GENERALIS CONGREGATIONIS DOCTRINAE CHRISTIANAE

Apparat. ad Theolog. Poſitivam Lib. II.

SIxtus Senenſis, ſic vulgo dictus, quia Senis in Italia natus, vir ſummae eruditionis, & profeſſione Dominicanus, Ordinis habitu a S.Pio V. non dum Pontifice veſtitus, Theologus, & Concionator eximius, Hebraicae, Graecae, & Latinae linguae peritus, & in Scripturis erudite verſatus, qui praeter decem Concionum tomos, edidit inſuper in totum Bibliorum corpus Bibliothecae Sanctae libros octo.

HYACINTHUS AMAT DE GRAVESON ORD. PRAEDICATORUM DOCTOR SORBONICUS, ET THEOLOGUS CASANATENSIS

Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI. Colloqu. V.

SIxtus Senenſis, quem inter Clariſſimos Seculi decimi ſexti Ordinis Praedicatorum Theologos retuli, Hebraice, Graece, Latineque doctus, multa in Scripturam Sacram edidit volumina, ſed praeſertim octo ſcripſit libros Bibliothecae Sanctae, ubi Sacros libros, eorum Authores, antiquas Scripturae Sacrae verſiones, & Commentaria percenſet, nec non Sanctorum Patrum, & Virorum Illuſtrium opera expendit, ac ſincera a ſpuriis, & dubiis accurato criterio ſecernit.

LU-

Digitized by Google

LUDOVICUS HELIAS DU-PIN DOCTOR SORBONICUS

Biblioth. Auth. Sec. XVI.

FRanciſcus (corrige *Frater*) Sixtus a patria Senenſis dictus, ejuratis Judaeorum erroribus, ope Pii V. tunc temporis Dominicanae familiae Generalis (corrige *Commiſſarii Generalis S.Officii*) veritatem Evangelicam amplexus, ejuſque Ordinis albo per eundem inſcriptus eſt, & Verbi Dei preco, quoad vixit, fuit, quo quidem munere, ut optime fungeretur, ſtrenuam in Biblicis ſtudiis operam navavit, in eiſque primas occupare facile fuit ob ſummam Graecae, Hebraicaeque linguae peritiam. Cum Annum ſextum ſupra quadrageſimum ageret, eximium Critices opus exegit, cui nomen Bibliothecae Sanctae dedit.... In eo quidem nihil eſt, quod exquiſitam non redoleat eruditionem, itaut neminem, qui Biblicis ſtudiis delectatur, pigeat eum legiſſe.

AUGUSTINUS CALMET ORDINIS S. BENEDICTI

Bibliothec. Sacr. praefix. Dictionario Biblico.

SIxtus Senenſis Dominicanus e Judaeis parentibus natus Senis Anno 1510. opera S.Pii ad Chriſti fidem traductus, Bibliothecam edidit, opus communi ſuffragio probatum.

Et iterum ibidem P.III.

NEC ſane opus aliud ceteris utilius praeponeretur, quam Bibliotheca Sixti Senenſis, ita enim Author opus ſuum inſcripſit, juſto ille quidem titulo, neque enim ejus aetate aliud quidpiam ejus generis opus elaboratius paruerat.

Et iterum ibidem infra.

SIxti Senenſis Bibliotheca opus eſt probatiſſimum, nec modice tyronibus conferens.

JOHANNES-PETRUS NICERON CONGREGATIONIS S.PAULI DECOLLATI

Tom.XL. memoriarum ad Hiſtoriam inſervientium.

BIbliotheca Sixti Senenſis utilis poteſt eſſe iis, qui ſe dedunt ſtudio Sacrae Scripturae.

JACOBUS-AUGUSTUS THUANUS

Ad Annum MDLXIX.

SIxtus Senenſis Vir eruditae diligentiae, qui a Pio V. e tenebris errorum (ut ipſe dicere ſolebat) & quaſi ab inferis revocatus, ſacrae militiae nomen dedit, & inſigni opere libris octo diſtincto (quo ſacrorum librorum cenſuram fecit) gratum animum erga ipſum teſtatus eſt.

Hoc idem Thuani Teſtimonium de N. Xyſto profert Abraham Bzovius Ordinis Praedicatorum *Tom.ultim. Annalium Eccleſiaſtic.*

ISAAC CASAUBONUS

*Exercitat. in Annal. Baronii num.*211.

SIxtus Senenſis homo erũditus.

HEN-

Digitized by Google

HENRICUS SAVILIUS

Not. in S. Joan. Chryſoſtomum.

SIxtus Senenſis doctiſſimus, ac ſagaciſſimus veterum Scriptorum cenſor.

RICHARDUS MONTACUTIUS

Apparat. I. Sect. 68.

SIxtus Senenſis Vir plane doctiſſimus, & ſi quis alius, in Patribus verſatiſſimus.

Idem *Exercitatione V. Cap.* 3.

SIxtus Senenſis immenſi laboris Scriptor, diligentiae ſtupendae, lectionis variae, & eruditionis admirandae.

JOHANNES-HENRICUS HOTTINGERUS

Bibliothecar. Quadripartit. p. II.

BIbliotheca Sacra Sixti Senenſis, ceteris, calculo meo, religionis ſuae ſociis, ob variam Scriprorum copiam, & erectum in multis judicium, anteferenda.

JOHANNES RAINOLDUS

De libris Apocryphis.

SIxtus Senenſis vir plurimae lectionis, & qui plurima aliorum ſcripta evolvit, tum eorum imprimis, qui ea tractarunt, quae ipſe ex profeſſo tractat.

JOHANNES POPEBLOUNT

Cenſur. Celebrior. Authorum.

FRanciſcus Sixtus Senenſis Italus, ex Ordine Praedicatorum, obiit Anno Domini 1569. ſcripſit plurima; Bibliotheca Sancta maximo habetur loco apud eruditos.

Ex errore *Franciſcus* pro *Frater*

FRANCISCUS BUDDEUS

Tom. I. Iſagog. Hiſtorico-Theolog. ad Theologiam univerſalem ejuſque partes. Cap. II. pag. 76. edit. Lipſienſ.

AD eos itaque, ut accedamus, qui hujus loci ſunt, primum quidem commemorandus nobis ex Romanenſibus videtur Franciſcus Sixtus Senenſis, Seculi XVI. Scriptor, Jacobo Auguſto Thuano ob eruditionem laudatus. *Hiſt. lib. XLVI. conf.* Hujus namque nota eſt, paſſimque celebratur Bibliotheca Sancta, ex praecipuis catholicae Eccleſiae auctoribus collecta, & in octo libros digeſta, tum alias, tum & Coloniae Agrippinae Anno 1626. edita.

Idem errore in Dupinio, & Popeblount circa nomen Xyſti Senenſis.

Epiſtola Nuncupatoria Xyſti Senenſis.

BEA-

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI, AC SUMMO CHRISTIANAE RELIGIONIS ANTISTITI, PIO V. PONT. MAX. F. SIXTUS SENENSIS EX ORDINE PRAEDIC. FELICITATEM.

MULTA quidem, ac prope innumerabilia sunt, BEATISSIME PATER, a te praeclare gesta ante, quam ad summi Pontificatus fastigium divinae benignitatis munere, ingentique totius orbis applausu evectus esses: inter caetera vero piae sollicitudinis opera, quae pro tuenda Catholica religione adversus omnes hujus miserandi saeculi haereses decertando peregisti, longe admirabilior est illa tua vere divina providentia, qua universam Christianae Reipublicae Bibliothecam periculo ruinae ab haereticis intentatae liberasti: cum enim inter decem amplissimos Cardinales, apud quos sacrosanctae Romanae Inquisitionis suprema auctoritas erat, principem locum teneres, te auctore prodiit decretum illud sanctissimum, de reparanda totius Christianae ecclesiae Bibliotheca, quam perditissimi nostrorum temporum haeretici suis morbis, ac pestibus ita corruperant, ut nihil aliud, quam certissimum ejus exitium esset expectandum, nisi tu repente opem attulisses: primum enim toto Christianorum orbe conquiri nefariae doctrinae libros, & publice exuri jussisti: deinde expurgari, & emaculari curasti omnia Catholicorum Scriptorum, ac praecipue veterum Patrum scripta, haereticorum aetatis nostrae faecibus, contaminata, & venenis infecta: postremo Catalogum, vel Indicem edi mandasti auctorum, ac librorum omnium haeretici nominis, qui essent ab ecclesiastica Bibliotheca arcendi, & ab omnibus Christianis Lectoribus abjiciendi: Hoc ego pietatis tuae flagrantissimo studio incensus, octo BIBLIOTHECAE SANCTAE volumina collegi, quibus cuncta complexus sum, quae maxime pertinere videntur, tum ad legendos, & illustrandos auctores, ac libros omnes, quos tuo sapientissimo judicio comprobatos, Christiana Bibliotheca dignos declarasti: tum ad confutandos auctores, ac libros omnes, quos tuo justissimo decreto damnatos, eadem Christiana Bibliotheca indignos pronunciasti. Cum autem pii aliquot, ac eruditi viri judicaverint hoc, quicquid est operae meae, Sacrarum literarum studiosis non mediocriter profuturum, & ob id etiam hortati sint, ut in publicum emitterem: ausus sum illud piissimo Beatitudinis tuae nomini consecrare, existimans nulli magis convenire Bibliothecam Sanctam dedicari, quam tibi, SANCTISSIMO CHRISTIANAE BIBLIOTHECAE REPARATORI, atque a me uno praesertim, quem tu olim ab inferis revocatum, & errorum tenebris erutum, syncerae veritatis lumine illustrasti, & ad sublimioris disciplinae observantiam perductum, habitu sanctae professionis tuae, tuis ipse vestibus, tuis ipse manibus induisti; & in filium tuo renatum spiritu adoptasti; neque in hoc sacro Praedicatorum Ordine ita benignitate, ac liberalitate tua semper in hanc usque diem fovisti, ut nulli magis debeam in terris, quam tibi, cui cum non liceat alia ratione testari animum, tot immortalium beneficiorum memorem, hunc qualemcunque laborem, non ingratae voluntatis meae testem, Beatitudini tuae nuncupandum putavi: quam, precor, ut Deus Opt. Max. dignitati, Apostolicae Sedis, & Reip. Christianae juvandae longo tempore servet incolumem, & omni felicitatis affluentia florentem. Venetiis, Anno a CHRISTI nativitate M. D. LXVI. Cal. Octobris.

NUMERUS ET ORDO LIBRORUM, QUI HOC OPERE CONTINENTUR.

I. TOMO.

I. *De numero, partitione, & auctoritate Divinorum Voluminum.*
II. *De Scripturis, & Scriptoribus, quorum in Sacris Voluminibus fit mentio.*
III. *De arte exponendi Sacrosancta Volumina.*
IIII. *De Catholicis Sacrorum Voluminum expositoribus.*

II. TOMO.

V. *De annotationibus, & censuris in expositores Voluminum veteris Testamenti.*
VI. *De annotationibus, & censuris in expositores Voluminum novi Testamenti.*
VII. *De his, vel adversus eos, qui novi Testamenti Volumina oppugnarunt.*
VIII. *De his, vel adversus eos, qui veteris Testamenti Volumina oppugnarunt.*


Horum utilitatem sequens totius Operis Praefatio demonstrabit.

FR.

Digitized by Google

FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM
IN OCTO
BIBLIOTHECAE SANCTAE
L I B R O S.

PRAEFATIO.



ANTIS quidem ſunt mortales omnes ignorantiae nebulis circumfuſi, & errorum tenebris obruti, ut ſuis viribus nequeant caligantes animi oculos in illum fulgentiſſimum divinae lucis ſplendorem attollere, in cujus intuitu ſumma veraque hominis conſiſtit felicitas. Hanc adeo profundam humanae mentis caliginem miſeratus omnium conditor Deus, plurima caecitati noſtrae contulit remedia: in quibus maxime antecellit praeſtantiſſimum illud Chriſtianae ſapientiae lumen, in ſanctis divinorum oraculorum libris revelatum, cujus clariſſimi radii iter ad aeternam beatitudinem expeditum inter devios & obſcuros hujus vitae calles oſtendunt: &, ne ulla aut peregrini ſermonis, & ignotae linguae difficultas, aut abſtruſi ſenſus obſcuritas corruſcantem divinorum Voluminum fulgorem aliqua ex parte Lectoribus offuſcaret, accivit in Eccleſiam ſuam ex omnibus totius orbis nationibus interpretes, expoſitores, & doctores varios, ſaecularibus diſciplinis nobiliter imbutos, & Sacrarum rerum peritia divinitus afflatos; qui beatas utriuſque Teſtamenti Scripturas in praecipuas gentium linguas transfunderent, & abdita in eis my-

Bibliothecae ſanctae neceſſitas & utilitas.

Digitized by Google

myſteria non ſolum vivis verbis, & animato vocis ſono reſerarent; ſed etiam calamo & atramento in paginis & codicibus diutius duraturis pie ac perſpicue explicarent, relinquentes nobis in omnes, tam veteris, quam novi Inſtrumenti partes, varia Sacrarum explanationum Opera, hoc eſt, Translationes, Introductiones, Partitiones, Annotationes, Paraphraſes, Enarrationes, Homilias, Conciones, Meditationes, Diſputationes, Collationes, Coacervationes, Commentaria, Collectanea, Compendia, atque alia his ſimilia interpretativi generis innumerabilia ſcripta, pro diverſitate ingeniorum, ac temporum varietate digeſta. Quibus tam egregiis literarum monumentis, ne vel hominum incuria, vel temporum nihil non obliterantium injuria interitum afferret, primum excitavit Deus non paucos Eccleſiae antiſtites & paſtores, Evangelicae doctrinae, & Eccleſiaſticae diſciplinae ardore incenſos, qui Sacrorum Auctorum ſudores, & vigilias, toto orbe terrarum non ſine magno labore, & ingenti expenſa conquiſitas, colligerent, magnaque fide, vel religione potius in codicibus emendatiſſimis deſcriberent; deindeque ex iis Bibliothecas in ſummis Templis, in Collegiis Sacerdotum, & Monachorum coenobiis extruerent, precioſiſſimis Sanctorum Eccleſiae Doctorum lucubrationibus refertas: ut tam Divinae rei cuſtodia penes eos eſſet, quorum maxime intereſt, omnem mortalem vitam in aeternae vitae ſtudiis tranſigere, & in Dei legibus non ſolum juxta Davidis ſententiam diu noctuque meditari, ſed alios quoque ſuae curae contraditos inſtituere, & Evangelicis, tum praeceptis, tum conſiliis erudire: nihil enim ad erudiendam & docendam eccleſiaſticam plebem utilius eſt, quam Divina librorum ſupellex, & nobilium Eccleſiae procerum ſcripta nihil non continentia coeleſtium & immortalium bonorum. Ex his etenim, veluti ex uberrimis & vernantiſſimis campis Hermonii montis rore perfuſis, paſcitur Chriſtianus populus ſalubribus alimentis; auditorum ſitis ceu de puriſſimis aquae vivae fontibus, & aeternis Paradiſi fluminibus

Pſal. 1. 2

Eccleſiaſt. librorum utilitas.

Digitized by Google

bus extinguitur ; & ſpiritualibus morbis , tanquam ex medicis hortis , praeſentiſſima herbarum , ac florum nullo ſenio intereuntium remedia colliguntur , ex his perinde , atque ex opulentiſſima divitiarum gaza inopum animarum egeſtas ditatur ; nec aliter , quam ex confertiſſimis armamentis arma ſumuntur , unde infidelium inſaniae , & haereticorum furores proſternantur : ex his non ſecus , ac de ſchola & gymnaſio virtutum omnium univerſa Chriſtiani hominis vita , mores , & officia formantur ; docentur indocti ; exercentur docti ; juvantur lapſi , ut ſurgant ; ſtantes , ne cadant ; armantur nudi ſpiritualibus armis ; armati in praelium educuntur ; animantur praeliantes , ne vincantur ; admonentur vincentes , ne victoriam amittant : in ſumma , nihil eſt uſquam vel honeſtum , vel utile , vel jocundum , nihil magnum , aut rarum , quod in his ad Chriſtianam eruditionem , ad vitae pietatem , & ad veram felicitatem conſequendam optari queat.

VERUM , peccatis noſtris ita promerentibus , accidit , ut huic ſacro eccleſiaſticae Bibliothecae theſauro , quem Deus tanta majorum noſtrorum ſollicitudine in utilitatem Eccleſiae ſervari voluit , nunc , proh dolor ! jacturam clademque multis lacrymis deflendam attulerint , ignorantia ſimul & avaritia , temeritas , ambitio , & impietas multorum perditiſſimorum hujus improbi ſaeculi hominum : ex quibus typographi primum , & bibliopolae quidam , nihil praeter quaeſtum arte ſua quaerentes , novos quotidie librorum foetus emittunt adulterinos , ſuppoſiticios , pſeudepigraphos , & nothos , praepoſitis abſque ullo judicio & pudore in frontiſpiciis operum , quo ipſa & carius & citius vendant , falſis illuſtrium Auctorum inſcriptionibus . Hoc ſane artificio ſuppoſuerunt nobis , inter multos ſpurios partus , Quaeſtiones in Geneſim Philonis Judaei , Quaeſtiones Juſtini philoſophi & martyris ad gentes [a] , Quaeſtiones

Bibliotheca ſancta ab improbis noſtri ſaeculi hominibus undecim injurias paſſa eſt, quae numeris ſubjecto margini appoſitis indicantur.

(a) Quum N. Xyſtus Senenſis ſuppoſititiis S. Juſtini operibus adcenſeat etiam *Quaeſtiones ad Gentes* , eum certe librum denotat , qui ſub nomine S. Juſtini Martyris inſcribitur *Liber Chriſtianarum ad Graecos quaeſtionum , Graecarumque reſponſionum , & earum reſponſionum confutationis* . Hoc quidem opus jure merito ad ſpuria S. Martyris opuſcula ablegatur, quum non-

Digitized by Google

D. Athanaſii ad Antiochum, Origenis Paraphraſin in Job, ejuſdemque in eundem librum Commentarios, item Arnobii Rhetoris in Pſalmos Commentaria, Euſebii Emeſeni Homilias in Evangelia, Ambroſii in Apocalypſin Explanationes.[a], Hieronymi in Proverbia Libros tres, & in Lamentationes Jeremiae Libros tres; Eucherii in Geneſeos, & Regum hiſtorias Libros octo, & cum his alia plurima, ſub nomine praeſertim veterum Patrum aſciticia opera; quorum dogmata, ſtylus, ac tempora magis ab ipſorum titulis & inſcriptionibus diſtant, quam coelum a terra.

II. NEC diſſimili, ſed impudentiori fuco, iidem ipſi, ut adagio fertur, duos ſibi generos ex unica filia parantes, quod unius tantum erat auctoris opus, ſaepenumero, & in eadem quoque officina excuderunt ſub diverſis duorum, vel trium auctorum titulis, exhibentes nobis (ut interim ex tam multis paucula quaedam in exemplum adducam) Homilias in Leviticum, ſemel Origenis nomine, & iterum eaſdem Cyrilli nomine, ſeparatis voluminibus impreſſas; proferentes item commentaria eadem in epiſtolas Pauli, in aliis quidem codicibus Athanaſio, in aliis vero Theophylacto inſcriptas; ſimiliter eandem in Eccleſiaſten Paraphraſin publicantes, primum Gregorii Neocaeſarienſis, deinde ſequenti

nonniſi ex errore ab indoctis quibuſdam fuerit S. Juſtino adfictum. Prae ceteris enim (ut reliqua miſſa faciam) ejus Author non ſemel meminit haereſeos Manichaeorum, quam impugnat, ex quo fucus acu tangitur; quum Juſtinus integro, & amplius Seculo anteverterit exordia haereſis Manichaeorum; ejuſque operis ſtylus longe differat ab ſtylo Pſeudo-Juſtini hujus operis Scriptoris, de qua re vide Photium *Bibliothec. Cod.* 125. Huicce ſuppoſititio S. Martyris operi adde pariter, quae ſub ejus nomine circumferuntur, *Quaeſtiones Graecanicae de incorporeo, & de Deo, & de reformatione mortuorum*: ejuſdem quippe commatis, & Rectoris ſunt, ac nuper exploſae.

Num autem ſubdititiis S. Juſtini operibus pariter adnumerandus ſit qui ab eo inſcribitur ἔλεγχος, ſeu *Oratio ad Graecos*? dubium eſt inter Criticos. Adfirmant aliqui recentiores, nam etſi hujuſce operis meminerint Euſebius Caeſarienſis, S. Hieronymus, & Photius, quibus ceteri univerſim adſtipulantur, tamen ex eo recentiores Critici refragantur, & S. Juſtino eam ablegant Orationem, quia in eadem aliqua deſunt hodie, quae ex veterum teſtimonio inibi laudantur. Diſputaſſe ibi Juſtinum de doemonum natura Hieronymus tradit, ſed ea de re in praeſentiarum nec verbum eſt reperire. Similiter Leontius *lib. II. contra Neſtorium, & Eutychetem* S. Juſtini *Orationis contra Gentes* fragmentum profert, quod nunc evanuit, ſicut & diſputatio contra Platonem *de morte, & immortalitate*. Vide editionem operum S. Juſtini M. Roberti Stephani, & noviſſime Pariſienſem, nec non Caſimirum Oudin *de Scriptor. Eccleſ. T. II. Sec. II.*

(a) Sapientiſſime Author abjudicat S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo *Explanationes in Apocalypſin*, quem certe indigitat, dum abſolute Ambroſium dicit. Sed non abjudicandum eſt laudatum opus S. Ambroſio Authperto, ſeu Authero Gallo ex Archi-Cancellario Caroli Magni Imperatoris Monacho Benedictino primum, & deinde Abbati Monaſterii S. Vincentii Martyris prope Vulturnum in Samnio ſiti. Vide prae ceteris Johannem Mabillonium *Secul. IV. Benedictin.* & NN. Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Sec. VIII. Art.* 14. & Hyacinthum Amat de Graveſon *Hiſtor. Eccleſ. Sec. IV.* Sed de hac re iterum infra.

Digitized by Google

ti anno Gregorii Nazianzeni inſcriptione praenotatam; vendentes Commentarios eoſdem in Proverbia, in primis Bedae, & mox Hieronymo aſſertos; evulgantes quoque eaſdem Commentationes in Job, in multis voluminibus, Philippi Presbyteri nomine, in pleriſque vero praenotatas Bedae Presbyteri titulo; ſub quo etiam emiſerunt Collectanea ejuſdem Bedae in Hexaemeron, eodem tempore ſub Junilii Afri appellatione excuſa; & eaſdem Pſalmorum explanationes, in priori editione Hugonis Carenſis inſcriptionem habentes, in poſteriore vero Alexandri Halenſis.

HIS LONGE majus & gravius detrimentum in- III.
tulerunt divinae Bibliothecae impii noſtrorum temporum haeretici: qui, ut haereſibus ſuis fidem ex auctoritate inſignium auctorum conciliarent, libris nefariae doctrinae a se editis impoſuerunt gratioſa catholicorum Patrum nomina & cognomina; hoc nimirum impoſturae genere allicientes ad ſe avidos & incautos Lectores, quibus pro ambroſia & nectare faeces & excrementa, pro remediis & antidotis letifera venena melle praelita venditarent: ſic proximis annis pernicioſum Oecolampadii volumen adverſus Sacramentum Corporis Chriſti invulgarunt ſub titulo Bertrami Presbyteri De Corpore & Sanguine Domini ad Carolum Magnum; &, vice verſa, Caroloſtadii Opus contra cultores imaginum, cum inſcriptione Caroli Magni De cultu Imaginum ad ſextam Synodum, in Oriente congregatam: rurſuſque aliud Calvini Opus emiſerunt ſub nomine Alcuini, praeceptoris Caroli Magni, ad eundem Carolum Auguſtum: hunc in modum transformarunt Henrici Bulingeri librum contra viſibilem Eccleſiam in librum D. Athanaſii De vera & pura Eccleſia: ita Buceri Opuſculum adverſus merita bonorum operum in aliud Opuſculum immutarunt, mentita inſcriptione Joannis Epiſcopi Roſenſis De miſericordia Dei: conſimili fraude conciones Italicas Bernardini Ochini, apoſtatae & haeretici, verterunt in conciones Thomae Ordinis Praedicatorum, Epiſcopi Juſtinopolitani.

ET

Digitized by Google

IIII. ET QUASI haec deteſtanda Scriptorum metamorphoſis videretur Proteis, ac perſonatis hiſce hiſtrionibus, aut nullius, aut parvi admodum eſſe momenti; iterum longe peſtilentiori audacia irruerunt in labores orthodoxorum Patrum, uſurpantes ſibi in ſcriptis praecipue antiquorum tyrannicam quandam poteſtatem judicandi, cenſendi, in dubium revocandi, repudiandi, mutilandi, reſcindendi, & pro animi libidine ſubmovendi, ac penitus abolendi quaecunque ipſorum inſano guſtui non placerent. Ex his, ne ſingula recenſeam, ſatis ſint pro exemplo, Oecolampadius, Lutherus, & Eraſmus: quorum prior libros Ambroſii De Sacramentis [a], tanquam Ambroſio parente indignos, ex Ambroſianis

(a) Catholicae Religionis ab haereticorum fraudibus vindicandae zelo ſuccenſus pius juxta, ac doctus Author eos caſtigat Novatores, qui e ſyllabo operum Veterum Patrum aliqua non ſine dolo eraſerunt, &, quod magis dolendum eſt, ea (etſi aliis non ignobilibus Authoribus reſtituenda) contemnentes, ad quiſquilias relegarunt, ut omnem ab eis averterent vim, & authoritatem eliminarent; ſicque facilius fucum facerent orthodoxis dogmatibus, quae Patrum traditione firmata recte a nobis objiciuntur eiſdem. Verum abſque ulla labe poſſe aliqua id genus opera abjudicari iis Veteribus Patribus, quibus olim fuerunt adjudicata, & quorum nomine quidem olim fuerunt a nonnullis laudata, eaque idcirco reſtituenda fore iis, quorum ſunt genuini partus, ut veritas ſine fuco ſervetur, & exactae Critices regulae ſartae tectae cuſtodiantur, nemo, qui eruditus Theologus, nemo, qui ſapiens Catholicus audit, inficiatur. Spartam hanc viri de litteraria Republica, & de S. R. E. optime meriti non ſine improbo labore ſuſceperunt, nec ſine laude ſunt exſecuti, ut non ſemel ex Cll. VV. infra laudandis aperte conſtabit. Neque ex hoc catalogo eradendus eſt N. Xyſtus, qui, etſi in majori caligine vixerit, lyncaeo tamen oculo praeditus plura vidit, quae ceteri ante ipſum non obſervarunt, plura itidem ad lydium lapidem probata rejecit: heinc recentioribus Criticis non modicum adtulit lumen, qui proinde non ſine laude vera ab apocryphis, & ſpuria a genuinis Patrum operibus ſecernere potuerunt, nec non quae ſub aliorum Nomine proſtabant, authori proprio reſtituerunt: in eo quidem devitantes extraneorum quorundam audaciam, qui omnia ſimul confundentes fucum faciunt veritati, ſicut & naſutulorum quorumdam tricas, qui cavillis dediti quamplures movent in ſimplo fluctus, & nodum in ſcirpo quaerunt. Quia autem, ut ſuperius adnotavi, N. Xyſtus omnia non potuit ſuo aevo perſpicere, quia tunc non erant apprime obſervata, & poſteriori, eaque clariori, aetate innotuerunt, abſque injuria Authoris laudati fas erit nobis ejuſdem Criterium ad incudem revocare. Flagellat N. Xyſtus primipilos quoſdam Novatores, & primo quidem Oecolampadium S. Ambroſio ablegantem *libros de Sacramentis*, quod pariter egerunt ex poſterioribus Heterodoxis Marcus Antonius de Dominis, Andreas Rivetus, Edmundus Albertinus, Johannes Dallaeus, aliique a Romana communione ſegreges, qui, ut traducerent noſtra Sacroſancta ſymbola, & Romanae Eccleſiae fucum facerent, laudatos S. Ambroſii libros ad apocryphos amandarunt, & ſuppoſititiis adcenſuerunt: quapropter ſicut & nos eo ex momento non parcimus recentioribus hiſce Acatholicis, ita Xyſtus ſapienter pupugit horumce Patriarcham eadem ex cauſſa praefatos libros nigro theta ſignantem, quum ex eiſdem (quicumque illorum ſit author, iſque dubio procul vetuſtus & ab Eccleſia receptus) rite, meritoque propugnentur avita invariataque Eccleſiae Romanae dogmata, quae nunc ſummo jure confitemur, & vindicamus. At ſecluſo ſphalmate, dolo abacto, haud nefas eſt ad examen revocare laudatum S. Ambroſii Mediolanenſis opus, quodve probis doctiſque viris hac de re fuerit judicium latum, ut veritas undequaque clareſcat, nec audeant Acatholici alio ex capite nos ventilare. Scripſiſſe quidem S. Ambroſium libros *de Sacramentis*, ſeu *de Philoſophia adverſus Platonem* nemo eſt qui inficias eat, & aperte teſtatur M. P. Auguſtinus, qui eos laudat *lib.* 2. *Retractat. cap.* 4. & *de doctrina Chriſtiana lib.* 2. *cap.* 28. eoſque ſibi mitti a Paulino petit *Epiſtola XXXIV.* At num qui hodie extant iidem ſint, quos Ambroſius edidit, & Veteres commendarunt? hic difficultatis eſt cardo. Sicut etiam num liber *de initiandis*, ſeu *de ſacris myſteriis*, qui univerſim ab Criticis Ambroſio vindicatur (quidquid ex adverſo ſentiat Caſimirus Oudin, qui hunc ceteris ſex libris adcenſens ſimul cum reliquis alteri ab Ambroſio reſtituendos fore contendit, de qua re tamen nimium dubitat Guillelmus Cave) pars ſit ejuſdem Tractatus

Digitized by Google

ſianis operibus non alia de cauſa amovit, quam quod ii haereſim ſuam de Sacramento everterent: alter Opera Dionyſii Areopagitae (a) nomine celebrata, & tot jam ſaeculis ſub ejus auctoritate a magnis authoribus in teſtimonium graviſſimarum rerum producta, omnia prorſus abjecit, offenſus, ut ipſe inquit, Platonicis ſomniis, & imperitis ac frigidis allegoriis, in quibus auctor ille perpetuo luderet: tertius vero, quem haeretici honoris gratia Cenſorem eccleſiaſticae Bibliothecae appellare non verentur, tanta auctoritate, ne dicam temeritate, cenſoriam virgam arripuit in ſacros magni nominis authores, ut ex ipſorum egregiis lucubrationibus magnam partem aut omnino ſuſtulerit, aut in infimas vilium Scriptorum claſſes redegerit, adimens a Cypriano dimidiam pene laborum partem, Hieronymo quartam, Ambroſio ex quatuor Tomis unum, Chryſoſtomo

tus, ſeu Operis *de Sacramentis*? in dubium revocatur ab Eruditis. Laudatos ſex libros de Sacramentis, veluti peculiare opus a Tractatu *de initiandis* diſcretum, Ambroſio vindicant ne dum Veteres omnes, ſed & recentiores non pauci, praecipue Cardinales Baronius, & Bellarminus, Petrus Annatus, Antonius Poſſevinus, N. Natalis, aliique non pauci. At contra librum *de initiandis* partem eſſe integri operis *de Sacramentis*, quod nunc non extat, contendunt non ignobiles Orthodoxi Critici, qui proinde adſerunt laudatos ſex libros *de Sacramentis* alteri ab Ambroſio Mediolanenſe fore adjudicandos, Epiſcopo, videlicet, poſterioris aetatis, quod pluribus probant momentis: I. quia in eis Author non ſemel vulgata Bibliorum editione utitur, quae certe nec primas ſuas cunas Ambroſii aetate fuerat ſortita, & diu poſt in Eccleſia locum habuit. II. quia longe diſtat ab Ambroſii ſtylo dictio & forma argumentorum. III. quia ibi Author plurima ſcribit, quae ad ſequiorem Ambroſio ſpectant aetatem, & cum quamplurimos ſuo tempore commemoret infideles, Arianos haereticos nec digito monſtrat. Et ita ſentiunt Card. Bona *Rer. liturgic. lib. 1. cap. 7. §. 4.* Jacobus le Friche, & Nicolaus Noris Ord. S. Benedicti in *nova editione oper. S. Ambroſ.* quibus adde Heliam Dupin *Tom. II. Biblioth. latin.*, Godefridum Hermannum *in elucidatione vitae S. Ambroſ.* gallice conſcript. *p.* 30. alioſque. Cui autem reſtituendi ſint praefati libri poſteriori retenta ſententia? dubium omnino eſt. Laudati San Mauraei Monachi ſimul cum Godefrido Hermanno illos tribuunt „ Venerio, aut „ alii cuidam Ambroſii diſcipulo, qui non mul„ to poſt ipſum praefuit Eccleſiae Mediolanenſi„ Oudin exiſtimat ſpectare illos ad aliquem Galliarum Epiſcopum; Alii reſtituunt eos S. Ambroſio Autperto, Johannes Mabillonius ex autographo, quod vidit, cenſuit eos ſpectare ad virum, qui mille ante annos floruit. Cujuſcumque autem ſint, nimium facere ad ventilandos errores Novatorum certum eſt, & Dupinius bene obſervavit; & ſimiliter vel ex eo adverſus eoſdem ſunt ſuſpiciendi, quia recepti laudatique fuerunt ab inluſtrioribus Patribus VIII. IX. & X. Seculorum. Videſis laudatos Criticos, & noviſſimum Theologum Carolum Vvitaſſe Doctorem Sorbonicum *Tom. ultim. de Sacram. Ord.* ubi eos acriter S. Ambroſio vindicat.

(a) Iterum jure ſummo N. Xyſtus cenſoriam virgam extendit in Lutherum primùm, & deinde in reliquos utriuſq; ſectae gregales ad nugas & gerras amandantes, quae Dionyſius vulgo *Areopagita* dictus tradidit, ſcripſitque, ut facilius, feliciuſque (ſi ſuperis placet) ex contemtu inluſtris Authoris poſſent propria commenta tueri, & qui vel ex eo debebant laudare vulgatum Dionyſium, quia commendatum ab Juvenale Epiſcopo Jeroſolymitano, Leontio Biſantino, Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano, Gregorio M. Maximo Martyre, Nicolao I. R. P. Theodoro Presbytero, Photio, Elia Cretenſe, Joh. Damaſceno, Euthymio Monacho, Thoma Aquinate, aliiſque inluſtribus viris, ut tamen adverſus veritatem liberius ſtarent, hunc, quem tanti exiſtimarunt praefati Authores, ceu vilem deſpexerunt. An autem M. Dionyſio tribuenda ſint ea, quae nunc ſub ejus nomine extant, opera? infra expendetur, ubi ex profeſſo N. Xyſtus de eo agit. Doctrinam impraeſentiarum vindicaſſe ex laudatorum hominum judicio ſufficiat, Criterium autem veri authoris eorum ibi adponere lubet.

Digitized by Google

mo unius Tomi dimidium, Auguſtino libros, ſive Opuſcula plus, quam ſexaginta; quorum licet fatear aliqua non immerito fuiſſe expuncta, plurima tamen ſunt indigne temereque exploſa. Praetereo innumerabilia ac
v. fere infinita juris Pontificii, & Scholaſticae Theologiae volumina, quae impius haereticorum furor è Sacris Bibliothecis tanquam tyrannica, barbara, & ſophiſtica turpiter ejecit, ac publicis etiam flammarum incendiis exuſſit.

VI. OMITTO, brevitatis gratia, prophanos quoſdam temeratores, qui velut lolium tritico, & faecem vino, commiſcent ſcriptis Patrum ſuas nugas, naenias, & errores; tali miſtione, atque compage, ut ſine totius Operis jactura divelli non poſſint a veris authorum Operibus, & difficile etiam diſtingui: cujus generis ſunt Praefationes, Argumenta, Coronides, Appendices, Corollaria, Summaria, Gloſſemata, Annotamenta, Scholia, Caſtigationes, Obſervationes, Cenſurae, Antidoti, milleque alia impudentiſſimae temeritatis parerga, ab Oecolampadio, & Luciano in Chryſoſtomum, a Beato Re-
VII. nano in Tertullianum, & ab Eraſmo in Hilarium, Hieronymum, & Auguſtinum, collata, nuperque ex decreto Sanctae Romanae Eccleſiae damnata. Ac, ne Lectorem in re adeo manifeſta diutius morer, taceo Sacrorum authorum translationes, & impreſſiones tam multis in locis de induſtria ab haereticis immutatas, depravatas, falſatas, & ad haereſes ipſorum violenter detortas: venio autem ad beatos utriuſque Teſtamenti Scriptores: quos cum maxime propter Divini verbi majeſtatem, & indubitatam fidei noſtrae auctoritatem debuiſſent intactos ſervare, & intemeratos relinquere; in
VIII. nullos tamen efferatius, quam in eos debacchati ſunt apri iſti plus, quam ſylveſtres: ex quibus alii, ab ipſis Divinae Scripturae translationibus initium contentionis excitantes, ſacrilega voce proclamant, omnes editiones, quas uſque in hanc diem, ut veras & certas, venerata eſt fidelium Eccleſia, eſſe majori ex parte male verſas, perperam deſcriptas, contaminatas, immutatas, mul-

tis

Digitized by Google

tis in locis falsatas, abrasas, superadditas, & modis omnibus pessime tractatas: proindeque opus esse ad sinceram Sanctorum Voluminum lectionem novis, veris, & emendatis versionibus: quales proximis annis emiserunt, Pellicanus, Zuinglius, Lutherus, Munsterus, Erasmus, Castalio, pluresque alii prophanarum novitatum auctores: qui ex Graeco & Hebraeo fonte Sancta Biblia in varias diversarum gentium linguas, juxta suorum dogmatum placita, transtulerunt, adjectis scholiis, glossematis, argumentis, summariis, titulis, & indicibus pestilentissimis: quibus Divinas Scripturas eloqui cogant quicquid impietatis commenti fuerint. (a)

IX. ALII ab ipsa Divinarum literarum auctoritate sceleratius, magisque impie bellum aggressi, numerum nobis utriusque Testamenti voluminum imminuunt, & ad minorem summam redigunt: inter quos Lutherus, & Zuinglius ex veteri primum Testamento eliminant libros Sapientiae, Ecclesiastici, Tobiae, Esther, Judith, Baruch, Machabaeorum, & Danielis partem, veluti apocrypha, & incertae auctoritatis ac fidei scripta. Ex novo autem Instrumento iidem nobis auferunt Epistolam Pauli ad Hebraeos, Epistolas Jacobi, & Judae, secundam Petri, & secundam ac tertiam Joannis epistolas, ut parum evangelicas, & apostolico nomine indignas. Calvinus ex Joannis evangelio mulieris adulterae historiam abscindit. Musculus ex evangelio Marci, de cujus auctore & inscriptione pridem addubitaverat Eras-

(a) Non semel Novatores aliquos in Bibliorum versione, praesertim ad propria commenta firmanda, Divinum originalem textum corrupisse certo novit, qui eorum opera lustravit, idque adcurate nimis N. Xystus adnotavit, ne, videlicet, facilius lubentiusque, quam par est, eis fidem adhibeat qui non est apprime eruditus. Ex hoc autem stigmate exacerbati nimium qui Protestantes audiunt, dictu facile non est quam graviter conquerantur. Veluti de impacta eis calumnia dolent, exclamant, & Pontificios de falsa criminatione accusant; quinimo, ut se aut excusent, aut (si superis placet) purgent, vindicentque, fabam in nos recudere student; sed perperam quidem; ut notum est cunctis, qui vel leviter sunt eruditi, nec ullo sunt praejudicii vinculo adligati. Ut res autem acu tangatur, videantque omnes quam rite justeque, quantave fidelitate ac integritate fuerit a nobis semper custoditum servatumque Dei Testamentum; necnon quoties ex adverso fuerit ab Heterodoxis interpolatum, corruptum, vitiatumque, consuli prae ceteris possunt Cll. Fratres Vvalemburgici, qui pluries id genus vitilitigatores arguunt, eisque proprium objiciunt crimen, nec non ex testimonio aliorum Protestantium, quos haec dementia non cepit, quique sacrilegam eorum falsidiam castigant.

Digitized by Google

mus, detruncat poſtremum capitulum. Eraſmus [a] Apocalypſin Joannis, prius a Luthero damnatam, a novo Teſtamento revellit: fallique eos pronunciat, qui eam eſſe credunt Joannis Evangeliſtae; de cujus etiam priore epiſtola recidit teſtimonium illud celebratiſſimum de Unitate Trinitatis ceu aſciticium; & aliunde ab Ilo-
x. mouſianis intruſum. Fanatici furenteſque Anabaptiſtae ſuperbe jactant totum Divinae Scripturae corpus undequaque corruptum eſſe, praecipue vero in evangelicis & apoſtolicis literis, utpote in quibus multa fuerint ex Mo-

(a) Mirum non eſt, quod N. Xyſtus acriori, quam fas eſt, cenſura notaverit Deſiderium Eraſmum Roterodamum, virum non levis eruditionis, & Romanae communionis Theologum non deſpicabilem, ſummis Pontificibus Leoni X. Adriano VI. Clementi VIII. & Paulo III. propterea charum, ut prae ceteris adnotavit Cl. N. Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI.* Inſedit quidem primitus cunctis fere Catholicis magna de Eraſmo Lutheranizante ſuſpicio ob neceſſitudinem, quae Eraſmum inter & Lutherum diu viguit; qua de cauſſa ne dum priores Theologi, ſed non pauci etiam ex poſterioribus Eraſmum inter acatholicos adnumerarunt, ejuſque opera iratis diis ſacrafunt, nimirum, Albertus Pius Carpenſis, Julius Scaliger, Petrus Curtius, Sepulveda Hiſpanus, Jacobus Latomus Doctor Lovanienſis, Didacus Lopez Stunica Theologus Complutenſis, Nicolaus Egmondanus Carmelita, Eduardus Leus Hiſpanus, Vincentius Lovanienſis Dominicanus, aliique ejuſdem Ordinis Sodales, quos ſibi ſemper infeſtos Eraſmus conqueritur, Petrus Sutor Pariſienſis Doctor, & Ordinis Carthuſienſis Profeſſor, Ludovicus Caravajalis, & Johannes Gacchus Franciſcani, Johannes Faber, & Natalis Beda e Clero Seculari, Card. Bellarminus, Petrus Caniſius, & Antonius Poſſevinus e Societate Jeſu, aliique. Verum ab hac injuria ſe viriliter purgavit Eraſmus cum in epiſtolis ad Card. Compegium datis, tum in Apologiis adverſus Stunicam, & Bedam, tum denique in ceteris epiſtolis ad Lutherum, aliosque datis, quibus pſeudo-Reformationem deridet impugnat evertit: quas epiſtolas non ſemel, nec ſine laude commendavit Cl. Jacobus-Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in *Hiſtor. Variat. Eccleſ. Proteſtant.* Quâpropter re bene librata Eraſmum vindicarunt, & inter Orthodoxos adcenſuerunt alii adcuratiores Critici, Daniel Huetius Epiſcopus Abrincenſis, Paulus Jovius Epiſcopus Comenſis, Marcus Antonius Muretus, & Ludovicus Vives, Jacobus Marſollier Pariſienſis, Cathedralis Eccleſiae Uzetienſis Praepoſitus, Dionyſius Petavius, & Philippus Brietius e Societate Jeſu, Auguſtinus Calmet Benedictinus, Jacobus le Long Oratorii Domini Jeſu, N. Natalis Alexander, aliique non pauci.

In vindiciam vero Eraſmianae editionis ejuſque commentarii laudant Pontificias litteras Leonis X. ad Eraſmum datas die 20. Septem. 1508. „Valde Nos delectarunt lucubrationes tuae in „Teſtamentum Novum jam pridem editae, non „tam, quia noſtro nomini dicatae fuerant, „quam quod non vulgari, ſed nova, & inſigni quadam eruditione praeſtabant, omnium„que Doctorum calculo plurimum laudaban„tur. Quas ſuper a Te recognitas, & pluribus „additis notationibus locupletatas, illuſtrataſque „fuiſſe certiores facti, non mediocriter gavi„mus; ex prima illa editione, quae abſolutiſ„ſima videbatur, conjecturam facientes &c.„ Verum quia aliqua ſunt in eo perpendenda ad rectum criterium ſervandum, ea omittere non decet. Nigro quidem carbone fuit Eraſmus notatus, quia in priore editione ab Epiſtola S. Johannis eraſit verba illa: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*, de qua re olim fuit controverſia, & aliqui ſine haereſeos nota in eandem Eraſmi ſententiam deſcenderunt, & quidem ex aliquibus codicibus, iiſque veteribus, in quibus eadem verba deerant, & antequam a Tridentina Synodo judiciali decreto dis tota dirimeretur. At Eraſmus ipſe, qui ita pridem ſenſerat, re poſtmodum adcuratius perpenſa, & obſervato pervetuſto Brittannico codice, in quo ea legebantur, in nova editione a Leone X. laudata, quae prius omiſerat, integre reſtituit; purgavitque se ab haereſeos Arianae labe (qua fuerat idcirco notatus) in Commentariis ejuſdem Epiſtolae S. Johannis, ubi omnem diluit maculam dedecoris, qua ex aliorum ſuſpicione prius fuerat infectus. Similiter longe ab Luthero iviſſe Eraſmum in expungenda e Catalogo Sacrorum Librorum Apocalypſi, vel ex eo dignoſcitur, quia ante Tridentini decretum ſcripſit; ſed nihilo ſecius adhuc dum adſeruit nil ſibi fore certum ea in re, judicio S. R. E. propriam ſubmiſit opinionem, quod proprium eſt Orthodoxi Scriptoris. Verum, quod ad Catholicum dogma ſpectat, circa authenticam quidditatem libri Apocalypſeos, ex innumeris certe Patrum monumentis oſtenditur, ex eoque certo certius dignoſcitur, quia vel ipſi doctiores Acatholici adſtipulantur, nec vel unus ex eis inficias ire in praeſentiam pertentat. Videſis praeſertim Guillelmum Cave, Caſimirum Oudin, Samuelem Baſnagium, Johannem Albertum Fabricium, alioſque.

Digitized by Google

Mosaicis & Propheticis libris testimonia temere falsoque a semi-judaeis Christianis inserta.

ALII è diverso, augere volentes sanctorum libro- XI.
rum numerum, proferunt sub nomine Divinorum Auctorum apocrypha quaedam scripta: qualia sunt Protoevangelium Jacobi, Evangelium Nazaraeorum, Evangelium Nicodemi, epistola Pauli ad Laodicenses, Esaiae visiones, & alia hujusmodi nuper haereticorum typis excusa, & scholiis illustrata. Talia quoque sunt Hebraicum Matthaei evangelium, Hebraica Pauli epistola ad Hebraeos, Tobiae, Judith, & Maccabaeorum Hebraica volumina, longe a nostra vulgata editione diversa; quae Munsterus (a) ex Latino in Hebraeum sermonem par-

(a) Munsterus (Sebastianus) Germanus Ingelhemensis ex Franciscano Apostata factus, & ex Catholico Calvinista, natus anno 1489 & peste defunctus anno 1552. Hebraice, & Chaldaice non mediocriter peritus, libros Hebraicos Veteris Testamenti, Tobiam, Matthaei Evangelium, & S. Pauli epistolam ad Hebraeos ex Hebraico idiomate in Latinum interpretatus est; & cuncta ex N. Pagnino carpsit, at non ita fideliter, ut ille, rem totam perfecit. Munsteri versionem iratis diis sacrarunt quot quot primitus ex Orthodoxis de eadem verbum habuerunnt; duriusque fortasse aliqui, dum Apostatae Vitilitigatoris castigantes personam rectam non adhibuere stateram. Haereseos quidem fuligine tinctus homo aliqua potuit scribere, quae non promererentur spongiam eruditorum Romanae communionis: qua de caussa posteriores Orthodoxi, iique haud ignobiles, non ita acriter pupugerunt Novatorem, neque in omnibus stigmatizarunt non ineruditum transfugam, alio certe ex capite summo jure damnandum: Sapientum ergo judicium lubet transcribere, ut quid in Munstero sit laudandum, quid vero in eodem sit nigro carbone signandum φυλλινδες dignoscat; etsi eo non egeat Ecclesia melioribus redundans interpretibus, iisque Catholicis, ut optime adnotavit Card. Bellarminus *lib. 2. de Verbo Dei script. Cap. 7.*

De eo namque ita scribit Richardus Simonius Presbyter Oratorii Domini Jesu *Histor. Critic. Vet. Testam. lib. 11. Cap. 21. fol. 116.* „ Sebastianus „ Munsterus Basileae edidit An. 1534. novam „ Veteris Testamenti versionem ad Hebraeum „ exactam. Anno 1546. secundam editionem „ emisit, cui textum Hebraeum cum sua ver„ sione, adjectis aliquot notis, conjunxit. In „ praefationibus huic editioni praefixis suam „ methodum explicat, & palam se Rabinis fa„ vere, quorum commentaria evolverat, prae„ dicat. Se a se ipso nihil adtulisse fatetur, si„ cubi erraverit, errorem Judaeis, quos solum „ exscripsit, adscribendum. Cavisse quidem „ pro virili, ut ea praecipue eligeret, quae veritati magis consentanea essent. Qua in re cen„ set se Hieronymum imitatum esse; qui quo„ tidie Judaeos tanquam Oracula consulebat, & „ quibus maximam suae versionis partem acce„ ptam referebat: Nova haec Munsteri versio „ Pagnini, & Montani, quippe qui sensum ne„ gligere solent ut Grammaticae religiose hae„ reant, versionibus longe melior videtur. „ Munsterus enim conatur pro viribus ne a sen„ su unquam discedat, etti Grammaticam haud „ spernat. Nec propriam quarumquam vocum „ in se significationem solum adtendit, sed & „ rerum, & locorum circumstantias expendit. „ Utut pariter stylus ejus haud exacte purus sit „ nil habet tamen, quod barbarum adeo videri „ queat. Interim perfectior, & exactior ejus „ versio foret, siquidem Rabinis veteres grae„ cas, & latinas versiones adjunxisset; sic enim „ linguae Hebraicae cognitionem ampliorem ha„ buisset. Videtur tamen aliqua duci religione „ quominus ab veteribus illis discedat, uti cap. 1. „ Genes. ubi cum ipsis vocem Hebraeam *Rakia* „ reddidit *firmamentum*. Notat tamen cum Ra„ binis significare *expansum* — Cum porro ex „ professo recentes Judaeos sequatur, nimis ipso„ rum traditionibus credit, cum voces, quarum significatio incerta, occurrunt. Nec sane video cur ibi Judaicas traditiones LXX. „ versionibus praetulerit, aut traditionibus Ju„ daeorum Hieronymi aevo. Vera methodus „ loca haec difficillima interpretandi est tam ve„ teres, quam novos consulere Interpretes; & „ ex Sermonis serie quid melius judicare — Pu„ re scribere potuisset, sed veritas est nimium „ a sensu grammatico recedere, nec satis vim „ vocum Hebraearum exprimere, ac reddere. „ Uno verbo: scopum, quem sibi proposuerat, „ feriit, & assecutus est. Ac nihil in eo impro„ barem, si quidem veteres consuluisset, qui „ interdum longe melius, quam moderni Ju„ daei, voces Hebraeas reddere solent. Fortas„ sis melius fecisset si Conradum Pellicanum se„ quutus esset suum in Hebraicis praeceptorem, „ qui & jure quidem putabat nil nisi Gramma„ ticam a Rabinis mutuandam esse, quod vero „ sen-

Digitized by Google

partim a se versa, partim conficta sub praelum misit, & veluti ex antiquis Judaeorum archivis, & ex ipsis auctorum suorum archetypis fideliter excepta publicavit. Et, ne singula enumerans, Lectorem nimis longa Praefatione defatigem, haec tantum exempli gratia sufficiat indicasse: quae quidem una cum aliis hujus generis imposturis, a nobis in decursu praesentis Operis plane detegendis, sic precioſas Divinae Bibliothecae Opes susque deque jactarunt, & cum sordidis haereticorum purgamentis convolutas, in unum indivulsae mistionis chaos confuderunt, ut nihil jam difficilius sit, quam in tanta Scriptorum confusione, vera a falsis, pia ab impiis, pura ab impuris discernere, legitima vereque germana a spuriis distinguere, & impostorum depravamenta ab integris & incontaminatis auctorum scriptis separare.

HANC ipse tantam orthodoxae Bibliothecae calamitatem, non sine ingenti cordis tristitia, & assidua moerentis animi cogitatione considerans, existimavi rem neque omnino superfluam, neque huic jacturae sarciendae prorsus incommodam me facturum, si ex approbatissimis Scriptoribus praesens Opus contexerem, octo libris distinctum: quorum argumenta, ut ex his totius initi laboris materiam, utilitatem, ordinemque unico intuitu comprehendas, hunc in locum breviter proponam.

Librorum octo Bibliothecae Sanctae argumenta.

PRIMUS igitur liber, De Divinis utriusque Testamenti Voluminibus pertractans, singula ipsorum argumenta, auctores, auctoritatem, rerumque ab ipsis auctoribus descriptarum tempora diligentissime exponet.

SECUNDUS, Scriptorum omnium, quorum in Sacris Voluminibus fit mentio, scripta universa extantia,

„ sensum spectaret, indifferenter veteres, & no„ vos Interpretes esse consulendos „ &c. Idem de Munstero judicium tulit Jacobus le Long Parisiensis, Presbyter quoque Oratorii Domini Jesu in *Bibliotheca Sac. Tom. II. pag. mihi* 685. Daniel Huetius Abrincensis Episcopus *de Claris interpretibus pag.* 144. lenius etiam de Munstero sentit circa Hebraicam Grammaticam in Latina versione retentam; & tandem Augustinus Calmet Monachus Benedictinus in *sua Bibliotheca Sacra* de Munsteri versione ita loquitur. „ Editio pluries fuit recusa, ut su„ pra innuimus. Eruditorum omnium assensu „ constat neminem eo praestantius Hebraici „ Textus versionem concinnasse, quamquam „ in eo carpitur, quod studiose nimis Rabinis „ adhaeserit. „

Digitized by Google

tia, & non extantia, tam vera & indubitata, quam apocrypha & pseudepigrapha recensebit; ipsorumque argumenta, ac multa in his obscura lucide explicabit.

TERTIUS, Autem exponendi sancta Volumina complectens, sexaginta fere modos explanandi sancta scripta Catholicis expositoribus usitatos, ostendet, aptissimis regulis, & exemplis.

QUARTUS, Catalogum eorum continens, qui Divina Volumina Catholicis interpretationibus illustrarunt, comprehendet expositorum omnium, qui ab anno trecentesimo ante Christum natum, usque ad haec tempora sanctos libros recte pieque exposuerunt, nomina, genus, dignitatem, saeculum, commentariorum numerum, & varietatem, linguam, stylum, expositionis genus, exponendi methodum, & praesertim virorum illustrium varia de praecipuis expositoribus judicia: huic accedent, appendicis loco, De Hebraeis Divinorum Voluminum expositoribus Elenchus, itemque De falsarum inscriptionum causis, & quibus conjecturis earum deprehendatur falsitas, brevis admonitio.

QUINTUS, Censorium jus in expositores Divinorum veteris Testamenti Voluminum sibi vendicans, habebit annotationes, censuras, castigationes, observationes, & elucidationes eruditissimorum Ecclesiae Doctorum super variis locis in explanationibus nobiliorum expositorum, partim caute legendis, partim prorsus vitandis, partim pie interpretandis, aut saltem modeste excusandis.

SEXTUS, Eodem annotandi studio, & ordine, censuras & annotamenta in explanatores librorum novi Testamenti continebit.

SEPTIMUS, Adversus eos decertans, qui libros novi Testamenti haeresibus suis obscurare tentarunt, omnes haereses, quae ab Ascensione Christi usque in hanc diem adversus singulas novi Testamenti Scripturas exortae sunt, tam ex ipsis divinis literis, quam ex veterum Patrum scriptis acerrime confutabit.

OCTAVUS, Iisdem armis cunctas haereses adver-

sus

Digitized by Google

ſus ſingula veteris Teſtamenti Volumina ab haereticis excitatas evertet.

HAEC itaque juxta propoſitum ordinem libris octo digeſta, non alia de cauſa collegimus, quam pio juvandi ſtudio in publicam omnium Sacras literas amantium, commoditatem; ut, detectis inſidiis, & ſemotis periculis, & obſtaculis pene omnibus, quae coeleſtis ſapientiae avidis haereticorum fraus oppoſuit, liceat Sanctarum Scripturarum ſtudioſis per amplos & amoenos Sacroſanctae Bibliothecae campos ſumma cum animi voluptate liberius, audentius, & inoffenſius expatiari. Quamobrem hortor pios Lectores, in quorum gratiam hunc qualemcunque laborem multis vigiliis, ſudoribus, & bonarum horarum diſpendiis ſuſcepimus, ut, ſi qua in ſcriptis meis invenerint, quae ad utilitatem legentium judicent pertinere, gratias agant optimis Eccleſiae auctoribus, ex quorum immortalibus monumentis mutuati ſumus, quicquid huc boni contulimus: ſi quid autem minus recte dictum, aut imprudenter aberratum deprehenderint: (nam & homines ſumus, & in multis, Jac. 3. 2 ut inquit Apoſtolus, offendimus omnes) iterum eos obſecro, atque obteſtor, ne id aut arrogantiae, aut malitiae, aut aliis privatis affectibus meis tribuant; ſed imbecillitati potius, ac tenuitati meae aſcribant, modeſte corrigentes, & ſincere emendantes, quaecunque ipſis caſtigatione digna videbuntur: ipſe enim abjectus homunculus, & infimae conditionis meae non ignarus, non ſolum, ut par eſt, Apoſtolico S. Rom. Eccleſiae judicio me, ſcriptaque mea omnia ſupplex offero, verum etiam cujuſque candidi Lectoris calculo eadem caſtiganda & emendanda volens libenſque ſubjicio: admonens eos, qui haec lecturi ſunt, ne a me exigant ornamenta verborum, & elocutionis elegantiam, quam nec profiteor; nec, ſi profitear, in tam varia & inaequali diverſorum Scriptorum collectione ſervare poſſim: ſed a me rerum veritatem, qua licuit, oratione & ordine expoſitam, benigne ſuſcipiant, pronamque animi mei voluntatem; atque ardens juvandi deſiderium, &

Auctoris obteſtatio.

com-

Digitized by Google

communem bonorum omnium utilitatem impensum laborem toto pectore amplectantur, orantes Dominum nostrum Jesum Christum, ut ex sua largissima bonitate Operis nostri principio aspiret, & post initium prosperos usque ad finem successus largiatur. Nos vero jam designato Bibliothecae Sacrosanctae labori manus admovere incipiamus.

FR. SIXTI

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE DIVINIS VOLUMINIBUS
BIBLIOTHECAE SANCTAE,
LIBER PRIMUS.



RIMUM Sacroſanctae hujus Bibliothecae librum, in quo divinorum omnium voluminum enumerationem, ordinem, partitionem, auctoritatem, auctores, argumenta, rerumque in ipſis comprehenſarum tempora, tanquam prima totius futuri Operis fundamenta, poſuimus, diſtinctum eſſe volumus in Sectiones tres: quarum prima Scripturas, & Scriptores ſanctos, tam veteris, quam novi Teſtamenti in primo Sacri Canonis ordine collocatos continebit. Secunda Scripturas, & Scriptores ſanctos utriuſque Teſtamenti, pertinentes ad ſecundum Canonis ordinem, recenſebit. In tertiam & ultimam Sectionem Scripturas, & Scriptores apocryphos, variis tam veteris, quam novi Teſtamenti locis inſertas, relegabimus; univerſa haec tum ex ipſis Divinae Scripturae teſtimoniis, tum ex veterum Patrum monumentis, tum ex veriſimilibus argumentis, ſumma fide ac brevitate oſtendentes. Sed antequam propoſitae partitionis ordinem exponamus, docendi ratio exigere videtur, ut primum omnium explicemus, quid ſint & Canonicae, & Apocryphae ſcripturae, & quomodo inter se differant Canonica tam primi, quam ſecundi ordinis ſcripta.

DE SCRIPTURIS, ET SCRIPTORIBUS DIVINIS PRIMI ORDINIS,

SECTIO PRIMA.

Canonicae, & Apocryphae Scripturae, & Scriptores quid ſint.

DIVINAE ſive Canonicae ſcripturae (quas Graeci *διαθηκόγραφα*, hoc eſt, Teſtamentaria ſcripta vocant) illae ſunt, quae ſecundum majorum traditionem per ipſum Spiritum Sanctum, ad eruditionem noſtram divinitus inſpiratae creduntur: quarum auctoritas tanta eſt, ut de fide earum nephas ſit dubitare. DIVINI autem & Canonici Scriptores illi ſunt, qui, ſpiritu divino dictante, ſcripturas Canonicas tanta fidei conſtantia ſcripſerunt, ut eis non firmiſſime credere impium ſit: de quorum veneranda auctoritate Auguſtinus ad Hieronymum ſcribens (a) haec inquit: Ego ſolis eis Scriptoribus, qui canonici appel-

(a) S. Auguſtinus, invariata ſubſtantia, verbis modicum variatis, a N. Xyſto refertur, & quidem, ut fuit relatus ab Gratiano *Diſt. IX. Cap. Ego ſolis*. Textus autem genuinus S. Patris *Epiſtola* olim *XIX.* nunc vero *LXXXII.* hic eſt: „ Ego enim „ fateor caritati tuae ſolis eis Scripturarum libris, „ qui jam Canonici appellantur, didici hunc timo„ rem, honoremque deferre, ut nullum eorum Au„ ctо-

pellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum scribendo errasse firmissime teneam; at si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimem, quàm mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam: alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinave polleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per illos auctores canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Haec Augustinus. Porro libri canonici tam veteris, quàm novi Testamenti, duobus inter se ordinibus distinguuntur: quorum alter prior est, alter posterior; prior, inquam, ac posterior non auctoritate, aut certitudine, aut dignitate (nam uterque praestantiam, majestatemque suam ab eodem Spiritu Sancto accipit) sed cognitione, ac tempore: quibus duabus rebus fit, ut ordo alter praecedat, alter sequatur. (a)

CANONICI primi ordinis, quos Protocanonicos appellare libet, sunt indubitatae fidei libri; hoc est, de quorum auctoritate nulla unquam in Ecclesia Catholica fuit dubitatio, aut controversia; sed statim ab initio nascentis Ecclesiae communi omnium orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti, & ad confirmandam fidei nostrae auctoritatem assumpti: quales sunt in veteri Testamento quinque libri Mosis, & in novo Testamento quatuor Evangelia, atque alii his similes suo loco numerandi.

CANONICI secundi ordinis (qui olim Ecclesiastici vocabantur, & nunc a nobis Deuterocanonici dicuntur) illi sunt, de quibus, quia non statim sub ipsis Apostolorum temporibus, sed longe post ad notitiam totius Ecclesiae pervenerunt, inter Catholicos fuit aliquando sententia anceps; veluti sunt in veteri Testamento libri Esther, Tobiae, Judith, & Baruch, epistola Jeremiae, Sa-

„ ctorem scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod „ videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam „ vel mendosum esse codicem, vel interpretem non „ assequutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita „ lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita „ senserunt, sed quia mihi vel per illos Auctores „ Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero „ non abhorreat, persuadere potuerunt.

(a) Richardus Simonius *Hist. Critic. Vet. Testam. lib. 3. Cap.* 17. ita loquitur de his, quae hic N. Xystus habet: „ Sixti Senensis opus nomine Bibliothecae „ Sanctae utilius multo ad perfectam Librorum Sacrorum intelligentiam. Consilium ejus est & scopus istorum Authores, Antiquas Versiones, & „ Commentarios indicare. Quamvis porro non plane in Critica Sacra exercitatus fuerit, in eo tamen opere plusquam in quovis alio, & summa „ eruditio, & subactum judicium, cum magna libertate conjuncta apparent. Primum quidem agit „ de authoritate Librorum Canonicorum, quos in „ duas classes distribuit, primi ordinis eos Canonicos vocans, qui semper pro Divinis in Ecclesia „ agniti fuere, alios vero secundi ordinis, de quorum authoritate olim dubitatum fuit, quique simpliciter Libri Ecclesiastici dicebantur. Dein docte differit de cujusque Libri authore, minus tamen accurate, quod Patrum vestigia, & aliorum „ opiniones sequatur. Esteram v.g. inter Canonicos „ secundi ordinis reponit, propter additamenta quaedam huic libro inserta, & à Graecis Patribus animadversa. Sed meo judicio Canonem Judaeorum, „ & Hieronymum consulere potius debuit, quam „ Graecos Patres, qui nonnisi de Graecis Codicibus „ loqui potuere, plurimum ab Autographo Hebraeo „ diversis. Juxta hanc regulam Hestera inter Canonicos primi Ordinis numeranda erit, etsi incertum sit quo Authore, quo tempore conscripta „ fuerit. „

Alius quippe est Judaeorum Canon, alius est apud eosdem Sacrorum librorum elenchus, ut constat ex Hieronymo in *Prologo Galeato*, & in *Epistola ad Paulinum*, nec non ex Josepho Hebraeo *lib. 1. contr. Apionem*, quem Canonem tamen N. Xystus adamussim non adtendit, quamvis non omiserit variam Judaeorum sententiam, seu multiplicem eorum elenchum circa Canonicos libros, quod certe ad ejus vindiciam maximopere spectat. Et quamvis non una sit Doctorum sententia circa Canonem Hebraeorum, quia Serarius aliique duplicem adserunt, priorem, videlicet, ab Esdra conditum, posteriorem vero sequiori aetate compositum, in quo reliqui Sacri libri, quos prior continebat, fuere adnotati. Genebrardus vero triplicem adstruit Canonem in tribus distinctis Judaeorum Synodis conflatum, priorem, nempe, in magna Synodo, quam dicit Quintam, cui vel Esdras praefuit, aut saltem interfuit: alterum in VI. Synodo editum, in ea quippe & actum fuit de Sacris Codicibus ad Ptolomaeum Philadelphum mittendis, & de LXXII. Interpretibus grave eos reddituris, & veteri Canoni adjuncti fuerunt libri Tobiae, Judith, Ecclesiastici, & Sapiaentiae, & postremum denique in VII. Synodo coacta ad proscribendos Pharisaeos, quando & praecedens Canon fuit confirmatus, & eidem adscripti fuerunt duo priores Machabaeorum libri. N. Hyacinthus Amat de Graveson vero ad fabulas relegans tres ab Genebrardo laudatas Synodos, unicum, eumque ab Esdra editum, Canonem post laxatam Judaeorum captivitatem adstruit, eumque solum ante Christi adventum in Synagoga fuisse retentum. Quamvis, inquam, varia sit eruditorum sententia circa praefatum Judaeorum Canonem, tamen de eo ex professo agere nostrum non est, & rem ad umbilicum perducere; sed sufficit haec vel digito monstrasse, ut ad proprios Tractatores demandentur qui penitius rem hanc, & plene rimari exoptant: quum vero de singulis Canonicis libris seorsim agetur, quae ibi sunt adnotanda, non omittemus.

Digitized by Google

Sapientia Salomonis, Eccleſiaſticus, Oratio Azariae, Hymnus trium Puerorum, Suſannae hiſtoria, Belis Hiſtoria, Maccabaeorum liber primus, & ſecundus: ſimiliter & in novo Teſtamento, Marci caput ultimum, Lucae hiſtoria de Sudore Chriſti ſanguineo, & apparitione Angeli, Joannis hiſtoria de muliere adultera, epiſtola ad Hebraeos, Jacobi epiſtola, Petri epiſtola ſecunda, Joannis epiſtola ſecunda & tertia, Judae epiſtola, Joannis Apocalypſis, atque alii ejuſdem generis libri, quos olim priſci Eccleſiae Patres, tanquam Apocryphos, & non Canonicos, habuerunt; eoſque apud ſolos catechumenos, nondum canonicae lectionis capaces, ut in Synopſi teſtatur Athanaſius, primum legi permiſerunt: deinde procedente tempore, ut Rufinus in Symbolo ſcribit, apud omnes fideles recitari conceſſerunt, non ad dogmatum confirmationem, ſed ad ſolam populi inſtructionem: & quia publice in Eccleſia legerentur, Eccleſiaſticos nuncuparunt: demum vero inter Scripturas irrefragabilis auctoritatis aſſumi voluerunt.

APOCRYPHAE autem, id eſt, abſconditae, occultae, vel dubiae ſcripturae, duobus modis dicuntur, vel quia ipſarum auctor incertus eſt: quo ſane modo contingere poteſt etiam aliquos ex Canonicis libris eſſe Apocryphos; quia non omnino Eccleſiae certum eſt & compertum, quis hominum fuerit illorum Scriptor, cum tamen ipſa certiſſime credat illorum auctorem fuiſſe Spiritum Sanctum: vel alia ratione dicuntur apocryphae, hoc eſt, abſconditae, ignotae, incertae, & obſcurae auctoritatis, quia non certe ſciverint, nec definire auſerint Eccleſiaſtici Patres, an eſſent a Scriptoribus ſuis, afflatu Spiritus Sancti conſcriptae: & ob id noluerunt eas vel ad confirmationem dogmatum Chriſtianae fidei proferri, vel ad plebis aedificationem publice in Eccleſia legi, & in templis pronunciari, ſed privatim, & domi tantum legi permiſerunt: tales ſunt tertius & quartus Eſdrae libri, Maccabaeorum tertius & quartus liber, item Appendix libri Eſther, Appendix libri Job, Appendix Pſalterii, Appendix Paralipomenon, atque his affines Scripturae, quas in tertiam Sectionem rejecimus. Solet etiam in decretis Pontificum Apocryphi nomen ad interdicta, prorſusque damnata haereticorum ſcripta interdum transferri: qua quidem ſignificatione idcirco in praeſentia non utimur, quia in vulgatis catholicorum Bibliis nullam credamus partem eſſe, quam Apoſtolica Eccleſia vel haereticam pronunciaverit, vel Chriſtianis interdixerit. Cum igitur univerſum, quod nunc apud catholicos extat, Bibliorum corpus triplici librorum diſcrimine diſtinguatur, videlicet Canonicis primi ordinis, Canonicis ſecundi ordinis, & Apocryphis: incipiemus ab enumeratione, ac multiplici partitione Canonicorum voluminum primi ordinis, quae in veteri Teſtamento tam apud nos, quam apud Hebraeos continentur, itidem poſtea facturi de libris primi ordinis, quos novi Teſtamenti Scriptura complectitur.

De variis ſupputationibus librorum Canonicorum veteris Teſtamenti, qui in primo Sacri Canonis ordine reponuntur.

PRimi ordinis volumina, quae ſola apud Hebraeos in auctoritate habentur, Judaei triplici numerorum varietate ſupputare ſolent. Quidam, inter quos Joſephus, & Philo, ſupputant Sacros libros juxta numerum Hebraicarum literarum: ut quemadmodum ſunt apud Hebraeos duae & viginti literae, quibus omnia, quae dici ſcribique poſſunt, comprehenduntur; ita viginti duo volumina ſint, quibus continentur omnia, quae de Divinis rebus ſciri & enunciari queant: quam enumerationem ſequuti ſunt inter Chriſtianos, Origenes, Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, & Rufinus. Alii ex Judaeis, de quorum numero ſunt Aben Ezra, & David Kimchi, viginti quatuor libros veteris Teſtamenti recenſent, juxta eundem literarum numerum, ter tamen repetita litera Jod in honorem Divini nominis: ſolent enim Judaei nomen illud Dei quadriliterum, quod apud ipſos propter Dei reverentiam lingua & voce proferre nephas eſt, triplicata litera Jod, Chaldaico more conſcribere hoc modo יייי. Hanc partitionem nonnulli veterum Graecorum, quod aptiſſime conveniret numero viginti quatuor Graecarum literarum, ſuſceperunt; & Latinorum plerique, tam priſci, quam re-

Digitized by Google

recentiores, pari ſtudio complexi ſunt, reſpicientes ad myſticum illum numerum
Apoc. 5. 6. viginti quatuor ſeniorum, quos Joannes in Apocalypſi induxit adorantes Agnum aperientem librum obſignatum ſeptem ſigillis, quem nemo aperire potuit, neque in coelo, neque in terra, & exclamantes, Dignus es Domine aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus. Rurſus Hebraeorum nonnulli viginti ſeptem libros numerare conſueverunt, juxta numerum viginti ſeptem characterum Judaicorum, reſultantem ex viginti duobus ſimplicibus elementis, quibus conſtat totum Hebraicum alphabetum, & ex quinque finalibus ſeu repetitis, ſeu duplicibus literis: quinque enim ſunt apud Hebraeos geminatae, ſive biformes literae, quae in fine dictionum aliter ſcribuntur, quam in principio & medio, videlicet כ caph, מ mem, נ nun, פ phe, צ zaddi: quae in fine dictionum his figuris notantur, ך caph, ם mem, ן nun, ף phe, ץ zaddi. Harum trium ſupputationum exempla haec ſunt.

SUPPUTATIO PRIMA

Libros viginti duos veteris Teſtamenti, juxta numerum viginti duarum literarum Hebraici alphabeti enumerans, adjectis Judaicis librorum inſcriptionibus.

1	א	Geneſis בראשית Bereſcith, id eſt, in principio.	
2	ב	Exodus ואלה שמות Ve elle ſcemoth, ideſt, Et haec ſunt nomina.	
3	ג	Leviticus ויקרא Va iikra, ideſt, Et vocavit.	
4	ד	Numeri וידבר Va jedaber, ideſt, Et locutus.	
5	ה	Deuteronomion אלה הדברים Elle addevarim, ideſt, Haec ſunt verba.	
6	ו	Joſue והושע Jeoſcua.	
7	ז	Judicum & Ruth שופטים ורות Sciopthim, ve Ruth.	
8	ח	Regum 1. & 2. שמואל Scemuel.	(Oſcea הושע
9	ט	Regum 3. & 4. מלכים Melachim.	(Joel יואל
10	י	Eſaias ישעיהו Jeſcahiiau.	(Amos עמוס
11	כ	Jeremias ירמיהו Irmejau.	(Obadia עבדיה
12	ל	Ezechiel יחזקאל Jechezkel.	(Jona יונה
13	מ	XII. Prophetae min. תריעשר Thireheſſer.	(Micha מיכה
14	נ	Liber Pſalmorum ספר תהלים Sepher Theillim.	(Nachum נחום
			(Chavakkuk חבקוק
15	ס	Proverbia משלי Miſcle.	(Zephania צפניה
16	ע	Job איוב Iiob.	(Chaggi חגי
17	פ	Daniel דניאל Daniel.	(Zecharia זכריה
18	צ	Ezra עזרא Ezra.	(Malachi מלאכי
19	ק	Paralipomenon דברי הימים Diure hajamim.	
20	ר	Eſther אסתר Eſther.	
21	ש	Eccleſiaſtes קהלת Koeleth.	
22	ת	Canticum Canticorum שיר השירים Scir haſcirim.	

SUPPUTATIO SECUNDA

Juxta viginti quatuor Hebraica elementa, quae ex uno ac viginti characteribus Judaicis, & ex litera Jod ter propter reverentiam Divini nominis repetita, reſultant: continet autem libros veteris teſtamenti viginti quatuor: quorum quidem numerus reſpondet etiam viginti quatuor literis alphabeti Graecorum, apud quos Graecanicae librorum inſcriptiones hae ſunt.

1	א	A	Geneſis Γένεσις, id eſt, Generatio.
2	ב	B	Exodus Ἔξοδος, id eſt, Exitus, ſive profectio.
3	ג	Γ	Leviticus Λευιτικὸν, id eſt, Leviticus.
4	ד	Δ	Numeri Ἀριθμοὶ.
5	ה	E	Deuteronomion Δευτερονόμιον, id eſt, ſecunda lex.
6	ו	Z	Jeſus Nave Ἰησοῦς Ναυῆ.

Digitized by Google

7	ז	H	Judices Κριταὶ.	
8	ח	Θ	Regum 1. & 2. Βασιλειῶν α. καὶ β.	
9	ט	I	Regum 3. & 4. Βασιλειῶν γ. καὶ δ.	
10	י	K	Eſaias Ησαΐας.	(Oſee Ωσηὲ.
11	כ	Λ	Jeremias Ιερεμίας.	(Joel Ιωὴλ.
12	ל	M	Ezechiel Ιεζεκιὴλ.	(Amos Αμὼς.
13	מ	N	Prophetae XII. Προφῆται ιβ.	(Abdiu Αβδιοῦ.
14	נ	Ξ	Pſalterium Ψαλτήριον.	(Jonas Ιωνᾶς.
15	ס	O	Proverbia Salom. Παροιμίαι Σαλομ.	(Michaeas Μιχαίας.
16	ע	Π	Job Ιὼβ.	(Naum Ναοὺμ.
17	פ	P	Daniel Δανιὴλ.	(Abbacum Αββάκουμ.
18	צ	Σ	Eſdras Εσδρας.	(Sophonias Σοφονίας.
19	ק	T	Paralipomenon Παραλειπομένων, id eſt, praetermiſſorum.	(Aggaeus Αγγαῖος.
20	ר	Υ	Eſther Εσθὴρ.	(Zacharias Ζαχαρίας.
21	ש	Φ	Ruth Ρὺθ.	(Malachias Μαλαχίας.
22	ת	X	Eccleſiaſtes Εκκλησιαςὴς.	
23		Ψ	Canticum Canticorum Α'σμὰ ἀσμάτων.	
24		Ω	Lamentationes Jeremiae Θρῆνοι Ιερεμίου.	

SUPPUTATIO TERTIA

Juxta viginti ſeptem literas Hebraeas, nimirum vigintiduas ſimplices literas, quae alphabetum Hebraicum conficiunt, & quinque duplices, ſeu repetitas literas, continens libros veteris Teſtamenti viginti ſeptem.

1	א	Geneſis
2	ב	Exodus
3	ג	Leviticus
4	ד	Numeri
5	ה	Deuteronomion
6	ו	Joſue
7	ז	Judicum
8	ח	Ruth
9	ט	Regum primus
10	י	Regum ſecundus
11	כ	Regum tertius
12	ך	Regum quartus
13	ל	Paralipomenon primus
14	מ	Paralipomenon ſecundus
15	ם	Eſdras
16	נ	Nehemias
17	ן	Eſther
18	ס	Job
19	ע	Pſalterium
20	פ	Proverbia
21	ף	Eccleſiaſtes
22	צ	Canticum canticorum
23	ץ	Eſaias
24	ק	Jeremias cum Threnis
25	ר	Ezechiel
26	ש	Daniel
27	ת	Duodecim Prophetae minores.

Atque haec de ſupputationibus librorum veteris Teſtamenti, qui in primo ordine Sacri Canonis ponuntur, dicta ſint. Nunc in quot, & quales partitiones eadem Sacra Volumina tam a Graecis, quam a Latinis, & Hebraeis auctoribus diſtribui ſoleant, breviter dicamus.

De

Digitized by Google

De varia partitione librorum Canonicorum veteris Teſtamenti, qui in primo Sacri Canonis ordine collocantur.

TRes, ut jam oſtendimus, ſunt modi ſupputandi Sancta veteris pacti Voluмina apud Sacros Expoſitores: ex quibus illi, qui tertiam ſequuntur ſupputationem, nulla, ut arbitror, ad diſtinguendos Divinos libros partitione utuntur. At, qui primam ſupputationem amplectuntur, duos & viginti jam enumeratos libros quatuor inter se diverſis partitionibus diſcernunt. Illi vero, quibus ſecundum enumerationis genus magis placet, quatuor & viginti libros diſtribuunt in tres partitiones, alteram ab altera differentes: quarum prima tres claſſes librorum habet, ſecunda vero claſſes quatuor, & tertia ſimiliter quatuor: quarum coordinationes hìc per ordinem ſubnectuntur.

PARTITIO PRIMA

Duorum & viginti Voluminum veteris Teſtamenti in tres claſſes, hoc eſt in libros Legis, Prophetarum, & Pſalmorum ſeu Carminum: qua quidem * (ut refert Lucas) uſus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam, cum aperiens diſcipulis ſenſum Scripturarum, interpretatus eſt eis, quaecunque de ipſo ſcripta erant in Lege, Prophetis, & Pſalmis. Joſephus quoque in primo libro adverſus Apionem grammaticum eandem partitionem ſequutus eſt.

* Luc. 4.

Legis libri quinque.

1 Geneſis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.

Prophetarum libri tredecim.

6 Joſue.
7 Judicum, & Ruth.
8 Samuel.
9 Melachim.
10 Paralipomenon.
11 Ezdras.
12 Eſther.
13 Job.
14 Eſaias.
15 Jeremias, & Threni.
16 Ezechiel.
17 Daniel.
18 XII. Prophetae minores.

Pſalmorum, ſeu Hymnorum, vel Carminum, libri quatuor.

19 David.
20 Proverbia.
21 Eccleſiaſtes.
22 Canticum canticorum.

PARTITIO SECUNDA

Duorum & viginti Hebraicorum Voluminum, quam Epiphanius Salaminae Epiſc. in libro, cui titulus eſt, De partibus Divinae Scripturae, & Joan. Damaſcenus in 4. libro De orthodoxa fide digeſſerunt in quatuor Quinarios, videlicet Legalem, Agiographum, Carmineum, Propheticum, & praeter hos in Binarium unum.

Legalium Quinarius primus.

1 Geneſis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.

Agiographũ Quinarius ſecundus.

6 Joſue.
7 Judicum, & Ruth.
8 Regnorum primus cum ſecundo.
9 Regnorum tertius cum quarto.
10 Paralipomenon duo.

Carminum Quinarius tertius.

11 Job.
12 Pſalterium.
13 Proverbia.
14 Eccleſiaſtes.
15 Cantica.

Prophetarum Quinarius quartus.

16 Prophetae minores duodecim.
17 Eſaias.
18 Jeremias.
19 Ezechiel.
20 Daniel.

Binarius.

21 Eſdras.
22 Eſther.

PAR-

Digitized by Google

PARTITIO TERTIA

Duorum & viginti librorum veterum primi ordinis, in tres classes a Gregorio Theologo distributa, hoc est, in libros Historicos, Poëticos, & Propheticos.

Historici libri duodecim.

1 Genesis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomium.
6 Josue.
7 Judicum.
8 Ruth.
9 Regum primus, & secundus.
10 Regum tertius, & quartus.
11 Paralipomenon.
12 Esdras.

Poëtici, seu carminei libri quinque.

13 Job.
14 David.
15 Proverbia.
16 Ecclesiastes.
17 Cantica.

Prophetici libri quinque.

18 Prophetae duodecim minores.
19 Esaias.
20 Jeremias.
21 Ezechiel.
22 Daniel.

Hanc librorum seriem Gregorius Theologus in libro suorum carminum his Graecis hexametris, ac pentametris aliquot breviter complexus est.

δίχτυσο τῦτον ἱμεῖο τὸν ἐγκειτον ᾧ φίλ' ἀριθμὸν
ἑσσεῖκαι μὲν ἔασι βίβλοι δυωκαίδεκα πᾶσαι.
τῆς ἀρχιστίρυς ἑβραϊκῆς σοφίης.
πρωτίστη γένεσις, δὲυ' ἔξοδος, λευιτικόντε
ἄπαυ' ἀριθμοὶ, ἄυτα δίυτερος νόμος.
ἄπαυ' ἰησῦς, καὶ κριταὶ, ῥὺθ ὀγδόη,
ἐνδὲ ἑνάτη δεκάτυς βίβλοι πράξεις βασιλήων,
καὶ παραλειπόμενα, ἔσχατον ἔσδρας ἔχης
αἱ δὲ εἰκοσὰὶ τίντε, ὧν πρῶτος γ' ἰώβ.
ἔπειτα δαυιδ. ἄυτα τρεῖς σολομώντειαι
ἐκκλησιαστὴς. ἄσμα, καὶ παροιμίαι,
καὶ τίνδ' ἑμοίως πνεύματος προφητικῆ.
μίαν μὲν εἶσιν ἐς γραφὴν οἱ δώδεκα
ὡσηὲ, ὃ ἀμὸς, καὶ μιχαίας ὁ τρίτος.
ἔπειτ' ἰωὴλ. ἄτ' ἰωνᾶς, ἀβδίας.
ναοὺμ τε, ἀββακοὺμ τε, καὶ σοφονίας.
ἀγγαῖος, ἄυτα ζαχαρίας, μαλαχίας.
μία μὲν οἵδε, δευτέρα δὲ ἡσαΐας,
ἔπειθ' ὁκλησθὲς ἱερεμίας ἐκ βρέφους,
ἄτ' ἰεζεκιήλ. καὶ δανιὴλ χάεος.
ἀρχαίας μὲν ἴθηκα δύω καὶ ὀκτοὺ βίβλους,
τῆς τῶν ἑβραίων γράμμασιν ἀντιδίτυς.

Quae nos, utcunque sic vertimus.

Suscipe Sanctorum numerum, nomenque librorum,
Et primum historicos bis senos ordine: quorum
Primus adest Genesis, dein Exodus, atque Levites,
Et Numeri, Legisque iterum repetita voluntas.
Hos Jesus, Critaeque, & Ruth Moabita sequuntur.
Hinc nonus, decimusque tenent gesta inclyta Regum.
Undecimo Annales veniunt: est ultimus Esdra.
Sunt quoque carminei quinque, horum primus Job est.
Proximus est huic David rex, & tres Salomonis,
Scilicet Ecclesiastes, & Proverbia, Cantus.
Post hos sanctorum mox quinque volumina Vatum.
Ex quibus bis sex libro retinentur in uno,
Oseas, & Amos, Michas, Joelque, Jonasque,
Abdias, & Naum, Abacuch, & Sophonias,
Aggaeus laetus, Zacharias, & Malachias.
Hi primum librum, tenet Esaia secundum.
Post hos Irmejas matris de ventre vocatus.
Ezechiel domini robur, Danielque supremus.
Haec veteris septem, ac ter quinque volumina pacti
Bina & viginti Solymorum elementa figurant.

Nec mirum tibi videatur optime Lector, nullam a Gregorio fieri in hac partitione mentionem libri Esther, quem Hebraei in suo canone suscipiunt: nam & hunc Melito Sardensis Episcopus, in epistola ad Onesimum, canonicos libros enumerans, praetermittit; & D. Athanasius in Synopsi Divinae Scripturae a Canonicis Voluminibus nominatim resecat, quod nondum temporibus illis firma esset apud omnes Ecclesias libri hujus auctoritas, quam additiones quaedam, temere (ut postea indicabimus) libro insertae, suspectam fecerant.

PARTITIO QUARTA

Duorum & viginti Hebraicorum Voluminum, a veteribus Judaeis in tres classes distributa, hoc est, in Legalia, Prophetica, & Agiographa; quam Hieronymus in Praefatione libri Regum, & Isidorus in sexto Etymologiarum amplectuntur.

Legales libri quinque.

1 Genesis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.

Prophetici libri octo.

6 Josue.
7 Judicum, & Ruth.

Digitized by Google

8 Samuel.
9 Melachim.
10 Esaias.
11 Jeremias cum Threnis.
12 Ezechiel.
13 Prophetae XII. minores.

Agiographi libri novem.

14 Job.
15 Psalterium.
16 Proverbia.
17 Ecclesiastes.
18 Cantica.
19 Daniel.
20 Paralipomenon, sive Chronicon.
21 Esdras, & Nehemias.
22 Esther.

PARTITIO QUINTA

Quatuor & viginti librorum veteris Testamenti in tres classes, videlicet Legalem, Prophetícam, & Agiographam, usitata apud priscos Latinos; cujus meminit Hieronymus in Praefatione libri Regum, & Danielis.

Legales libri quinque.

1 Genesis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.

Prophetici libri octo.

6 Josue.
7 Judicum.
8 Samuel.
9 Melachim.
10 Esaias.
11 Jeremias.
12 Ezechiel.
13 Prophetae duodecim minores.

Agiographōr libri undecim.

14 Job.
15 Psalmi.
16 Proverbia.
17 Ecclesiastes.
18 Cantica.
19 Daniel.
20 Paralipomenon.
21 Esdrae duo.
22 Esther.
23 Ruth.
24 Cinoth, sive Lamentationes.

PARTITIO SEXTA

Qua recentiores Judaei עשרים ו ארבע Hesraim ve Arba, hoc est, viginti quatuor veteris Testamenti libros in quatuor series partiuntur, scilicet in תורה Thora, id est, Legem; in נביאים ראשונים Neuiim Risonim, id est, Prophetas priores; נביאים אחרנים Neviim Acharonim, id est, Prophetas posteriores; & in כתובים Chetuvim, id est, Scripturas, vel, ut Graeci dicunt, ἁγιόγραφα, id est, Sancta scripta.

תורה *Thora, hoc est, Legis; quae* חומשי *Chomesci, id est, Quinarius, a numero voluminum dicitur, libri quinque.*

1 Genesis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomium.

נביאים ראשונים *Neviim Risonim, id est, Propheturum priorum, libri quatuor.*

6 Josue.
7 Judicum.
8 Samuel.
9 Melachim.

נביאים אחרנים *Neviim Acharonim, id est, Prophetarum posteriorum, libri quatuor.*

10 Esaias.
11 Jeremias.
12 Ezechiel.
13 תרי עשר Thire Hasser, hoc est, Duodecim Prophetae minores.

כתובים *Chethuvim, id est, Scripturarum, libri undecim.*

14 Psalterium.
15 Proverbia.
16 Job.
17 Daniel.
18 Ezra.
19 Paralipomenon.
20 Ruth.
21 Esther.
22 Ecclesiastes.
23 Canticum canticorum.
24 Lamentationes.

PAR-

Digitized by Google

PARTITIO SEPTIMA

Quatuor & viginti Sanctorum veteris Testamenti librorum, a recentioribus Latinis in classes quatuor digesta, nimirum in Legalem, Historicam, Paraeneticam, & Propheticam.

Legales libri quinque.

1 Genesis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.

Historici libri novem.

6 Josue.
7 Judicum.
8 Ruth.
9 Regum primus, cum secundo.
10 Regum tertius, cum quarto.
11 Paralipomenon duo.
12 Esdras.
13 Esther.
14 Job.

Paraenetici libri tres.

15 Proverbia.
16 Ecclesiastes.
17 Cantica.

Prophetici libri septem.

18 David.
19 Esaias.
20 Jeremias.
21 Threni.
22 Ezechiel.
23 Daniel.
24 Prophetae duodecim minores.

DE ARGUMENTIS, AUCTORIBUS, AC TEMPORIBUS LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI, QUI IN PRIMO CANONIS ORDINE COMPUTANTUR.

HACTENUS diversas enumerationes, & partitiones varias librorum veterum primi ordinis, quos Hebraei recipiunt, & Hebraice scriptos legunt, generatim recensuimus: nunc singulorum auctores, argumenta, rerumque in eis descriptarum tempora particulatim explicabimus.

PENTATEUCHUS.

LIBER LEGIS Domini, seu volumen legis Mosis (nam utroque modo sacrae literae ipsum vocant) ab Hebraeis תורה Thora, hoc est, Lex, & a Graecis πενταteῦχος, Pentateuchus, hoc est, Quintuplex volumen appellatur: hunc Moses, filius Amram, nepos Chaath, pronepos Levi patriarchae, Hebraeorum Dux, & legislator, conscripsit: quod & ipse sic testatur in libro Exodi, SCRIPSIT autem Moyses universos sermones Domini; assumensque volumen foederis legit, audiente populo; & iterum in Deuteronomio addit: POSTQUAM scripsit Moses verba legis hujus, atque complevit, praecepit Levitis, qui portabant arcam foederis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcae foederis Domini Dei vestri. Quod autem in calce Deuteronomii additur de morte, & sepultura Mosis usque ad calcem libri, Esdram nonnulli adjeciisse credunt. Porro, qua ratione Moses universum hoc opus in partes digesserit, & inscripserit, non satis constat. Hebraei (ut Philo Judaeus in libro De mundo, & Josephus in primo libro contra Apionem referunt) in quinque libros totum volumen partiuntur, eosque ab inchoatione eorundem librorum inscribunt. Exod. 24. Deut. 31. Deut. 34. b

PRIMUS igitur liber, continens successionem humanae prosapiae usque ad mortem Joseph, hoc est, gesta annorum duorum millium trecentorum & octo, vocatur apud eos Berescith, hoc est, In principio; quia ab his vocibus liber ille incipiat. Secundus, continens gesta annorum centum & quadraginta sex, a morte videlicet Joseph usque ad constructionem tabernaculi in deserto, vocatur Veelle scemoth, id est, Haec sunt nomina. Tertius, unius mensis historiam continens, hoc est, ab erectione tabernaculi in deserto usque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum, dicitur Vaiikra, id est, Et vocavit. Quartus, continens narrationem triginta octo annorum, mensium novem, & dierum viginti,

Digitized by Google

ginti, hoc est, a prima die secundi mensis, anni secundi egressionis de AEgypto usque ad mansionem in campestribus Moab super Jordanem, ubi postea mortuus est Moses, dicitur Vajedaber, hoc est, Et locutus est. Quintus, enarrans facta mensium duorum novissimi anni vitae Mosis in campestribus Moab, vocatur Helle hadde varim, hoc est, Haec sunt verba. Graeci vero eandem partitionem sequentes libros longe aliter inscribunt. Primus enim apud eos appellatur Genesis, hoc est, generatio; quia exordium mundi & generatio saeculi in eo contineantur. Secundus Exodus, id est, exitus, qui exitum populi Israëlitici de AEgypto narrat. Tertius Leviticus inscribitur, quod Levitarum ministeria, sacrificia, leges rituque comprehendat. Quartus Arithmi, id est, Numeri, quod in eo egressae de AEgypto tribus dinumerantur, & quadraginta duarum per eremum mansionum numerus recensetur. Quintus Deuteronomion, hoc est, secunda lex inscribitur, quia in eo repetitio legis iterum fiat. Philo Judaeus putat Mosem harum posteriorum inscriptionum fuisse auctorem, ita in libro De mundo scribens: MOSES genitum, & incorruptibilem asseruit mundum in sacris libris: sunt autem quinque, quorum ipse primum Genesim inscripsit, qui hoc modo incipit; In principio fecit Deus coelum & terram: & in libro De migratione Abrahae: Recte, ait, sacer vates Moses unum integrum legis librum Exodum intitulavit nomine conveniente contentis in ipso oraculis. Haec ille. Mihi tamen verosimilius videtur non Mosem, sed septuaginta interpretes, utpote Graecos, has novas & Graecas librorum inscriptiones excogitasse. Collegit autem Moses hisce libris historiam ab initio mundi usque ad annum centesimum ac vigesimum vitae suae: in quo nec motis dentibus, neque caligantibus oculis integro corpore mortalitatem exuit, hoc est, usque ad annum post orbem conditum bis millesimum quadringentesimum nonagesimum secundum, & ante Christum natum, millesimum quadringentesimum & septuagesimum, juxta Hebraicam Sanctarum Scripturarum, atque Philonis Judaei supputationem. Reliquos vero octo versus ab eo videlicet loco, ET MORTUUS EST MOYSES, usque in finem totius voluminis, Josue post mortem Mosis suppleviſse creditur: tametsi Josephus asserat, quod Moses, mox moriturus, se ipsum in Sacris Voluminibus mortuum scripserit, veritus ne propter excellentes virtutes suas Judaei se a Deo raptum praedicarent.

Deut. 34.

HEBRAEI totum Pentateuchum dividunt in distinctiones, sive titulos duos & quinquaginta, hoc est, Genesim in undecim, Exodum in undecim, Leviticum in decem, Numeros in decem, Deuteronomion in decem: quas etiam distinctiones inscribunt a distinctionibus ipsarum initialibus, appellantes primam בראשית bereschith, hoc est, in principio; secundam נח Noach, sive Noe; tertiam לך לך lec leca, id est, egrediens egredere; & sic deinceps alias usque ad ultimam. Omnes autem Pesukim, hoc est, versus, in quos Judaei universum partiuntur Pentateuchum, sunt quinque millia octingenti & triginta.

SCRIPSIT idem Moses, ut in epistola ad Cyprianum testatur Hieronymus(c), prae-

(c) S. Hieronymus in *epistola ad Cyprianum Presbyterum*, quae juxta editionem Mariani Victorii est CXXXIX. extatque Tom. III.

Fuisse autem Moysen authorem Pentateuchi nemo, qui Orthodoxus audit, inficiatur, quum id universim Patres adstruant, & apertissime ex Verbo Dei Scripto colligatur: quapropter pessume delirarunt maleferiati quidam Critici aliter opgannientes, videlicet Thomas Hobbes in libro, cui titulus; *Leviathan*, Edvvartus Herbertus Anglo-Calvinianus homo in libro *de veritate*, Atheo-Politicus Benedictus Spinosa *Tract. Theologic. Politic.*, & author Insulsi systematis *Prae-Adamitarum* Peyrerius denegantes Moysi hanc peractam spartam, alterique adjudicantes Pentateuchum. Erravit etiam, & crasse nimium hallucinatus est, vir alioquin eruditus & catholicus, Richardus Simonius supra laudatus dum in *Histor. Critic. Vet. Testam. lib. 1. cap. 2.* in mediam quandam, sed singularem & ab se primitus inventam sententiam descendit dicens: „ Verosimillimum ergo etiam Moysis aetate tales Prophetas extitisse: quo posito, in quinque libris „ Legis, quaecumque à Moyse scripta sunt, ab iis, „ quae ab istis *Prophetis*, aut *Scribis* publicis, distinguemus; Jura, & leges populo latas Mosi, „ potissimam vero Historiae partem *Scribis* istis adscribemus. Quicquid ad leges pertinet quatenus „ legislator erat, scripsisse Mosen dicemus. *Scribis* „ vero, aut *Prophetis* res gestas, & praecipua tempo„ rum acta scribendi potestatem fecit, ut omnia me„ moriae mandarentur, & posteritati consignaren„ tur. Inde factum est ut *Scribarum*, & *Prophetarum* voces apud Chaldaeum Paraphrastem Synoni„ mae sint. „ Ex Divino quippe eloquio praesertim Deuteron. XXXI. & Actorum XV. Moysen fuisse totius Pentateuchi Authorem certissime evincitur: Nullus etiam, sive prioris, sive mediae, sive etiam posterioris aetatis Pater, Theologorum nemo unquam inficias ivit. Ethnici quinimo Scriptores, iique non pauci, nec ignobilis conditionis huicce veritati adsti-

pu-

Digitized by Google

praeter hos quinque libros (quos Philo Chaldaica lingua ab auctore conscriptos refert) etiam Psalmos undecim, hoc est, a Psalmo nonagesimo, cui titulus est ORATIO Mosis servi DEI, usque ad Psalmum centesimum, qui praenotatur IN Confessione. Composuit quoque, ut Rabbini Judaeorum tradunt, librum Job: quanquam vulgata Graecorum editio in fine ejusdem voluminis asserat Mosem transtulisse historiam Job ex Syro sermone in Hebraicam linguam. Feruntur & alia sub Mosis nomine scripta, de quibus in sequenti libro dicendum est.

JOSUE.

JOSUE liber (quem Hebraei יהושע Jeoscua (a), Graeci Jesum Nave appellant) nomen accepit ab Osee, filio Num, quem Moses, commutato nomine, Josua appellavit, duce tam belli, quam pacis gloria clarissimo; qui, ut legitur in capite ultimo hujus libri, scripsit post mortem Mosis omnia verba, quae loquutus est ad eum Dominus in volumine legis Domini, adjungens illi historiam, De transitu filiorum Israël per Jordanem, De subversione impiorum regnorum, De divisione terrae promissionis, Deque caeteris dictis factisque memorabilibus a morte Mosis usque ad annum decimum septimum ducatus sui: in quo, teste Josepho, mortuus est vir armis, & religione inclytus, annum agens aetatis centesimum ac vigesimum, hoc est, anno ab orbe condito bis millesimo quingentesimo decimo, & ante Christi adventum millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Caetera, quae a morte Josue usque ad finem libri hujus scripta sunt, Esdram adjecisse fama est. Theodoretus (b) tamen censet etiam totum librum longe post mortem Josue fuisse collectum ex antiquo commentario, cui titulus fuit LIBER JUSTORUM, adductus auctoritate verborum, quae in decimo hujus voluminis capite habentur, videlicet, *Nonne haec* (haud dubium, quin gesta Josue) *scripta sunt in libro justorum*? Continet liber hic apud Judaeos versus sex mille quadraginta quinque.

JUDICUM, ET RUTH.

JUDICUM liber (qui a Judaeis שופטים Sciophtim (c), a Graecis κριταί dicitur) sic appellatus est, quia in eo continentur gesta judicum, & principum Israël; qui populo in terra sancta post Josue praefuerunt, usque ad initium regni Hebraeorum, in quo regnarunt reges. Dicitur autem Samuelem hunc librum collegisse, eique adjecisse Ruth Moabitidis historiam: sunt qui Ezechiam, & qui Esdram putent utriusque voluminis auctores. Continent autem hi duo libri successiones annorum trecentorum ac decem & septem a morte videlicet Josue usque

pulantur: qua de causa summo jure N. Sixtus Moysi totum Pentateuchum adjudicavit. Videsis tamen ad pleniorem vindiciam, & cognitionem veritatis Cll. VV. Danielem Huetium *Demonstrat. Evangelic. Propos. IV. cap.* 1. Augustinum Calmet *in Pentateuch.* & in *dictionar.* NN. Natalem Alexandrum *Hist. Vet. Testam.* & Hyacinthum Amat de Graveson *de Sacr. Scriptur.* aliosque eruditos, sed prae ceteris Heliam Dupin *Dissert. Praeliminar. de Auctoribus Libror. Scripturae*, ubi ex professo scribit adversus Richardum Simonium. Sed eadem de re alibi sermo erit.

(a) In nostris Bibliis Vulgatis habetur JEHOSUA S. Hieronymus in *Prologo Galeato* „ Secundum ordinem Prophetarum faciunt (Hebraei) & incipiunt à Jesu Filio Nave qui apud eos יהושע בן נון „ Jehosue ben Nun dicitur. „

(b) Utique Theodoretus *Qu. XVI. in Josue* ita sentit, at non ita universim reliqui Patres, ceterique celebres Theologi, & Interpretes sentiunt. Richardus Simonius *ubi supra* librum Josue *Scribis* tribuit. Masius Josue imperante librum hunc vel ab Esdra, vel ab aliis ejusdem eruditionis & pietatis viris fuisse conscriptum adserit. Incerti authoris opus esse docet N. Natalis *Hist. Vet. Test. Dissert. XVI.* At N. Graveson ius cum aliis Josue eum adjudicat, & quae post ejus mortem inibi scripta leguntur, Esdrae tribuenda censet. Quinimo probabilissimum est ab ipso met Josue editum fuisse laudatum librum *Justorum*, esto ejus editor Josue recentior fuerit, quia cum Josue librum suum in devexa jam aetate scripsisset illum, esto juvenem, potuit memorare; neque aliud certe fuit liber ille *justorum*, quam carmen epinicium post reportatam de Gabaonitis victoriam editum, & inter Hebraeos promulgatum. Sicut eodem ex momento quia jam grandaevus Josue librum scripsit, potuit uti ea temporis notatione *usque ad praesentem diem*, non secus ac Matthaeus Cap. XXVII. inquit: *Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager Sanguinis usque in hodiernum diem*. Et ita sentiunt post Isidorum *lib. VI. Originum*, Junilium, & vulgatum Dorothaeum Franciscus Vatablus, Johannes Driedo, Card. Bellarminus, & alii. Thalmudistae itidem in *Baba-Batra cap.* 1. eandem amplectuntur sententiam. Videsis Augustinum Calmet *Praefat. in Josue*, Dupinum ubi supra, & ceteros recentiores.

(c) In nostris Bibliis legitur SOPHETIM, & ita legit etiam S. Hieronymus.

Digitized by Google

ad primum annum principatus Heli, qui coepit judicare Israël anno ab orbe condito bis milleſimo octingenteſimo decimo, hoc eſt, ante Chriſtum milleſimo centeſimo quinquageſimo ſecundo: Judaei dividunt volumen Judicum in verſus ſexcentos, librum vero Ruth in octoginta quinque.

REGUM PRIMUS, ET SECUNDUS.

LIBER Samuelis (quem Hebraei שמואל Scemuel (a), Graeci, & Latini primum & ſecundum Regum dicunt) partim a Samuele propheta, partim a Nathan, & Gad prophetis creditur eſſe conſcriptus. Samuel enim collegit facta Heli, Saulis, Davidis, ac ipſius geſta; quae in primo Regum uſque ad mortem ſuam, hoc eſt, uſque ad caput vigeſimum quintum referuntur, Nathan vero, & Gad prophetae ſcripſerunt libros Regum a morte Samuelis uſque in finem libri ſecundi: quod ſatis aperte indicare videtur primus liber Paralipomenon: in cujus calce
1. Par. 29. g haec verba leguntur; GESTA David priora, & novillima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetae, & in volumine Gad. Et quanquam poſterior pars hujus primi voluminis a vigeſimo quinto capite uſque ad finem libri ſecundi Regum comprehendat Saulis, ac Davidis hiſtoriam: tota tamen ad Samuelem refertur, & de nomine ejus inſcribitur; quia ipſe Saulem primum regem in regno conſtituit, & David in regem futurum elegit, & unxit. Hanc tamen Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus arbitratur Davidem regem ſcripſiſſe uſque ad initium tertii libri, hoc eſt, uſque ad annum ab orbe condito bis milleſimum nongenteſimum ac trigeſimum, & ad annum ante Chriſti ortum milleſimum ac trigeſimum ſecundum. Habet apud Hebraeos liber primus Regum verſus ſeptingentos nonaginta ſeptem, ſecundus autem verſus ſexcentos ſeptuaginta novem: uterque vero complectitur hiſtoriam annorum ferme centum & viginti.

REGUM TERTIUS, ET QUARTUS.

REGUM tertius, & quartus liber (quem Hebraei מלכים Melachim (b), nuncupant, quia in his Regum Judae, & Israël geſta per ordinem digerantur) a quo ſcriptus ſit, non ſatis conſtat: alii Eſdram, alii, inter quos Procopius Gazenſis, & Rabbi Moſes Kimchi, & Iſidorus, Jeremiam hoc Opus in unum volumen collegiſſe tradunt: quod & propius vero mihi videtur, quia poſtremum caput libri Regum, cum ultimo capite libri Jeremiae, ſtylo, verbis, ac narratione conveniat. Apparet hoc volumen per compendium fuiſſe collectum, partim ex libris Dierum Regum Juda, & Israël, partim ex Nathan prophetae, Ahiae Silonitis, Addo Videntis, & Semejae, Hozai, Jehu, & Eſaiae prophetarum ſcriptis ſaepiſſime in tertio, & quarto libro Regum citatis. Continet autem praeſens Opus hiſtoriam annorum quingentorum triginta ſeptem, hoc eſt, ab ultima ſenectute Davidis uſque ad excidium Hieſolymitanae urbis, quod contigit anno poſt orbem conditum ter milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, & ante Chriſtum ſexcenteſimo decimo quinto. Habet apud Hebraeos liber tertius Regum verſus octingentos novem; quartus vero verſus ſeptingentos duodecim.

PARALIPOMENON LIBRI DUO.

HOS duos libros (quos Hebraei דברי חימים Diure hajamim (c), appellant, hoc eſt, Verba dierum, ſive Annales, vel Chronica) Graeci vocant, παραλειπομένων, Paralipomenon, hoc eſt, Praetermiſſorum, quia ea, quae vel in Pentateucho, vel in libris Joſue, Judicum, & Regum, aut omiſſa, aut non plene deſcripta ſunt, breviter & ſummatim explicant. Hi nullum certum habent auctorem: ſcribunt tamen Rabbi Salomon, & Rabbi Moſes Kimchi ex ſententia ſeniorum, Eſdram utriuſque fuiſſe auctorem, collegiſſe in eis Epitomen, & Chronicon

(a) S. Hieronymus *ibidem* legit SAMUEL.
(b) In noſtris Bibliis legitur MALACHIM.
(c) In Noſtris Bibliis Vulgatis juſſu Xyſti V. Clementis VIII. aliorumque Pontificum editis legitur DIBRE HAIMIM.

Digitized by Google

nicon omnium praecedentium librorum, a principio ſcilicet divinae Scripturae uſque in finem quarti Regum. Apud Hebraeos praeſens hiſtoria unico tantum libro continetur, qui tam a Graecis, quam Latinis, propter magnitudinem voluminis in duos libros diviſus eſt: quod nonnulli etiam in Bruto Ciceronis dialogo fecerunt, diſtinguentes eum in tres partes. Continent igitur hi duo libri ſummam annorum trium millium trecentorum & quadraginta ſeptem.

ESDRAE LIBRI DUO.

ESDRAS, ſive עזרא Ezra (a) (quem primus Paralipomenon liber Joſedech Sacerdotem appellat, & Hebraei Malachiam ultimum prophetarum eſſe putant) filius Sarajae, filii Azariae ab Aaron Sacerdote magno duodecimi, ſcriba Legis Domini ingenioſus, & velox, edidit librum ſui nominis titulo praenotatum Hebraicis quidem literis, & a se primum repertis, ſed Chaldaico ſermone digeſtum: in quo conſcripſit reditum Israëlitici populi ex captivitate Babylonica in Judaeam, urbisque Hieruſalem inſtaurationem, & novi templi extructionem. Alterum vero librum, qui Secundus Eſdrae inſcribitur, & eandem hiſtoriam pertractat, ſcripſit Nehemias, filius Helchiae, Sacerdos, & in captivitate pincerna regis Artaxerſis: unde & Praefatio libri ejus eſt, *Verba Nehemiae, filii Helchiae*: qui & in omnibus ferme libri ſui capitulis de se per primam perſonam loquitur. Sortitur autem hic liber nomen Eſdrae ob cauſas duas; primum, quod ea continet, quae ſimul ab Eſdra & Nehemia geſta ſunt: deinde, quod utrique libri, tam apud Hebraeos, quam apud Graecos, in unum connectuntur volumen, apud Latinos in duo diviſum. Diſſident tamen a nobis hac in parte Graeci Patres; quia quem nos tertium Eſdrae librum inſcribimus, & inter Apocrypha ſcripta rejicimus; illi in Sacro Canone collocant, & primum in ordine librorum Eſdrae ſtatuunt, quod ea, quae in eo narrantur, geſta ſint ante ea, quae Eſdrae & Nehemiae libris continentur: qui vero apud nos primus, & ſecundus ſunt, illi utrunque ſub ſecundo volumine Eſdrae comprehendunt: quapropter apud eos primi Eſdrae initium ſic habet; καὶ ἤγαγεν ἰοσίας τὸ πάσχα ἐν ἱερουσαλήμ: id eſt: *Et fecit Joſias Paſcha in Hieruſalem*: & dividitur in capita centum & novem. Secundus vero ſic incipit; καὶ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Κύρυ βασιλέως περσῶν: id eſt: *Et in primo anno Cyri regis Perſarum*: & ſecatur in capita octoginta. Feruntur & alia ſub nomine Eſdrae volumina, quae in ſecundo hujus Operis libro reperies. Claruit Eſdras una cum Nehemia, urbem ac templum inſtaurans, anno ab orbe condito, ter milleſimo quadringenteſimo vigeſimo primo; qui fuit Judaicae liberationis tertius, & ante Chriſtum quingenteſimus quadringenteſimus primus: & mortuus eſt in extrema ſenectute, poſtquam omnes pene divinas Scripturas in excidio Hieroſolymitano a Chaldaeis incenſas memoriter, & non ſine divinitatis numine fideliſſime, ut prius erant, reſtituiſſet, novis ac promptioribus ad ſcribendum repertis literis, ne cum Samaritanis, qui ex gentibus in Judaeam venerant, Judaei miſcerentur; qui prius ad illud uſque tempus alias literas, a Moſe videlicet traditas, cum Samaritanis communes habebant: quibus nunc literis, figura tantum a Samaritanicis, ſive Moſaicis, diſcrepantibus utuntur Judaei. 1. Par. 6. b

ESTHER.

LIBER אסתר Eſther, quanquam juxta ordinem Hebraici Canonis, & Hieronymianae partitionis hoc loco recenſendus eſſet: tamen quia Melito Sardenſis Epiſcopus, D. Athanaſius, & Gregorius Theologus, propter apocrypha (b) quae-

(a) S. Hieronymus in Prologo Galeato legit עזרא *Eſdras*.

(b) Dum N. Xyſtus adſerit *ex aliquorum temeritate* apocrypha in libro Eſtheris fuiſſe inſerta, certe non ex proprio marte, ſed ex monumentis authorum, quos laudat, in eam deſcendit opinionem, qua & de cauſſa ex Catalogo Proto-Canonicorum, ſeu ex priore Judaeorum Canone illum erafit, quod pariter egerunt ſequioris epochae, iique haud ineruditi Scriptores, Lyranus, Hugo, & Cajetanus Cardinales, aliique. Verum ſummo jure Eſtheris librum fore vindicandum reſtituendumque Agiographis Canoniciſque adverſus Anabaptiſtas, alioſque e Lutheri ſchola temere calumniantes commentitiam eſſe Eſtheris hiſtoriam oſtendunt viri ſummi, invictiſque probant argumentis. Semper quidem fuiſſe in Hebraeorum Canone reten-

Digitized by Google

quaedam additamenta, ut jam ſuperius admonuimus, ipſum a caeteris Teſtamentariis ſcriptis nominatim ſepararunt; nos quoque eum in ſequenti Sectione inter ſcripta, ad ſecundum canonis ordinem pertinentia, primo ſtatim loco deſcribemus.

JOB.

LIBRI איוב Iiob, exiſtimant nonnulli auctorem eſſe ipſum Job, filium Zareth, de filiis Eſau, quintum ab Abraham, quartum ab Eſau, qui poſt felicem exitum aerumnarum ſuarum, per ſe ipſum victorias ſuas ſcribendo implevit: Job 19. d Quod maxime in calamitate ſua optaverat, dicens: QUIS mihi tribuat, ut exarentur ſermones mei in libro, aut ſtylo ferreo, & plumbea lamina, & celte, ut Job 31. c in perpetuum ſint, excindantur in ſaxo? & alio in loco, QUIS mihi tribuat, ut deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe, qui judicat; ut in humero meo illum portem; & circundem illum, quaſi coronam mihi; & per ſingulos gradus meos pronunciem illum, & quaſi principi offeram eum? Sunt qui vel ab amicis Job, vel ab aliquo prophetarum id ipſum ſcriptum eſſe arbitrentur. Origenes (a), cui etiam Rabbini Judaeorum aſſentiunt, inquit, quod Moſes hanc ſan-

tentum laudatum Heſteris librum apertiſſime conſtat ex Joſepho Hebraeo: quum non ſemel hic proteſtetur se ea narrare, quae in Sacris Hebraeorum Codicibus continentur, clariſſime inter Canonicos recenſuit Heſteris hiſtoriam, quam inſeruit *Lib.XI. Antiquitatum Cap.VI.* Conſtat pariter ex verſione LXXII. Interpretum, qui nonniſi libros in Hebraeorum Canone ſignatos graece reddiderunt. Conſtat etiam ex ſolemnibus diebus *Phurim* in Heſteris hiſtoria memoratis, quos Hebraei religioſe ſervarunt in poſterum, ut patet ex Lib. II. Machabaeorum Cap. XV. & ex Codice Theodoſiano *L. Judaeos Tit.de Judaeis*: quum enim praefati ſolemnes dies tanta religione fuerint ab Judaeis retenti, & anniverſaria celebritate ſanctificati, quis, vel rationis mica pollens, ſibi perſuaſerit unquam eos ex figmento, & Tragicomaedia originem fuiſſe ſortitos? Corroboratur quoque ejuſdem libri authentica conditio ex concordi traditione Patrum, Pontificum decretis, & diffinitionibus Conciliorum, nimirum ex Origene *in expoſit. Pſalm. I.* apud Euſebium *lib. VI. Hiſtor. Eccleſiaſt. Cap. 25.* & *Epiſtol. ad Julium African.* S.Cyrillo Hieroſolymitano *Catecheſi IV.* S. Johanne Chryſoſtomo *Homil. III. ad Popul. Antioch.* S. Epiphanio *lib. de menſuris, & ponderib. Cap. 25.* S. Johanne Damaſceno *lib. IV. de Fide Orthodoxa cap. 18.* S.Hilario *Praefat. in Pſalm.* S.Auguſtino *Lib.II.de doctrin.Chriſt.cap.8.*S.Hieronymo in *Prolog. Galeat.* & in *Epiſt.ad Paulin.* nec non *Praefat. in Lib. Heſter.* Rufino *in Symbolo*, aliiſque. Ex Concilio Laodicaeno *Can. ultim.* Carthaginenſi III.*Can.XLVII.*(quibus adde poſterioris aetatis Synodos,praecipue Tridentinam) Ex S. Innocentio I. *epiſtol. ad Exuperium Tholoſan. Epiſcop.* S. Gelaſio in Synodo Romana, & Eugenio IV. *in Inſtruct. Graecor. & Armen.*

Neque ullum faceſſit negotium authoritas Melitonis Sardenſis apud Euſebium *Lib. IV. Hiſt. Eccl. Cap.26.* Gregorii Nanzianzeni in *Carmine de Scripturis*,& M. Athanaſii in *Synopſi Veteris, & Novi Teſtamenti*, quum norum ſit haud refragari traditioni unius aut alterius Patris inficiantis ſententiam, verum ex concordi illorum ſenſu invariata ſucceſſione retento traditionem optime firmari; cujus vero ſit momenti authoritas Pſeudo-Athanaſii notum eſt eruditis cunctis, qui univerſim laudatam *Synopſin* ablegant M. Athanaſio Alexandrino Epiſcopo, inter Spuria opera relegant, & alteri, ſed incerto poſterioris aetatis ſcriptori adjudicant: quod vel ex eo clariſſimè evincitur, quia S. Athanaſius *in Epiſtola XXXIX. Feſtali* Librum Baruch Divinis ſcripturis adcenſet; e contra vero Author Synopſis eundem librum nec ἀντιλεγομένοις adlectum apocryphis ſub finem adnumerat. Ceterum alia,quae huc faciunt, infra expendam, ne aut actum iterum agam, aut ex opportuno loco neceſſariam eliminem criticam notam. Videſis autem Criticos Natalem, Dupinium, Simonium, Graveſonium, & ceteros Orthodoxos, utque acu tangas rem hanc omnino indubiam fore conſule ex Acatholicis Druſium, Grotium, Wlferum, Schickardum, Seldenum, Cavium, Oudinum, alioſque idipſum adſerentes.

(a) Origenes hic inducitur teſtis ſententiae,qua Jobi liber Moyſi, veluti ejuſdem libri Scriptori, adjudicatur; & quidem Origenes *lib.VI. contr. Celſum* id non abſolute ſtatuit, ſed vel Moyſi, vel ejus amicis,quod etiam adſtruunt S.Gregorius M.*Lib.1. in Job*, & Suidas V. Ἰωβ. Quod vero liber hic à Jobo ejuſve amicis ſcriptus Arabice, & à Moyſe hebraice fuerit redditus cenſet author *Commentariorum in Job* ſub nomine Origenis. Sed notum eſt Criticis emunctae naris commentarios hoſce ablegandos fore Origeni Adamantio, & reſtituendos alteri poſteriori aetatis, & certe Ariana labe infecto, qui ibidem ſuggillavit ὁμοούσιον. Videſis laudatos Criticos, & Danielem Huetium. At cujuſnam reapſe tanquam certi Scriptoris dicendus ſit genuinus partus Jobi liber, & qua aetate ſcriptus? incertum omnino eſt, & ſub Judice adhuc lis eſt. S. Gregorius Nanzianzenus eum adſcribit Salomoni, ut refert Polichronius *Caten. in Job*. Philippus Codurcus *Praefat. in Job* cenſet eum foetum eſſe cujuſdam Idumaei Prophetae; & deinde in eam ſententiam deſcendit, quae Iſaiae illum adcenſet ex variis, quas refert, conjecturis, quae apud ipſum legi poſſunt. Fridericus Spanhemius *Hiſtor. Job Cap.XIII.*contendit a Jobo, ejuſve amicis fuiſſe conſcriptum librum, ſeu editas Jobi adverſitates, charactere quidem & ſermone Arabico, ſeu veteri Syriaca lingua, ſed ab Hebraeo quodam tempore Davidis, aut Solomonis fuiſſe conflatum, quem in praeſentiarum habemus Jobi librum, cujus tamen leviſſimas conjecturas robuſte retundit Cl. Daniel Huetius. Rabbini Nonnulli opinantur ſub Aſſuero, & Eſther imperantibus floruiſſe Jobum, & quidam antequam Babylonem aſportarentur,Paleſtinae, Tiberiadis Gymnaſio praefuiſſe opinantur, ut videre eſt in *Tract. Baba-batra*. Plerique tandem Moyſen authorem hujuſce libri agnoſcunt, ab eoque conſcriptum adſerunt ad ſolamen ſuorum Aegyptiaca ſervitute detentorum, itaut Hiſtoria Jobi inter Geneſim Exodumque media ſtatua-

Digitized by Google

ſanctam hiſtoriam prius, vel a Job, vel ab amicis ejus conſcriptam, ex Syro eloquio in Hebraicum ſermonem tranſtulit, ad conſolationem Hebraeorum, qui in AEgypto captivi a Pharaone indigna ſervitute opprimebantur: ut legentes beati viri vehementes ac terribiles illos dolores, invicem ſe conſolarentur; & cum patientia, & gratiarum actione mala, quae eos circundederant, ſufferrent; & ut optimam remunerationem, quam Deus beato Job poſt tolerantiam largitus eſt, audientes, etiam ipſi liberationem ſperarent, & beneficia beatae mercedis laborum ſuorum expectarent. Scriptus eſt liber hic, ut Hieronymus teſtatur, Hebraica lingua, intermiſtis interdum Arabicis, & Syriacis ſermonibus, qui a principio voluminis uſque ad initium tertii capitis apud Hebraeos ſoluta oratione progreditur: ab initio autem tertii capitis uſque ad initium quadrageſimi ſecundi capitis hexametris verſibus labitur: ex quo loco uſque ad finem libri proſa concluditur. Rabbi Levi Ben Gerſon in Commentariis ſuper Job ſcribit fuiſſe olim, qui undecim poſteriora hujus libri capita, hoc eſt, a trigeſimo ſecundo uſque ad ultimum rejicerent ceu adſcititia; propterea quod in fine trigeſimi primi capitis in Hebraeis codicibus ſcriptum inveniatur תמו דברי איוב thammu diure Job, hoc eſt, Finita ſunt verba Job: quorum ſententiam idem Rabbi Levi improbat, inquiens, verſiculum illum referendum eſſe non ad finem ſimpliciter omnium ſermonum Job, ſed ad finem duntaxat diſputationum, quas Job cum tribus amicis, Elipha, Baldad, & Sophar habuerat: poſt quas etiam diſputationes ſequuntur ſtatim ejuſdem Job cum Eliu amicorum quarto colloquia. Scripſit autem Job praeſentem librum circa annum orbis conditi bis milleſimum ac trecenteſimum(a), omnes in eo ſpiritualis militiae ſuae pugnas, victorias, ac triumphos, eruditiſſimo, diſertiſſimoque ſermone complexus. Paſſus eſt autem, Athanaſio teſte, cum annorum ſeptuaginta natus eſſet: itaut omnes ipſius anni fuerint ducenti quadraginta: poſt acceptas enim plagas, annos adhuc vixit centum ſeptuaginta: tametſi Hebraica veritas teſtetur, eum a recuperata ſanitate centum & quadraginta duntaxat vixiſſe annos. Graeci volumen dividunt in capita duo & triginta, Job 31.

La-

enatur. Ita quidem ſentiunt aliqui Thalmudiſtae in *Baba-Batra Cap. I.* R. David Kimchi, Author poſterioris *Commentarii in Job* ſub nomine Origenis, Methodius apud Photium *Codice CCXXXV.* Polichronius, & Julianus Halicarnaſſaeus apud Nicaetam *Catena in Jobum*, quibus adſtipulantur ex Recentioribus Card. Bellarminus *de Script. Eccleſ.* NN. Natalis *in Hiſt. Veteris Teſt.* & Graveſon *de Sacr. Script.* Daniel Huetius *Demonſtr. Evangelic. Propoſit. IV.* aliique plures. Vide Calmetum, Pineda, & alios. De eo autem adnotare non piget quod ſapienter nimium adnotavit S. Gregorius M. *Praefat. in Job Cap. I.* „ Quis haec ſcripſerit valde ſuperflue quae„ ritur, quum Author libri Spiritus Sanctus faci„ le credatur. Ipſe haec ſcripſit, qui haec ſcriben„ da dictavit: ipſe ſcripſit, qui & illius operis in„ ſpirator extitit, & quae ſcribentis vocem imitanda „ ad nos ejus verba tranſmiſit. „

Ex quo ventilatur audacia nebulonum quorumdam oggannientium Jobum fictitium ſcenicumque hominem fuiſſe, ejuſque hiſtoriam ad fabulas fore amandandam, nimirum Maimonidis in *More Novochim* R. Sem Tobiae Filii, Iſaac Siprut Judaei *in Job*, Theodori Mopſueſteni in V. Synodo damnati, Lutheri in *Convivali Serm. de Patriarchis & Prophetis*, & Anabaptiſtarum ſic temere & ignoranter nimium effutientium. Jobum quidem fuiſſe virum Sanctum Deoque charum, ejuſque hiſtoriam inter veras recenſendam fore Sacrae litterae aperte teſtantur, perhibentque Canonici Scriptores, qui etiam ex ejus operibus ſententias depromentes Agiographis adnumerant librum ejuſdem, ut legere eſt apud Ezechielem *Cap. XIV.* Tobiam Cap. II. & Jacobum Apoſtolum Cap. IV. S. Jobi feſtum celebrat, & inter Sanctos eum colit utraque Eccleſia Orientalis, videlicet, & Occidentalis. Ejus Acta commendant, & inter Canonicos ejus librum ſuſpiciunt Eccleſiae Patres Origenes *Homil. IV. in Ezechielem*, Tertullianus *lib. de Patient. Cap. XIV.* S. Cyprianus *de bono Patientiae*, S. Baſilius *Homil. IV. de gratiarum actione*, S. Johannes Chryſoſtomus *Homil. V. ad Popul. Antiochen.* & *ſerm. 1. de juſto & B. Job.* S. Hieronymus *Epiſtola CIII.* S. Auguſtinus *Serm. LXXXI. de verbis Evangelii ſecundum Matth.* & *Serm. XCI.* & alibi, S. Ambroſius *lib. de Paradiſo*, S. Gregorius M. *Praefat. in Job*, ceteriique univerſim PP. poſterioris aetatis, Polemici, & Interpreres omnes: Quid ultra? univerſim etiam Judaei & Proteſtantes viriliores, nimirum, Ariſtheas, Manaſſes Ben Iſraël & alii: Hugo Grotius *Prolog. in Job*, Fridericus Spanhemius *Hiſt. Job Cap. I.* & alii. De eo autem libro in calce operis redibit ſermo.

(a) Prudenter quidem N. Xyſtus haud ſtatum certumque definit tempus, quo S. Job floruit, quoque librum conſcripſit, ſed circa Annum Mundi 2300. hunc editum adſtruit, quia probabilior ea eſt Judaeorum ſententia, quae Jobi natalem componit cum priore Patrum ſuorum in Aegyptum ingreſſu, ut ex Thalmud *Tract. Baba-Batra Cap. I.* Juchaſim *Olam Rabba*, aliiſque oſtendit Cl. Auguſtinus Calmet *Praef. in Job*, eſtque itidem ſententia inluſtriorum Romanae communionis Theologorum, & Sacrae Scripturae interpretum, nimirum Genebrardi, Toſtati, Pineda, Saliani, Tornielli, Cornelii à Lapide, Card. Bellarmini, N. Natalis, aliorumque multorum, qui N. Sixto adſtipulantes Jobum ſtatuunt Patriarchis coaevum, & Moyſe vetuſtiorem. At res ita certa non eſt, ut citra omnem dubietatis aleam firmari queat, variaque ſit aliorum hac de re opinio. Quod autem N. Sixtus addit de tempore quo afflictus fuit Jobus, nec non de annis ejus, nullo certo monumento poteſt firmari, praecipue quum M. Athanaſius, qui ab eo inducitur teſtis, non ſit author *Synopſeos*, quae ſub ejus nomine laudatur, & ex qua teſtimonium producitur a Xyſto.

Digitized by Google

Latini in duo & quadraginta: ſunt & qui apud Graecos id ipſum in viginti colloquia diſtribuant hoc ordine:

DEI ad Diabolum, unum.
JOB ad amicos, novem.
ELIPHAE ad Job, tria.
SOPHAR ad Job, duo.
BALDAD ad Job, tria.
ELII ad Job, unum.
DEI ad Job, unum.

PSALTERIUM.

DE AUCTORE voluminis Pſalmorum (quod Hebraice ספר תהלים Sepher theillim, id eſt, Liber Hymnorum; Graece vero ψαλτήριον dicitur) duplex eſt opinio. Chryſoſtomus, & Auguſtinus (a) cenſent Davidem regem ac prophetam auctorem fuiſſe omnium Pſalmorum, ex quibus ipſe quoſdam ore proprio cecinit; caeterorum vero pſalmorum ſola argumenta edidit: eaque tradidit cantoribus, in templo Dei ab ipſo ordinatis, qui accepta argumenta carminibus deſcripſerunt, & ad varios cantus, & organa muſica accomodarunt, eaque propriis nominibus inſcripſerunt. Deducta videtur haec ſententia ex libris Regum, & Paralipomenon: in quibus legitur, Davidem fuiſſe egregium pſaltem Israël, qui
2. Reg. 23. a ore proprio cecinit Domino pſalmos aliquot, veluti Pſalmum decimum ſeptimum,
2. Reg. 22. c cum liberaſſet eum Dominus de manu Saul, & omnium inimicorum ſuorum; &
1. Par. 16. b Pſalmum centeſimum quartum, cum reduceretur arca Domini. Idemque conſtituit in templo quatuor millia pſaltes, canentes Domino in organis; inter quos
1. Par. 23. a praecipui erant tres, qui juxta eum in templo canerent cantica in citharis, pſalte-
1. Par. 16. d riis, & cymbalis, videlicet Eman, Idithum, & Aſaph; quem Eſdras teſtatur
Eſd. 3. c laudaſſe Deum per manus Davidis regis, hoc eſt, pſalmis manu David regis conſcriptis. At Hieronymus in epiſtolis ad Sophronium, & Cyprianum, ſequens Athanaſii ſententiam, decernit errare eos, qui omnes pſalmos Davidis eſſe arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt, ſcilicet Aſaph, Idithum, filiorum Corhe, Eman Ezraithae, Moſis, & Salomonis, & reliquorum,
1. Par. 15. b quos Eſdras primo volumine Paralipomenon comprehendit. Erunt itaque juxta hanc ſententiam decem hujus voluminis auctores: quorum nomina in titulis pſalmorum ponuntur, videlicet David, Salomon, Moſes, Aſaph, Ethan Ezrachi, Eman Ezraita, Idithum, & tres filii Corhe: ex quibus

DAVID, filius Iſai Bethlehemitae, Rex Hieruſalem, & Propheta, edidit pſalmos ſeptuaginta tres, ejus nomine in Hebraicis exemplaribus praenotatos, videlicet

III.	XIX.	XXXV.	LX.	CXXII.
IIII.	XX.	XXXVI.	LXI.	CXXIIII.
V.	XXI.	XXXVII.	LXII.	CXXXI.
VI.	XXII.	XXXVIII.	LXIII.	CXXXII.
VII.	XXIII.	XL.	LXIIII.	CXXXIII.
VIII.	XXIIII.	XLI.	LXV.	CXXXVIII.
IX.	XXV.	LI.	LXVIII.	CXXXIX.
XI.	XXVI.	LII.	LXIX.	CXL.
XII.	XXVII.	LIII.	LXX.	CXLI.
XIII.	XXVIII.	LIIII.	LXXXVI.	CXLII.
XIIII.	XXIX.	LV.	CI.	CXLIII.
XV.	XXX.	LVI.	CIII.	CXLIIII.
XVI.	XXXI.	LVII.	CVIII.	CXLV.
XVII.	XXXII.	LVIII.	CIX.	
XVIII.	XXXIIII.	LIX.	CX.	

(a) Hanc quidem ſententiam Davidi adjudicantem omnes Pſalmos amplecti videtur Chryſoſtomus *in expoſit. Pſalm.* 11. eſtque ea recepta ab aliis Eccleſiae Patribus, nimirum Euthymio, Caſſiodoro, & praecipue à Philaſtrio Brixienſe Epiſcopo, qui *haereſi CXXVI.* in numerum haereticorum eos refert, qui de hac veritate, vel ambigere auſi fuerint. At Con-M.P.Auguſtinus in *Lib.Adverſ. haereſ. Haereſ.XXVI.* oppoſitum directe docet, probabilioremque adſtruit opinionem, quae non omnes Pſalmos Davidi adjudicat, eique adhaerent ne dum author *Synopſeos*, ſed Hieronymus, Origenes, & Hilarius Pictavienſis. Conſule Criticos, & Interpretes ſupra laudatos.

Digitized by Google

Condidit etiam praeter hos & alios novem & triginta Pſalmos anepigraphos, hoc eſt, qui ſine alicujus nomine in Pſalterio collocantur, ſcilicet

I.	CII.	CXIIII.	CXXIII.	CXXXV.
II.	CIIII.	CXV.	CXXV.	CXXXVII.
X.	CV.	CXVI.	CXXVI.	CXLVI.
XXXIII.	CVI.	CXVII.	CXXVII.	CXLVII.
XLIII.	CVII.	CXVIII.	CXXVIII.	CXLVIII.
LXVI.	CXI.	CXIX.	CXXIX.	CXLIX.
LXVII.	CXII.	CXX.	CXXX.	CL.
LXXI.	CXIII.	CXXI.	CXXXIIII.	

Ex quibus ſeptem ſub nomine Davidis citantur in divinis ſcripturis, videlicet.
PSALMUS ſecundus in libro Actuum cap. XIII.
PSALMUS decimus ſeptimus in ſecundo Regum cap. XXII.
PSALMUS centeſimus quartus in primo Paralipomenon cap. XVI.
PSALMUS centeſimus quintus. Eſd. 3. 6
PSALMUS centeſimus ſextus.
PSALMUS centeſimus decimus ſeptimus.
PSALMUS centeſimus trigeſimus quintus, de quibus in primo Eſdrae volumine fit mentio.

SALOMON, filius David Regis, ſcripſit Pſalmum unum, nempe ſeptuageſimum ſecundum, qui incipit, DEUS judicium tuum regi da, quem nonnulli exiſtimant a Davide pro Salomone filio editum. Athanaſius in Synopſi praeter hunc Pſalmum etiam duos alios Salomoni attribuit, hoc eſt, ſexageſimum ſextum, cujus initium eſt, Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis; & centeſimum vigeſimum ſeptimum, qui incipit, NISI Dominus aedificaverit domum. Origenes in tertio libro περὶ Ἀρχῶν, refert non defuiſſe, qui dicerent, pſalmos, qui CANTICA GRADUUM inſcribuntur, a Salomone compoſitos: apud Hebraeos tamen ſolus ſeptuageſimus ſecundus pſalmus Salomoni inſcribitur.

MOSES, vir Dei (quem Aben Ezra Judaeus putat unum fuiſſe de cantoribus David. Hieronymus vero in explanatione pſalmi nonageſimi ad Cyprianum, aſſerit eſſe Moſem divinae legis ſcriptorem, & Hebraeorum ducem) ſcripſit pſalmos undecim, hoc eſt a pſalmo XC. cui titulus eſt, ORATIO MOSI VIRI DEI, & cui initium eſt, DOMINUS refugium factus es nobis, uſque ad centeſimum, qui inſcribitur, IN CONFESSIONE, & incipit, JUBILATE Deo omnis terra. Et quoniam ipſius ſententiae videtur adverſari quod legitur in pſalmo XCVIII. de Samuele Propheta, qui multis poſt Moſem natus eſt ſaeculis, ait nomen Samuelis propter ejus meriti excellentiam a Moſe prophetici ſpiritus inſtinctu praeviſum, & in literis annotatum.

ASAPH, filius Barachiae, princeps cantorum praeſonantium cymbalis aeneis, ac laudantium Dominum, & miniſtrantium in conſpectu arcae, compoſuit pſalmos duodecim, videlicet.

L.	LXXV.	LXXVIII.	LXXXI.
LXXIII.	LXXVI.	LXXIX.	LXXXII.
LXXIIII.	LXXVII.	LXXX.	LXXXIII.

EMAN Ezraita, ſive, ut Graeci legunt, Heman Israëlita, cantor, filius Joel, de filiis Cath, cymbalis & tuba peritiſſimus, ipſique Ethan eruditione & ſapientia quodammodo par, compoſuit Pſalmum unum, ſcilicet octogeſimum octavum: cujus initium eſt DOMINE Deus ſalutis meae: quem quia filiis Corhe cantandum praebuit, tam ſuo, quam ipſorum nomine inſcripſit. Philo tamen, in libro De temporibus (a), tradit hunc Pſalmum longe poſtea editum in captivitate Babylonis, & decantatum aſſidue per ſeptem annos; quibus Joakim, rex

(a) Philoni hoc opus ſubditum fuiſſe, quod N. Xyſtus ſub ejus nomine laudat, nemo, qui eruditus audit, in praeſentiarum inficiatur; lubet tantummodo hic Card. Bellarmini *Lib. de Script. Eccleſiaſt. in Philone* verba referre. „Circumfertur nomine Philonis Breviarium temporum; ſed ab „omnibus rejicitur, ut etiam alii hiſtorici, qui in „eo Breviario editi ſunt.„

Digitized by Google

Judaeorum, carceribus Babylonis injuſte fuit oppreſſus.

ETHAN Ezrachi, filius Aſſajae, de filiis Merari, cymbalis aeneis concrepans, tanta ſapientia praeditus, ut, quemadmodum tertius liber Regum teſtatur, nemo unquam mortalium, excepto uno Salomone, fuerit ipſo ſapientior, edidit Pſalmum unum, videlicet LXXXIX. cujus titulus eſt ERUDITIO ETHAN, initium vero, MISERICORDIAS Domini in aeternum cantabo: quem Pſalmum idem Philo in libro paulo antea citato ſcribit poſt multos annos editum ad gratiarum actionem, quando Evilmerodach, rex Aſſyriorum, Joakim regem de carcere eductum apud ſe in honore habere coepit.

3. Reg. 4.

Pſalm. 89.

FILII tres Korach, ſive Corhe, quorum in primo Paralipomenon recenſentur nomina, videlicet Aſir, Elkana, & Abiaſaph, hi tres communi ſtudio conſcripſerunt Pſalmos undecim; hoc eſt,

1. Par. 9.

XLII.	XLVI.	XLIX.	LXXXVII.
XLIIII.	XLVII.	LXXXIIII.	LXXXVIII.
XLV.	XLVIII.	LXXXV.	

IDITHUM, cantor eximius, qui in cithara prophetabat ſuper confitentes, & laudantes Dominum, modulatus eſt Pſalmum unum, qui eſt numero trigeſimus nonus, & incipit, DIXI, Cuſtodiam vias meas.

ATQUE hi ſunt totius Pſalterii auctores in frontibus Pſalmorum juxta Hebraicam veritatem inſcripti: praeter quos etiam alii quidam in Graecis codicibus ad initia Pſalmorum ponuntur, veluti.

EZECHIEL, ET JEREMIAS, quibus adſcribitur Pſalmus ſexageſimus quintus, TE decet hymnus Deus in Syon.

FILII JONADAB, quorum nomine inſcribitur Pſalmus ſeptuageſimus primus, IN te Domine ſperavi non confundar in aeternum.

JEREMIAS Propheta, cui aſcribitur Pſalmus CXXXVII. SUPER flumina Babylonis.

AGGAEUS, ET ZACHARIAS Prophetae, quorum nominibus inſcribuntur infraſcripti Pſalmi, videlicet.

CXXXVIII.	CONFITEBOR tibi Domine.
CXXXIIII.	DOMINE probaſti me.
CXLVI.	LAUDA anima mea Dominum.
CXLVIII.	LAUDA Hieruſalem Dominum.
CXLIX.	LAUDATE Dominum de coelis.

HACTENUS de auctoribus libri Hymnorum, quem Hieronymus variis carminum generibus apud Hebraeos conſtare affirmat, non aliter, quam poëmata Pindari apud Graecos, & Horatii apud Latinos. Docet Rabbi David Kimchi hanc Hebraeis poëtis eſſe conſuetudinem, ut carmina, quibus illuſtria quaedam argumenta tractantur, juxta ſeriem Hebraici alphabeti diſponant, ut facilius memoriae imprimantur, & impreſſa tenacius haereant: quo quidem ordine ſeptem, ſicut etiam Cajetanus Cardinalis oſtendit, praeſtantiores hujus voluminis Pſalmi compoſiti ſunt, videlicet.

XXV.	CUJUS initium eſt, AD te Domine levavi.
XXXIIII.	QUI incipit, BENEDICAM Dominum.
XXXVII.	NOLI aemulari: qui interpolato alphabeto progreditur.
CXI.	CONFITEBOR tibi Domine.
CXII.	BEATUS vir qui timet Dominum.
CXLV.	EXALTABO te Deus: qui ſimplici alphabeto continetur.
CXVIII.	BEATI immaculati in via: qui octaplis conſtat alphabetis, octonis ſemper verſibus ab eadem litera incipientibus: Hieronymus tamen in epiſtola ad Paulam Urbicam ſcribit quinque tantum Pſalmos inveniri alphabetice diſpoſitos, fallique eos, qui plures exiſtimant. Epiphanius in libro De ponderibus & menſuris ſcribit Pſalmorum volumen in quinque parvos libellos, ſeu inciſa, vel ſectiones apud Judaeos diſtingui: quarum prima incipit a primo uſque ad ſeptuageſimum primum, tertia a ſeptuageſimo ſecundo uſque ad octogeſimum octavum, quarta ab octogeſimo nono uſque ad centeſimum quintum, quinta a centeſimo ſexto uſque ad ultimum: in quarum omnium fine duplex Amen, quod

Digitized by Google

quod LXX. verterunt Fiat, fiat, positum est. Chrysostomus existimat Esdram post captivitatem Babylonicam hos Psalmos hinc inde dispersos in hoc, quod nunc habemus, volumen collegisse. Athanasius vero in sua Synopsi id ante captivitatem ab amicis regis Ezechiae factum scribit, asserens eos ex Psalmis Davidis, quos ipse tria millia fuisse affirmat, centum & quinquaginta tantum collegisse, reliquis absconditis, ne ad omnium manus pervenirent. Claruerunt omnes praedicti decem Psalmographi iisdem fere temporibus circa annum videlicet orbis conditi bis millesimum nongentesimum quadragesimum, ante Christum vero millesimum quadringentesimum. Feruntur & alia sub nomine Davidis scripta, quae sequenti volumine recensentur.

LIBRI TRES SALOMONIS.

SALOMON, sive שלמה Scelomo, qui & ידידיה Jedidia, & קהלת Koeleth in sacris literis appellatur, Davidis regis filius, & rex Hierusalem, cui similem nec ante, nec postea fuisse, neque deinceps futurum Deus ipse testatus est, conscripsit juxta numerum nominum suorum tres libros; quorum primum Hebraei משלי Misle, Graeci Παροιμίας, Latini Proverbia vocant, quia in eo adagia, similitudines, & vulgatae quaedam sententiae de variis humanarum rerum eventibus ad vitae institutionem necessariae referantur: cujus posteriorem partem, a capite scilicet vigesimo quinto usque in finem, Sebna, atque caeteri scribae Ezechiae regis Juda ex aliis voluminibus collegerunt. Continet autem Proverbiorum liber, ut auctor quaestionum Hebraicarum super tertio libro Regum scribit, versus nongentos & quindecim; in quibus tria millia parabolarum comprehenduntur, nimirum, illae, de quibus in tertio volumine Regum scriptum est, LOCUTUS est autem Salomon tria millia parabolarum. 3. Reg. 4. d

SECUNDUM librum ipse Salomon קהלת Coheleth inscripsit, Graeci Ἐκκλησιαστήν Ecclesiasten, nos Concionatorem appellare possumus, eo quod sermo ejus, ut Hieronymus ait, non ad unum specialiter, sicut in Proverbiis, sed ad universos generaliter dirigatur, docens omnia, quae in mundo sunt, caduca esse, & brevia, & ob hoc minime appetenda. Hebraei vero, paulo aliter sentientes, volunt tam Salomonem, quam librum hunc קהלת Koeleth dici, propter admirabilem sapientiam, quae copiose in Salomone, & in hoc volumine fuit congregata.

TERTIUS שיר השירים Scir hascirim ab Hebraeis, a Graecis Ἆσμα ἀσμάτων, a nobis Canticum Canticorum appellatur, quia caeteris tam Salomonis, quam aliorum auctorum canticis excellentius & illustrius sit, continens sub metaphora sponsi, & sponsae admiranda mysteria, & ineffabilem Dei erga animam hominis philantropiam. Hunc una cum exordio libri Geneseos, & initio ac fine Ezechielis prisci Hebraei propter arcanos sensus tanta veneratione prosecuti sunt, ut noluerint legi, nisi post trigesimum aetatis annum. Inter Christianos vero plerique non contemnendi nominis expositores, eadem reverentia adducti, existimarunt explanationem libelli hujus non esse in juventute attingendam, sed in solatium Christianae senectutis, ac sanctae migrationis viaticum reservandam, exemplo sanctorum virorum Bernardi Claraevallensis, Gilberti Hollandi, Thomae Aquinatis, & Joannis Gersonii; quibus in meditatione, & expositione hujus operis feliciter mortalitatem exuere contigit. Sunt qui dicant sententias horum trium librorum ab Esaia Propheta fuisse collectas ex variis libris Canticorum & Proverbiorum, quos divina scriptura commemorat a Salomone compositos, & Spiritus Sancti instinctu reservatas, tanquam caeteris utiliores, atque his tribus libellis coarctatas: quas Isidorus ex Josepho, & Hieronymo affirmat hexametris, & pentametris versibus a Salomone conscriptas, & extremam partem libri Proverbiorum concludi alphabeto, quod trimetro jambico supputatur. Constat Salomonem praeter hos libros alia quoque scripsisse volumina, inter quae liber Sapientiae computatur. Sed de his sequenti volumine dicemus. Obiit Salomon anno ab orbe condito bis millesimo nongentesimo septuagesimo, ante Christi nativitatem anno nongentesimo nonagesimo secundo. Hieron. in praef. comm. Ezechielis.

Digitized by Google

ESAIAS.

JESCAEJAHU ישעיהו, vel, ut nos dicimus, Iſaias, ſive Eſaias, vel Jeſaias, qui Salus Domini interpretatur, Propheta, filius Amoz, civis Hieroſolymitanus, genere nobilis, de tribu Juda, ſcripſit librum prophetiarum ſuarum; quas, Spiritu Sancto illuſtrante, ſub quatuor regibus Juda ſibi invicem ſuccedentibus, Ozia, videlicet, Joatham, Achaz, & Ezechia, pronunciavit contra Judaeam, & Hieruſalem, & contra gentes praecipue Babylonias, Philiſtaeas, Damaſcenas, AEgyptias, Idumaeas, ac Tyrias: in quo quidem libro, ut Hieronymus ait, quicquid de Phyſicis, Ethicis, Logicis, & quicquid de ſanctarum ſcripturarum myſteriis poteſt humana lingua, & mortalium ſenſus accipere, complexus eſt ſumma prae caeteris Prophetis venuſtate ſermonis, & urbanae dictionis elegantia. Narratio totius libri proſa eſt, per cola, & commata diſtincta, & numeris omnibus abſoluta, exceptis tribus canticis, Vineae, ſcilicet, urbis Syon, & Ezechiae regis; quae una cum oratione Eſaiae hexametris, ac pentametris verſibus incedere Iſidorus teſtatur. Protulit autem Eſaias de Chriſti ſervatoris noſtri adventu, incarnatione, miraculis, praedicatione, vita, paſſione, morte, reſurrectione, & gloria tot ac tam magnifica, & aperta teſtimonia; ut non de futuris ejus eventibus vaticinari videatur, ſed magis de praeteritis ejus geſtis hiſtoriam ſcribere, & Evangeliſtae potius, quam Prophetae partes implere. Atque hinc arbitror Dominum noſtrum JESUM Chriſtum hunc unum inter omnes Prophetas delegiſſe ſibi, quem primum in ſynagoga patriae ſuae publice legeret, & exponeret. Moritur Eſaias ſub impiiſſimo rege Manaſſe, juſſu ejus in duas partes diſſectus (a), quia optimates regiae domus principes Sodomorum vocaſſet, atque dixiſſet ſe vidiſſe Deum in ſublimi ſolio ſedentem: ſepultuſque eſt ſub quercu Rogel in Beniaminia tribu, circa annum ab orbe condito ter milleſimum ducenteſimum quadrageſimum, & ante Chriſti ortum ſeptingenteſimum vigeſimum octavum. Scripſiſſe dicitur praeter haec etiam alia, quae in proxime ſequenti libro annotabimus.

JEREMIAS.

IRMEJAHU ירמיהו, vel, ſicut nos dicimus, Jeremias, id eſt, Excelſus, Propheta & Sacerdos, ex Anathot viculo tribus ab Hieruſalem milliaribus, filius Helchiae Sacerdotis magni, qui octavo anno Joſiae regis Juda invenit in domo Domini librum legis divinae, multis jam annis praecedentium regum negligentiâ deperditum, coepit admodum adoleſcens prophetare, ac vaticinia literis mandare ſermone quidem inculto, & pene ſubruſtico, ſed ſenſuum majeſtate ſublimi. Scripſit autem, excipiente ex ore ipſius Baruch Neeriae filio, librum prophetiarum ac viſionum; quas de clade Judaeorum, & de futura Chriſti eccleſia divinitus per annos duos & quadraginta accepit, hoc eſt, ab anno tertio decimo regis Joſiae uſque ad urbis excidium, & tranſmigrationem reliquiarum Juda in AEgyptum: cui volumini Baruch adjecit ultimum caput ex fine quarti libri Regum, iiſdem pene verbis mutuatum, ut ex commemoratione cladis Hieroſolymitanae, quae in eo capite refertur, viam ſterneret lectoribus ad proxime ſequentem איכה Eca, ſive קינות Kinoth, hoc eſt, Lamentationum librum: in quo Jeremias Propheta lamentabilem urbis everſionem, & populi captivitatem lugubri carmine deflevit; digeſtis in ordinem alphabeticum verſibus ea ratione, ut primus ab Aleph inciperet, ſecundus a Beth, tertius a Ghimel, & ſic deinceps uſque in finem; imitatus in hoc Davidem, ac Salomonem; quorum hic ultimam Proverbiorum partem, ille Pſalmos ſeptem metricis alphabetis compoſuere. Habentur autem in his Lamentationibus quatuor alphabeta; quorum duo priora, ut teſtatur Hieronymus, conſcripta ſunt verſu a metro Sapphico non multum diſſimili; quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una litera incipiunt,

(a) Conſtans, & communis eſt haec Haebraeorum traditio teſtimoniis Tertulliani, Hieronymi, Baſilii, aliorumque firmata.

Digitized by Google

cipiunt, heroici carminis comma concludit. Tertium vero alphabetum trimetro alphabeto contextum eſt, & a ternis literis, ſed eiſdem, trini verſus incipiunt. Quartum alphabetum ſimile eſt primo, & ſecundo. Rabbi Salomon exiſtimat hunc Lamentationum librum eum eſſe, quem, ut habes apud Jeremiam cap. trigeſimo ſexto, profanus rex Joachim, lecto ejus initio, projecit in ignem, & in odium prophetiae combuſſit. Jeremias vero iterum, ac cito Baruch ſcriba, juſſu Dei dictavit, adjecitque quartum alphabetum, triplicata ſerie literarum; cum in priori exemplari tria tantum alphabeta ſimplicia collocaſſet. Vixit Jeremias ſub regibus Joſia, Joachim, & Sedechia uſque ad tranſmigrationem reliquiarum Juda in AEgvptum; quo & ipſe a Joanne, filio Careheae, translatus eſt: occubuitque in Thaaphnes, a plebe ſua lapidibus obrutus, atque ibidem ſepultus circa annum ab orbe condito ter milleſimum trecenteſimum quinquageſimum: tametſi diverſum opinentur Victorinus Martyr (a), ac plerique alii vetuſtiſſimi Patres; qui docuerunt illum adhuc vivere, & una cum Helia in ultima ſaeculi aetate ab Antichriſto perimendum. Feruntur & alia quaedam ſub nomine ejus ſcripta, de quibus in ſequenti libro dicemus.

EZECHIEL.

JECHIEZKEL יחזקאל, ſeu Ezechiel, qui robur vel imperium Domini interpretatur, Propheta & Sacerdos, filius Buzi Sacerdotis, & ipſe Sacerdos de terra Sarera, ſcripſit librum Propheticum de viſionibus & oraculis, ſibi intra viginti annorum ſpatium a Deo revelatis; hoc eſt, a quinto anno tranſmigrationis regis Jeconiae, cum quo ipſe ductus eſt in Chaldaeam, coepitque prophetare ad amnem Chobar, uſque ad annum vigeſimum quintum ejuſdem tranſmigrationis, quae fuit prima Judae captivitas, quando ſtillavit ira Dei ſuper Hieruſalem. Stylus ejus nec ſatis diſertus, nec admodum ruſticus eſt, ſed ex utroque temperatus: porro narrationis ejus myſteria tantis obvolvuntur obſcuritatibus, ut apud Hebraeos Rabbinos traditione cautum ſit, ne quis unquam audeat primum libri capitulum explicare, nec finem, hoc eſt octo poſteriora capita, niſi trigeſimum aetatis annum impleverit. Hieronymus, qui primus omnium expoſitorum auſus eſt commentaria in totum Ezechielem conſcribere, abſtruſiſſimam hujus libri difficultatem aptiſſima Cretenſis labyrinthi ſimilitudine his Virgilii verſibus expreſſit:

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error,
Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum coecis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum, quo ſigna ſequentum
Falleret indeprenſus; & irremeabilis error.
Spiritus ipſe dolos tecti, ambageſque reſolvat
Coeca, precor, nobis veſtigia, te duce, Chriſte.

Mo-

(a) Victorinus Martyr, etſi non origine Graecus, in Graeciae ſaltem confinio natus, S. Cypriano aut coaevus, aut ſuppar, Pictabonienſis, ſive Petavionenſis in ſuperiori Pannonia Epiſcopus, *Cap. XI. Comment. in Apocalypſin* adſerit Jeremiam adhuc ſuperſtitem eſſe; Sed „ Victorinum egregie „ refellit Ambroſius Autpertus Commentar. in Apo„ calypſin „, inquit N. Natalis *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt.* De eodem Victorino ita ſcribit Card. Bellarminus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* „ Nunc ſolum extat Com„ mentarius in Apocalypſim, & de hoc ipſo dubium „ eſt an ſit Victorini opus? Scribit enim S. Hieronymus in epiſtola praefixa Commentario Victorini in „ Apocalypſim, Victorinum in iſto ſuo Commenta„ rio ſecutum eſſe errorem Chiliaſtarum, quod etiam „ ſcripſit in libro de Script. Eccleſ. in Papia: qua „ de cauſa Gelaſius Papa Victorini opera inter apo„ crypha numeravit. At Commentarium, quod nunc „ extat ſub nomine Victorini, non ſolum hoc erro„ re caret, ſed contra hunc errorem etiam pugnat „ quod pariter adſerit Guillelmus Cave *in Hiſt. litter. ad an.* 290. Quum autem hujuſce ſententiae de adhuc ſuperſtite Jeremia Patronos alios, eoſque vetuſtiſſimos, ſuppreſſo licet nomine, laudarit N. Xyſtus, eos certe indigitavit, quos S. Hilarius *Cap. XX. Matth.* etiam non expreſſo nomine memoravit dicens: „ li„ cet variae vel de Henoch, vel de Jeremia plurimo„ rum extiterint opiniones, quod alterum eorum, „ ſicut Heliam mori oporteat: „ At nunquam Hilarius eis adhaeſit, quia, ut optime adnotant PP. Benedictini in nova S. Hilarii operum editione, in laudatis verbis „ ſatis indicat se ſolos Enoch, & Eliam „ à nobis ſine morte translatos exiſtimaſſe.„ Ceterum Jeremiam lapidibus obrutum Taphnis ab Hebraeis diem clauſiſſe extremum teſtes ſunt Eccleſiae Patres Tertullianus *adverſus Gnoſticos*, S. Hieronymus *contra Jovinianum*, Pſeudo-Epiphanius, & Pſeudo-Dorothaeus *de vita, & morte Prophetarum*, S. Johannes Chryſoſtomus *Homil. LXVI. in Cap. XXIII. Matthaei*, S. Thomas *in Epiſtol. ad Hebr. XI.* ejuſque memoria celebratur in Martyrologiis Bedae, Adonis, Nokteri, Vvandelberti, Uſuardi, in Romano Martyrolog. *ad diem* 1. *Maii*, nec non in Monologio Graeco Baſilii Porphyrogeniti Imperatoris, & in Typico S. Sabae. Videſis Baron. *in Martyrolog.* Nat. Alexandr. *Hiſt. Vet. Teſtam.* Card. Bellarmin *De Script. Eccleſiaſtic.*

Digitized by Google

Moritur Ezechiel in Chaldaea, a duce gentis ſuae, quem ipſe de cultu idolorum reprehenderat, obtruncatus: ſepultuſque eſt in terra Spyriorum in agro Maur in monumento Sem, & Arphaxad, progenitorum Abrahae, circa annum ab orbe condito ter milleſimum trecenteſimum ſexageſimum: Joſephus in decimo Antiquitatum refert Ezechielem praeter hunc librum aliud quoque compoſuiſſe vaticiniorum volumen: de quo vide in libro, qui hunc proxime ſequitur.

DANIEL,

DANIEL דניאל, id eſt Judicatus a Domino, propheta ex tribu Juda, ex regiis optimatibus in Bethebero ſuperiore, non procul ab Hieroſolymis natus, cum adhuc eſſet puer, abductus eſt in Babylone cum Joakim rege Juda anno tertio regni ejus, factuſque eſt eunuchus regis Chaldaeorum, ut impleretur in eo vaticinium Eſaiae, quod protulit ſuper Ezechiam regem, dicens:
Iſa. 39. d DE filiis tuis, qui naſcentur ex te, tollent, & facient eunuchos in domo regis. Hic prophetiae ſuae librum edidit, in quo de omnibus totius mundi regnis, ac praeſertim de glorioſo & aeterno Chriſti regno praeclara ac certiſſima vaticinia comprehendit, omneſque omnium gentium hiſtorias, quae poſt ſua tempora ſcriptae ſunt, eodem volumine coarctavit: ad cujus exactam cognitionem admonet Hieronymus neceſſariam eſſe multiplicem Chaldaeorum, Graecorum, & Latinorum hiſtoriam, Suctorii, videlicet, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polibii, Poſſidonii, Claudii, Theonis, Andronici, Joſephi, & eorum, quos ponit Joſephus, praecipue vero Titi Livii, Trogi Pompeji, atque Juſtini; qui omnem extremae viſionis Danielis narrant hiſtoriam, & poſt Alexandrum uſque ad Caeſarem Auguſtum, Syriae & AEgypti, id eſt Seleuci, & Antiochi, & Ptolemaeorum bella deſcribunt. Obſervandum eſt autem quatuor partibus totum hunc librum abſolvi: quarum prima, hoc eſt ab initio uſque ad ea verba ſecundi capitis, videlicet, RESPONDERUNT CHALDAEI REGI SYRIACE, Hebraico narratur ſermone: ſecunda, quae inde progreditur uſque ad viſionem anni tertii Balthaſar, hoc eſt, uſque ad finem ſeptimi capituli, Hebraicis quidem literis, ſed lingua ſcripta eſt Syriaca, hoc eſt Chaldaica: tertia uſque ad finem duodecimi capitis iterum Hebraico eloquio ſcribitur: quarta ac poſtrema de Suſanna, & Belo graece deſcripta eſt ex editione Graeca Theodotionis Epheſii, qui & orationem Azariae, & hymnum trium puerorum a ſe graece editos inſeruit tertio ejuſdem libri capitulo. Incipit item liber hic tam apud nos, quam apud Hebraeos ſic, *Anno tertio regni Joachim regis Juda venit Nabuchodonoſor rex Babylonis &c.* Vulgata vero Graecorum editio, atque ipſa Athanaſii Synopſis, in qua omnium ſacrorum voluminum initia referuntur, principium libri idcirco ſumunt ab hiſtoria Suſannae, quod ea Daniele adhuc puero contigerit, in haec verba, *καὶ ἦν ἀνὴρ οἰκῶν ἐν βαβυλῶνι καὶ ὄνομα αὐτῷ Ἰωαχείμ*: id eſt, *Et erat vir habitans in Babylone, & nomen ejus Joachim, &c.* uſque ad finem ejuſdem hiſtoriae, quae & in noſtris codicibus capite quarto decimo continetur: qua expleta ſequuntur ſtatim ea verba; *Anno tertio regni Joachim*, unde noſtra ſimul cum Hebraeis exemplaria ordiuntur. Deſinit autem hic idem liber juxta Hebraicam veritatem in verbis illis, *Tu autem Daniel vade ad praefinitum, & requieſces, & ſtabis in ſorte tua in fine dierum*: quae apud nos in calce duodecimi capitis leguntur. Graeci vero una nobiſcum finiunt praeſentem librum in verbis illis hiſtoriae Beli & draconis, *καὶ κατεβρύθησαν παραχρῆμα ἐνώπιον αὐτοῦ*: hoc eſt, *Et devorati ſunt in momento coram eo*. Vixit Daniel in captivitate Babylonis, Aſſyriorum regibus gratiſſimus, defunctuſque eſt Cyri Perſarum regis temporibus in Babylone, ibique magnis honoribus ſepultus circa annum ab orbe condito ter milleſimum quadringenteſimum: cujus librum una cum volumine Ezechielis cenſet Iſidorus a viris ſapientibus Hebraeorum fuiſſe conſcriptum. Graeci totum volumen partiuntur in viſiones duodecim, quarum prima continet hiſtoriam Suſannae, ultima interitum Draconis, & Abakuk raptum.

OSEA.

Digitized by Google

OSEA.

HOSCEA הושע, hoc eſt, Salvator, filius Beeri, ex oppido Belometh, in tribu Iſachar ortus, ſcripſit librum commatice, & quaſi per ſententias digeſtum de prophetiis, a ſe contra decem tribus Israël ſub nomine Ephraim, Samariae, & domus Joſeph editis, in quo prae caeteris prophetis, de vocatione gentium, & reprobatione Hebraeorum vaticinatus eſt. Vixit ſub Ozia, Joathan, Achaz, & Ezechia regibus Juda, Eſaiae prophetae ſynchronos: mortuuſque eſt, ac ſepultus in patria ſua circa annum ab orbe condito ter milleſimum & trecenteſimum quadrageſimum.

JOËL.

JOËL יואל, id eſt Incipiens, filius Pethuel, ex agro Bethor, de tribu Ruben oriundus, conſcripſit propheticarum praenotionum libellum, in quo praedixit, quanta mala orbi immínerent, & praeſertim duabus tribubus, quae vocantur Juda, & Hieruſalem, & Jacob, propter multa & gravia ejus ſcelera, praenuncians quoque myſteria de regno Chriſti, & miſſione Spiritus Sancti. Claruit ſub rege Joram, filio Achab regis Israël: cujus temporibus magnam famem in terra futuram & praevidit, & expertus eſt: deceſſitque paulo poſt ex hac vita, cum gloria & honore ſepultus in Bether circa annum ab orbe condito ter milleſimum quinquageſimum, ante Chriſtum vero nongenteſimum octavum.

AMOS.

AMOS עמוס, id eſt Portans, ex oppido Thecue, quod Epiphanius collocat in tribu Zabulonia, Hieronymus vero tradit abeſſe ſex millibus ad meridianam plagam a Sancta Bethlehem, in tribu Juda, cum non eſſet propheta, neque prophetae filius, ſed homo plebejus, & paſtor, ruborum mora vellicans, ſubito & divino miraculo vocatus in ordinem prophetarum prophetavit contra decem tribus Israël, nonnulla etiam contra gentes vicinas terrae Israël, & contra regnum Juda, atque templum ipſum praedicans, ſuaque vaticinia unico volumine ad poſteros tranſmiſit. Claruit ſub Ozia rege Juda, & Jeroboam filio Joas rege Israël, a quo, & a filio Amaſiae Sacerdotis Bethel, quem ipſe de duobus vitulis aureis reprehenderat, clavo circa tempora transfixus occubuit circa annum ab orbe condito ter milleſimum centeſimum decimum.

ABDIAS.

OVADIA עבדיה, ſive Abdias, hoc eſt Cultor Dei, natus eſt, quemadmodum ſcribit Epiphanius, in Sichera, in agro Leththacmar: hic ante, quam prophetare coepiſſet, Semicenturionis, ſeu Quinquagenarii dignitatem geſſit apud Ochoziam regem Israël: a quo cum poſt duos quinquagenarios coeleſti igne abſumptos miſſus eſſet ad comprehendendum Heliam prophetam, deſerto rege ipſi adhaeſit, & diſcipulus ejus factus eſt (a). Hieronymus autem arbitratur eum fuiſſe virum illum, qui, ut in tertio Regum libro legitur, temporibus Achab, & Jezabelis centum prophetas ſpeluncis abditos pavit. Quidam ex Rabbinis exiſtimant eum fuiſſe proſelytum ex AEdomea, eo quod libellus prophetiae ipſius contra AEdomeos, hoc eſt Chaldaeos, ac gentes, quae afflixerunt Israël, potiſſimum conſcriptus ſit. Vixit circa annnum ab orbe condito ter milleſi-

(a) Quae de genere militari & dignitate ſemicenturiali Abdiae (idem eſto judicium de eo, quod infra tradit de Jona Propheta) Author noſter habet, exſcripſit ab Epiphanio, & Dorothaeo *lib. de vit. & mort. Prophetarum*, ex quibus pariter idipſum hauſerunt Card. Bellarminus *lib. de Script. Eccleſ. Vet. Teſtam.* Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sac. T.* 1. & Garſias Galarza *lib. Evangelicar. Inſtitutionum*. Verum utrumque opus ſpurium eſſe & ablegandum Epiphanio, & Dorothaeo oſtendunt emunctae naris Critici, praeſertim N. Natalis, Dupinius, Cavius, aliique: heinc ad fabulas quoque amandandum eſt quod de Laudatis Prophetis tradunt vulgati Epiphanius, & Dorothaeus.

Digitized by Google

leſimum ſexageſimum: cujus ſepulchrum temporibus Hieronymi una cum mauſoleo Heliſei prophetae, & Joannis Baptiſtae in Sebaſte, quae olim fuit Samaria, viſebatur.

JONA.

3. Reg. JONA יונה, cujus nomen ſignificat Columbam, ut habetur in tertio Regum volumine, filius fuit Amithai prophetae ex regione Opher, ex vicu-lo Geth, qui temporibus Hieronymi Diocaeſarea vocabatur, ſecundo a Sephorim milliario verſus Tyberiadem ſitus in tribu Aſer: hunc tamen Epiphanius tradit natum in Gath, ſeu in Chavathamaum, in tribu Dan, haud longe ab Azoto urbe Palaeſtinorum, mari vicina, fuiſſeque filium viduae Sareptanae, quem He-
3. Reg. 14. lias propheta in Sarepta Sidoniae mortuum ſuſcitavit, matre poſtea dicente ad eum, NUNC cognovi, quia vir Dei es tu, & veritas in ore tuo: & ob hanc cauſam puerum vocatum filium Amithai: hoc eſt veritatis, eo quod verum dicente Helia propheta iterum in hanc lucem editus ſit. Hic, cum ad virilem aetatem perveniſſet, prophetavit primum de reſtitutione Damaſci, & Hemath, & terminorum regni Israëlitici facta per Hieroboam regem Israël: deinde miſſus in Ninivem, Aſſyriorum metropolim, juxta Lycum fluvium a Nino rege conditam, urbem ſua praedicatione ad poenitentiam convertit: & hanc hiſtoriam, in qua mors, & reſurrectio Chriſti figuratur, exiguo libello mandavit. Vixit temporibus Oſeae, Amos, & Eſaiae: & mortuus eſt in terra Saar, ibidemque ſepultus in ſpecu Ceneſaei judicis, circiter annum ab orbe condito ter milleſimum ducenteſimum quadrageſimum.

MICHAEAS.

MICHEA מיכה, id eſt, Humilitas, propheta, ortus in Moraſtite (qui juxta Eleuteropolim Paleſtinae in tribu Ephraim haud grandis eſt viculus: vel, ut Jonathan Chaldaeus tradit, ex urbe Mareſa, quae eſt in tribu Juda) ſcripſit librum vaticiniorum, quae in diebus Joatham, Achaz, & Ezechiae, regum Juda, pronunciavit ſuper Samariam, & Hieruſalem, vaticinatus contra reges, judices, ſacerdotes, & prophetas falſos, qui verbum Domini abjecerant, & impietatem ſecuti fuerant; adventum quoque ſervatoris Chriſti, & locum nativitatis ejus aperte praedixit. Moritur ex alto loco praecipitatus: & ſepultus eſt in Moraſti patria ſua prope Polyandrium, anno ab orbe condito ferme ter milleſimo ducenteſimo quadrageſimo.

NAHUM.

NACHUM נחום, ſive Nahum, id eſt Conſolator, ut Epiphanius aſſerit, natus in oppido Elkeſei trans Jordanem fluvium verſus Begabar, de tribu Simeon, vel, ut Hieronymo placet, ex Helcheſei, qui viculus erat in Galilaea dirutus, poſt Jonam prophetam vaticinatus eſt contra Ninivitas, qui poſt veniam a Deo conſecutam iterum graviora crimina perpetraſſent; concluſitque exiguo volumine prophetiam ſuam De ſubverſione Ninive, atque totius regni Aſſyriorum, quae poſtea facta putatur a Nabuchodonoſor anno primo imperii ſui. Moritur ſub impio rege Manaſſe, & ſepultus eſt in Bagabar circa annum ab orbe condito ter milleſimum quadrageſimum quintum.

ABACUCH.

CHAVAKKUK חבקוק, ſeu Abacuch, id eſt Luctator, propheta ex agro Bezocchar, ex tribu Simeon oriundus, jubente Deo, quemadmodum in ſecundo capite ipſius prophetiae ſcriptum eſt, exaravit librum vaticiniorum adverſus Babylonem, & Nabuchodonoſor, regem Chaldaeorum, qui Hieruſalem templumque ſubvertit, ac tanta mala intulit regno Judaeorum, quan-

Digitized by Google

quanta a nullo tyranno unquam perpeſſi fuerant. Vixit aetate Babylonicae captivitatis: quo etiam tempore ad Danielem, clauſum in lacu Leonum, cum prandio aſportatus eſt ab Angelo in Chaldaeam: & ex hac vita deceſſit duobus annis ante reditum populi Judaici de Babylone: & magnis honoribus in agro ſuo humatus eſt anno ab orbe condito ter milleſimo quadringenteſimo ac ſexto decimo. Numeratur & aliud Apocryphum Abacuch ſcriptum in ſequenti volumine.

SOPHONIAS.

ZEPHANIA צפניה, vel Sophonias, hoc eſt Arcanus Domini, propheta Sarabathides, ſive a Sarabatha monte, Chuſi filius, Gedaliae nepos, Amariae pronepos, Ezechiae abnepos, compoſuit librum unum, in quo vaticinia a se edita de everſione Hieruſalem, & devaſtatione totius regni Judaeorum mira & luculenta brevitate perſtrinxit. Claruit ſub Joſia rege Juda, Jeremiae prophetae ſynchronos, anno ab orbe condito ter milleſimo trecenteſimo ac trigeſimo.

AGGAEUS.

CHAGGI חגי, ſive Aggaeus, hoc eſt Feſtivus & Laetus, admodum juvenis ex Babylone in Judaeam reverſus, populum vaticiniis impulit ad reaedificationem templi Dei, minitans eis, niſi extructioni inſtarent, mala innumera; viditque oculis ſuis ſtructuram templi completam; & ibi primus omnium in laudem Dei ALLELUJA cecinit; & hilares Prophetias ſuas de reverſione populi, de reaedificatione templi, & hoſtilium gentium everſione brevi admodum libro digeſtas reliquit: Moritur Hieroſolymis annis quinquaginta poſt reditum de Babylone, anno ab orbe condito ter milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono.

ZACHARIAS.

ZECHARIA זכריה, id eſt, Memor Domini, propheta & filius Barachiae, nepos Iddo, ex terra Chaldaeorum, ſcripſit librum prae aliis duodecim prophetis longiſſimum, & obſcuriſſimum, idem ferme cum Aggaeo habens argumentum, de templi reaedificatione, fuſius tamen de civitate Hieruſalem, quam de templo pertractans, & viſiones valde obſcuras continens, a viſionibus Danielis haud abſimiles: in quibus explicandis multa praeclara tam Judaeorum, quam Chriſtianorum ſudarunt ingenia. Deceſſit longo ſenio confectus in Judaea, & proxime cum Aggaeo propheta humatus eſt circa annum ab orbe condito ter milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum.

MALACHIAS.

MALACHI מלאכי, vel Malachias, hoc eſt, Angelus, vel Nuncius meus, putatur a quibuſdam fuiſſe Angelus, qui de coelo veniens, aſſumpſerit corpus, ut Israëli, quae a Deo mandata fuerant, vaticinaretur: quam opinionem Hieronymus Origeni impingit. Epiphanius vero ſcribit, eum natum eſſe in oppido Sopha, in tribu Zabulon, ſortitumque fuiſſe nomen Angeli, quia eſſet forma praeſtanti, & moribus inculpatiſſimis praeditus: Jonathan Chaldaeus, & caeteri Hebraei ſentiunt eum fuiſſe Eſdram ſcribam, & ſacerdotem; quia omnia, quae in libro ejus continentur, etiam hic propheta commemorat, dicens: LABIA ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini eſt. Sed quiſquis ille fuerit, qui librum ſub nomine Malachiae ſcripſit, parum refert, cum libri ejus auctoritas nulla laboret ſuſpicione, ſed ab Evangeliſtis in teſtimonium veritatis citetur (a). Claruit Malachias circa annum Mal. 2. b

(a) Dum N. Xyſtus inquit „: quiſquis ille fuerit, qui librum ſub nomine Malachiae ſcripſit: „ certe vel nullimode de hujuſce libri authore dubitavit, quem primitus Malachiae vindicavit, & ſolum ut declinaret criticam quaeſtionem id ait; vel ſi aliquomodo caeſpitavit, cauſſa dubitandi fuit S. Hieronymi ſententia. Hic quidem *Proœmio in Malachiam* non obſcure comprobare videtur opinionem ve-

Digitized by Google

num ab orbe condito ter milleſimum quadringenteſimum, anno ante Chriſtum fere quingenteſimo; ſcripſitque librum hunc adverſus impuram vitam populi ſui, ac ſacerdotum praeſertim ſuorum improbos mores, qui poſt reditum ex Babylone, & inſtauratum templum rurſus ad priſtinas foeditates reverſi, oblationes ac divina ſacrificia, contaminatis animis & corporibus, offerre coeperant.

Appendix ex Libro viarum Linguae Sanctae Rabbi Moſis Kimchi: in qua juxta Rabbinorum traditionem breviſſime perſtringuntur Scriptores Sanctorum librorum primi Ordinis, qui ſoli apud Hebraeos in auctoritate ſunt.

MOSES, vir Dei, ſcripſit quinque quinarios Legis, hoc eſt, Pentateuchum, praeter octo verſus, ab his verbis: ET MORTUUS EST MOSES, &c. uſque ad finem legis; & librum Job.

JEHOSCUA ſcripſit librum ſuum, & octo verſus de lege.

SAMUEL ſcripſit librum ſuum, id eſt, primum & ſecundum Regum, ut nos vocamus, & librum Judicum, & Ruth.

ISAIAS ſcripſit librum ſuum, & librum Proverbiorum, & librum Cantici Canticorum, & librum Eccleſiaſtis.

JEREMIAS ſcripſit librum ſuum, & librum Regum, & librum Threnorum.

VIRI SYNAGOGAE MAJORIS ſcripſerunt librum Jehezkel, & librum Duodecim, hoc eſt, Duodecim Prophetarum minorum, & librum Danielis, & volumen Eſther.

DAVID, ET DECEM PROPHETAE ſcripſerunt librum Hymnorum, id eſt, Pſalmorum.

EZRAS ſcripſit librum ſuum, genealogias verborum Dierum, id eſt, Paralipomenon, uſque ad ea verba: ET FUERUNT SIBI FRATRES FILII JOSAPHAT.

NUMERUS verſuum Legis, quinque millia & octingenti, & quadraginta quinque.

PROPHETARUM, novem millia ducenti & nonaginta quatuor.

AGIOGRAPHORUM, octo millia & ſexaginta quatuor.

INVENITUR itaque ſumma omnium verſuum lectionis Bibliae, viginti tria millia ducenti & tres verſus.

DE SCRIPTURIS, ET SCRIPTORIBUS NOVI TESTAMENTI, QUI IN PRIMO CANONIS ORDINE DINUMERANTUR.

EXpletis variis ſupputationibus, ac diverſis partitionibus Scripturarum, ac Scriptorum veteris Teſtamenti Protocanonicorum, qui in primo Canonis ordine collocantur; nunc pergendum eſt ad libros ejuſdem ordinis, qui in novo Teſtamento habentur; quorum certiſſimus, & per omnes Catholicorum patrum ſucceſſiones indubitatus & approbatiſſimus index hic eſt,

1	Ματθαῖος.	Matthaeus.
2	Μάρκος.	Marcus.
3	Λουκᾶς.	Lucas.
4	Ἰωάννης.	Joannes.
5	Πράξεις τῶν ἀποστόλων.	Acta Apoſtolorum.
	Παύλου ἐπιστολαὶ ιγ.	Pauli epiſtolae XIII. videlicet.
6	Πρὸς τοὺς Ρωμαίους.	Ad Romanos.

7 Πρὸς

veterum Hebraeorum, & Jonathanis Chaldaei Paraphraſtis adſerentium Malachiam ipſum eſſe Eſdram. Communis tamen Patrum, ac Interpretum ſententia eſt Malachiam alterum eſſe ab Eſdra, eumque inter XII. Prophetas Minores ſibi vindicare locum, Eſdrae autem coaevum fuiſſe; conſtatque itidem ex elencho Sacrorum librorum, quem Concilia, praeſertim Tridentinum, percenſent. Videſis Eruditos, Calmetum, NN. Natalem, & Graveſonium, necnon Dupinium, alioſque.

Digitized by Google

7	Πρὸς τὺς Κορινθίυς α.	Ad Corinthios prima.
8	Πρὸς τὺς Κορινθίυς β.	Ad Corinthios ſecunda.
9	Πρὸς τὺς Γαλάτας.	Ad Galatas.
10	Πρὸς τὺς Εφεσίυς.	Ad Epheſios.
11	Πρὸς τὺς Φιλιππησίυς.	Ad Philippenſes.
12	Πρὸς τὺς Κολοσσεῖς.	Ad Coloſſenſes.
13	Προς τὺς Θεσσαλονικεῖς α.	Ad Theſſalonicenſes prima.
14	Πρὸς τὺς Θεσσάλον β.	Ad Theſſalonicenſes ſecunda.
15	Πρὸς τὸν Τιμόθεον α.	Ad Timotheum prima.
16	Πρὸς τὸν Τιμόθεον β.	Ad Timotheum ſecunda.
17	Πρὸς τὸν Τίτον.	Ad Titum.
18	Πρὸς τὸν Φιλήμονα.	Ad Philemonem.
19	Πέτρυ ἐπιςολὴ α.	Petri epiſtola prima.
20	Ἰωάννυ ἐπιςολὴ α.	Joannis epiſtola prima.

MATTHAEUS.

MATTHAEUS, qui & Levi, ex publicano Apoſtolus, primus omnium in Judaea propter eos, qui ex circunciſione crediderunt, Evangelium Chriſti, teſte Irenaeo, Hebraicis literis, verbiſque compoſuit: quod quis poſtea primus in Graecum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Porro ipſum auctoris Hebraicum exemplar teſtatur Hieronymus temporibus ſuis aſſervatum fuiſſe in Bibliotheca Caeſarienſi; quam Pamphilus Martyr extruxerat, ſeque ejus deſcribendi facultatem obtinuiſſe a Nazaraeis, qui in Beroëa, urbe Syriae, commorantes conſimili Hebraeo volumine utebantur. Hinc eſt, quod, cum Matthaeus Hebraice ſcripſerit, in producendis veteris Scripturae teſtimoniis non ſequitur Septuaginta interpretum editionem, ab aliis Evangeliſtis citatam; ſed juxta Hebraicam veritatem ſingula profert teſtimonia. Dividitur hoc Evangelium a vetuſtioribus Latinis, ſecundum Hilarii partitionem, in Canones 33. & ſecundum Chriſtiani Drutmani ſectionem in Canones 67. apud recentiores vero Latinos in octo capita, apud Graecos autem juxta Euthymium, vel Oecumenium, in capita 68. juxta Suidam vero in titulos 68. capita autem 355. Ammonius ſimiliter, & Euſebius, in capita 355. Scriptum eſt hoc Evangelium, ut Euſebius refert, anno tertio Caji Caligulae Imperatoris, hoc eſt, anno a Chriſti aſcenſione octavo: cujus auctor Matthaeus in AEthiopiam ad Chriſti praedicationem profectus, & inde reverſus, in Hiera civitate Parthiae obdormivit; ibique ſepultus eſt, anno ab ortu Chriſti quinquageſimo. Fertur & alia quaedam ſcripſiſſe, de quibus in ſequenti libro dicetur.

MARCUS.

MARCUS, Alexandriae Epiſcopus, & Evangeliſta, cui nomen fuit Joannes, matrem habuit Mariam, quae in domo ſua Apoſtolos benigne excipiebat, ſicut Lucas in Actis Apoſtolicis ita teſtatur; CONSIDERANS autem Petrus, venit ad domum Mariae, matris Joannis, qui cognominatus eſt Marcus; ubi erant multi congregati, & orantes. Hic primum, ut Origenes ait, ante Dominicam paſſionem Chriſtum inter ſeptuaginta duos diſcipulos ſecutus eſt: deinde poſt Chriſti aſcenſionem conjunctus eſt Barnabae avunculo ſuo, & Paulo, quemadmodum Lucas eodem libro commemorat, & Paulus in epiſtola ad Coloſſenſes, & in ſecunda ad Timotheum ejus mentionem faciens indicat: poſtremo, ut Papias in primo libro Dominicorum verborum, & Clemens in ſexto ὑποτυπώσεων libro ſcribunt, Petro Apoſtolorum principi ſe comitem, diſcipulum, & interpretem dedit: quod & prior Petri epiſtola demonſtrat, in qua ipſe filium ſuum juxta Spiritum, Marcum appellavit. Rogatus ergo Romae a fratribus juxta id, quod Petrum referentem audierat, breve Graeco ſermone ſcripſit Evangelium, ita in omnibus conveniens cum his, quae paulo antea ſcripſerat Matthaeus, ut ejus videretur eſſe pediſſequus & abbreviator: hoc cum Petrus audiviſſet, proba-

Act. 12. c

Coll. 4. b
2. Timot. 4. c

Digitized by Google

vit, & Eccleſiae legendum ſua auctoritate tradidit: unde & a quibuſdam Petri Evangelium appellatum eſt. Marcus vero, ſuo aſſumpto Evangelio, in AEgyptum perrexit, & ibi primus omnium Alexandriae Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiam tantae doctrinae & vitae continentia, ut Philo, Judaeorum diſertiſſimus, de ea librum laudatiſſimum ſcripſerit. Mortuus eſt octavo Neronis anno, relicto Evangelii codice, quem poſt decimum a Salvatoris aſſumptione annum, ut ait Chryſoſtomus, in AEgypto evulgaverat. Partiuntur noſtrates hoc Evangelium in capita 16. Graeci apud Suidam in titulos 48. & capita 56. apud Ammonium, & Euſebium, in capita 235. apud Oecumenium, & Euthymium in capita 48. quorum ultimum, DE PETITIONE CORPORIS DOMINI praenotatum, deſinit in his verbis, *Invaſerat eas tremor, & pavor: & nemini quicquam dixerunt: timebant enim:* reliqua vero, quae ſequuntur, uſque in finem, non enumerant. Dicitur, nonnulla praeter haec a Marco fuiſſe conſcripta, quae ſequenti volumine annotantur.

Mar. 16. b

LUCAS.

LUCAS Evangeliſta, quem Paulus, ad Romanos ſcribens, Lucium appellavit, patria Anthiochenus, profeſſione Medicus, Graeci ſermonis peritiſſimus, primum, ut ſcribit Origenes, Chriſto cum aliis ſeptuaginta diſcipulis adhaeſit, & ab eo pietatis ſemina ſuſcepit: poſtea vero Pauli ſectator, & omnis peregrinationis ejus comes individuus factus, ſcripſit poſt quindecim annos ab aſſumptione Servatoris, permiſſu Pauli ad Theophilum fideliſſimum, Deique amantiſſimum, Graeca lingua Evangelium: de quo idem Paulus, Miſimus, inquit, cum illo, fratrem noſtrum, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias: & ad Coloſſenſes, Salutat vos Lucas Medicus, chariſſimus: & ad Timotheum, Lucas eſt mecum ſolus. Sunt tamen qui putent, Lucam cum Domino in carne non fuiſſe, & non ſecundum ea, quae viderat, ſcripſiſſe, ſed ſicut a Paulo, & caeteris Apoſtolis, didicerat: quod ipſe in Praefatione ſic oſtendiſſe videtur: SICUT tradiderunt nobis, qui a principio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Chryſoſtomus exiſtimat, quotieſcunque Paulus in epiſtolis ſuis dicit, JUXTA EVANGELIUM MEUM, Lucae ſignificare volumen: Origenes vero in dialogo De recta in Deum fide, ſcribit, Paulum a Luca, & Marco, Evangelicae hiſtoriae narrationem didiciſſe. Vixit Lucas octoginta & quatuor annis, uxorem non habens: & cum Alexandrinis, univerſaeque regioni, quae illi adjacet, uſque ad Pentapolim praedicaſſet Evangelium, Alexandriae mortuus eſt, ibique ſepultus in Bucolis cum Ictare, qui primus in Lycia Martyr fuit; quem Alexander Epiſcopus tranſtulit, poſuitque, ubi omnes ſepulti ſunt Epiſcopi: ejus oſſa vigeſimo Conſtantii anno Conſtantinopolim translata ſunt. Scripſit ejus vitam Graece Simon Metaphraſtes. Oecumenius, & Euthymius hoc Evangelium in octoginta tria capita diſtribuunt; Ammonius, & Euſebius in capita trecenta quadraginta tria; Ambroſius in titulos centum ſexaginta quatuor; Beda in capita nonaginta tria; Latini autem recentiores in viginti quatuor capita diſſecant.

Rom. 16. d
2. Cor. 8. c
Coloſſ. 4. c
2. Timot. 4. c
Luc. 1. a
2. Timot. 2. a

JOANNES.

JOANNES Apoſtolus, & Evangeliſta, frater Jacobi majoris, filius Zebedaei, a vico Bethſaida regionis Galilaeae; arte piſcator, nec ante, nec poſt vocationem ſuam literas didicit: ſed cum in coena ſuper pectus Domini recumberet, talem hauſit ſcientiam, qualem mortalium nullus unquam ſortitus eſt. Hic igitur noviſſimus omnium multis annis poſt captam Hieroſolymam ſcripſit Graeco ſermone Evangelium, rogatus ab Aſiae Epiſcopis, adverſus Cerinthum, alioſque haereticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens; qui aſſerebant Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere. Sed & aliam cauſam hujus ſcripturae ferunt, quod, cum legiſſet Matthaei, Marci, & Lucae volumina, probaverit quidem textum hiſtoriae, & vera eos dixiſſe firmaverit, ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt

Joan. 13. c

Digitized by Google

post carcerem Joannis historiam texuisse. Praetermisso itaque anno, cujus acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis ante, quam Joannes clauderetur in carcerem, gesta narravit, sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint. Quae res etiam tollit dissonantiam, quae videtur esse inter alios Evangelistas, & Joannis Evangelium. Hoc nostri in 21. capita distinguunt. Oecumenius, & Euthymius, non enumerato titulo de muliere in adulterio deprehensa, in 18. capita, seu titulos distribuunt. Ammonius, & Eusebius, eodem titulo praetermisso, dividunt in capita 232. Vixit annos prope centum, ex quibus fere quadraginta Ephesi transegit usque ad Domitianum, a quo in Pathmos insulam relegatus est: eo interfecto, & decretis ejus rescissis, sub Nerva reversus est Ephesum: ibique usque ad Trajanum perseverans, totas Asiae fundavit, rexitque ecclesias: & senio confectus anno sexagesimo octavo post passionem Domini mortuus, juxta eandem urbem sepultus est, quem multi veterum Graecorum adhuc vivere arbitrantur propter ea verba, quae Dominus dixit, SUNT de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno: &, SIC eum volo manere, donec veniam; quid ad te? Scripsit vitam ipsius Simon Metaphrastes, Graecus auctor: Josephus Judaeus Tyberinus Comes, ejus Evangelium, in Hebraicum sermonem ab incerto auctore translatum, in gazophylacio Tyberiadis invenit, & ecclesiae tradidit, anno ab ortu Christi trecentesimo septuagesimo. De reliquis vero scriptis, si qua sub nomine ejus edita sunt, in secundo hujus Operis volumine dicemus. Mat. 16. a Joan. 21. d

ACTUS APOSTOLORUM.

LIBRUM, cui titulus est πράξεις ἀποστόλων, hoc est, Actus Apostolorum, Lucas Evangelista ad Theophilum, virum perfectissimum, post Evangelium absolutum Graeco sermone conscripsit: qui, quanquam Acta Apostolorum inscriptus sit, potissimum tamen acta continet Spiritus Sancti: ut quemadmodum Evangelia actiones Christi comprehendunt: ita liber hic actiones enarrat, quae Spiritus Sanctus per Apostolos egit postea quam in eos descendit, vaticinium illud explens, quod Christus in Evangelio promiserat, dicens; AMEN dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quod quidem hic liber completum esse testatur in Apostolis, quorum lingua totum orbem terrarum ad verum Dei cultum convertit; & quorum ipsa corporis umbra, & semicinctia miracula inaudita ediderunt. Porro maxima pars eorum, quae hic tractantur, Pauli acta sunt, qui plus omnibus laboravit, & majora prae caeteris subiit pericula: quae Lucas exacte noscens, utpote qui simul cum eo peregrinatus fuerat, atque una convixerat, diligentissime scripsit ab initio conversionis ejus usque ad Pauli Romae commorantis biennium, id est, usque ad quartum Neronis annum, qui fuit ab ortu Christi sexagesimus primus. Hunc librum Josephus Judaeus Tyberinus Comes, in Hebraicam linguam translatum, in gazophylacio Judaeorum Tyberiadis reperit anno a Christo nato trecentesimo septuagesimo. Graeci distinguunt volumen hoc in capita quadraginta, Latini vero in capita viginti octo. Fama est nonnulla ultra haec scripsisse Lucam sequenti libro annotanda. Joan. 14. c

PAULI EPISTOLAE.

PAULUS Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Beniamin, ex oppido Judaeae Gischalis, in Tarso Ciliciae educatus, Hierosolymis a Gamaliele in lege eruditus, & a Christo ad fidem inopinata revelatione compulsus, scripsit tredecim infrascriptas epistolas.

AD ROMANOS unam ex Corintho missam per Phoeben ministram Ecclesiae Cenchrensis; in qua adnititur revocare ad mutuam concordiam Romanos nuper ex Judaeis, & gentibus conversos; qui de dignitate, ac meritis eorum, qui ad Christianam religionem admittendi, & ad Ecclesiastica ministeria eligendi erant,

Digitized by Google

erant, gravi ac periculoſa inter se altercatione contendebant. Dividitur haec epiſtola apud Graecos in capita viginti, apud recentiores Latinos in capita ſexdecim, apud veteres vero Latinos, ut ex Ambroſii commentariis apparet, in capita quinquaginta.

AD CORINTHIOS duas; quarum priorem ſcripſit ex Epheſo per Stephanum, & Fortunatum, ſtudens ſedare eorum diſſidia, ac diverſas factiones, quas potiſſimum circa Evangelii praedicatores, circa divina Sacramenta, & Sacramentorum miniſtros, arrogantes quidam mundanae ſapientiae profeſſores excitaverant. Habet apud Graecos capita novem, apud juniores Latinos ſexdecim, apud veteres ſeptuaginta tria.

POSTERIOREM ex Philippis Macedoniae miſit per Titum & Lucam, admonens eos, ut ſinceros Evangelii miniſtros, & Sacramentorum diſpenſatores ſequantur, falſos vero ac malos rejiciant. Diſtinguitur a Graecis in capita decem, a neotericis Latinis in tredecim, ab antiquis in viginti ſeptem.

AD GALATAS unam è Roma; qua Galatas per falſos Apoſtolos ad Judaiſmum retractos graviter objurgat, & a legis Moſaycae ſervitute, in quam relapſi fuerant, ad Evangelicam libertatem revocat. Continet apud Graecos capita duodecim, apud Latinos ſex.

AD EPHESIOS unam a Roma per Tychicum ex carceribus; in qua formam Chriſtianae vitae, quam ab eo Epheſi, jam in fide extructi, flagitaverant, breviter praeſcribit. Habet apud Graecos capita decem, apud Latinos ſex.

AD PHILIPPENSES unam ex carceribus Romanae urbis per Epaphroditum, adhortans clerum Philippenſium ad mutuam concordiam, & ad tuendam Eccleſiaſticam unitatem adverſus Pſeudoapoſtolos Judaiſmum ingerentes, & diviſionem Eccleſiae molientes. Graeci dividunt in octo capita, Latini in quatuor.

AD COLOSSENSES unam ſcriptam ab Epheſo ex vinculis per Tychicum; qua Coloſſenſes, multis adhuc Judaicis & Graecanicis ſuperſtitionibus implicitos, corrigit, oſtendens, non eſſe aliunde acceſſum ad Deum, quam per Chriſtum. Graece dividitur in capita decem, Latine in quatuor.

AD THESSALONICENSES duas; quarum priorem ſcripſit ab Athenis per Tychicum, animans eos, ut ſicut in fide ſemel accepta perſtiterunt, ita illatas pro Chriſto perſecutiones alacri & infracto animo perferant. Habet apud Graecos capita ſeptem, apud Latinos quinque.

POSTERIOREM ex eodem loco, atque per eundem ſcripſit, iterum eorum animos confirmans ad afflictiones propter Chriſtum viriliter tolerandas, promittens, nec ipſis defuturum praemium, nec adverſariis vindictam. Habet apud Graecos capita quinque, apud Latinos tria.

AD TIMOTHEUM duas; quarum primam ex Laodicea Phrygiae per Tychicum diaconum miſit, inſtruens eum, quae magiſtrum ac paſtorem Eccleſiae deceant. Habet apud Graecos capita decem & octo, ſex vero apud Latinos.

SECUNDAM vero è Roma ex vinculis, confirmans eum in eccleſia detentum; ſimul & ipſum admonens, ne perſecutionum procellis dejiciatur, ſed ſuo exemplo animum ad martyrium praeparet. Graeci partiuntur in capita novem, Latini in quatuor.

AD TITUM unam; ex Nicopoli Macedoniae, inſtituens eum, quomodo, ordinatis eccleſiae miniſtris, & explosis falſis apoſtolis, oves ſibi concreditas gubernet. Graecorum capita ſunt quatuor, Latinorum tria.

AD PHILEMONEM Phrygem unam ex vinculis Romanae urbis per Oneſimum; in qua eundem Oneſimum, ſervum Philemonis fugitivum, & compilatorem, haero ſuo reconciliat, domini erga ſervum, & ſervi erga dominum officia demonſtrans. Graeci in duo capita dividunt, Latini in nullum.

MORITUR PAULUS Apoſtolus in urbe Roma, poſtea quam ab Hieroſolyma uſque in Hiſpaniam (a) triginta & quinque annis praedicaſſet, capite detruncatus

(a) Quod de praedicatione Pauli in Hiſpania Author tradit, mutuatus certe fuit ex veteribus Patribus Athanaſio *Epiſt. ad Dracontium*, Cyrillo Hieroſolymitano *Catechesi XVII.* Epiphanio Haeresi XXVIII. Chryſoſtomo in *Epiſt. ad Hebraeos, Comment. in Matthaeum*, & *de laudibus Pauli*, Theodoreto *in Epiſt. ad Timotheum*, Hieronymo in *Cap. II. Iſaiae*, Gregorio M. *Lib. III. Moral.* Iſidoro, Beda, Adone,

Digitized by Google

eatus tertiodecimo Neronis anno, hoc est, septuagesimo ab adventu Salvatoris anno, die vicesima nona mensis Julii: ferturque etiam praeter haec scripsisse plurima, quae secundo hujus Operis libro recensentur.

EPISTOLA CATHOLICA PETRI.

SIMON PETRUS, filius Joannis, provinciae Galilaeae, vico Bethsaida, frater Andreae Apostoli, & princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochenum, Romanae ecclesiae episcopus, & totius ecclesiae Christianae Pontifex primus, scripsit per Sylvanum, fidelem fratrem, epistolam unam, quae Catholica nominatur, ad Christianos dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, & Bithyniae; qui nuper ex Judaismo ad fidem Christi venerant, confirmans eos in fide, admonensque, ut, praeterita vita relicta, novam aggrediantur, &, tanquam advenae ac peregrini, a carnalibus desideriis abstineant, parati de omnibus rationem reddere in die judicii. Hanc Latini in quatuor, Graeci vero in octo capita dividunt. Moritur Romae, cum annis viginti quinque cathedram Pontificiam tenuisset, ultimo anno Neronis, a quo cruci affixus est, capite ad terram verso, & pedibus in sublime elevatis, asserens se indignum, ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus: sepultusque est Romae in Vaticano, juxta viam triumphalem, anno ab ortu Christi septuagesimo. Citantur a vetustis Patribus sub Petri nomine varii generis scripta, a nobis in libro sequenti annotata.

EPISTOLA CATHOLICA JOANNIS.

JOANNES Apostolus, & Evangelista, quem Dominus noster Jesus Christus amavit plurimum, conscripsit epistolam unam, quae Catholica nuncupatur, ad omnem Christianorum aetatem, pueros, adolescentes, ac senes: in qua Theologice tractat de Verbo aeterno, docens causas adventus, & manifestationis ejus: & de charitate Dei erga nos, ac dilectione mutua inter nos exercenda copiosissime differit. Dividitur apud nos in capita quinque, a Graecis vero in capita septem. Divus Augustinus in secundo Evangelicarum quaestionum volumine indicare videtur, a Joanne hanc epistolam missam fuisse ad Parthos, ita scribens: DICTUM est a Joanne in epistola ad Parthos. DILECTISSIMI nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit, quod erimus: scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est: quae sane verba in tertio hujus epistolae capite leguntur. Hoc ipsum insinuat Higinus (a), septimus post Petrum 1. Joan. 3. 2

ne, aliisque, quibus propterea victas dederunt manus inlustres Viri, praecipue veteres, eosque inter Eminentissimus Annalium Parens C. Baronius ad *An. Christi LXI.* & in *Martyrol. Roman.* nonnullique itidem recentiores, praesertim Honoratus à S. Maria, Cornelius à Lapide, aliique.

At è contra Paulum nunquam Hispanias vidisse, & in Epistola *ad Romanos* Cap. XV. solummodo desiderium suum ultimam Hesperiam lustrandi explanasse, quod tamen impeditus implere nequivit, tradiderunt Innocentius I. *Epistola* ad *Decentium*, & Gelasius in Concilio Romano, quem laudat Gratianus Causa XXII. Cap. *Beatus*, & ex eo Baronius ubi supra, nec non S. Thomas *Comm. in Epist. ad Rom. Cap. XV.* quibus adhaerent quamplures inlustres viri, cum veteres, tum recentiores, qui propterea adserunt nullum facessere negotium monumenta Patrum ex adverso laudatorum, quum ii longe post Pauli excessum scripserint: Qui pro hac negativa sententia possunt laudari sunt N. Dominicus Soto, Guillelmus Estius, Petrus de Marca, Augustinus Calmet, Sebastianus Tillemontius, Antonius Pagius, Elias Du-Pin, N. Natalis Alexander, aliique, quos solum indicasse sufficiat, quum nullus mihi insideat animus inlustribus Nationibus detrahendi, sed dumtaxat historicam notitiam tradendi, & Criticas controversias saltem digito monstrandi. Qui tamen rem maturius examinare exoptat consulat laudatos Auctores, apud quos pro & contra monumenta & momenta offendet.

(a) Hygini Epistola decretalis ex Veterum Sententia laudatur: at non esse genuinum ejusdem Pontificis foetum concors est Eruditorum sententia; quare nullum ex ea suppeditatur momentum veritatis, velut ex venerando Romani Pontificis, primorisque aetatis, invicto monumento, esto promereatur laudem ex posterioris aetatis VII. vel VIII. Seculi Scriptore. Ex aliis verò Patribus, quorum sententia non potest in dubium revocari, evidentissime colligitur versiculum illum: „ Tres sunt, qui testimonium „ dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus San„ ctus, & hi tres unum sunt „ qui nunc extat in Canonica I. Epistola S. Johannis, pertinere ad integritatem genuini textus, nec esse laciniam adsutam, ut comminiscuntur Sociniani mali pulli ovorum Macedoniani, Arianique. Ita enim rem hanc firmant Ecclesiae Patres, qui eundem versiculum uti portionem praefati Capitis Epistolae Johannis laudarunt, & traditionem certissimam firmarunt, nimirum Tertullianus *lib. contra Praxeam. cap.* 25. S. Cyprianus *lib. de Unitate Ecclesiae*, & *Epistola LXXIII.* S. Fulgentius *lib. contra decem objectiones Arianorum*, Idacius Clarus *lib. I. de Trinitate*, Eugenius Carthaginensis Episcopus in solemni fidei professione, quam no-

Digitized by Google

trum Romanae eccleſiae Pontifex, in epiſtola prima ad omnes Chriſtifideles: ubi
1. Joan. 5. 8. haec habet: ET ITERUM ipſe Joannes Evangeliſta ad Parthos, TRES SUNT, inquit, qui teſtimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. Quae verba capite quinto hujus epiſtolae continentur.

DE SCRIPTURIS, ET SCRIPTORIBUS DIVINIS UTRIUSQUE TESTAMENTI, AD SECUNDUM CANONIS ORDINEM PERTINENTIBUS.

SECTIO SECUNDA.

CUM in prima hujus Operis Sectione auctores Protocanonicos librorum utriuſque Teſtamenti, qui ad Primum Sacri Canonis ordinem pertinent, enumeraverimus; conſequens eſt, ut in hac ſecunda Sectione Scriptores Deuterocanonicos librorum tam veteris, quam novi Teſtamenti, qui in Secundo ejuſdem Canonis ordine collocantur, breviter deſignemus, incipientes a libris veteris Teſtamenti, de quibus olim orthodoxi Patres addubitarunt, & quos Hebraei, excepto libro Eſther, inter divina ſcripta non recipiunt: horum index hic eſt.

1	אסתר	Εσθήρ,	Eſther,
2	טוביה	Τωβίτ,	Tobias,
3	יהודית	Ιουδήτ,	Judith,
4	ברוך	Βαρούχ,	Baruch,
5	Ε'πιστολὴ Ιερεμίου,		Epiſtola Jeremiae,
6	Σοφία Σαλομῶντος,		Sapientia Salomonis,
7	Σοφία Σειράχ,		Sapientia Sirach, ſive Eccleſiaſticus,
8	*Danielis ſupplementum, hoc eſt*	(Προσευχὴ Αζαρίου,	Oratio Azariae,)
		(Ωδὴ τῶν τριῶν παίδων,	Hymnus trium puerorum,)
		(Σωσάννης Ι'στορία,	Soſannae hiſtoria,)
		(Περὶ Δράκοντος τοῦ βήλ,	De Dracone Belis,)
9	Μακκαβαίων α.		Maccabaeorum primus,
10	Μακκαβαίων β.		Maccabaeorum ſecundus.

ESTER.

nomine 400. Epiſcoporum obtulit Hunnerico Wandalorum Regi, quaeque refertur ab Victore Vitenſi *lib. III.* Author *Praefationis in VII. Epiſtolas Canonicas*, qui Author certe ex judicio Criticorum (ſi unum Richardum Simonium excipias, de quo infra) eſt S. Hieronymus: Quod ſi alteri idem opus adjudicare libeat, is certe VII. Seculo recentior non eſt, quum VIII. Seculo inter Hieronymi opera adnumeratum reperiatur, Vigilius Tapſenſis *lib. I. contra Varimadum Arianum cap.* 5. Graecus, & vetuſtus Auctor *diſputationis cum Ario*, quae à pluribus S. Athanaſio adſcribitur. Non inficias eo in aliquibus Bibliis deſiderari laudatum verſiculum, at fuiſſe omiſſum ex oſcitantia Notariorum, qui facillime ex id genus ſimilibus ſequentibus ibidem verbis hallucinati eundem verſiculum omiſerunt: manifeſtum eſt autem ex aliis, iiſque emendatioribus Bibliis, ex quibus id ipſum adſtruunt Latini pariter ac Graeci, nec non heterodoxi ipſi re penitius inſpecta. Ex Graecis namque Codicibus ſi veritas exquiratur: Amalotus Oratorii Presbyter adfirmat haec verba extitiſſe in Vaticano Graeco codice omnium vetuſtiſſimo, & reapſe extat etiam in Graecanico Lectionario, ut confitetur idem met Auctor *Hiſtoriae Criticae cap.* 18. inferius corrigendus. Ex Latinis autem Monachi Benedictini ejuſmodi rerum peritiſſimi teſtantur eadem verba reperiri in quampluribus vetuſtiſſimis Codicibus, praeſertim in perantiquo Corbienſi: Theologi Lovanienſes, qui infinitam propemodum Codicum multitudinem conſuluerunt ad adornandam, & adcurandam Vulgatam editionem in nonnullis antiquiſſimis eundem verſiculum invenerunt. Idem adnotatum offenditur *in Correctorio Bibliae* edito circa X. Seculum. Robertus Stephanus adſerit ex ſexdecim exemplaribus venerandae antiquitatis, quibus ipſe uſus eſt, ſeptem dumtaxat inveniſſe, in quibus verſiculus ille deſiderabatur. Cardinalis Ximenius, qui undequaque exemplaria omnium vetuſtiſſima, & praeſertim ex Vaticana Bibliotheca conquiſierat, hanc Johannis ſententiam ex eorum fide edidit. Eraſmus ipſe, qui prius deceptus hunc verſiculum eraſerat, poſtea eundem reſtituit ex Anglicano Codice longe antiquiſſimo. Quid ultra? Theodorus Beza, qui optimae notae codices ſe habuiſſe gloriatur, hunc eundem verſiculum in eis adinvenit: Johannes Fellus in *notis ad S. Cyprianum de Unitate Eccleſiae* eundem verſiculum S. Johanni vindicat ex innumeris ſelectiſque codicibus; & tandem Johannes Calvinus perhibet aetate ſua in melioribus emendatioribuſque Graecis codicibus eandem ſententiam adfuiſſe. Quam ergo graviter corrigendus eſt Richardus Simonius, qui adhuc poſt tot monumenta ſic pura, & teſtimonia tam luculenta, etiam Acatholicorum, aliter ſentire, & re vera deſipere eſt auſus. Si autem addas cauſſam expunctionis praefati verſiculi ab quamplurimis exemplaribus fuiſſe fraudem, & iniquitatem Arianorum, fas tibi ſit: id docent Auctor *Prologi* ſupra laudatus. S. Thomas Aquinas, & Card. Ximenius, quibus etiam adhaerent Fromundus, & Beza. Videſis etiam Fratres Walemburgicos *controv. Fid. pag. 695. & ſeq.* apud quos etiam alia Bibliia Acatholicorum eundem verſiculum habentia reperies.

Digitized by Google

ESTHER.

ESTHER אסתר librum, ut Iſidorus autumat, Eſdras conſcripſit. Euſebius in chronicis arbitratur libri hujus auctorem fuiſſe Eſdra poſteriorem; & hiſtoriam, quae in hoc libro deſcribitur, poſt Eſdrae mortem contigiſſe: eo quod veriſimile non ſit Eſdram praetermiſiſſe tam celebrem hiſtoriam, ſi temporibus ſuis contigiſſet. Philo Judaeus in volumine ſuae chronographiae aſſerit libri hujus ſcriptorem fuiſſe Joachim, Pontificem Hebraeorum, Jesu Sacerdotis magni filium: qui, adhortante eum per literas Mardochaeo Hebraeo, patre adoptivo ipſius Eſther, hiſtoriam hanc literis mandavit; inſtituitque ſolemnitatem פוריס Purim, hoc eſt, Sortium, in memoriam Judaicae liberationis; quam praeſens hiſtoria conſilio, ac precibus Eſther factam eſſe commemorat. Plerique Latinorum tradunt volumen hoc a Mardochaeo Hebraice conſcriptum, quibus etiam favere videntur verba illa noni capitis hujus libri. SCRIPSIT itaque Mardochaeus omnia, & literis comprehenſa miſit ad Judaeos: & paulo infra, SUSCEPERUNTQUE Judaei ea, quae Mardochaeus literis facienda mandaverat ... & cuncta geſta, quae epiſtolae, id eſt, libri hujus volumine, continentur. Scripſit autem Mardochaeus omnia, quae habentur a principio libri uſque ad ea verba, quae in principio decimi capitis ponuntur in hunc modum: *Mardochaeus Judaici generis fuit a rege Aſſuero ſecundus, & magnus apud Judaeos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quaerens bona populo ſuo, & loquens ea, quae ad pacem ſeminis ſui pertinerent*. Caetera vero ſex capitula uſque in finem libri ab incerto Graeco ſcriptore addita ſunt ex diverſis hiſtoriis, praecipue vero ex undecimo libro Antiquitatum Joſephi: ex quo exemplum literarum Aman, & exemplum epiſtolae regis Artaxerxis, quae tertiodecimo & ſextodecimo hujus libri capite recitantur, ad verbum deſumptae ſunt. Initium hujus libri juxta Hebraicam veritatem, & noſtram vulgatam editionem ſic habet: *In diebus Aſſueri regis, qui regnavit ab India uſque AEthiopiam, &c.* in vulgata vero Graecorum translatione ſic: Ἐτους δευτέρου, βασιλεύοντος Ἀρταξέρξου τοῦ μεγάλου, τῇ μιᾷ τοῦ Νισὰν, ἐνύπνιον εἶδε Μαρδοχαῖος: hoc eſt, *Anno ſecundo, regnante Artaxerxe magno, una die menſis Niſan, ſomnium vidit Mardochaeus, &c.* quae in noſtris codicibus toto undecimo & duodecimo capite continentur: poſt quae ſtatim ſubnectuntur jam praemiſſa verba, *In diebus Aſſueri regis, qui regnavit ab India*. Finis autem hujus libri apud Hebraeos concluditur in illa ſententia, *Quaerens bona populo ſuo, & loquens ea, quae ad pacem ſeminis ſui pertinerent*. Quae quidem ſententia in exemplaribus noſtris principium decimi capitis eſt: apud Graecos vero finem accipit liber hic ubi caput undecimum noſtrae editionis incipit, videlicet in verbis illis, *Anno quarto regnantibus Ptolemaeo & Cleopatra, &c.* uſque ad, *Filium in Jeruſalem*. Noſtri autem codices ab hoc loco uſque ad finem voluminis ſex capitula interponunt. Accidit autem, ut propter has appendicum lacinias, hinc inde quorundam ſcriptorum temeritate (a) inſertas, liber hic, quamvis Hebraicus, & Hebraeis receptus, ſero ad-

Esth. 9. a

Esth. 9. b

Cur aliquando liber Eſther non fuerit ab omnibus Catholicis receptus.

(a) Ne dum Xyſti Senenſis, verum etiam & aliorum error fuit ſeptem poſteriora Capita Eſtheris hiſtoriae aliena manu fuiſſe adjuncta: in eum quippe errorem deſcenderunt, antequam Tridentina Synodus cogeretur, Nicolaus de Lyra, N. Hugo de S. Charo, & S. Dionyſius Carthuſianus. Poſt decretum autem Tridentini Concilii Hugo Grotius, aliique ab Romana Communione ſegreges; ideoque N. Xyſtus ſecutus opinionem Hugonis, Lyrani, &c. ac fortaſſe immemor Tridentini decreti, adſeruit quorumdam temeritate adſutas Eſtheris hiſtoriae lacinias. Verum ejus aliorumque hujuſce opinionis error ventilatur ex laudata Oecumenicae Synodi diffinitione, qua decernitur, & ſtatuitur ſuſcipiendos fore omnes inibi enumeratos Canonicos libros una cum eorum partibus „ prout in Eccleſia legi ſolent, & in Vulgata „ latina editione habentur. „ In Latina quippe Vulgata editione ea ſeptem capita extant, & Fer. IV. poſt Dominicam II. Quadrageſimae in Eccleſia ſolemniter legitur Hiſtoria Eſtheris ex XIII. Capitulo depromta. De hiſce igitur Capitibus expreſſum edidit decretum Synodus Tridentina. Verum laudata ſeptem capita ad Genuinam Eſtheris Hiſtoriam pertinere conſtans eſt Patrum traditio, Origenis, nimirum, in *Epiſtola ad Julium Africanum*, & *Tom. II. in Johan.* Baſilii *lib. II. contra Eunomium*, Chryſoſtomi *Homil. III. ad Popul. Antiochen.* Auguſtini *Epiſtola* olim *CXCIX.* nunc *CCLXXII. ad Ecdiciam*, Hieronymi *in Eſther*, ubi adſerit priora quidem novem Capita ex Hebraeo tranſtuliſſe, poſteriora autem ſeptem ex Graeco LXX., & ex priſca Vulgata editione, quibus dubio procul uſi ſunt Priores Orientalis, ac Occidentalis Eccleſiae Patres, qui ejuſdem Eſtheris librum laudarunt, & inter Canonicos adnumerarunt, praeſertim PP. Laodicaenae Synodi *cap. 59.* & Carthaginenſis III. *Can. 47.* Euſebius *Lib. III. Hiſt.*

Digitized by Google

admodum apud Christianos canonicam auctoritatem receperit: unde nec ipsum Melito Sardensis episcopus, nec Gregorius Nanzianzenus inter sacros libros enumerarunt: & Athanasius de catalogo canonicorum voluminum tanquam nothum nominatim abjecit: quem denique concilium Carthaginense tertium inter sacra volumina computavit. Claruit Mardochaeus una cum Joachim, Jesu sacerdotis magni filio, sub Artaxerxe, rege Persarum ac Medorum: mortuusque est anno centesimo nonagesimo octavo vitae suae, circa annum ab orbe condito ter millesimum sexcentesimum.

TOBIAS.

TOBIA טוביה, qui sonat apud nos Bonitas domini, filius Tobiel, nepos Hananaël, de tribu & civitate Nephthalim, quae est in Galilaea ad terminum occidentalem, ut habetur ex ejus historia, quae Hebraico sermone edita circunfertur, jubente Raphaële Archangelo, qui eum a caecitate curavit, scripsit Chaldaica lingua librum suum, in quo calamitates, & divinas consolationes digessit, quas cum omni familia sua captivus in Ninive expertus est, tempore Salmanassar regis Assyriorum; qui anno nono Oseae regis Israël, & anno sexto Ezechiae regis Juda, capta Samaria, transtulit Israël in Assyrios, posuitque eos in Haylam, & in Abor juxta fluvium Gozam in civitatibus Medorum. Transtulit hunc librum divus Hieronymus ex Chaldaeo sermone in Latinum unius diei labore: quem Concilium Carthaginense tertium, cui Augustinus circa annum Domini CCCCX. interfuit, in canone sanctarum scripturarum recepit: quanquam & longe antea usi fuerint ipsius testimoniis ad comprobanda fidei nostrae dogmata sanctissimi Pontifices Clemens primus Romanus, Anacletus, & Alexander (a). Vidimus superioribus annis sub TOBIAE nomine librum, Hebraicis literis & lingua scriptum, ex urbe Constantinopolitana advectum; in quo Tobias ipse, de se ipso in prima persona a principio usque ad finem voluminis loquens, suam ipsius

Hist. Cap. 25. Cyrillus *Cateches. IV.* & Damascenus *Lib. IV. Cap.* 18. S. Innocentius I. *Epistol.* 3. S. Hilarius in *I. Psalmum*, Rufinus in *Symbolo*, & alii. Eadem quoque septem posteriora Capita, quae nostra Vulgata habet, habentur apud Josephum Historicum, & Josippum Gerionis Filium. Videsis C. Bellarminum *Lib. I. de Verbo Dei Cap.* 7. Cornelium à Lapid. *in Cap. X. Esth.* Franciscum Feu-ardentium ibidem, & N. Natalem Alexandrum *T. II. Hist. Vet. Test. Art. V. Prop. I. de Hist. Esth.*

(a) Dum N. Xystus laudat Epistolas Decretales Alexandri I. aliorumque prioris aetatis RR. Pontificum certo certius priscis Theologis, quibus nondum illuxerat Critice, auxiliares manus porrexit, eorumque testimonio fretus genuinis operibus quamplura spuria monumenta adgregavit. Verum praefatas Decretales RR. PP. epistolas, esto nulla haereseos fuligine adspersas (ut comminiscuntur Heterodoxi) universim hodie rejiciunt eruditi Critici, ne dum qui extra Romanam communionem sunt, Blondellus, Cavius, Oudin, Basnagius, Pearsonius, Casaubonus, aliique non ignobiles ejusdem Scholae, verum & insigniores Romanae Communionis, ac de litteraria Republica optime meriti Scriptores, Cardinales Baronius, Bona, Perronius, & N. Gotti. Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, Antonius Augustinus Tarraconensis Episcopus, Jacobus Sirmondus, Dionysius Petavius, Philippus Labbeus, Christianus Lupus, Emmanuel Schelstrate, & ex Nostris Natalis Alexander, Hyacinthus Serry, Johannes Nicolai, Michaël Lequien, Hiacynthus Amat de Graveson, aliique universim eruditi Catholici. Quapropter ad criterium rectum servandum laudati Critici ad spurias amandant quinque decretales Epistolas Clementis I. tres Anacleti, duas Evaristi, tres Alexandri I. duas Xysti I. unicam Heleuterii, quatuor Victoris, duas Zephyrini, duas Callisti I. unicam Urbani I. duas Pontiani, unicam Anteri, tres Cornelii, quarum una inscribitur: *Charissimis, atque dilectissimis Fratribus S. Dei Ecclesiae filiis, & omnibus in Domino recta fide famulantibus*, Altera *Rufo Coëpiscopo*, Tertia Lupicino *Episcopo Viennensi*, unicam Lucii, duas Stephani I. duas Xysti II. duas Dionysii, duas Xysti II. tres Felicis I. unicam Caji, duas Marcellini, duas Marcelli I. tres Eusebii, unam Melchiadis, unam Sylvestri, unam Marci, duas Felicis II. illam Hygini, de qua supra egimus, pluresque alias Damaso tributas, quas plagiarius quidam, ad fidem suis dictis vindicandam, ex pluribus Patrum monumentis septem Damasi epistolas consarcinavit. Constatque insuper supposititias eas esse ex invictis momentis, cum quia in eis adsunt sparsim contexta monumenta Patrum, qui diu post laudatos RR. PP. floruerunt, tum quia in eisdem laudatur Divinum eloquium juxta vulgatam editionem, quae nonnisi VI. Seculo coepit in Ecclesia legi: tum etiam quia styli similitudo in eisdem epistolis semper servati unum eundemque declarat earundem authorem, qui itidem non semel se despicabilem reddit ex anachronismi vitio in eisdem epistolis deprehenso. Quum autem hoc sit eruditorum judicium de praefatis Epistolis; longe tamen diversum est de Epistolis S. Cornelii Papae, quae extant inter Opera S. Cypriani, S. Julii I. quae referuntur à S. Athanasio *Apologia II.* Liberii, quae à S. Hilario *in fragmentis* recensentur, S. Damasi ad *Illyrici Episcopos*, quas Theodoretus *Lib. II. Histor. Eccles. Cap.* 2. excripsit, & aliis, quae S. Hieronymi operibus sunt insertae: sicut & illis aliorum PP. quas Eusebius in *Historia Ecclesiastica* percenset. Sicut etiam de Epistola I. S. Clementis I. *ad Corinthios* aliud est Criticorum judicium, Videsis praecipue Cl. Johannem Baptistam Cotelerium *PP. Apostolic.* Tom. I.

Digitized by Google

ſius narrabat hiſtoriam, eratque ejus initium hujuſmodi: ויה ספר טובי בן טוביאל בן חנאל בן אריאל בן גבאל בן עשאל, id eſt, *Hic eſt liber Tobi, filii Tobiel, filii Hananel, filii Ariel, filii Gabeel, filii Haſaël, &c.* quem cum perlegiſſemus, invenimus multa in eo redundare, quae in noſtro canonico Tobiae libro non ſunt, & longe plura in eo deeſſe, quae apud nos habentur. Videtur hebraeus hic liber aliquam habere ſimilitudinem cum graeco Tobiae volumine; in quo Tobias, de ſe ipſo recta narratione loquens, per multa capita inducitur, & exordium hiſtoſtiae eadem habet verba in hunc modum conſcripta: Βίβλος λόγων Τωβὶτ τοῦ Τωβιὴλ, τοῦ Ἀνανιὴλ, τοῦ Ἀδιὴλ, τοῦ Γαβαὴλ, τοῦ Ἀσαὴλ: id eſt, *Liber ſermonum Tobi, filii Tobielis, &c.* ut ſupra. Vixit Tobias juxta vulgatam Latinorum editionem annis CII. ſecundum vero Graecorum translationem annis CLVIII. mortuus ac ſepultus honorifice in Ninive circa annum ab orbe condito ter milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum: in cujus volumine ea, quae de morte & ſepultura ejus leguntur, a Tobia filio Tobiae ſuperaddita creduntur, & in exemplari hebraeo non habentur. Dividunt Graeci praeſentem librum in capita nongenta tria, Latini in quatuordecim.

JUDITH.

JEHUDITH יהודית, librum Philo Judaeus in volumine Chronographiae ſuae ſcriptum aſſerit a Joachim, ſacerdote magno, Jesu ſacerdotis magni filio; qui in eo deſcripſit Jehudith Bethuliānae ex tribu Ruben, rarae & incomparabilis foeminae, victoriam, & obſeſſae patriae liberationem; quae per ipſam facta eſt anno tertiodecimo Artaxerxis priſci; qui Aſſuerus, & Nabuchodonoſor in ſcriptura divina cognominatur; quique cum collega ſuo Cyro primus Medis, Perſis, & Aſſyriis imperavit, ut in primo Eſdrae libro, & in Danielis volumine legitur. Hunc librum Hieronymus ex Chaldaeo Latinum fecit; quem antea graece ab incerto interprete editum ſacroſancta Nicaena Synodus in canone ſanctarum ſcripturarum aſciverat circa annum Domini CCCXXIIII. Vixit Judith, Philone teſte, annos centum viginti quinque: ex quibus centum & quinque annis poſt liberatam a ſe patriam in ſancta viduitate perſeveravit, decedens ex humanis circa annum ab orbe condito ter milleſimum quingenteſimum & ſexageſimum: cui Joachim ſacerdos, ejus hiſtoriae ſcriptor, paulo poſt ſupervixiſſe creditur. Initium hujus libri, quod apud nos eſt, *Arphaxat quoque rex Medorum ſubjugaverat multas gentes imperio ſuo*: in vulgatis Graecorum codicibus incipit in haec verba: Ἔτους δωδεκάτου τῆς βασιλείας Ναβυχοδονόσορ, ὃς ἐβασίλευσεν ἐν Νινευῒ τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ, ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀρφαξὰδ, ὃς ἐβασίλευσεν Μήδων ἐν Ἐκβατάνοις: hoc eſt, *Anno duodecimo regni Nabuchodonoſor, qui in Aſſyria regnavit in Ninive civitate magna in diebus Arphaxad, qui regnavit in Ecbatanis, &c.* Multa quoque in eiſdem Graecis exemplaribus ſparſim habentur; quae noſtra vulgata editio non agnoſcit: Graeci librum hunc ſecant in capita ſexaginta, Latini in ſexdecim.

BARUCH.

BARUCH ברוך, id eſt, Benedictus, propheta, Neeriae filius, Maaſiae nepos, Sedechiae pronepos, Sedei abnepos, Jeremiae prophetae diſcipulus, & ſcriba, cum poſt everſam urbem ex AEgypto, quo cum Jeremia fuerat abductus, veniſſet in Babylonem, ſcripſit Hebraico ſermone librum propheticum; in quo calamitatem Chaldaicae captivitatis, & ejuſdem calamitatis cauſas, incredulitatem ſcilicet, & ingratitudinem populi Judaici deflevit, intermiſtis vaticiniis de felici Judaeorum in patriam reditu, de pollicitatione Teſtamenti Novi, & de adventu filii Dei in carnem: quem librum cum ipſe, audiente ac flente univerſo populo, qui erat in Babylone captivus, coram rege Jeconia, & optimatibus ejus legiſſet, placuit omnibus, ut liber una cum pecuniis in Hieruſalem, ſive potius in ruinis jam incenſae Hieruſalem mitteretur ad Joachim, filium Helchiae, & ad caeteros ſacerdotes, qui de reliquiis captivitatis in urbe ſupererant, ut pro ſalute populi captivi, & pro incolumitate Nabuchodonoſor

Digitized by Google

regis Deum assiduis orationibus deprecarentur. Liber editus, lectus, & missus fuit in Hierusalem anno quinto Hierosolymitanae devastationis, & Babylonicae captivitatis mense primo, septima die mensis: quem concilium Florentinum, & concilium Tridentinum in catalogo canonico enumerant. Cyrillus item Hierosolymorum episcopus, ante mille ac ducentos annos eundem inter scripta divina irrefragabilis auctoritatis recenset, oratione ex iis, quae inter ejus catecheses habetur, quarta. Hilarius lib. quarto de Trinit. citat hujus libri testimonia sub nomine Hieremiae, quod & alii veterum facere solent, id scilicet, quod discipuli est, magistro tribuentes.

JEREMIAE EPISTOLA II.

LIBELLUM, sive admonitionem, sive epistolam secundam Jeremiae prophetae, quae Baruch volumini in vulgata editione annectitur, Jeremias, excipiente Baruch ipsius scriba, dictavit, & post urbis eversionem tradidit illum populo, mox in captivitatem a Chaldaeis abducendo; ut hoc scripto admoneret eum, ne ingressus Babylonem, cum deos aureos ejus regionis videret, cultum Dei sui desereret, & idola Chaldaeorum adoraret. Meminit scripturae hujus auctor secundi libri Maccabaeorum capite 2. his verbis: INVENITUR in descriptionibus Jeremiae prophetae, quod jussit eos, qui transmigrabant, ignem accipere: & dedit illis legem, ne obliviscerentur praecepta Domini, & ne errarent mentibus, videntes simulacra aurea & argentea, & alia ornamenta eorum. Numeratur & hic inter caetera Testamentaria scripta.

2. Mac. 2.

SAPIENTIA SALOMONIS.

LIBRI Sapientiae auctorem fuisse Salomonem constat ex his, quae ipsemet auctor nono hujus voluminis capite de se ipso scripsit, inquiens; TU AUTEM DOMINE elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum, & filiarum tuarum: & dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, & in civitate altare, similitudinem tabernaculi tui, quod praeparasti ab initio. Apparet quoque hujus libri sententias, quanquam a Salomone conditas, tamen a graeco scriptore fuisse collectas, & in hoc volumine graece conscriptas. Augustinus existimavit aliquando scriptorem hujus libri fuisse Jesum, filium Syrach: quod postea diligentius inquirens, in secundo Retractationum volumine retractavit. Sunt qui putent opus esse Philonis Judaei junioris, viri graeca eloquentia celeberrimi; qui pro gente sua ad Cajum imperatorem legatione functus est: alii arbitrantur id ipsum alterius esse Philonis Judaei senioris; qui annis fere centum & septuaginta ante Servatoris nostri adventum floruit, Oniae sacerdotis magni temporibus. Quorum sententiis non solum praedicta hujus voluminis verba repugnare videntur, sed & ipse Josephus apertissime reclamat, dum in primo adversus Apionem libro seniorem Philonem non inter Judaeos, sed inter ethnicos historicos, & eos praesertim, qui nunquam sacros legerunt libros, recenset. Caeterum de hac re fusius in octavo hujus operis libro, Deo approbante, a nobis dicetur. Synodus tertia Carthaginensis, Concilium magnum Lateranense, & Gelasius Papa in ordine canonicorum voluminum coaptarunt.

ECCLESIASTICUS.

SAPIENTIA Syrach ideo Ecclesiasticus inscribitur, quia, ut ait Augustinus, in auctoritatem Ecclesiae recipi meruerit, & inter propheticos libros numerari; a Graecis vero Παναρέτος, ab omni, quae in eo continetur, virtute appellatus est. Hunc Jesus, filius Syrach, Hierosolymitanus, Hebraica lingua scripsit: & Hieronymus eum se Hebraice scriptum reperisse testatur in praefatione Proverbiorum ad Chromatium: sed nepos ejus, vocatus & ipse Jesus, &, ut Damascenus in quarto Fidei orthodoxae tradit, patrem habens Syrach, volumen ex hebraeo in Graecum vertit. Isidorus in sexto Etymologiarum censet libri hujus interpretem, qui se in praefatione nepotem Jesu, sacerdotis magni, viventis Aggaei, & Zachariae temporibus: quod quidem plerisque absurdum videtur, quia inter hunc & illum interceserint anni trecenti: claruit enim praesentis operis inter-

Digitized by Google

terprés, nepos Jesu, regnante Ptolemaeo Evergete rege AEgypti, anno ab orbe condito ter milleſimo ſeptingenteſimo. Concilium Carthaginenſe tertium capite 43. praeſens volumen inter canonica ſcripta recepit, ſub nomine tamen ac titulo SALOMONIS, ita fortaſſe illud inſcribens, vel quia, ut Auguſtinus libro De civitate Dei annotavit, illorum temporum conſuetudo obtinuit, ut Salomonis appellatione vocaretur; vel quòd ipſum volumen, aut ex Salomonis ſententiis collectum eſſet, aut ſaltem Salomone videretur non indignum. Hujus concilii decreto ſubſcribentes beatiſſimi Pontifices, Innocentius, & Gelaſius, eundem librum canonicis inſeruerunt ſcripturis.

DANIELIS SUPPLEMENTUM.

DANIELIS libri ſupplementum, quod in Hebraeo non habetur, ſed ex Graeca Theodotionis editione ab Hieronymo tranſcriptum eſt, quatuor continet, nempe orationem Azariae, Hymnum trium puerorum (quae apud nos in tertio Danielis capite leguntur) Suſannae hiſtoriam (quam Graeci in principio libri Danielis ponunt) & Belis narrationem, tam in noſtris, quam in Graecis codicibus, in fine voluminis poſitam. De his olim apud ſummos Eccleſiae proceres ingens fuit altercatio. Athanaſius in Synopſi docet totam hanc appendicem ab ipſomet Propheta Daniele conſcriptam, & inter Canonicas ſcripturas receptam. Origenes tractatu 31. in Matthaeum teſtatur eandem antiquitus in Eccleſia cum ſumma veneratione retentam. Euſebius, & Apollinarius junior arbitrantur id ipſum ad prophetiam & geſta Danielis Prophetae de tribu Juda, quae in ſacro Canone habentur, nihil prorſus pertinere, ſed partem eſſe cujuſdam hiſtoriae, ſeu prophetiae, quam de alio quodam Daniele ſacerdote, filio Abdae, ſcripſit Abakuk, filius Juda de tribu Levi, diverſus ab eo, qui inter duodecim Prophetas annumeratur. Quam rem confirmant ex titulo & initio hiſtoriae Belis, quod apud LXX. interpretes ponitur ad eum, qui ſequitur, modum: Προφητεία τῦ Ἀββακοὺμ, υἱοῦ τῦ Ἰωδᾶ, ἐκ φυλῆς Λευὶ: id eſt, *Prophetia Abakum, filii Juda, de tribu Levi*. Poſt quem titulum libri exordium ſic incipit: ἀνθρωπός τις ἦν ἱερεὺς ὀνόματι Δανιὴλ, υἱὸς τῦ Ἀβδᾶ, συμπότης τῦ βασιλέως τῆς Βαβυλῶνος: hoc eſt, *Homo quidam fuit ſacerdos, nomine Daniel, conviva regis Babylonis*. Julius Africanus hanc partem conjicit eſſe Graeci ſcriptoris commentum, propter verba, quae in Suſannae hiſtoria continentur, reſpondente Daniele ad presbyteros, ἀπὸ τῦ σχίνου σχίσαι, ἀπὸ τῦ πρίνου πρίσαι: quae etymologiae ita Graeco ſermoni cohaerent, ut Hebraeo eloquio accomodari non poſſint. Caeterum de hujuſmodi controverſia in quinto & octavo hujus Operis libro ſatis ſuperque diſſeruimus. Eccleſia catholica ab Apoſtolorum temporibus uſque adhuc hymnum trium puerorum quotidie inter divinas laudes decantans, & orationem Azariae una cum hiſtoria Suſannae, & Belis, atque Abakuk diſcophori ſingulis annis in Sacris quadragenarii jejunii myſteriis repetens, huic appendici Canonicam auctoritatem promeruit. Confictà quoque ſunt nonnulla, ſub DANIELIS titulo ſcripta, ſequenti volumine recenſenda.

Lib. 5. annotatione 243. & lib. 8. haereſi 6.

MACCABAEORUM LIBER I. ET II.

HISTORIA Maccabaeorum, quos Judaei חשמונאי Chaſmonai, hoc eſt, Aſamoneo genitos vocant, duobus voluminibus comprehenſa, a tribus diverſis auctoribus videtur conſcripta. Primum ejus librum eſſe Hebraei auctoris, & Hebraice ſcriptum, phraſis ipſa indicat: & Hieronymus in Praefatione Regum eum ſe Hebraica lingua ſcriptum legiſſe confirmat. Secundum librum, qui, dempto primo ejus capite, ac dimidio ſecundi, ſic incipit. *De Juda Maccabaeo, & fratribus ejus, &c.* uſque in finem totius Operis, Graecus ſcriptor ex quinque libris Jaſonis Cyrenaei in epitomen contraxit: quod ipſemet in Praefatione fatetur, inquiens: AB Jaſone Cyrenaeo quinque comprehenſos libros tentavimus uno volumine breviare. Hunc abbreviatorem Hieronymus in ſecundo adverſus Pelagianos volumine Joſephum, Mathathiae filium, fuiſſe exiſtimat. Honorius vero, Auguſtudunenſis presbyter, in libro De Eccleſiaſticis ſcriptoribus Philonem Judaeum arbitratur. Tertiam hujus hiſtoriae partem, quae ab initio ſecundi libri, uſque

Digitized by Google

uſque ad dimidium ſecundi capituli, duabus epiniciis epiſtolis coarctatur, Senatus Hieroſolymitanus conſcripſit; una harum epiſtolarum ad Judaeos AEgypti incolas miſſa, altera ad Ariſtobulum AEgyptii Regis praeceptorem: quae, quoniam victorias perſtringerent duobus Maccabaeorum libris deſcriptas, merito a Patribus poſt finem prioris, & ante initium poſterioris voluminis collocatae ſunt, tanquam ad utrunque ex aequo ſpectantes. Hos libros tam primum, quam ſecundum annis abhinc mille ducentis fuiſſe ab Eccleſia Dei in ſacrum Canonem receptos, aſſerit Auguſtinus in 18. de Civitate Dei. MACCABAEORUM, ait, libros non Judaei, ſed Eccleſia pro Canonicis accipit, propter quorundam Martyrum paſſiones vehementes atque mirabiles; qui ante, quam Chriſtus veniſſet in carnem, uſque ad mortem pro lege Dei certaverunt, & mala graviſſima atque horribilia pertulerunt. Haec ille. Joſephus tamen in calce libri, quem de Maccabaeis inſcripſit, conſtantiſſime affirmat Eleazari ſenis, & ſeptem cum matre filiorum martyria, ſecundo hujus hiſtoriae volumine comprehenſa, etiam apud Hebraeos inter ſacras literas haberi. Continet autem primus Maccabaeorum liber bella, quae adverſus impias gentes pro populo Dei quatuor fortiſſimi duces Hebraeorum, nempe Mathathias ſacerdos, Aſamonei ſacerdotis pronepos, & ſubinde tres filii ejus, Judas, Jonathas, & Simon, alter poſt alterum per duos & quadraginta continuos annos geſſerunt, ab anno videlicet orbis conditi, ter milleſimo ſeptingenteſimo & octogeſimo octavo; qui eſt annus CLXXIIII. ante Chriſtum, & CXXXVII. regni Graecorum in principio hujus libri annotatus, uſque ad annum ab orbe condito, ter milleſimum octingenteſimum atque trigeſimum; qui eſt annus ante Chriſti ortum, centeſimus trigeſimus ſecundus, & centeſimus ſeptuageſimus octavus regni Graecorum: in quo fraude Ptolomaei occiſus eſt Simon, in cujus morte omnis Canonica Maccabaeorum hiſtoria concluditur: nam ea, quae in poſteriore libro narratur, hiſtoria fere nihil aliud eſt, quam latior atque fuſior repetitio rerum a Juda Maccabaeo, ſub duobus Antiochis, patre & filio, uſque ad annum primum Demetrii regis, & caedem Nicanoris geſtarum, quae in prioribus ſeptem capitibus primi Maccabaeorum narrantur. Caeterum, quia haec duo volumina ab illuſtri Maccabaeorum cognomine titulum accepere; libet hic breviter ſubnectere, quae de origine hujus cognominis ipſe legi in commentariis Rabbi Iſaac benſchola, id ita ſe habet: JUDAS, Mathathiae filius, cum adverſus Antiochum, Judaeorum hoſtem, eſſet praelium initurus, dedit militibus ſuis, ceu belli teſſeram, ſententiam illam Moſis Exodi cap. 15. מי כמוך באלים יהוה, Mi chemocha baelim Jehova, hoc eſt, Quis ſicut tu in fortibus Domine? juſſitque eam ſingulis ordinum vexillis, tanquam certae victoriae omen, inſcribi per quatuor has literas, מ*כ*ב*י* hoc eſt, M, C, B, I, quae initiales ſunt praedictarum quatuor dictionum, & earum ſenſum ex מ כ ב י integro ſignificant. Sed cum vulgus militum quatuor has literas brevitatis gratia pronunciare coepiſſet, non juxta integram, quam referunt, ſententiam, ſed ſecundum unicam duntaxat dictionem, quae primum ex earum combinatione reſultat, videlicet MACCABAEI: paulatim militaris conſuetudo obtinuit, ut hujus teſſerae auctor Judas, & eorum poſteri, MACCABAEI cognomine appellarentur.

Maccabaei unde nomen acceperint.

SUMMA itaque omnium librorum veteris Teſtamenti complectitur numerum annorum trium millium octingentorum triginta, hoc eſt.

AB initio Geneſeos uſque ad mortem Moſis, in fine Pentateuchi deſcriptam, annos bis mille quadringentos nonaginta duos.

INDE uſque ad primi templi conſtructionem, quae habetur in tertio Regum capite ſexto, annos quadringentos quadraginta.

HINC ad ſecundi templi inſtaurationem, quae in Eſdrae volumine legitur, annos 125.

INDE uſque ad Chriſtum, juxta hebdomadarum Danielis ſupputationem, ſunt anni quadringenti nonaginta, hoc eſt, a ſecundi templi inſtauratione, uſque ad mortem Simonis, quae Canonicis priſci Teſtamenti ſcriptis finem imponit, anni trecenti quinquaginta octo; a morte vero Simonis ad Chriſtum, anni centum triginta duo.

SUNT itaque ab orbe condito uſque ad Chriſtum anni ter mille nongenti ſexaginta duo.

DE

Digitized by Google

DE SECUNDO ORDINE SCRIPTURARUM NOVI TESTAMENTI.

HACTENUS de ſecundo ordine Scripturarum veteris Teſtamenti, quas Judaei rejiciunt; ſequitur nunc Secundus ordo Scripturarum novi Teſtamenti, de quibus aliquando inter orthodoxos Chriſtianos controverſia fuit: harum catalogus hic eſt.

1 Marci caput ultimum.
2 Lucae hiſtoria de ſudore Chriſti ſanguineo, & angelica ad ipſum conſolatione; quae vigeſimo ſecundo ejuſdem Evangelii capite continetur.
3 Joannis hiſtoria de muliere in adulterio deprehenſa; quae octavo ejuſdem Evangelii capite legitur.
4 Pauli epiſtola ad Hebraeos.
5 Jacobi epiſtola.
6 Petri epiſtola ſecunda.
7 Joannis epiſtola ſecunda.
8 Joannis epiſtola tertia.
9 Judae epiſtola.
10 Apocalypſis, id eſt, Revelatio Joannis.

MARCI FINIS.

MARCI finis, hoc eſt, poſtremum ejus Evangelii capitulum, ab eo videlicet loco, SURGENS AUTEM JESUS MANE PRIMA SABBATI, uſque ad ultimum, in quo apparitio Chriſti ad Magdalenam, & ejuſdem in coelum aſcenſio narratur, ſicut ex monumentis veterum apparet, non ſtatim ab exordio naſcentis Eccleſiae fuit inter Canonicas ſcripturas receptus. Hieronymus quaeſtione tertia ad Hedibiam diſſolvens contradictionem, quae eſſe videtur inter Matthaeum, dicentem, Chriſtum veſpere ſabbati ſurrexiſſe, & Marcum dicentem, Jesum una ſabbati mane ſurrexiſſe, ſic ſcribit: HUJUS quaeſtionis duplex eſt ſolutio: aut enim non recipimus Marci teſtimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Graeciae libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, praeſertim cum diverſa atque contraria Evangeliſtis caeteris narrare videatur: aut hoc reſpondendum, quod uterque verum dicit: Matthaeus; quando Dominus ſurrexerit, veſpere ſabbati oſtendens; Marcus vero; quando eum viderit Magdalena. Haec Hieronymus: cui ſubſcribens Euthymius in explanatione ejuſdem capitis, ſtatim poſt illa verba Marci, NEMINI QUICQUAM DIXERUNT; TIMEBANT ENIM, &c. ſic loquitur: QUIDAM interpretum aſſerunt hoc in loco completum eſſe Marci Evangelium: quae vero ſequuntur, recentiorem eſſe additionem: oportet tamen hanc explanare, cum veritati nihil repugnet. Arbitror fuiſſe aliquando hoc ultimum capitulum nonnullis Patribus ſuſpectum propter quaſdam apocryphas periodos temere ab incerto auctore inſertas; ex quibus Hieronymus in ſecundo adverſus Pelagianos dialogo verba quaedam citat in hunc modum. IN QUIBUSDAM, inquit, exemplaribus, & maxime in Graecis codicibus juxta Marcum in fine ejus Evangelii ſcribitur: POSTEA, *cum accubuiſſent undecim, apparuit eis JESUS, & exprobravit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia his, qui viderant eum reſurgentem, non crediderant: & illi ſatis faciebant, dicentes, SAECULUM iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt, quae non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*, &c. Quod quidem additamentum, quia Manichaeorum dogma redoleat, ab omnibus tam Graecis, quam Latinis exemplaribus merito reſectum ac rejectum eſt. Auguſtinus libro tertio de conſenſu Evageliſtarum praeſens capitulum ab initio uſque ad finem eadem veneratione ſuſcipit,

Digitized by Google

ſcipit, qua & totum Marci Evangelium, & ſub nomine Marci Evangeliſtae id ipſum cum caeteris Evangeliſtarum dictis concordat. Beda ſub finem libri quarti commentariorum in Marcum hoc extremum capitulum ex auctoritate totius Eccleſiae, ut proprium & germanum Marci Evangeliſtae recognoſcens, & exponens, haec ait: NOTANDUM eſt, quod Evangelium ſuum Marcus quanto tardius caeteris inchoavit, tanto in longiora ſcribendo tempora porrexit: nam neque de nativitate ipſius Domini, aut praecurſoris ejus, neque de infantia, vel pueritia ſcribens, ab initio Evangelicae praedicationis, quod per Joannem factum eſt, coepit, & ad illud uſque tempus narrando pervenit, quo Apoſtoli idem Evangelii verbum totum praedicando diſſeminavere per orbem. His patribus omnis ante & poſt ipſos Latinorum patrum chorus ſine ulla haeſitatione aſſentitur; & univerſa Chriſtianorum Eccleſia quotannis in feſtis Dominicae aſſumptionis tam aperta voce pronunciat, & decantat illud eſſe Marci Evangeliſtae, ut de ejus tam auctore, quam auctoritate nemo, niſi impius, poſſit dubitare.

HISTORIA DE SUDORE CHRISTI SANGUINEO, ET DE ANGELI AD IPSUM CONSOLATIONE, EX LUCAE EVANGELIO, CAP. XXII.

HISTORIA De ſudore Chriſti ſanguineo, & de Angelica ad ipſum conſolatione, quam Lucas Evangelii ſui cap. 22. deſcribit, idcirco in ſecundo canonicarum ſcripturarum ordine collocatur, quod de ea nonnulli ex veteribus aliquando addubitaverint, & quod multi pervetuſti Catholicorum codices ipſam non habuerint, quemadmodum Hilarius decimo De Trinitate teſtatur his verbis: NEC ſane ignorandum nobis eſt, & in Graecis, & in Latinis codicibus complurimis vel de adveniente Angelo, vel de ſudore Chriſti ſanguineo nihil ſcriptum reperiri: ambigentibus igitur, utrum haec in libris variis aut deſint, aut ſuperflua ſint, incertum hoc nobis relinquitur de diverſitate librorum. Hoc & Hieronymus in ſecundo adverſus Pelagianos dialogo indicare videtur, ſic inquiens: IN quibuſdam codicibus tam Graecis, quam Latinis invenitur, ſcribente Luca, Apparuit ei Angelus de coelo confortans eum: haud dubium, quin Dominum Salvatorem: qua quidem locutionis forma innuit divus Hieronymus non omnes codices ea verba habuiſſe. Suſpicor vero hanc hiſtoriam olim a quibuſdam orthodoxis pio quidem, ſed ſimplici zelo rejectam, quod favere videretur Arrianis haereticis; qui ex hoc, & huic ſimilibus Teſtimoniis aſtruebant filium Dei in eadem impaſſibilis Dei natura cum patre non eſſe: nam & aliud Teſtimonium de fletu Chriſti huic ſimile, fuiſſe a Catholicis nonnullis hac de cauſa ex Lucae Evangelio ſublatum, Epiphanius in libro Anchorato plane oſtendit, haec ſcribens: FLEVIT etiam Chriſtus, velut in Evangelio ſecundum Lucam habetur in exemplaribus incorruptis: & utitur eo teſtimonio Sanctus Irenaeus in opere contra haereſes adverſus eos, qui Chriſtum in apparentia apparuiſſe dicunt: verum orthodoxi quidam ſuſtulerunt verbum, timentes, & non intelligentes ipſius finem, ac vim, & robur: conſtitutus enim Chriſtus in anxietate ſudavit; & fuit ſudor ipſius velut guttae ſanguinis: & conſpectus eſt Angelus confortans ipſum. Haec Epiphanius. Conſtat hanc hiſtoriam, quam Dionyſius Areopagita in libro de coeleſti hierarchia citat, & approbat, communi totius Eccleſiae conſenſu in canonem ſacrorum voluminum receptam, & Eccleſiaſtica ſanctione ſub anathematis poena cautum, ne quis ejus auctoritatem contemnere audeat: unde & inter alios Eccleſiaſticos anathematiſmos, qui ab Athanaſio in ſexto De beatitudine filii Dei volumine enumerantur, hic quoque recenſetur: SI QUIS NEGAVERIT VERUM HOMINEM, QUEM FILIUS DEI ASSUMPSIT, SANGUINEM SUDASSE, ANATHEMA ILLI. (a)

PARS

(a) Seu liber VI. *ad Theophilum*, qui inſcribitur *de Beatitudine Filii Dei*, inter genuina S. Athanaſii opera haud adnumeratur ab eruditis Criticis. Ad firmitatem autem dogmatis adde genuina loca PP. nimirum Epiphanii *in Anchorato*, & Auguſtini *Lib. III. de conſenſu Evangeliſtarum*.

Digitized by Google

PARS PRIOR OCTAVI CAPITIS EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

MULIERIS in adulterio deprehenſae hiſtoriam, quae Joannis octavo capite habetur, Eccleſia multis annis poſt Evangelium Joannis in canone recepit, & partem eſſe Evangelii Joannis declaravit, cum antea in multis Graecorum & Latinorum exemplaribus non extaret; ſicut Hieronymus in ſecundo adverſus Pelagianos volumine ſcribit, & Euthymius in commentariis ejuſdem capitis teſtatum reliquit his verbis: SCIRE autem oportet, quod ea, quae ab hoc loco habentur, uſque ad eum, quo dicitur, ITERUM ERGO LOCUTUS EST ILLIS JESUS, DICENS, EGO SUM LUX MUNDI, in exactioribus exemplaribus aut non inveniuntur, aut obelo confoſſa ſunt, eo quod illegitima videantur, & addita: & hujus argumentum eſt, quod nullus ea ſit interpretatus: nobis tamen animus eſt etiam haec declarare, quod utilitate non careant, ſicut & caput de muliere in adulterio deprehenſa, quod inter haec ponitur. Haec ille. Exiſtimant autem quidam ex vetuſtioribus praeſentem hiſtoriam huc fuiſſe translatam ex Evangelio quodam Apocrypho ſecundum Hebraeos; in quo narrationem talem fuiſſe deſcriptam Euſebius in tertio Eccleſiaſticae hiſtoriae ex Teſtimonio Papiae indicat his verbis: PAPIAS ſimul & hiſtoriam quandam ſubjungit de muliere adultera, quae accuſata eſt a Judaeis apud Dominum: habetur autem haec in Evangelio, quod dicitur SECUNDUM HEBRAEOS, ſcripta parabola. Caeterum ſacroſancta Eccleſia hanc hiſtoriam ſingulis annis tempore quadrageſimalis jejunii in Sacris myſteriis, ſub nomine Joannis Evangeliſtae decantans, parem ei auctoritatem detulit cum caeteris ejuſdem Evangelii capitulis: & divus Ambroſius in ſecunda ad Studium epiſtola hanc ipſam aſſerit celebrem ſemper in Eccleſia fuiſſe, & tanquam Evangelicam Joannis ſcripturam fidelium omnium ore decantatam. 1. Joan. 8. b

EPISTOLA AD HEBRAEOS.

EPISTOLA ad Hebraeos duo potiſſimum efficit: primum adverſus Hebraeos quoſdam nuper converſos, qui legis obſervantiam putabant cum Evangelio miſcendam, oſtendit ex adventu Chriſti ceſſaſſe umbras Moſaicae legis, & in locum veteris Teſtamenti novum longe praeſtantius ſucceſſiſſe: conſolatur deinde eos, qui propter fidem Chriſti perſecutiones, & afflictiones varias perferebant. De hujus epiſtolae, tam auctore, quam auctoritate, fuit olim inter Graecos & Latinos Patres non levis controverſia, aſſerentibus pleriſque Latinorum eam non eſſe Pauli, & propter hoc ipſam inter Canonicas ſcripturas non recipientibus; ſicut ex ſcriptis Hieronymi apparet, qui de auctoritate ejus mentionem faciens in ſextum Eſaiae caput ſic inquit: PAULUS in epiſtola ad Hebraeos, quam Latina conſuetudo non recipit; &c. & in caput Eſaiae octavum, BEATUS Apoſtolus in epiſtola, quae ad Hebraeos ſcribitur, licet eam Latina conſuetudo inter Canonicas ſcripturas non recipiat, &c. De auctore quoque idem Hieronymus in Catalogo virorum illuſtrium ſic ſcribit: EPISTOLA, quae fertur ad Hebraeos, uſque hodie non eſſe Pauli creditur, propter ſtyli ſermoniſque diſtantiam, ſed vel Barnabae, juxta Tertullianum, vel Lucae Evangeliſtae, juxta quoſdam etiam Clementis urbis Romae. Sciendum tamen eſt vetuſtiſſimos, tam Latinae, quam Graecae Eccleſiae proceres hanc epiſtolam, tanquam Pauli ſcripturam, fuiſſe veneratos, quemadmodum Hieronymus in epiſtola ad Dardanum fatetur his verbis: EPISTOLA, quae inſcribitur ad Hebraeos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed omnibus Graeci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli recipitur: licet plerique eam vel Barnabae, vel Clementis arbitrentur: verum nihil intereſt cujus ſit, cum ſit Eccleſiaſtici viri, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur, quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit; nec Graecorum quidem Eccleſiae Apocalypſim Joannis eadem libertate recipiunt: & tamen nos utrunque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctorita-

Digitized by Google

tem sequentes; qui plerunque ejus utuntur Testimoniis, non ut interdum de Apocryphis solent, sed quasi Ecclesiasticis, & Canonicis. Haec Hieronymus de auctore & auctoritate hujus epistolae, de qua nos in septimo hujus Operis libro copiosissime disseremus. Scripsit igitur, sive dictavit hanc epistolam Paulus Hebraico sermone; Lucas autem Evangelista, vel Clemens Romanus Pontifex Graeco eam sermone, non tamen sensibus exornarunt. Hanc sacratissima Nicaena Synodus, tanquam a Paulo Apostolo scriptam, inter sacra volumina recepit; & Concilium Laodicenum, Carthaginense tertium, & Concilium Arausicanum in sacrum Catalogum retulere. Missa est ab urbe Roma ex vinculis per Timotheum: dividiturque apud Latinos in capita tredecim, apud Graecos vero in capita viginti duo.

JACOBI EPISTOLA.

JACOBUS Apostolus, Alphaei filius, cognomento Justus (quem Paulus, ad Galatas scribens, fratrem Domini appellat, & Marcus minorem vocat) primus fuit Hierosolymae episcopus: hunc Epiphanius putat Josephi sponsi Mariae virginis fuisse filium; Hieronymus vero ex Maria sorore matris Domini, & Alphaei uxore, genitum. Hic scripsit ad duodecim Tribus dispersionis tum primum ad Christum conversas epistolam unam, De tentationum varietate, De fide ex operibus justificante, De his, quae tam divites, quam pauperes deceant, De patientiae utilitate, ac, De sacerdotibus super infirmos adducendis: quam epistolam neque statim sub ipsis Apostolorum temporibus Jacobi Apostoli creditam, neque inter Canonica scripta assumptam, Eusebius in secundo historiae Ecclesiasticae volumine, & Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum affirmant; sed longe post annumerata est inter Canonicos libros a sacrosanctis Laodiceno, Carthaginensi, & aliis sequentibus Conciliis. Hanc Latini in capita quinque, Graeci in capita septem distinxere. Moritur Jacobus Apostolus è summo templi Hierosolymitani fastigio praecipitatus, anno septimo Neronis, cum praefuisset Ecclesiae annis triginta: sepultusque est juxta templum, ubi fuerat praecipitatus, anno ab ortu nostri Salvatoris sexagesimo tertio. Hieronymus in caput decimum septimum Esaiae indicat, nonnullos ex vetustis auctoribus hunc Jacobum fratrem Domini de numero duodecim apostolorum, quos primum Christus elegit, exemisse, eumque tertiumdecimum Apostolum, sicut & Paulum quartum decimum appellasse. Extant sub nomine hujus Apostoli diversa scripta, quae proxime sequenti libro referentur.

PETRI EPISTOLA SECUNDA.

SIMON PETRUS, auctor ejus Epistolae, quae in priore canonis ordine posita est, scripsit & aliam ad eos, qui nuper crediderant, Hebraeos epistolam De fide Christi a prophetis per Spiritum Sanctum praenunciata, De seductoribus evitandis, De tempore non negligenter transigendo, de praeparatione ad imminentem judicii diem: cujus epistolae ipsemet Petrus argumentum & ordinem explicans in tertio ejusdem capite sic inquit: HANC ecce vobis charissimi secundam scribo epistolam; in qua extimulo vestram in commonitione sinceram mentem, ut memores sitis eorum, quae praedicta sunt verborum a sanctis prophetis, & praecepti nostri, qui sumus Apostoli Domini, & caetera, quae sequuntur. De hujus epistolae auctore, & auctoritate Origenes, Eusebius, & Hieronymus dubitatum aliquando fuisse tradunt: sacrosancta Laodicena Synodus, & Carthaginense Concilium canonicis voluminibus sub Petri nomine inserendam censuere. Latini eam in tria, Graeci in quatuor capita dissecarunt.

JOANNIS EPISTOLA SECUNDA, ET TERTIA.

JOANNES Apostolus, & Evangelista, praeter primam illam ab omnibus semper Ecclesiis probatam epistolam, scripsit etiam alias duas epistolas, alteram De recta fide servanda, & haereticis vitandis ad Gajum; alteram De hospitalitate

Digitized by Google

talitate ad Electam; quam, ut Hieronymus indicat, quidam ex orthodoxis existimarunt esse alterius cujusdam Joannis presbyteri, cujus sepulchrum in urbe Epheso monstrabatur, eo quod in his presbyterum scribat se ipsum, & ad unam mulierem, & ad unicum Gajum scribat contra consuetudinem epistolarum catholicarum; quae idcirco catholicae, id est universales, sive orbiculares dicuntur, quod non distinctae uni personae, genti, aut civitati, sed universaliter omnibus fidelibus scriptae sint. Utranque tamen praedicta sacratissima Concilia tanquam Joannis in canone acceperunt: ex quibus Graeci priorem dividunt in capita duo, posteriorem in tria.

JUDAE EPISTOLA.

JUDAS Apostolus, qui & Thaddaeus, sive Lebaeus, frater, ut ipse in salutatione epistolae suae testatur, Jacobi minoris, idemque, ut Matthaeus scribit, frater Domini nostri Jesu Christi, ex Alphaeo & Maria Cleophae, sorore Mariae virginis, natus, parvam quandam ad eos, qui jam crediderant, scripsit epistolam De suscepta fide viriliter tuenda, & De fugiendis seductoribus, quibus grande immineret supplicium: quam, quia ejus auctor de libro Enoch apocrypho testimonium assumeret, & de alio quodam obscuro volumine, quod Ascensio Mosis inscribitur, historiam Michaëlis disceptantis cum diabolo de corpore Mosis proferret, plerique veterum, ut Hieronymus, & Eusebius testantur, è canone rejecerunt: sed auctoritatem vetustate, & usu usque ad tempora Hieronymi meruit, & inter sanctas scripturas a praedictis sanctis Synodis computata est. Eam Graeci in capita tria distinguunt, Latini in nullum. Obiit hic Apostolus Berythi, & ibi sepultus est anno Domini LX. postquam multo tempore Edesenis; & universae Mesopotamiae Evangelium praedicavit.

APOCALYPSIS.

APOCALYPSIN, hoc est Revelationem, Joannis Evangelistae, quae de futuris Ecclesiae tribulationibus ab exordio nascentis Ecclesiae usque ad finem saeculi prophetiam continet, quidam ex pervetustis Graecorum patrum tanquam alienam a dictione, & lingua Joannis Evangelistae de canone abjiciendam putarunt, ipsam referentes ad Joannem presbyterum, qui Epheſi non longe a Joannis Evangelistae sepulchro monumentum obtinuit: hanc tamen inter legitima, & germana Joannis Apostoli scripta connumerarunt Dionysius Areopagita, Papias, Justinus, Irenaeus, Dionysius Corinthiorum episcopus, Basilius, Epiphanius, Gregorius Theologus, & cum his universus Latinorum patrum consessus; & praedicta sacratissima Concilia inter canonica volumina recensuerunt. Andreas, Cesareae, Cappadociae Archiepiscopus, librum juxta mysterium quatuor & viginti seniorum, qui in eo describuntur, in quatuor & viginti partes dissecuit; & harum quamlibet ad honorem beatissimae Triadis in 3. capitula discrevit; ut sit summa omnium capitum LXXII. quae apud Latinos capita 22. comprehendit. Eusebius in chronicis annotavit Apocalypsin editam esse anno quartodecimo Domitiani Imperatoris, a quo Joannes Apostolus, in Pathmon insulam relegatus, revelationes hoc libro descriptas vidit, anno ab ortu Christi, nonagesimo septimo. Andreas tamen, & Arethas, Caesarienses episcopi, sequentes Tertulliani, & Epiphanii sententiam, tradunt Apocalypsin scriptam esse ante hoc tempus, annis fere octo ac triginta, sub Nerone (cujus imperii anno secundo, Joannes post martyrium Petri, & Pauli, in Pathmon asportatus est) multasque in hoc volumine visiones, ac vaticinia de futuro Hierosolymorum excidio, & Judaicae nationis sempiterna abjectione contineri.

Digitized by Google

DE SCRIPTIS APOCRYPHIS DIVINAE SCRIPTURAE INSERTIS.

SECTIO TERTIA.

PERSTRINXIMUS duabus praecedentibus Sectionibus omnia, tam primi, quam secundi ordinis Canonica scripta, quae Graeci Διαθηκόγραφα, hoc est, Testamentaria appellant, quaeque omnes Catholici Doctores vera, nativa, ac germana esse profitentur: reliquum est, ut in tertia & ultima hujus libri Sectione percurram scripturas quasdam Apocryphas, id est, obscuri auctoris, & ambiguae auctoritatis; quas, ceu illegitimas, & ab incertis Scriptoribus inter Sacra volumina permistas, multi ex antiquis Patribus reprobarunt: harum catalogus hic est.

1 Libri secundi Paralipomenon Accessio.
2 Esdrae liber tertius.
3 Esdrae liber quartus.
4 Libri Esther Appendix.
5 Libri Job Appendix.
6 Psalterii Auctarium.
7 Libri Ecclesiastici Additamentum.
8 Lamentationum Jeremiae Praefatiuncula.
9 Maccabaeorum liber tertius.
10 Maccabaeorum liber quartus.

LIBRI SECUNDI PARALIPOMENON APPENDIX.

APPENDIX libri secundi Paralipomenon, quam nonnulli ex libris Hozai, vetustissimi scriptoris, descriptam putant, continet orationem Manassae regis Hierosolymitani, cum detineretur in Babylone captivus: quae nec in Hebraicis, nec in Graecis vulgatis exemplaribus habetur: certissime tamen constat hunc regem in vinculis Babylonis orationem ex intimo corde obtulisse Deo, testante hoc divina Scriptura in posteriore volumine annalium his verbis: PRINCIPES regis Assyriorum ceperunt Manassem; & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem: qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & egit poenitentiam valde coram Deo Patrum suorum: deprecatusque est eum, & obsecravit intente: & exaudivit Deus orationem ejus: & paulo post, Oratio autem ejus, & exauditio scriptae sunt in sermonibus Hozai: tametsi Graeca editio loco Hozai habeat, ἐπὶ τῶν λόγων τῶν ὁρώντων, hoc est, In sermonibus videntium. Caeterum, sive hanc, sive aliam orationem protulerit Manasses, nihil certi habetur. Latini Patres eam inter sancta scripta receperunt, &, quemadmodum ex glossa ordinaria apparet, adhibitis annotationibus illustrarunt. Dicitur orationem hanc Graece extare in Bibliis Bibliothecae Victorinae Parisiorum.

2. Par. 33. c

LIBRI ESTHER APPENDIX.

APPENDIX libri Esther, quae septem posteriora capitula, hoc est, ab initio fere decimi capitis usque in finem libri complectitur, variis laciniis, & centonibus texitur; ex quibus in exemplaribus Hebraeorum nihil prorsus extat: in Graecis vero haec habentur, videlicet.

EPISTOLA, SEU EDICTUM ARTAXERXIS DE PERDENDA NATIONE JUDAEORUM: quod nostra editio ex capite Graeci codicis juxta nostram supputationem tertio, in caput tertium decimum transtulit.

ORATIO MARDOCHAEI, PLANCTUS ESTHER, ET EJUSDEM PERTERRITAE INGRESSUS AD REGEM: quae apud nos habentur capite tertiodecimo, decimo quarto, & decimo quinto: in Graecis codicibus habentur sub finem

Digitized by Google

nem quarti capitis, ſtatim poſt illa verba, Καὶ βαδίσας Μαρδοχαῖος ἐποίησεν: id eſt, *Et vadens Mardochaeus fecit omnia, quae praeceperat ei Eſther.*

ITEM EDICTUM ARTAXERXIS PRO LIBERATIONE JUDAEORUM: quod noſtri codices referunt capite decimo ſexto, in Graecis exemplaribus ponitur paulo ante finem octavi capitis, ſtatim poſt illa verba, *Summa autem epiſtolae haec erat.*

ITEM SOMNIUM MARDOCHAEI DE EXIGUO FONTE CRESCENTE IN MAGNUM FLUVIUM: quod apud nos capite decimo continetur, & caetera uſque ad ea verba capitis undecimi, *Anno ſecundo regnante Artaxerxe, &c.* habentur apud Graecos in fine totius voluminis.

SOMNIUM QUOQUE DUORUM DRACONUM: quod ab initio fere undecimi capitis, hoc eſt ab illis verbis, *Anno ſecundo regnante Artaxerxe* uſque in finem capitis duodecimi narratur, ex primo capite Graecae editionis mutuatum eſt.

JOSEPHUS in undecimo libro Hebraicarum Antiquitatum capite ſexto duas praedictas regis Artaxerxis epiſtolas, ſive edicta iiſdem verbis a capite uſque ad calcem ita fideliter recitat, ut incertum nobis ſit, utrum ipſe a vulgata editione Graecorum haec acceperit, vel utrum editionis Graecae auctor eadem ex Joſepho deſcripſerit.

SED VENIT HOC LOCO in mentem ſimul admonere, & adhortari piumac benevolum Lectorem, ne me temeritatis arguat, quod haec ſeptem poſtrema capita, a canonicis ſcriptis avulſa, in hunc ultimum Apocryphorum ordinemredegerim, ac ſi oblitus ſim decreti Sanctae ſynodi Tridentinae, quod ſub anathematis interminatione recipi jubet omnes libros integros, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur: eſt enimcanon ille intelligendus de veris ac germanis partibus, quae ad librorum integritatem ſpectant, non autem de laceris quibuſdam Appendicibus, & pannoſis additamentis, a quovis incognito auctore temere appoſitis, & utcumque inſutis: qualia ſane ſunt hujuſmodi ultima capitula, quae non ſolum Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyrenſis, Dionyſius Carthuſianus, caeterique recentiores interpretes negant eſſe canonica, ſed & D.Hieronymus a toto Eſther volumine reſecat ceu vitiatam partem, & lacinioſis, ut ipſius dictis utar, verborum ſinibus confictam ex his, quae ex tempore dici, & audiri poterant: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſcipulis ſumpto themate excogitare: quibus verbis uti potuit qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit. Origenes quoque in epiſtola ad Julium Africanum haec eadem additamenta explodit.

ESDRAE LIBER III. ET IIII.

LIBER tertius Eſdrae, in quo eadem fere omnia repetuntur, quae in primo, & ſecundo volumine Eſdrae narrata ſunt; apud Hebraeos non habetur, ſed tantum apud Graecos extat in capita, ſive titulos centum & novem diſtinctus. Quartus vero liber, complectens viſiones & nocturna potiſſimum ſomnia ipſius Eſdrae, nec apud Graecos, nec apud Hebraeos eſt. Hieronymus in praefatione ejuſdem operis, utrunque inter Apocrypha tam obſcuri auctoris, quam incertae auctoritatis ſcripta rejicit, &, quae in eis narrantur, ſomnia vocat. Graeci vero tertium librum non ſolum in ſacro canone recipiunt, ſed & ipſum ante duo legitima & indubitata Eſdrae, & Nehemiae volumina ob cauſam, quae ſuperius dicta eſt, & in catalogo divinae ſcripturae collocant: inter quos Athanaſius contra Arrianos librum tertium ſcribens, teſtimonium Zorobabelis, tertio hujus voluminis capite annotatum, tanquam de ſcriptura ſolidae auctoritatis inducit adverſus Arrii ſectatores. Inter Latinos autem Auguſtinus hunc ipſum tertium librum, ut Eſdrae germanum agnoſcens, ita in decimo octavo de civitate Dei ſcribit: PER IDEM tempus liberationis populi ex Babylonica ſervitute ſcripſit etiam Eſdras; qui magis rerum geſtarum ſcriptor habitus, quam propheta, niſi fortein eo prophetaſſe intelligendus eſt, quod inter juvenes quoſdam orta quaeſtione, quid amplius valeret in rebus? cum REGES unus dixiſſet, alter VINUM, tertius

MU-

Digitized by Google

MULIERES, quae plerunque regibus imperarent: idem tamen tertius veritatem ſuper omnia demonſtravit eſſe victricem: conſulto autem Evangelio Chriſtum cognoſcimus eſſe veritatem. Divus Ambroſius etiam quartum librum putat editum ab ipſo Eſdra non ſine divina revelatione, aſſerens Paulum apoſtolum ſecutum eſſe Eſdrae ſententiam in his, quae prope finem prioris epiſtolae ad Corinthios de diverſis ordinibus claritatis & gloriae electorum reſurgentium ſcripſerat: quam quidem ſententiam Ambroſius ipſe, tanquam teſtimonium graviſſimae auctoritatis ad confirmandum dogma de habitaculis ſanctarum animarum poſt corporis ſeparationem, accepit, ſic in libro De bono mortis ſcribens: ANIMARUM autem eſſe habitacula, ſcripturae teſtimoniis valde probatur: ſiquidem & in Eſdrae libris legimus, quia, cum venerit judicii dies, reddet terra corpora defunctorum; & habitacula reddent animas, quae his commendatae ſunt: hae ſunt habitationes, de quibus dicit dominus multas manſiones eſſe apud patrem ſuum: ſed & Eſdrae uſus ſum ſcriptis, ut cognoſcant Gentiles ea, quae in philoſophiae libris mirantur; translata eſſe de noſtris. Et infra addit: QUIS utique prior Eſdras, an Plato? nam Paulus Eſdrae, non Platonis, ſecutus eſt dicta. Eſdras enim revelavit ſecundum collatam in ſe revelationem juſtos cum Chriſto futuros, futuros & cum ſanctis: hinc & Socrates ille feſtinare ſe dicit ad illos Deos: noſtra ſunt utique, quae in philoſophorum literis praeſtant. Non vereamur igitur illum debitum omnibus finem, in quo Eſdras remunerationem ſuae devotionis invenit, dicente ei Domino, TU enim recipieris cum hominibus, & converſaberis reſiduum cum filio meo, & cum ſimilibus tuis. Haec Ambroſius; qui etiam ſecundo in Lucam commentario allegat ex ſeptimo hujus libri capite prophetiam de tempore adventus Chriſti, ac mortis ejus, deque futura mundi converſione ad Chriſtum. Vaticinii autem verba haec ſunt: REVELABITUR filius meus Jeſus, cum iis, qui cum eo jucundabuntur; qui relicti ſunt in annis quadringentis: & erit poſt annos hos, & morietur filius meus Chriſtus, & convertetur ſaeculum. Demum in epiſtola ad Horontianum, quae eſt numero vigeſima prima, ſuadet librum quartum Eſdrae legendum eſſe, quia in ipſo anima coeleſtis eſſe ſubſtantiae demonſtretur, & philoſophorum nugae de ipſius ſubſtantia confutentur. Ex his apparet, quantae apud Ambroſium auctoritatis fuerit hic liber; ex quo ante multos annos divus Cyprianus ſumpſiſſe videtur quod adverſus Demetrianum ſcripſit, nempe mundum ſeneſcere, & ad finem jam imminentem properare, idque ex decremento rerum omnium facile deprehendi, cum elementorum, plantarum, & animalium vires imminutae, ac debilitatae ſint; & minora praeſertim, ac debiliora nunc ſint hominum corpora, quam olim fuerint. Quam quidem ſententiam dubium non eſt Cyprianum hauſiſſe ex quinto hujus libri capite, ubi haec verba leguntur: MUNDUS jam ſenectuti appropinquat: interroga eam, quae parit, Quare quos peperiſti, nunc non ſunt ſimiles his, qui ante te, ſed minores ſtatura? & dicet tibi ipſa, Alii ſunt, qui in virtute juventutis nati ſunt, & alii, qui ſub tempore ſenectutis deficiente matrice ſunt nati. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtatura eſtis prae his, qui ante vos, & qui poſt vos minori, quam vos quaſi jam ſeneſcentes creaturae, & fortitudinem juventutis praetereuntes. Veneratur etiam hunc librum catholica Eccleſia, quae ſingulo quoque anno in tertia feria Penteçoſtes ſacroſancta miſſae myſteria orditur ab ea ſententia, quae in ſecundo capite hujus voluminis legitur: ACCIPITE jucunditatem gloriae veſtrae, gratias agentes Deo, qui vos ad coeleſtia regna vocavit: & in ſolennitatibus martyrum de praemiis eorum, qui fortiter pro Chriſto occubuerunt, ex eodem capite decantat illud, MODO coronantur, & accipiunt palmam. Ex horum itaque teſtium ac teſtimoniorum auctoritate accidiſſe arbitror, ut divinis ſcripturis conjungeretur liber hic, quem poſtea diligentius perſpectum communis fere omnium patrum conſenſus inter Apocryphos habendum cenſuit, idque, ut puto, propter quaedam ſuſpecta dogmata in ipſo tradita, quae regulis orthodoxae fidei aperte contradicere videntur; qualia haec ſunt.

IN CAPITE quarto ait, animas ſanctorum detineri quibuſdam abditis promptuariis in inferno, donec impleatur numerus omnium electorum, veniatque ſupremi judicii dies, in qua omnes ſimul inde educentur: & capite quinto eandem ſen-

Digitized by Google

ſententiam proſecutus, aſſimilat ultimi judicii ac retributionis diem coronae, in qua ſicut neque primum eſt, neque poſtremum, ſed ſimul omnia; ita in retributione aeternae felicitatis priorum animarum velocitas noviſſimarum tarditatem non praeveniet, ſed omnes ſimul, & eodem tempore expectatam beatitudinem conſequentur. Quam ſententiam quamvis divus Ambroſius in libro jam citato viſus ſit approbaſſe; poſteriores tamen Patres in concilio Florentino reprobarunt.

ITEM capite ſexto refert, Deum quinta die inter caetera animantia creaſſe duo maxima animalia, alterum Henoch, alterum Leviathan appellata: quorum immenſas corporum moles cum nec ſeptima quidem terrae pars ſimul aſſociatas capere poſſet, Deus utrunque loco disjunxit; & Henochum collocavit in una ex ſeptem partibus terrae, in qua ſunt montes Mille; Leviathan vero poſuit in altera ex ſeptem partibus terrae, in qua ſunt omnes aquae, quas Deus tertia die juſſit congregari in locum unum: ibique ipſum aſſervat, ut ex eo paret cibum quibus voluerit, & quando voluerit. Quae quidem narratio videtur habere affinitatem cum ea fabula Judaeorum, quam me olim legiſſe recolo in libris Thalmudicis ordine quarto, tractatu tertio: in quo Rabbini ſcribunt, Deum quinta die creaſſe piſces duos magnitudinis pene interminatae, Leviathan appellatos; quorum corporum vaſtitatem cum ipſe ſecum animo perpenderet, veritus, ne omne piſcium genus a tam magnis belvis deglutiretur, & ne ab ipſis mare univerſum navigiis invium redderetur, ſicque humani generis commercia penitus tollerentur, ſi ex iis proles propagaretur, occidit foemellam, & ex ejus ſalitis carnibus ſalſamenta delicatiſſima paravit juſtis, & electis ſuis poſt hanc vitam comedenda; maſculum vero ſibi vivum reſervavit, ut cum eo ſucciſivis diei horis quotidie luderet, juxta illam Pſalmi centeſimi ſecundi ſententiam, DRACO iſte, quem formaſti ad illudendum ei: pro quo Hebraei legunt, לויתן זה יצרת ל שחקבו Levijathan ze jazaretha la ſachekuo: id eſt Levijathan iſte, quem creaſti, ut cum eo luderes.

ITEM capite quarto decimo docens quo tempore mundus finem ſit habiturus, tradit adeſſe ultimam ſaeculi ſenectutem, ac finem mundanae durationis; cujus univerſum tempus diviſum eſt in duodecim partes: ex quibus cum jam praeterierint partes decem, ac undecimae partis dimidium; nihil ſupereſt ultra, niſi quod reſtat poſt dimidium undecimae, hoc eſt reſiduum undecimae partis cum parte duodecima omnium poſtrema. Quae ſi vera ſint, oportuerat mundum jam deſiiſſe annis ab hinc mille quingentis: nam ſi tempus, quod a creatione mundi uſque ad Eſdram interceſſit, juxta divinae ſcripturae ſupputationem continet annos circiter ter mille quadringentos ſeptuaginta, & haec annorum ſumma complectitur decem partes, & dimidiam ex duodecim partibus totius mundanae aetatis: conſequens eſt; ut reſiduum temporis ab Eſdra ad finem ſaeculi quingentorum annorum numerum non excedat; cum tamen ab Eſdra uſque in praeſentem annum M. D. LX. quo haec ſcribimus, fluxerint anni fere bis mille. Praeter haec Hieronymus in declamatione adverſus Vigilantium, objicit ipſi Vigilantio, quod in confirmationem ſuae haereſeos protulerit librum quendam Eſdrae Apocryphum, in quo ſcriptum eſſet, quod poſt mortem nullus pro alio audeat deprecari. Suſpicor librum a Vigilantio citatum eſſe hunc ipſum, quod in eo referatur ſententia quaedam non omnino diſſimilis ab altera ſententia Joannis in ſexto capite Apocalypſeos, ex qua Vigilantius, ut teſtatur Hieronymus, aſtruere nitebatur, quod nullius poſt mortem pro alio exaudienda eſſet oratio, praeſertim aſſerente Joanne, quod animae ſanctorum Martyrum ſub altare Dei conſtitutae, nec pro ſe ipſis quidem impetrare potuerint judicium, & retributionem quam obnixe petebant, clamantes voce magna, USQUE QUO Domine non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum? & dictum eſt illis, ut expectarent, donec impleretur numerus conſervorum ſuorum: cui loco plane perſimilis eſt locus alter ſexti capitis hujus libri, in quo narratur, quemadmodum animae ſanctorum, ſecluſae in promptuariis ſuis, judicii, & retributionis diem a Deo efflagitant, dicentes, USQUE QUO Domine ſperamus ſic? & quando veniet fructus mercedis noſtrae? & reſpondetur eis, ut expectent, donec impleatur numerus electorum in eis, & impleatur menſura temporum totius ſaeculi, ante cujus impletio-

Digitized by Google

pletionem ipsarum corpora non sunt excitanda. Verisimile est Vigilantium hoc testimonium praedictae Joannis auctoritati copulasse, & utrunque ad institutum suum detorsisse. His igitur de causis crediderim a Patribus rejectum hunc librum, quem etiam aliqui existimant esse alterius Esdrae ab illo, qui primi libri est auctor: quoniam hic in principio libri hujus scribat, se descendisse ab Aaron per decem & novem generationes: ille vero in capite septimo libri sui scribat, se progenitum ex Aaron per quindecim tantum generationes.

APPENDIX LIBRI JOB.

LIBER Job in omnibus, tam vetustis, quam recentibus Graecorum exemplaribus in ipso fine statim post ultimam voluminis periodum habet annexam ex editione Septuaginta interpretum genealogiam quandam Job, & amicorum ejus, nonnihil alludentem ad genealogiam filiorum Esau, in libro Geneseos descriptam; quae nec in Hebraeis, nec in Latinis codicibus legitur: cujus verba haec sunt: Γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ' ὧν ὁ κύριος ἀνέστησεν, ὅτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς συριακῆς βίβλου, ὃς μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσιτίδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀραβίας· πρότερον δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάλ· λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀραβίσσαν, γεννᾷ υἱόν, ᾧ ὄνομα Ἔννων· ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρὲ τῶν Ἡσαῦ υἱός, μητρὸς δὲ Βοσόρας· ὡς τε εἶναι αὐτῶν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ· καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύσαντες ἐν Ἐδώμ· ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας· πρῶτος Βαλὰχ ὁ τῦ Βεὼρ· καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτῦ Δενναβά· μετὰ δὲ τὸν Βαλὰχ Ἰωβὰβ ὁ καλούμενος Ἰὼβ· μετὰ δὲ τοῦτον Ἀσὼμ, ὁ ὑπάρχων ἡγεμὼν τῆς Θαιμανίτιδος χώρας, μετὰ δὲ τοῦτον Ἀδὰδ υἱὸς Βαδὰδ, ὁ ἐκκόψας Μαδιὰν ἐν τῷ πεδίῳ Μοάβ· καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτῦ Γεθαΐμ· οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφὰζ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν, Θαιμανῶν βασιλεὺς: Βαλδὰδ ὁ Σαυχαίων τύραννος· Σώφαρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. cujus narrationis sensus, ut verbum verbo reddam, hic est: *Scriptum est autem, eum rursus resurrecturum esse cum his, quos Dominus suscitavit: hic interpretatus est ex Syriaco libro, habitans quidem in regione Ausitide, in finibus Idumaeae, & Arabiae: erat autem ei prius nomen Jobal: accepta igitur uxore Arabissu, genuit filium nomen Ennon: erat autem ipse patris quidem Zare, Esau filiorum filius; matris autem Bosorae: ita est ipse quintus ab Abraham: utque hi reges sunt, qui regnaverunt in Edom: cui etiam regioni ipse praefuit primus Balach, Beor filius; & nomen civitatis ejus Dennaba: post autem Balach, Jobab, qui vocatur Job: post hos autem Ason, qui erat dux Thaemanitis regionis: post hunc Adad, filius Badad qui percussit Madian in regione Moab; & nomen civitatis ejus Gethaim, qui autem ad eum venerunt amici, Eliphaz de filiis Esau Thaemanitarum rex; Baldad Sauchaeorum tyrannus; Sophar Mynaeorum rex.* Quae sane verba, quanquam nec apud Hebraeos, nec apud Latinos extent: omnes tamen Graeci Patres summa veneratione recipiunt, & plerique etiam diligenter exponunt. Leguntur adhuc in catena Graeca explanationum in Job, quam in Bibliotheca mea, manu conscriptam, servo, variae in hanc genealogiam annotationes Origenis, Chrysostomi, Juliani, Severi, Evagrii, & Olympiodori.

ORIGENES in finem commentariorum in Job, quos nuper Bibliotheca regia Gallorum emisit in lucem, post praedictum genealogiae contextum aliam subnectit additionem ex 33. capite Geneseos, iisdem pene verbis desumptam, eamque brevi annotatiuncula exponit. Additionis verba haec sunt: Ἀπέθανε δὲ Ἀδὰδ, καὶ ἐβασίλευσεν αὐτ' αὐτῦ Σαμαδὰ ἐκ Μασσεκᾶς, ἀπέθανε δὲ Σαμαδὰ, καὶ ἐβασίλευσεν αὐτ' αὐτῦ Σαοὺλ ἐκ Ῥοβοὼθ τῆς παρὰ ποταμὸν, ἀπέθανε δὲ Σαοὺλ, καὶ ἐβασίλευσεν αὐτ' αὐτῦ Βαλλαενὼν υἱὸς Ἀχοβώρ· ἀπέθανε δὲ Βαλλαενὼν υἱὸς Ἀχοβὼρ, καὶ ἐβασίλευσεν αὐτ' αὐτῦ Ἀρὰδ υἱὸς Βαραδ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτῦ Φογώρ· ὄνομα δὲ τῇ γυναικὶ αὐτῦ Μετεβεὴλ, θυγάτηρ Ματραὶθ υἱῦ Μαιζοώβ. hoc est, *Mortuus est Adad, & regnavit pro eo Samada ex Massecca, & regnavit pro eo Saul ex Roobooth, quae est ad ad flumen: mortuus est autem Saul, & regnavit pro pro eo Ballaenon filius Achobor: quo defuncto, regnavit pro eo Arad filius Barad: nomenque urbis ejus Phogor, & appellabatur uxor ejus Metebeel, filia Matraith, filii Maezoob.* Deinde sequuntur & haec: Θεμὰν υἱὸς Ἐλιφὰζ ἡγεμόνος Ἰδουμαίας, ὅτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν Αὐσίτιδι, ἐν πέρασι τῇ Εὐφράτῃ· πρότερον δὲ αὐτῷ

Digitized by Google

τῷ ὀνομα Ἰωβ· καὶ ἦν αὐτῷ πατὴρ Ζαρὲ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου. hoc est, *Theman, filius Eliphaz, dux Idumaeae: hic interpretatur ex Syriaco libro, habitans in terra Hussitide, in finibus Euphratis: erat ei prius nomen Job, & erat pater ejus Zaret ab ortu Solis.* Hactenus Additio genealogiae Job, quam Hieronymus, tanquam incertam, & ab Hebraica veritate alienam, rejicit, sic in quaestionibus super Geneſim ſcribens: PRIMOGENITUS Nachor, fratris Abraham, de Melcha uxore ejus filia natus eſt Huz: de cujus ſtirpe Job deſcendit, ſicut ſcriptum eſt in exordio voluminis ejus; VIR fuit in terra Huz, nomine Job. Male igitur quidam exiſtimant Job de genere eſſe Eſau: ſiquidem illud, quod in fine libri ipſius habetur, id eſt, quod de Syro ſermone translatus ſit, & quartus ſit ab Eſau, & reliqua, quae ibi continentur, in Hebraeis voluminibus non habentur. Haec ille.

EXTAT etiam in quibuſdam antiquis Latinorum, & in omnibus Graecorum Bibliis oratiuncula quaedam uxoris Job, a cunctis fere Graecis interpretibus expoſita; quam Origenes in epiſtola ad Julium Africanum negat ad Hebraicae ſcripturae veritatem pertinere: ea capite ſecundo hujus libri continentur in haec verba: χρόνῳ δὲ πολλῷ προβεβηκότος, εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, μέχρι τίνος καρτερήσεις λέγων, ἰδοὺ, ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν, προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου· ἰδοὺ γάρ, ἠφάνισαί σου τὸ μνημόσυνον ἀπὸ τῆς γῆς· υἱοὶ καὶ θυγατέρες, ἐμῆς κοιλίας ὠδῖνες καὶ πόνοι, οὓς εἰς τὸ κενὸν ἐξοπίσω μετὰ μόχθων· σὺ τε αὐτὸς ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων κάθησαι, διανυκτερεύων ἀθέσμως· κἀγὼ πλανῆτις καὶ λάτρις, τόπον ἐκ τόπου περιερχομένη, καὶ οἰκίαν ἐξ οἰκίας, προσδεχομένη τὸν ἥλιον, ποτὲ δύσηται· ἵνα ἀναπαύσωμαι τῶν μόχθων μου, καὶ τῶν ὠδίνων, αἵ με νῦν συνέχουσιν· ἀλλὰ εἰπέ τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα. hoc eſt, *Tempore vero multo praeeunte dixit ei uxor ſua: Uſquequo perſeverabis, dicens, Ecce expecto parvum adhuc tempus, accipiens ſpem ſalutis meae: ecce enim deletum eſt tuum monumentum a terra: filii & filiae, mei uteri dolores & labores, quos in vacuum laborioſe eduxi cum moleſtiis; tuque ipſe in foetore vermium conſides, pernoctans ſub aere: & ego erratrix & cultrix locum ex loco circumiens, & domum ex domo, expectans Solem, quando occidet, ut requieſcam a laboribus meis & doloribus, quae me nunc comprehendunt, ſed dic quoddam verbum ad Dominum, & morere.*

PSALTERII APPENDIX.

EXTAT in Graecis Pſalteriis juxta ſeptuaginta interpretum editionem ſtatim poſt finem Pſalmus extra numerum centum & quinquaginta Pſalmorum Davidi inſcriptus; cujus apud neminem, ſive Graecum, ſive Hebraeum, ſive Latinum, divinae Scripturae explanatorem, mentionem aliquam adhuc invenire potui, niſi apud unum D. Athanaſium, qui in Synopſi divinae Scripturae Pſalmum hunc nominatim inter Canonica ſcripta recenſens, ſic ſcribit: CONTRA GOLIATH PSALMUS CLI. Pſalmus hic peculiariter Davidi, & extra numerum reliquorum inſcriptus eſt, cum ſingulari certamine Goliath ſtraviſſet. Idemque in fine ejuſdem Operis, citato teſtimonio libri Paralipomenon, addit Davidem tria millia Pſalmorum edidiſſe: ex quibus amici Ezechiae regis dumtaxat centum & quinquaginta ſelegerunt, caeteros vero abſcondiderunt: & poſſibile eſt hunc eſſe ex illis unum, quem, quod brevis ſit, libuit hìc tam Graece, quam Latine inſerere una cum ſua inſcriptione.

Οὗτος ὁ Ψαλμὸς ἰδιόγραφος τῷ Δαβὶδ ἐστι, καὶ ἐξῆδεν τῷ ἀριθμῷ τῶν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα Ψαλμῶν, ὅτε ἐμονομάχησε πρὸς τὸν Γολιάδ.

Μικρὸς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου· καὶ νεώτερος ἐν τῷ οἴκῳ πατρός μου, ἐποίμαινον τὰ πρόβατα τοῦ πατρός μου.
Αἱ χεῖρες μου ἐποίησαν ὄργανον· καὶ οἱ δάκτυλοί μου ἥρμοσαν Ψαλτήριον.
Καὶ τίς ἀναγγελεῖ τῷ κυρίῳ μου; αὐτὸς κύριος αὐτὸς εἰσακούει.
Αὐτὸς ἐξαπέστειλε τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἦρέ με ἐκ τῶν προβάτων τοῦ πατρός μου, καὶ ἔχρισέ με ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτοῦ.
Οἱ ἀδελφοί μου καλοὶ, καὶ μεγάλοι, καὶ οὐκ εὐδόκησεν ἐν αὐτοῖς ὁ κύριος.
Ἐξῆλθον εἰς συνάντησιν τῷ ἀλλοφύλῳ, καὶ ἐπικατηράσατό με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτοῦ.
Ἐγὼ δὲ σπασάμενος τὴν παρ' αὐτοῦ μάχαιραν, ἀπεκεφάλισα αὐτὸν, καὶ ἦρα ὀνειδος ἐξ υἱῶν Ἰσραήλ.

Digitized by Google

TRANSLATIO.

Pſalmus hic ab ipſo Davide conſcriptus eſt, extra numerum centum & quinquaginta, quum ſingulari certamine cum Goliath congreſſus eſſet.

PARVUS eram inter fratres meos, & adoleſcentior in domo patris mei, paſcens oves patris mei.
MANUS meae conſtruxerunt organum, & digiti mei concinnaverunt Pſalterium.
ET QUIS annunciabit Domino meo? ipſe Dominus, ipſe exaudit.
IPSE emiſit angelum ſuum, & aſſumpſit me ex ovibus patris mei; & unxit me oleo unctionis ſuae.
FRATRES mei pulchri, & magni; & Dominus in eis non ſibi bene complacuit.
EXIVI in occurſum alienigenae illi; & ipſe me execratus eſt in idolis ſuis.
EGO autem extorquens ab eo gladium ipſius, decollavi eum; & abſtuli opprobrium ex filiis Israël.

EUTHYMIUS Pſalmum hunc in Praefatione commentariorum in Pſalmos obiter attigit.

SAPIENTIAE SYRACH APPENDIX.

INVENITUR in omnibus fere Latinis codicibus poſt finem Sapientiae Syrach, ſive Eccleſiaſtici, oratio quaedam Salomonis, quae nihil aliud eſt, quam fragmentum, ſeu prior pars ejus orationis, quam Salomon in dedicatione templi edidit, ex octavo capitulo tertii libri Regum ad verbum deſcripta: quae licet certum & irrefragabilis fidei habeat auctorem, & apocrypha non ſit; tamen, quoniam inde veluti membrum de proprio corpore ab incerto auctore truncatim reciſa ſit, & praeter fidem Hebraeorum & Graecorum exemplarium hunc in locum ſuperflue temereque adjecta, libuit eam inter apocrypha additamenta rejicere. Veriſimile eſt hujus fragmenti adjectorem, quiſquis ille fuerit, tot lineas ex praedicta oratione Salomonis huic volumini addidiſſe, quot ſatis eſſent ad explendum ſpacium, quod in poſtrema, ut plerunque accidit, libri pagina vacuum remanſerat: quae poſtea ex imprudentia eorum, qui ſine ullo diſcrimine omnia, quaecunque illa ſint, deſcribunt, in caeteros Latinos codices diffuſae ſunt.

LAMENTATIONUM JEREMIAE PRAEFATIUNCULA.

PRAEFATIUNCULA Threnorum, quam Latini codices in principio Lamentationum Jeremiae praeferunt, non eſt apud Hebraeos; qui librum hunc, quadruplici alphabeto conſcriptum, ordiuntur a dictione אכה Eca, id eſt, Quomodo, incipiente ab א Aleph, prima litera Hebraici Alphabeti; & ab hac dictione librum appellant אכה Eca: caetera vero, quae ante hanc vocem leguntur, verba, ut a multis creditur, LXX. interpretes addiderunt, volentes connectere Lamentationem devaſtatae urbis, cum narratione devaſtationis ejuſdem urbis, quae in calce libri Jeremiae deſcribitur. Sunt autem haec verba Praefationis hujus apud LXX. interpretes: *Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ, καὶ Ἰερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἰερουσαλὴμ, καὶ εἶπεν.* hoc eſt: *Et factum eſt, poſtquam in captivitatem redactus eſt Israël, & Hieruſalem deſerta eſt, ſedit Jeremias flens, & planxit Lamentationem hanc ſuper Hieruſalem, & dixit.* Hebraei hoc argumentum non recipiunt, quod non ipſis videatur veriſimile Jeremiam ſcripſiſſe, vel vidiſſe in Spiritu hos Threnos, poſt deſtructionem Hieruſalem, ſed ante deſtructionem: Prophetia enim eſt: unde etiam tradunt, quod rex Joachim ante urbis excidium hos Threnos legerit; &, lectis ex his nonnullis verſibus, librum in ignem abjecerit: quem Propheta paulo poſt multo copioſius reſcripſit, quemadmodum ipſemet teſtatur prophetiae ſuae capite trigeſimo ſexto.

MAC-

Digitized by Google

MACCABAEORUM LIBER III.

MACCABAEORUM liber tertius, cujus argumentum est admiranda ac semper memorabilis liberatio Judaeorum, quos turmatim catenis vinctos Ptolemaeus Philopater, quartus AEgypti Rex, exposuit in Ippodromo Alexandrinae urbis efferatis Elephantis proterendos, ab Hebraeis prorsus ignoratur: quanquam Josephus in secundo adversus Apionem volumine hujus historiae summam obiter atque admodum breviter perstrinxerit: habetur tamen passim in omnibus fere Graecorum codicibus, & in plerisque etiam Latinorum voluminibus. Meminit libri hujus Athanasius in Synopsi, & Eusebius in chronicis: quem Clemens tertius post Petrum Romanus Pontifex in libro Apostolicorum Canonum, canone 84. inter Canonicos libros longe antea numeraverat. Sunt qui existiment eum ab Josepho editum ex styli similitudine. Quae vero in ipso narrantur, gesta sunt ante ea, quae in primo, & secundo Maccabaeorum libris referuntur, annis fere quinquaginta, hoc est sub Antiocho magno, Judaeis amicissimo, circa annum ab orbe condito ter millesimum septingentesimum trigesimum octavum: & ad Maccabaeorum historiam, tametsi ejus praeferant inscriptionem, nihil attinent. Libri initium est, Ὁ δὲ Φιλοπάτωρ μαθὼν παρὰ τῶν ἀνακομιζόντων τὰ γινομένα τῶν ὑπ' αὐτῶ κρατουμένων τόπων ἀφαίρεσιν ὑπὸ Ἀντιόχου. id est, *At Philopater cognoscens ex his, qui redierant, locos, quos ipse tenuerat, Antiochum abstuliisse.*

MACCABAEORUM LIBER IIII.

QUARTUS Maccabaeorum, quem Synopsis Athanasii inter Apocrypha scripta recenset, historiam continet unius ac triginta annorum, hoc est, gesta Joannis Maccabaei, qui a devicto Hyrcano cognomen Hyrcani accepit: hic post Simonem patrem, fraude Ptolemaei obtruncatum, gentis suae pontificatum una cum principatu obtulit; statimque adversus patris percussorem eduxit exercitum: deinde cum Antiocho, rege Syriae, foedus junxit: quo defuncto, multas Syriae urbes vi cepit. Primus omnium Judaeorum ducum stipendiis suis militem externum conduxit: tria millia talenta ex Davidis sepulchro effodit: cum Romanis foedus, jam a patre initum, renovavit: Antiochum Cyzigenum, Syriae regem, bello victum fugavit: Samariam, Hierosolymitanae urbis aemulam, post integrum oppugnationis annum captam, solo aequavit; inductisque in ea torrentibus, ipsas quoque deletae urbis ruinas, & vestigia cuncta aquarum alluvione substulit: muros Hierosolymitanos vetustate collapsos instauravit. Quibus rebus feliciter exactis moritur imperii sui anno trigesimo primo, vir triplici nomine, hoc est, sacerdotio, principatu, & prophetia clarissimus, anno scilicet ante Christi ortum centesimo: in quo quartus & ultimus Maccabaeorum desinit liber: cujus initium ex Graeco codice, quem Lugduni in Bibliotheca Sanctis Pagnini viri doctissimi apud Praedicatores legimus manu scriptum, sic habet: Καὶ μετὰ τὸ ἀπεκταν θῆναι τὸν Σίμωνα, ἐγενήθη Ἰωάννης υἱὸς αὐτῶ ἀρχιερεὺς ἀντ' αὐτῶ. hoc est, *Et postquam occisus est Simon, factus est Joannes filius ejus summus sacerdos pro eo.* Historiae series & narratio eadem fere est, quae apud Josephum libro Antiquitatum decimotertio; sed stylus, Hebraicis idiotismis abundans, longe dispar. Verisimile est hunc ab incerto interprete translatum ex libro dierum sacerdotii Joannis, de quo in calce primi Maccabaeorum ita scriptum est: CAETERA sermonum Joannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & aedificii murorum, quos extruxit, & rerum gestarum ejus, ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii, & principatus ipsius.

Ex his non obscure colligitur falli eos, qui putant quartum Maccabaeorum librum esse illum quo Josephus agonem matris Maccabaeae, ac septem filiorum descripsit, qui etiam in nonnullis Graecorum Bibliis habetur, cum inscriptione Ἰωσίππου εἰς τοὺς μακκαβαίους.

Digitized by Google

RECAPITULATIO OMNIUM VOLUMINUM UTRIUSQUE TESTAMENTI.

PERACTO hoc primo libro, quem de Divinis voluminibus, ſive de Scripturis, & Scriptoribus ſanctis, ſcribendum aſſumpſimus, tandem exhibemus tibi tres Partitiones omnium ſcripturarum utriuſque Teſtamenti, & ordinis, primam D. Auguſtini, ſecundam recentium Scholaſticorum, tertiam vero, quae noſtra eſt.

PARTITIO PRIMA

Librorum omnium Divinae Scripturae, tam ad primum, quam ad ſecundum ordinem ſacri Canonis pertinentium, a divo Auguſtino libro ſecundo De doctrina Chriſtiana in duas Sectiones diſſecta, alteram veteris, alteram novi Teſtamenti: quarum prior continet quatuor & quadraginta libros veteres, duabus claſſibus, hoc eſt, Hiſtorica, & Prophetica, diſtinctos; poſterior continet libros octo novi Teſtamenti.

LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

SECTIO PRIMA.

Hiſtorici libri XXII.

1 Geneſis.
2 Exodus.
3 Leviticus.
4 Numeri.
5 Deuteronomion.
6 Joſue.
7 Judicum.
8 Ruth.
9 Regum primus.
10 Regum ſecundus.
11 Regum tertius.
12 Regum quartus.
13 Paralipomenon primus.
14 Paralipomenon ſecundus.
15 Job.
16 Tobias.
17 Eſther.
18 Judith.
19 Eſdrae primus.
20 Eſdrae ſecundus.
21 Maccabaeorum primus.
22 Maccabaeorum ſecundus.

Prophetici, id eſt, eorum, qui proprie Prophetae ſunt appellati, libri XXII.

23 David.
24 Proverbia.
25 Eccleſiaſtes.
26 Cantica.
27 Sapientia.
28 Eccleſiaſticus.
29 Eſaias.
30 Jeremias cum Threnis.
31 Ezechiel.
32 Daniel.
33 Oſee.
34 Joël.
35 Amos.
36 Abdias.
37 Jonas.
38 Michaeas.
39 Nahum.
40 Abacuch.
41 Sophonias.
42 Aggaeus.
43 Zacharias.
44 Malachias.

LIBRORUM NOVI TESTAMENTI

SECTIO SECUNDA.

EVANGELIORUM, Matthaei, Marci, Lucae, & Joannis, libri quatuor.
EPISTOLARUM Pauli quatuordecim liber unus.
APOSTOLICORUM actuum liber unus.
CATHOLICARUM epiſtolarum, hoc eſt, II. Petri, III. Joannis, Jacobi I. & Judae I. liber unus.

APO-

Digitized by Google

APOCALYPSEOS Joannis Evangeliſtae liber unus.

QUOS quidem novi Teſtamenti libros, omiſſo Apocalypſeos volumine, Gregorius Theologus aliquot annis ante Auguſtinum eodem, quem ſupra citavimus, loco non ineleganter his carminibus cecinit:

Ἤδη δείδμα καὶ νέα μυσηεία.
Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν Ἑβραίοις θαύματα Χριστοῦ.
Μάρκος δ' Ἰταλίῃ· Λουκᾶς ἀχαϊάδι.
Πᾶσι δ' Ἰωάννης κήρυξ μέγας, οὐρανοφοίτης.
Ἕπεται πράξεις τῶν σοφῶν Ἀποστόλων.
Δέκα δὲ Παύλου τέσσαρες τ' ἐπιστολαί.
Ἑπτὰ δὲ Καθολικαί, ὧν Ἰακώβου μία.
Δύω δὲ Πέτρου, τρεῖς δὲ Ἰωάννου πάλιν.
Ἰούδα δ' ἐστὶν ἑβδόμη· πᾶσαι ἴχνεα.
Εἰσὶ δὲ τούτων ἐκτὸς· ἐκ ἐν γνησίοις.

quae ſic verti poſſunt:

Jam vero percurre novae myſteria legis.
Matthaeus dedit Hebraeis miracula Chriſti,
Italiae Marcus, ſcripſit tibi, Graecia, Lucas:
Coelivagus ſparſit cunctis ſua ſcripta Joannes.
Junctа & Apoſtolica his mox cernes inclyta facta.
Deinceps bis ſeptem Pauli numerato libellos,
Catholicas ſeptem: inter quas eſt prima Jacobi,
Et geminae Petri: ſubeunt tres deinde Joannis:
Septima poſt iſtas ſuccedit epiſtola Judae.
Legitima haud fuerint, ſi qua extra haec ſcripta ferantur.

PARTITIO SECUNDA

Omnium librorum Sacrae Scripturae, tam ad primum, quam ad ſecundum ordinem Sacri Canonis pertinentium, a Scholaſticis in duas Sectiones, alteram veteris, alteram novi Teſtamenti, diſtincta: quarum utraque in quatuor voluminum claſſes digeritur, hoc eſt, in libros Legales, Hiſtoriales, Sapientiales, & Prophetales.

LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

SECTIO PRIMA.

	Legales libri quinque.		*Sapientiales libri quinque.*
1	Geneſis.	23	Proverbia.
2	Exodus.	24	Eccleſiaſtes.
3	Leviticus.	25	Cantica.
4	Numeri.	26	Sapientia.
5	Deuteronomion.	27	Eccleſiaſticus.
	Hiſtoriales libri XVII.		*Prophetales libri XVII.*
6	Joſue.	28	David.
7	Judicum.	29	Eſaias.
8	Ruth.	30	Jeremias cum Threnis, & Baruch.
9	Regum primus.	31	Ezechiel.
10	Regum ſecundus.	32	Daniel.
11	Regum tertius.	33	Oſeas.
12	Regum quartus.	34	Joël.
13	Paralipomenon primus.	35	Amos.
14	Paralipomenon ſecundus.	36	Abdias.
15	Eſdras primus.	37	Jonas.
16	Eſdras ſecundus.	38	Michaeas.
17	Tobias.	39	Nahum.
18	Judith.	40	Abacuch.
19	Eſther.	41	Sophonias.
20	Job.	42	Aggaeus.
21	Maccabaeorum primus.	43	Zacharias.
22	Maccabaeorum ſecundus.	44	Malachias.

SECTIO SECUNDA

Omnium librorum novi Teſtamenti in eaſdem quatuor Claſſes digeſta.

LEGALES, LIBRI QUATUOR, id eſt

Matthaeus.

MAR-

Digitized by Google

Marcus.
Lucas.
Joannes.

HISTORIALES, LIBER UNUS, id est
Actus Apostolorum.

SAPIENTIALES, LIBRI DUO, id est
Pauli Apostoli epistolae quatuordecim.
Catholicae epistolae septem.

PROPHETALES, LIBER UNUS, id est
Apocalypsis Joannis.

PARTITIO TERTIA

Βιβλιογραφων, hoc est, Biblicarum Scripturarum, in tres sectiones a nobis distributa; quarum prima continet Πρωτοκανονικὰ, id est, Canonica primi Ordinis scripta: secunda Δευτεροκανονικὰ, id est, Canonicas secundi Ordinis scripturas: tertia Ἀπόκρυφα, sive omnia incertae auctoritatis Scripturarum additamenta.

Πρωτοκανονικων, id est, Scripturarum Canonicarum primi Ordinis,

SECTIO PRIMA.

	Ex veteri Testamento.		*Ex novo Testamento.*
1	Genesis.	1	Matthaeus.
2	Exodus.	2	Marcus.
3	Leviticus.	3	Lucas.
4	Numeri.	4	Joannes.
5	Deuteronomion.	5	Actus Apostolorum.
6	Josue.	6	Ad Romanos.
7	Judicum, & Ruth.	7	Ad Corinthios prima.
8	Samuelis primus,& secundus.	8	Ad Corinthios secunda.
9	Melachim primus,& secundus.	9	Ad Galatas.
10	Paralipomenon libri duo.	10	Ad Ephesios.
11	Esdrae duo libri.	11	Ad Philippenses.
12	Job.	12	Ad Colossenses.
13	Psalterium.	13	Ad Thessalonicenses prima.
14	Proverbia.	14	Ad Thessalonicenses secunda.
15	Ecclesiastes,	15	Ad Timotheum prima.
16	Cantica.	16	Ad Timotheum secunda.
17	Esaias.	17	Ad Titum.
18	Jeremias cum Threnis.	18	Ad Philemonem.
19	Ezechiel.	19	Petri epistola prima.
20	Daniel.	20	Joannis epistola prima.
21	Prophetae duodecim.		

Aw-

Digitized by Google

Δευτεροκανονικων, id est, Canonicarum secundi ordinis Scripturarum,

SECTIO SECUNDA.

Ex veteri Testamento.

1 Esther.
2 Tobias.
3 Judith.
4 Baruch,
5 Jeremiae epistola,
6 Sapientia.
7 Ecclesiasticus.
8 Additio Danielis, id est, (Oratio Azariae. (Hymnus triū puerorū. (Susannae historia. (Belis historia.
9 Maccabaeorum primus.
10 Maccabeorum secundus.

Ex novo Testamento.

1 Marci caput ultimum.
2 Historia de Christi agonia, & Angeli consolatione.
3 Joannis de muliere adultera, historia.
4 Epistola ad Hebraeos.
5 Epistola Jacobi.
6 Epistola Petri secunda.
7 Epistola Joannis secunda.
8 Epistola Joannis tertia.
9 Epistola Judae.
10 Apocalypsis.

Απόκρυφων, hoc est, occulti, & incerti generis Scripturarum,

SECTIO TERTIA.

1 Libri secundi Paralipomenon Appendix.
2 Esdrae liber tertius.
3 Esdrae liber quartus.
4 Libri Esther Appendix.
5 Libri Job Accessio.
6 Psalterii Appendix.
7 Lamentationum Praefatio.
8 Ecclesiastici Appendix.
9 Maccabaeorum tertius.
10 Maccabaeorum quartus.

HAEC in universum habuimus, quae de Scripturis sanctis, vulgato Bibliorum Codice comprehensis, diceremus: deinceps in sequenti libro narrabimus Scriptores & scripta, quae a divinis Sacrorum voluminum auctoribus citantur, de quibus Origenes Homilia prima in Canticum Canticorum sic scribit: OPEROSUM est, si velimus inquirere, quam multorum librorum Commemoratio fiat in Scripturis divinis, quorum lectio nulla vobis omnino est tradita, sed neque apud Judaeos quidem usum hujusmodi reperimus lectionum, quae sive propterea, quod aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto ferre de medio, sive quod essent de scripturis his, quae vocantur Apocryphae, pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur a majoribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem: supra nos est pronunciare de talibus. Illud tamen putam est, multa vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis, exempla esse prolata, & novo Testamento inserta, quae in his Scripturis, quas Canonicas habemus, nunquam legimus: in Apocryphis tamen inveniuntur, & evidenter ex ipsis ostenduntur assumpta. Hactenus Origenis verba, in quibus praesenti libro finem libet imponere.

PRIMI LIBRI FINIS.

FR. SI-

Digitized by Google

FR. SIXTI SENENSIS
EX
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE LIBRIS, SCRIPTORIBUS, ET SCRIPTIS, QUORUM IN SACRIS VOLUMINIBUS FIT MENTIO,
BIBLIOTHECAE SANCTAE,
LIBER SECUNDUS.

PRAEFATIO.

PRIMO hujus Operis volumine, omnium divinae Scripturae librorum numerum, ordinem, partitionem, auctoritatem, auctores, & argumenta, recensuimus: nunc in secundo hoc libro collecturi sumus volumina, libros, scriptores, & scripturas omnes extantes, & non extantes, tum indubitatas, tum dubias & incertas; quae passim ab auctoribus in sacrosanctis Bibliis commemorantur: hae autem triplici inter se discrimine distinguuntur, collectione, intelligentia, auctoritate. Ac primum juxta divisionem, quae ex collectione, hoc est, ex variis colligendi modis exoritur, omnes, quas huc congessimus, Scripturae dividuntur, in Transcriptas, Abbreviatas, & Allegatas.

TRANSCRIPTAE sunt, quae ex aliis vetustioribus scripturis fideliter sunt descriptae; & sicut ab auctoribus ipsarum olim editae fuerant, in Sacris literis de verbo ad verbum insertae, ut sunt epistolae multae regum & principum Assyriorum, Medorum, Persarum, AEgyptiorum, Graecorum, Romanorum, Judaeorum, & aliarum gentium; quae ad complementum sacrosanctae historiae divinis voluminibus permistae sunt.

ABBREVIATAE Scripturae dicuntur, quae cum prius essent ab auctoribus suis profusa orationis copia conscriptae, ac multis voluminibus extensae, a divinis postea Scriptoribus in compendium contractae sunt, & inter Sanctos libros coaptatae: tales esse constat Canticorum Salomonis libros quinque millia, ejusdem Parabolarum libros tria millia, & ipsius quoque Naturalium disputationum Opus immensum, Psalmorum Davidis tria millia; quae D. Athanasius in Paralipomenon libris citari affirmat; Esdrae libros quatuor & ducentos; Nehemiae Commentaria; Volumina historiarum Samuelis, & Nathan, & Gad Prophetarum; Divinationes Ahiae Silonitis; Vaticinia Iddo Prophetae; Sermones Chozai, & Semejae, & Hieu Prophetarum; Libros dierum regum Juda, & Israël; Descriptiones Jeremiae; Commentaria Judae Maccabaei; Ephemeridas sacerdotii Joannis; Jasonis Cyrenaei historiarum libros quinque, atque alia complura hujus generis volumina; ex quorum praecipue fontibus maxima pars eorum, quae nunc in sacrosanctis literis habentur, hausta creditur.

ALLEGATAE Scripturae vocantur, quarum in divinis libris, aut sola auctorum nomina, aut inscriptiones tantum librorum commemorantur; aut sola Operum argumenta quam brevissime perstringuntur; aut aliqua duntaxat ex his Testimonia citantur, atque allegantur: ceu sunt, Liber Henoch, Liber bellorum Domini, Liber Justorum, Liber verborum Veterum, Annales regum Persarum, & Me-

Digitized by Google

Medorum, Commentaria Aſſueri, Commentaria Cyri, Libri ſancti Spartanorum, Phenomaena Arati, Callimachi poëmata, Epimenidis de oraculis, Menandri comica, atque alia permulta his ſimilia, antiquiſſimae vetuſtatis monumenta; quae omnia ſimul cum aliis innumerabilibus variarum Gentium ſcriptis, partim temporis abſumpſit injuria, partim barbarorum incurſiones, ac tyrannorum veſania perdiderunt in Regnorum everſionibus, & in ipſo potiſſimum Sanctae urbis excidio; in quo tot millia ſacroſanctae illius Hieroſolymitanae Bibliothecae volumina ab Aſſyriis primum, a Graecis deinde, a Romanis poſtremo exuſta fuere.

CAETERUM SECUNDA Scripturarum diviſio, ex earum intelligentia & ſenſu deſumpta, duas continet ſcripturarum varietates, nempe Hiſtoricas, & Myſticas, ſive Symbolicas.

HISTORICAE nuncupantur, quae ſolum rerum geſtarum aut ſcriptarum ordinem ſignificant, vel in quibus praeter hiſtoricam notitiam nihil propter ipſarum intelligentiam ſecretioris aut ſymbolici ſenſus perſcrutari neceſſarium eſt. Ex harum numero ſunt permultae principum & regum Chaldaeorum, AEgyptiorum, Judaeorum, & Romanorum epiſtolae, ſacris libris inſertae, in quibus exterior tantum literae ſenſus ſpectandus eſt.

MYSTICAE & Symbolicae ſunt, quae ſub viſibilibus, aut imaginariis librorum, voluminum, codicum, & ſcripturarum quarumcunque ſymbolicis ſimulacris, & oſtenſionibus occulta, ſublimiaque myſteria repraeſentant: veluti Liber ſignatus, Liber involutus, Liber volans, Liber vitae, Liber vitae agni, Liber ſeptem ſigillorum, Volumen libri ſcriptum intus & foris, Liber devoratus, Liber monumenti, Liber divini repudii, Liber mortis, Scriptura duorum lignorum, Litera occidens, Chirographum decreti, Scriptura Adamantina, Epiſtola Chriſti, Scriptura domus Israël, multaque alia hujuſmodi ſcripta, in quibus niſi myſticos & latentes ſenſus introſpexeris, nihil prorſus intelliges.

TERTIA ſcripturarum diviſio in Indubitata, Apocrypha, Pſeudepigrapha ſcripta diſtribuitur.

INDUBITATA ſunt, quae certiſſime conſtat eorum eſſe, quorum nominibus ac titulis praenotantur, ut Scriptura Ezechiae regis, Aguris Prophetia, Lamuelis Inſtituta, Concilii Apoſtolici Epiſtola, & pleraque talia, quae praefixis auctorum nominibus ſacris voluminibus immiſta ſunt.

APOCRYPHA, id eſt obſcura & ambigua ſunt, de quorum auctoribus & auctoritate dubitatur, vel de quibus ambigitur, an ſcriptoribus, qui in ſacris literis memorantur, tribuenda ſint: veluti Hebraeorum Evangelium, Barptolemaei Evangelium, Jacobi apoſtoli Miſſa, Hermae libri tres, hoc eſt Paſtor, Eccleſia, Similitudines, Barnabae epiſtola, Heldad & Medad vaticinia, Clementis epiſtolae, Joſeph oratio, Apoſtolorum canones, Teſtamentum duodecim Patriarcharum, Petri praedicatio, Jaſonis, & Papiſci altercatio, & alia quamplurima hujus generis volumina, viris illuſtribus in divina ſcriptura celebratis inſcripta, quae etiam Eccleſiaſtica appellantur ob id ſcilicet, quod in exordio naſcentis Eccleſiae in Templis & in communibus Chriſtianorum conventibus publice ad plebis aedificationem legebantur, & in ſcriptis veterum doctorum ad morum inſtitutionem, & interdum quoque ad fidei confirmationem aſſumebantur.

PSEUDEPIGRAPHA, hoc eſt falſo inſcripta, ea ſunt, quae diverſi haeretici ſub nomine virorum tam illuſtrium, quam obſcurorum, quos paſſim divinae literae nominant, malitioſe finxerunt, ut ex eorum ementitis titulis fidem auctoritatemque erroribus ſuis conciliarent: qualia ſunt Libri Seth filii Nohe, ſcriptura Cham filii Nohe, Abrahae revelatio, Moſis aſcenſio, Jamnes & Mambres volumen, Heliae Apocalypſis, Eſaiae aſcenſus, Salomonis incantationes, Jesu Chriſti de occulta ſapientia ad Petrum & Paulum libri, Pauli raptus, Pilati acta, Judae Iſcariotis Evangelium, caeteraque hujuſmodi execrandae impietatis commenta. Haec igitur omnia ſcriptorum, & ſcripturarum genera praeſenti volumine ſub alphabetico literarum ordine (quando nulla commodior aprandi Operis ratio occurrit) coaptare inſtitui, & ſingularum cujuſcunque generis ſcripturarum auctores, argumenta, occaſiones, ac tempora indicare, ac loca plurima in his obſcura lucide ac breviter, quoad fieri poterit, explicare.

Digitized by Google

A.

A, ΚΑΙ Ω Alpha, & Omega est unum ex sacris cognominibus Domini nostri Jesu Christi, quo quidem ipsemet seipsum appellat in principio & fine Revelationum Joannis, dicens: Ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, id est EGO sum ipsum Alpha, & ipsum Omega. Tertullianus in libro De haereticorum praescriptionibus refert Marcum, & Colarbasium, haereticos, cepisse ex hoc loco ansam excogitandi novam haeresim super Graecorum alphabeto: hi enim dixerunt nullam veritatem sine his literis inveniri, immo totam plenitudinem, & perfectionem veritatis in numeris, quos hae literae significant, esse dispositam; & propter hanc etiam causam affirmaverunt pronunciasse Christum, EGO sum α & ω, ut nos hoc dicto provocaret ad perscrutanda mysteria abditissima divinarum rerum; quae in singulis alphabeti literis, & literarum numeris concluduntur. Epiphanius in libro Anchorato existimat ex figuris harum literarum significari geminam Christi naturam, nimirum per α, quae inferne aperitur, naturam humanam, per ω vero, quod superne apertum est, divinum Verbum. Origenes Tomo primo in Joannem super utriusque literae mystica significatione multa scribit, quae brevitati consulens praetereo. Vera hujus nominis interpretatio est, quam ipsemet Christus ibidem affert, inquiens: EGO sum α & ω, principium & finis: his enim literis se ipsum comparat, vel exprimit; quia sicut α initium est elementorum omnium, & ω finis ac terminus; ita solus ipse initium est, quem nullus praecedit; & finis sine fine, cui nullus finis succedit; principium quoque universorum, a quo omnia: & finis, propter quem omnia condita sunt; idemque terminus, quo tendunt, & aspirant omnia, & in quem denique universa quiescunt. (a)

ABAKUK Apocryphum recenset in Synopsi Athanasius, indicans, nisi fallor, prophetiam quandam absconditam, cujus etiam meminit Epiphanius in vita Abakuk, aut forte historiam, quam Abakuk, non is, qui inter duodecim prophetas ponitur, sed alter ex tribu Levi, filius Juda, scripsit de Daniele sacerdote, filio Abdae. Vide supra librum 1. in Danielis prophetae Appendice.

ABRAHAE Apocalypsin Sethiani haeretici, ut in primo Panarii scribit Epiphanius, invenerunt. Origenes homilia 35. in Lucam assumit testimonium de scriptura quadam Abrahae Apocrypha; in qua inducuntur Angeli iniquitatis, & justitiae, de salute, & interitu Abrahae disceptantes: in Synopsi Athanasii liber, qui ASSUMPTIO ABRAHAE dicitur, inter libros rejectos enumeratur. Fertur apud Hebraeos liber sub nomine Abrahae patriarchae, cujus est inscriptio יצירה Jezira, id est DE CREATIONE; quem non parum literati assignant Rabbi Akibae.

2. Par. 9. ACHIAS SILONITES, sive אחיה השלוני Achija Ascaloni, de tribu Juda, oriundus ex Silo, ubi quondam fuerat tabernaculum & arca Domini, ille idem propheta est, qui egredienti Jeroboam praefecto Salomonis de Hierusalem occurrit in itinere, &, discisso pallio novo, quo vates ipse indutus incedebat, datisque ex his decem partibus ad Jeroboam, vaticinatus est non multo post eventurum, ut regnum Salomonis, qui, deserto Deo suo, idola meretricum suarum adoraverat, in duodecim tribus scinderetur: è quibus decem, abjecto imperio Roboam filii Salomonis, Jeroboam sibi asciturae essent in regem; cujus post aliquot annos Deus omnem familiam, universamque progeniem ob ipsius peccata funditus erat eversurus. Scripsit itaque vates hic de rebus a rege Salomone gestis librum unum; cujus mentionem facit secundus liber sacrorum annalium capite nono. Vixit autem in Silo; ibique diem suum obiit; & haud procul ab ingenti quercu, quae eo in loco erat, sepulchrum obtinuit, anno ab orbe condito bis millesimo nongentesimo nonagesimo. Hunc Hebraei maxime longaevum fuisse tradunt, atque unum esse dicunt ex septem viris totius humanae vitae continuatoribus: qua de re vide infra in Helia.

Gen. 5. 1 ADAE Genealogia, sive ספר תולדת אדם Sepher Tholdoth Adam, hoc est Liber generationum Adam, sive, ut septuaginta interpretes verterunt, Βίβλος γενέσεως ἀνθρώπων, id est Liber generationis hominum, idem est, quod enumeratio, sive catalogus posteritatis Adae, a Mose in quinto Geneseos capitulo posita: in qua

(a) Vide Epistolam ad Lectorem.

Digitized by Google

qua duo obſervabis: primum, quod in ea generationes, quae ſunt ab Adam per Cayn uſque ad Nohe, tacentur uti reprobae & indignae, quae ſacris voluminibus inſcribantur, & in hominum memoria conſerventur. Adam vero per Seth uſque ad Nohe genealogia integre deſcribitur; quia ex hac ſancta proſapia deſcendunt Abraham, Iſaac, & Jacob, Chriſti Jesu, qui totius ſcripturae finis eſt, progenitores. Secundo notabis, translationem LXX. interpretum, in ſupputandis annis eorum, qui in hoc catalogo continentur, ſcripturae Hebraicae adverſari: in qua cum Moſes ab Adam uſque ad diluvium numeret annos duntaxat 1656. Septuaginta interpretes ſuperaddunt annos 786. ut ſit ſumma annorum ab Adam uſque ad diluvium 2242. Ex qua ſupputationum diverſitate orta eſt controverſia de computatione annorum mundi inter Hebraeos, & Graecos. Hebraei enim ab orbe condito uſque ad Chriſtum numerant annos 3954. Graeci vero, & Latini annos 5199. Sed de hoc aliquanto fuſius loquemur in quinto hujus Operis libro, cum ad annotationes quinti capitis libri Geneſeos devenerimus.

ADAE Revelationem, quam ipſe Adam vidit, quando Deus immiſit ſoporem in illum, Gnoſtici haeretici primi omnium excogitarunt, ut auctor eſt Epiphanius in primo Panarii. Auguſtinus contra Fauſtum ſcribit Manichaeos effinxiſſe librum de Genealogia, vel filiis, & filiabus Adae, quem Gelaſius diſtinctione quintadecima una cum alio libro, qui Adae poenitentia dicitur, inter damnatas ſcripturas enumerat.

ADAMANTINA Scriptura: de hac loquitur Jeremias his verbis: PECCATUM Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper tabulam cordis eorum, & in cornibus altarium. Irremiſſibile peccatum, de quo hic propheta loquitur, non tantum idololatria eſt, ſed mors Chriſti, & fugatio Apoſtolorum: quod peccatum neque in hoc, neque in futuro ſaeculo condonatum eſt, quantum attinet ad praefractos quoſdam phariſaeos. Dicitur autem Scriptum eſſe tripliciter, primo in corde Judaeorum, quia peccatum illud odii adverſus Chriſtum & crucem ejus valde profunde inſidet in corde ipſorum tenaciſſimo, duro, & impoenitente: uſque enim in hodiernum diem crux eſt Judaeis ſcandalo, & maledicunt ei, approbantes peccatum patrum ſuorum. Secundo dicitur Scriptum in cornibus altaris, quia peccatum idololatriae uſque adeo inſederat cordibus Judaeorum, ut quoties aſtarent altaribus, exaſperarent Deum: adhuc enim inſidebat eorum mentibus amor idolorum, & excelſorum, & ſolo metu ab eis colendis abſtinebant, optabantque vanis potius idolis, quam Deo vero ſervire: ita & nunc in ſynagogis ſuis; & ſacris in cornibus altarium eſt peccatum, eo quod grata occiſi Chriſti memoria, & nativum adhuc odium haeret animo, & velut recens in manu eſt; & recolendo priſtinas patrum abominationes ſeſe oblectant, blaſphemantes Chriſtum in orationibus ſuis, & Chriſtianis diras execrationes, tametſi vanas & ſine ullo effectu, imprecantes. Tertio Scriptum eſt in ungue adamantino, hoc eſt, in aeterna Dei memoria indelebili ſcripturae genere exaratum, & ipſius peccati ſupplicium in immobili divinae voluntatis determinatione perenni ſculptura inciſum.

AEGYPTIORUM Evangelium, vel Secundum AEgyptios, in uſu fuit apud Valentinos Haereticos. Clemens Alexandrinus in tertio Stromaton diluit teſtimonia quaedam, quae ex hoc opere Julius Caſſianus, atque alii Valentini ſectatores ad confirmationem ſuorum dogmatum adducebant. Epiphanius libro ſecundo Panarii teſtatur Sabellianos ex hoc Evangelio conatos aſtruere eandem eſſe Patris, Filii, & Spiritus Sancti perſonam.

AEGYPTIORUM Sapientia, Hebraice חכמת מצריים Chochemath Mizriim, Act. 7. b Graece Σοφία Αἰγυπτίων, hanc Stephanus prothomartyr in Actibus Apoſtolorum pro magno encomio Moſi, Judaeorum duci, attribuit, dicens: Et ERUDITUS fuit Moſes in omni ſapientia AEgyptiorum, & erat potens in operibus & ſermonibus. AEgyptiorum Sapientiam Diodorus, Diogenes Laërtius, Jamblicus, Philo Judaeus, & Euſebius Caeſarienſis indicant fuiſſe diviſam in partes quatuor, nempe in Mathematicam, Naturalem, Divinam, & Moralem. Porro Mathematicam, quae in Geometriam, Aſtronomiam, Arithmeticam, & Muſicam diſtincta eſt, plurimum veteres AEgyptii exercuerunt: nam Geometriam neceſſitate

Digitized by Google

excoluerunt; quippe qua in primis egebant, cum, turbatis increſcente Nilo agrorum finibus, poſtquam amnis in ſuum alveum redierat, ſua cuique eſſent reſtituenda; nec alia ratione conſtare poſſet agrorum dimenſio, niſi adhibita, quae ex certis coalita principiis fallere peritos menſores nequirent. Geometria igitur eſt nominata quaſi terrae menſio. Aſtromóniae vero ſeſe dediderunt commoditate: ut, qui ſerenas ſemper haberent noctes, aſpicerentque tractum coeli late patentem, nullis nubibus, nullis nebulis turbatum, facile ortus, occaſus, progreſſus, regreſſuſque ſiderum animadvertere potuerunt: quae res & ad cognitionem erat jucundiſſima, & ad vitam fructuoſiſſima, & humani ingenii exercitatione digna. His duabus Geometriae, & Aſtronomiae artibus addita eſt Arithmetica, numerorum cognitio, veluti utriſque deſerviens, & cujus miniſterio haec carere non poſſunt. Muſicae vero tantum deguſtarunt, quantum illis ſatis videretur ad decantandas deorum, atque regum, & heroum laudes.

ALTERA AEgyptiacae Sapientiae pars, quae principia, cauſas, elementa, & opera naturalium rerum pertractat, Phyſica appellata, non multum a Peripatetica philoſophia differt: nam & Materiam ponunt principium eſſe rerum omnium, & ex ea deinceps diſcreta quatuor elementa: ex quibus miſta omnia & animantia oriuntur; Coelum eſſe ad ſphaerae ſimilitudinem rotundum; Stellas omnes calorem quaſi igneum habere, cujus temperatis commiſtionibus cuncta ſuper terram naſcantur; Planetas, ſive errantia ſidera, ſuas habere animas; Pluvias ex aëris mutationibus fieri; itemque alia plurima his ſimilia.

TERTIA hujus Sapientiae pars, divina complectens, quae Theologia dicitur, diverſa habet dogmata, nempe Mundum genitum eſſe, atque ſuapte natura mortalem; Homines in prima rerum omnium origine primum in AEgypto productos, partim propter coeli temperiem, partim propter Nilum (nam nec hybernis frigoribus, nec aeſtivi Solis ardoribus regio premitur, & terra irrigatione Nili ſic fecunda eſt, ut alimentorum ad uſum hominum nulla terra feracior ſit) Humanam animam eſſe perennem, eamque ex corpore in corpus immigrare; Deum unum eſſe deorum omnium patrem ac principem, ab hoc vero deos alios; Solem, & Lunam deos eſſe, alterumque Oſirim, alteram Iſim appellatos; Templa inſuper & ſtatuas diis diverſis imaginibus fabricandas, quia vera deorum imago ignoratur; Multos ex diis fuiſſe primum mortales homines: deinde vero ob virtutes ſuas, & egregia in homines collata beneficia divinitatem conſecutos, & ab hominibus divinis honoribus honoratos; Imagines animalium ab AEgyptiorum ducibus, & imperatoribus, galeis & clypeis inſculptas, ferri ſolitas in praelio adverſus hoſtes: parta deinde victoria, ea animalia, quorum effigies victoriosi duces geſtarunt, quaſi offenſionem belli ipſa in hoſtes repuliſſent, in deos retulerunt.

HABUERUNT etiam AEgyptiorum Theologi peculiare quoddam ſcripturae genus, myſticum & arcanum, quo ſublimiora Theologiae ac divini cultus myſteria, quae potiſſimum evulgari nollent, occultabant: qua de re Clemens in quinto libro Stromatum loquens, univerſam AEgyptiacae ſcripturae ſummam triplici diſcrimine diſtinguit, nimirum in Ἐπιστολογραφικὴν, hoc eſt Epiſtolarem, ad ſcribendas communes epiſtolas aptam; in Ἱερογραμματικὴν, hoc eſt Sacerdotalem, qua utuntur qui de rebus ſacris ſcribunt; & in Ἱερογλυφικὴν, id eſt Sacram, quae inſculpitur, ſcripturam: cujus quidem duae ſunt ſpecies, una Κυριολογικὴ, id eſt Proprie loquens; quae per literas ipſas, & Alphabetica elementa, ſed myſticis, & figuratis verbis ſcribitur: ut, exempli gratia, Ibis a Scarabeo Accipitris pulchritudinem participat: id eſt Luna a Sole Dei pulchitudinem participat, nempe lucem, quae imago eſt divinae pulchritudinis. Altera vero συμβολικὴ, id eſt Symbolica, ſive per ſigna ſignificans: quae triplex eſt, nempe Imitativa, Tropica, & Aenigmatica; quarum Imitativa dicitur, quae res per characteres rebus ipſis perſimiles deſignat: ut qui Solem volunt ſcribere, circulum delineant; & Lunam volentes ſignificare, duorum lunarium cornuum imaginem pingunt. Tropica, ſive Translativa eſt, quae varias diverſarum rerum, praeſertim animalium, formas figuraſque transfert, ad ſignificandum vel deorum, vel hominum dignitates, fortunas, mores, virtutes, vitia, affectiones, & actiones: ſecundum quam ſignificationem apud AEgyptios Theologos Accipitris imago ſignificat Deum, Scarabei

figura

Digitized by Google

figura Solem, Ibicis pictura Lunam, Hominis forma prudentiam & solertiam, Leo fortitudinem, Equus libertatem, Crocodilus impudentiam, Piscis odium. Aenigmatica est, quae ex conjunctione & mutua permistione harum imaginum resultat: quo quidem modo Sphinx, ex humano capite, & Leonis corpore composita imago, templis, altaribus, aliisque sacris rebus insculpitur ad significandum, quod nobis divina omnia sint aenigmatica & obscura. Sol in Crocodilo, qui in aqua non minus, quam in terra nutritur, impressus, significat Solem ad similitudinem Crocodili, partim ex aqua, partim ex terra alimentum rebus meteoris assumere. Sceptrum regium, cujus vertici oculus & auris superstant, Deum significat moderantem, videntem, audientem omnia. Ferunt hoc symbolico scripturae genere Scythas quoque delectatos; quorum rex Idanthuras, ut refert Pherecydes Syrius, cum Darius rex, trajecto Istro fluvio, bellum per literas & regionis vastitatem minitaret, nisi ei Scythae parerent, symbolum ei pro literis remisit, murem, ranam, avem, jaculum, aratrum: cum autem de his, ut erat consentaneum, exorta esset dubitatio; Orontopagas, tribunus militum, dicebat eos Dario tradituros imperium, conjectans ex mure quidem habitationes, ex rana aquas, ex ave aërem, ex jaculo arma, ex aratro agros. Xyphodres autem, contra interpretatus, dicebat, Nisi protinus, tanquam aves, evolaverimus; aut, tanquam mures, terram, vel, tanquam ranae, aquam subjerimus: illorum jacula non effugiemus, sed eorum agros aut caesi impinguabimus, aut capti & sub jugum missi aratro scindemus. AEnigma Scythicum.

QUARTA, ac postrema AEgyptiacae Sapientiae pars spectat ad mores ac politicam vivendi rationem; cujus leges, & instituta Laërtius in Mercurium refert; quem Graeci Trismegiston, hoc est Ter maximum, appellarunt, quoniam & philosophus maximus, & sacerdos maximus, & rex maximus fuerit: sub cujus nomine nunc extant Dialogi duo, Pimander, & Asclepius; in quibus tot admiratione digna de Deo, de Trinitate, de adventu Christi, de ultimo judicio oracula protulit, ut non philosophus tantum, sed propheta futurorum praescius videatur. Jamblicus in libro De mysteriis AEgyptiorum refert, hunc Mercurium non solum philosophiae, sed & totius AEgyptiacae Sapientiae fuisse auctorem ac principem; producitque testimonium Seleuci, & Menoëti, veterum auctorum, asserentium scripsisse eum de universa AEgyptiorum sapientia libros triginta sex millia & quingentos vigintiquinque; in quibus particulatim recensentur De diis empyreis libri centum, De diis aethereis libri centum, De diis coelestibus libri mille: quorum plerique ex lingua AEgyptiaca in Graecam translati sunt a viris philosophiae non imperitis: & ob id stylo Graeco videntur conscripti: ex his Clemens in sexto Stromatum scribit aetate sua apud AEgyptios extitisse infrascriptos libros, hoc est, De universa AEgyptiorum philosophia libros triginta tres, De medicina libros sex, De sacerdotalibus decem, De astrologia libros quatuor. Mercurii Trismegisti libri de sapientia Aegyptiorum.

ATQUE haec dicta sint de AEgyptiorum Sapientia; in qua Mosem plenissime institutum affirmat Philo in primo de vita Mosis libro, sic scribens: MOSES itaque numeros, & geometriam, universamque musicam, rythmicam, harmonicam, metricam, sive contemplativam, sive per voces, instrumentaque promentem se modis variis, accepit ab AEgyptiis doctoribus, maxime vero occultam philosophiam descriptam literis, ut vocant, hieroglyphicis, hoc est, notis animalium, quae ipsi venerantur pro numinibus: ex propinquis autem regionibus evocati Chaldaei docuerunt sideralem scientiam: hanc & ab AEgyptiis didicit. Justinus philosophus & martyr, aliquantulum a Philone dissentiens, in libro Quaestionum a gentibus positarum, asseverat Mosem, omisso studio omnium Mathematicarum, quae tum in AEgypto vulgares erant, & viles, adjecisse animum ad solas hieroglyphicas disciplinas, quae tum apud AEgyptios solae in honore, & pretio erant, & non quibuslibet, sed praecipuis & approbatissimis viris, & in abditis locis secreto traderentur: has cum didicisset Moses; nihil tamen unquam secundum eas aut dixit, aut egit, quod contrarium esset unius veri Dei cultui: quod enim Stephanus statim post illa verba, ERAT MOSES ERUDITUS IN OMNI SAPIENTIA AEGYPTIORUM, addit, ET ERAT POTENS IN OPERIBUS, ET SERMONIBUS, non ita intelligendum est, ut credamus Mosem ex

Digitized by Google

vi AEgyptiacae ſapientiae aliqua miracula operatum, ſed ex ſola veri Dei virtute miranda opera peregiſſe. Clemens in quinto Stromatum ſcribit, Moſem juxta hanc hieroglyphicae doctrinae conſuetudinem multa ſub tropicis ac myſticis animalium ſymbolis vitae moralis praecepta occulte tradidiſſe, ſolis divinae legis amatoribus pervia: qualia ſunt, NEQUE PORCO, NEQUE AQUILA, NEQUE ACCIPITRE, NEQUE CORVO VESCENDUM: nam Porcus, quia eſt animal voluptati deditum & immundum, ſymbolum eſt ingluviei, & libidinis, ſignificans ciborum cupiditatem, & ſalacem in re venerea intemperantiam, & inquinatam vitam in coeno vitiorum jacentem, quae ad caedem & interitum ſaginatur. Aquilae vero, Accipitris, & Corvi interdicto oſtendit eos non eſſe imitandos, qui labore & virtute nec ſciunt, nec volunt ſibi parare victum; ſed rapina vivunt, & iniquitate. Aquila enim rapinam, Accipiter injuſtitiam, Corvus avaritiam ſignificant.

Levit. 11. a. b.

Animalia quaedam cur Judaeis a Moſe prohibita?

AGUR Judaeus, filius Jake, hortatu amicorum ſuorum Ithiel, & Vehal, edidit prophetiam quandam paraeneticam De duobus a Deo expetendis, De quatuor generibus hominum peſſimorum, De quatuor difficilibus, De quatuor minimis animantibus eximia ſapientia praeditis, De quatuor animalibus bene incedentibus: quorum ſumma trigeſimo Proverbiorum capite refertur. Aben Ezra putat hunc Agurem fuiſſe virum quendam integrae vitae, & magnae ſapientiae, cujus dicta & ſententias Salomon tranſtulit in librum Proverbiorum ſuorum. Kubenaki commentarius Hebraeorum exiſtimat hunc fuiſſe Salomonem ipſum. אגור Agur enim ſonat Congregatorem. Salomon autem congregavit verba Sapientiae, & deprompſit ea: id quod יקה Jake ſignificat: dixitque eam prophetiam propter איתיאל Ithiel, id eſt Uxores, quas plurimas habuit. אכל Uchal autem ſignificat Potero: praeſumpſit enim multa Salomon, & potuit. Atque huic ſententiae favere videtur noſtra vulgata editio, quae pro eo, quod in Hebraeo legitur דברי אגור בן יקה המשא נאם הגבר ל איתיאל ל איתיאל ו אכל diure Agur ben Jake amaſaneum aghever le Ithiel le Ithiel ve Uchal, hoc eſt Verba Agur, filii Jake, prophetia, quam dixit vir ille Ithieli, Ithieli, inquam, & Uchal, ſic tranſtulit: *Verba congregantis filii vomentis, viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait.* Et hanc ſententiam Hieronymus, ſeu potius Beda, in commentariis Proverbiorum ſequitur. Lyranus addit quoſdam eſſe inter Judaeos, qui putant hanc eſſe prophetiam Salomonis poenitentis, poſtquam reſipuit ab errore, in quem jam ſenex amore concubinarum ſuarum prolapſus eſt: quorum opiniones idem Lyranus multis confutat argumentis.

Prover. 30.

Prover. 30.

ALEXANDER, Macedonum rex, cognomine magnus, cujus geſta in principio libri Maccabaeorum breviſſime perſtringuntur, non minus accuratam, quam gratam in ſcribendis ad amicos epiſtolis dedit operam: in quibus tamen, ut Plutarchus in Phocione ſcribit, poſt devictum a ſe Darium, & ſuſceptum Magni cognomen, nulli mortalium Salutem dixit, praeterquam Phocioni Athenienſi, & Antipatro Macedoni: quos duos honoris cauſa initio literarum ſalvere jubebat. Plutarchus in Alexandro infraſcriptas Alexandri Epiſtolas recenſet.

Macc. 1. 8

AD ANTIPATRUM Macedonem de rebus a ſe in Aſia & India geſtis epiſtolas plurimas, quibus, veluti commentariis, uſi ſunt Alexandreae hiſtoriae ſcriptores.
AD DARIUM, Perſarum regem, quem ad ſe blande invitabat, epiſtolas duas.
AD PHOCIONEM, dona ſua recuſantem, lamentatoriam epiſtolam.
AD PHILOXENUM, claſſis ſuae praefectum, praepoſterae libidinis ſtudioſum, objurgatoriam epiſtolam.
AD LEONIDAM, paedagogum ſuum, epiſtolam.
AD OLIMPIADEM, matrem ſuam, de occultis Hammonis oraculis & vaticiniis epiſtolam.
AD ATHENIENSES epiſtolam unam.
AD PEUCESTEM epiſtolam unam.
AD EPHESTIONEM epiſtolam unam.
AD MEGABYZUM, ne cui ad ſacras aedes confugienti vim afferret, epiſtolam:
AD ATTALUM, & Alcetam de conjuratione Hermolai epiſtolam.

AD

Digitized by Google

AD ALEXIPPUM medicum eucharisticam epistolam.
AD PAUSANIAM medicum epistolam unam.
AD ARISTOTELEM, praeceptorem suum, de libris Metaphysices ab ipso evulgatis, epistolam, cujus hoc extat exemplum.

ALEXANDER ARISTOTELI FELICITATEM.

HAUD abs te recte factum est, quod speculativas edidisti disciplinas: qua enim in re caeteris jam nos praecellemus; si ea, quibus eruditi sumus, studia omnibus coeperint esse communia? mallem enim singulari disciplina, quam potestate, praestare. Vale.

HANC gloriae cupiditatem ita consolatus est Aristoteles, ut libros excusaret perinde editos, ac si non essent editi. Cyprianus in tractatu de idolorum vanitate refert Alexandrum ad matrem suam scripsisse insigne volumen; quo significabat sibi a sacerdote quopiam revelatum, quemadmodum dii gentium homines fuerint. Augustinus libro 8. & 12. de civitate Dei meminit epistolae Alexandri ad Olympiadem: in qua narratio recitatur cujusdam AEgyptiorum sacrorum antistitis; qui inter caetera, quae de occultis deorum mysteriis protulit ex arcanis AEgyptiorum literis, illud quoque de regnorum temporibus patefecit, videlicet Assyriorum regnum praecedere Persarum regnum quinque millibus annis; Persarum vero & Macedonum imperium usque ad Alexandrum, cui sacerdos loquebatur, constitisse per annos plusquam octo millia. Quam narrationem esse fabulosam & falsam non ex sacris literis tantum, sed ex gentium quoque historiis ibidem ostendit Augustinus. Moritur Alexander anno aetatis suae trigesimo primo, ante Christi autem ortum 323. die 28. mensis Junii circa Solis occasum. 1. Macc. 10.

ALEXANDER Rex, Antiochi regis Syriae filius, scripsit pro ineundo foedere cum Judaeis ad Jonathan, Hierosolymitanum pontificem, epistolam unam; cujus exemplum habes 1. Maccab. 10.

ANDREAE Apostoli Acta, a Gelasio in distinctione quintadecima reprobata, ut Innocentius in epistola decretali ad Exuperium scribit, Nexocharidas & Leonidas philosophi ementiti sunt. Philastrius in catalogo haereseon capite 48. HABENT, inquit, Manichaei apocrypha B. Andreae Apostoli, id est actus, quos fecit veniens de Ponto in Graeciam; quos conscripserunt tunc discipuli, sequentes Apostolum. Augustinus in libro de fide contra Manichaeos narrat Leucium Manichaeum Actiones quasdam Andreae literis mandasse, in quibus de Andrea apostolo, & Maximilla, uxore Egeae, multa risu digna legerentur, quae ibi, si otiosus sis, videre poteris capite 38. Eusebius in 3. historiae Ecclesiasticae capite 25. ANDREAE, inquit, & aliorum Apostolorum Actus nusquam prorsus in scriptis veterum, qui Apostolis successerunt, aliqua mentio habetur: in quibus & ipse stylus multum ab Ecclesiastica consuetudine deprehenditur esse diversus: sensus quoque ipse, & omnia, quae his inseruntur, longe ab apostolica dissonant fide: ex quo figmenta esse pravitatis haereticae comprobantur: unde nec inter illa quidem scripta, de quibus dubitari diximus, collocanda sunt, sed, ut aliena penitus, & a pietatis regula discrepantia, propellenda. Haec Eusebius.

ANTIOCHUS, cognomento Epiphanes, id est illustris, vel nobilis, Syriae & Asiae rex octavus, postquam violato foedere, quod cum Judaeis inierat, urbem sanctam divitiis, & templum donariis, & ornamentis omnibus expoliavit, libros in Judaeam misit a se editos, De cultu Judaico in Graecam religionem transferendo; coëgitque omnes Judaeos vivere secundum praescriptas in eis leges: quarum praecipua capita, ex libris Maccabaeorum, & Josephi a nobis collecta, haec erant. 1. Mace. 1.

Antiochi praecepta Judaeis tradita.

I. JUDAEI OMNES, abjurato Dei sui cultu, Graecorum deinceps numina colant; &, abjectis patrum suorum legibus, institutisque, ad leges, ritus, moresque Graecorum sese transferant: qui secus fecerint, ultimis maximisque suppliciis afficiuntor.

II. VOLUMINA Judaicae legis ubicunque reperta fuerint, una cum his, apud quos ea inveniri contigerit, flammis exurantur.

III. TEM-

Digitized by Google

III. TEMPLUM, quod in Hierosolymis est, Jovi Olympio dedicetur, & ipsius nomine appelletur: quod vero in Garizitano Samariae monte situm est templum, Jovis hospitalis dedicationem, & appellationem suscipiat.

2. Macc. b IIII. HOLOCAUSTA, placationes, caeteraque Judaeorum sacrificia, Sabbata quoque, & alia ipsorum sive menstrua, sive annua festa penitus abrogentur.

V. ARA in medio Hierosolymitani templi ponatur; &, Jovis Olympii simulacro super ipsam erecto, sacrificia porcina, a superstitione Judaica alienissima, quotidie in ea offerantur.

VI. EXTRUCTIS oppidatim per omnem Judaeam templis, atque altaribus, Graecorum numinum statuas sustinentibus, suillae in his victimae singulis diebus mactentur.

VII. SI QUI SEU viri, seu foeminae infantes suos circuncidere post haec fuerint ausi, durissimis excruciati tormentis, vivi adhuc, & spirantes crucibus suffigantur; liberique ipsorum strangulati, a parentum cervicibus suspendantur.

IDEM ANTIOCHUS cum ob injuste afflictam Judaeorum gentem intolerabili morbo divinitus cruciaretur, scripsit paulo ante mortem ad Judaeos supplicem epistolam; qua cum omni verborum submissione eos deprecabatur, ut memores beneficiorum, quae olim ab Asiae regibus acceperant, Antiocho regi filio, ac successori suo inviolatam fidem, & obedientiam servarent: qua scripta, inter horribiles cruciatus, manantibus toto corpore vermibus, misere periit, anno ante Christum natum 162.

ANTIOCHUS Eupator, Antiochi Epiphanis filius, Syriae & Asiae rex nonus, scripsit epistolas duas, unam ad Lysiam, procuratorem ac praepositum negociorum suorum; alteram ad senatum Judaeorum: quibus Dei cultum, templi usum, ac patriae legis observantiam, a patre suo sublata, Judaeorum genti magnifice restituit, anno ante Christum natum 161. Utriusque exemplum legitur libro secundo Maccabaeorum capite undecimo.

ANTIOCHUS Sedetes, tertius decimus Syriae & Asiae rex, qui a Demetrio fratre adoptatus in filium, ei successit in regnum, scripsit ad Simonem sacerdotem magnum, & ad senatum Judaeorum epistolam unam, petens in ea, ut liceret sibi exercitum adversus hostes suos per regiones Judaeorum sine ullo maleficio deducere, anno ante Christum natum 137.

APOSTOLORUM duodecim scripta varia tam recepta, quam rejecta citantur apud veteres auctores; ex quibus, quae nunc memoriae nostrae occurrunt; haec sunt.

APOSTOLORUM epistola, ex concilio Hierosolymitano tertio scripta ad fratres Antiochiae, Syriae,& Ciliciae, habetur apud Lucam actuum capite 15. Vide infra literam C. sub dictione Concilium.

APOSTOLORUM, Sive omnium discipulorum vitae obsignatio scriptura est honorandae vetustatis, quam Cyrillus Hierosolymae episcopus catechesi quarta nominatim inter Scripta canonica novi testamenti recenset: sunt qui putent ob signationem hanc nihil aliud esse quam apostolorum Symbolum de quo mox dicemus.

APOSTOLORUM Canones aliquot per Clementem editos Joannes Damascenus libro quarto de fide cap. 18. collocat in catalogo divinarum Scripturarum novi Testamenti.

APOSTOLORUM Canones quinquaginta, a Clemente conscriptos, quorum primus est, EPISCOPUS a duobus, aut tribus episcopis ordinetur, Leo Papa nonus contra epistolam Niceti Abbatis recipit inter scripta orthodoxae fidei; Isidorus vero in praefatione Conciliorum inter apocrypha rejicit. Vide infra in Clemente.

APOSTOLORUM Canones sexaginta approbat Zepherinus Papa in prima sua epistola his verbis: SEXAGINTA sententias apostoli praescripserunt cum aliis quamplurimis episcopis, quas servandas esse censuerunt.

APOSTOLORUM Canones octoginta quinque confirmat & ratos esse vult concilium tertium Constantinopolitanum, quod Sexta Synodus appellatur, capite secundo.

APO-

Digitized by Google

APOSTOLORUM Conſtitutiones & traditiones ſcripto proditas crebro allegat Epiphanius, praeſertim in tertio libro Panarii; ubi particulatim ipſe tres canones recitat, primum de Paſchate non celebrando in quartadecima Luna: ſecundum, quo ſub anathematis poena interdicitur Jejunium diei Dominicae; tertium, quo vetantur Sacerdotes reſecare barbam. Vide in Audianis,& Maſſilianis.

APOSTOLORUM SYMBOLUM, quod Eraſmus in praefatione Paraphraſis in Matthaeum apertiſſime dicit ſe ignorare, num ab Apoſtolis proditum ſit, omnes orthodoxi Patres affirmant ab ipſis Apoſtolis conditum, inter caeteros autem Rufinus, Aquilejae presbyter, in Praefatione expoſitionis in Symbolum Apoſtolorum a se editae, hac de re ita ſcribit: TRADUNT majores noſtri, quod poſt aſcenſionem Domini, cum per adventum Spiritus ſancti ſupra ſingulos quoſque Apoſtolos igneae linguae ſediſſent, ut loquelis diverſis loquerentur, praeceptum eis hoc a Domino datum, ad praedicandum Dei verbum, ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Diſceſſuri itaque ab invicem normam ſibi prius futurae praedicationis in commune conſtituant, ne forte alii alio adducti diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent: omnes igitur in uno poſiti, & Spiritu ſancto repleti breve iſtud futurae ſibi, ut diximus, praedicationis judicium, in unum conferendo, quod ſentiebat unuſquiſque, componunt: atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & juſtiſſimis ex cauſis appellari voluerunt. Haec Rufinus. Sanctus vero Auguſtinus in ſermone ſecundo dominicae Palmarum (a) explicans, quam ſinguli quinque Apoſtoli partem Symboli contulerint, hunc in modum loquitur: QUOD Graece Symbolum dicitur, Latine Collatio nominatur. Collatio itaque dicitur, quia collata in unum totius catholicae legis fides Symboli colligitur brevitate, cujus textum vobis modo, Deo annuente, dicemus.

PETRUS dixit, Credo in Deum patrem omnipotentem.

JOANNES dixit, Creatorem caeli & terrae.

JACOBUS dixit, Credo & in Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum, Dominum noſtrum.

ANDREAS dixit, Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.

PHILIPPUS ait, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

THOMAS ait, Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis,

BARTOLOMAEUS, Aſcendit ad coelos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

MATTHAEUS dixit, Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

JACOBUS Alphaei, Credo & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam.

SIMON Zelotes dixit, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum.

JUDAS Jacobi dixit, Carnis reſurrectionem.

MATTHIAS complevit, Vitam aeternam, Amen.

APOSTOLORUM librum, quem ipſi in Hieruſalem ſimul congregati ſcripſerunt, Chriſtiani aethiopes aethiopica lingua translatum pari cum divinis voluminibus honore venerantur. Teſtis eſt Franciſcus Alvarezius in aethiopico itinerario cap. 81.

APOSTOLICARUM Conſtitutionum libros octo, graecè ſcriptos, nuper invenit in Creta Carolus Capellius Venetus, & ipſorum Graecam epitomen latine vertit; quae primo tomo Conciliorum inſerta eſt: totos autem ac integros libros tranſtulit Joannes, Oſtunienſis epiſcopus, vir pietate atque eruditione inſignis.(b)

APOSTOLORUM Canones quoſdam ab haereticis editos reprobat Gelaſius

(a) Sub nomine M. P. Auguſtini fuit olim ab antiquis non apprime Criticis laudatus Sermo quidam ejus nomen praeſeferens, quem laudat Author, eratque primitus dictus *de tempore CXV.* nunc autem in Appendicem rejectus Tom. V. ordine *CCXLI.* Verum haud eſſe Auguſtini genuinum opus, ſed incerti Authoris, qui poſt Auguſtini e vivis exceſſum floruit, Critici omnes emunctae naris advertunt. Praeſto ſunt tamen, eaque plura, & genuina monumenta Patrum ad vindicandam Apoſtolicam editionem Symboli, quae praecipue conſuli poſſunt apud NN. Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccleſ. Sec. I. Diſſert.* 12. & Card. Gotti T. I. *de Veritate Relig. Chriſt. Cap. IV.* Verum, quod ſinguli Apoſtoli ſingulos ediderint articulos, ut tradit N. Xyſtus, & longe ante eum docuit Hincmarus, non probatur à Criticis, praecipue à noſtris hic laudatis, quos conſulas.

(b) Vide infra in *Clemente*.

Digitized by Google

in Decretis distinct. quintadecima, & Isidorus in decr. dist. sextadecima. (a)

APOSTOLORUM Actiones quasdam scripsisse Clementem testatur canon octogesimus quartus, qui sub nomine Clementis in principio primi tomi Conciliorum habetur.

APOSTOLORUM Actus juxta Ebionem errore & impietate refertos recenset Epiphanius inter scripta Ebionitarum lib. 1. adversus haereses.

APOSTOLORUM Actus, a Leucio Manichaeo excogitatos, refellit Augustinus in libro de fide contra Manichaeos.

APOSTOLORUM Actus sub nomine Lucae confinxit fabulis plenos presbyter quidam Asianus, Pauli studiosus; quem de fraude convictum Hieronymus in libro de viris illustribus refert. Vide infra in Paulo.

APOSTOLORUM Doctrina rejicitur ab Athanasio in Synopsi, & ab Eusebio in 3. hist. Eccl. cap. 25.

APOSTOLORUM Evangelium, sive Evangelium, quod inscribitur Juxta XII. Apostolos, Origenes hom. 1. in Lucam enumerat inter Apocrypha. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos indicat Evangelium Secundum Apostolos idem esse, quod Nazaraenorum, sive Hebraeorum Evangelium.

APOSTOLORUM Itinerarium repudiatur in quinta Actione secundi Concilii Nicaeni.

APOSTOLORUM Memoria opus fuit Priscillianistis haereticis admodum familiare; cujus meminit Orosius in epistola ad Augustinum de erroribus Priscillianistarum.

APOSTOLORUM Sortes reprobantur in Decretis, distinct. quintadecima, causa vigesima sexta, quest. septima, capite, NON OBSERVETIS.

APOSTOLORUM Scripta a Dictinnio haeretico ementita, damnantur in Concilio Bracarensi Canone decimo septimo.

APOSTOLORUM duodecim Vitae: has, ut referunt Jacobus, Archiepiscopus Genuensis, in lib. annuarum solemnitatum, & Petrus episcopus Equilinus, lib. 9. catalogi Sactorum, Hebraïce scripsit Abdias, primus Babylonis episcopus, ab ipsis Apostolis ordinatus; quas Eutropius, Abdiae discipulus, transtulit ex Hebraeo in Graecum, & Julius Africanus in Latinum: verum, ut opinor, Julius non Latine, sed Graece scripsit. Nuper ex Germania sub titulo hujus Abdiae prodiere libri 10. de historia certaminis apostolici, Oporini typis excusi; quos, ut fide indignos, Paulus Papa IIII. inter scripta a se damnata rejecit.

APOSTOLI Magni Revelationes: de hoc Opere Gajus, Origenis discipulus, in Dialogo disputationum suarum, ita scribit: CERINTHUS per revelationes quasdam, quas velut ab Apostolo Magno conscriptas, & per Angelos ei revelatas putaret, talia quaedam portenta nobis inducit; Post resurrectionem terrenum futurum esse regnum Christi in Hierusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis, & vitiis subjectam conversationem habituros: contra fidem quoque scripturarum quosdam mille annos designat, in quibus multa quidem & alia corruptionis opera, & nuptiarum festivitates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos.

APOSTOLICUS Liber volumen est a Marcione haeretico, ex testimoniis epistolarum Pauli, adulteratis multis, mutilatisque collectum: cujus exemplar ab Epiphanio inseritur, in lib. 1. adversus haereses, in confutatione Marcionis. Epiphanius, & Theodoretus memoriae prodiderunt Manem, sive Manichaeum Persen, qui se paraclerum esse dixit, duodecim sibi assumpsisse discipulos, quos Apostolos nuncupavit, singulis unum ex Apostolorum Christi nominibus imponens: hi cum multa doctrinae suae volumina praefixis ipsorum nominibus divulgassent; facile obtinuerunt, ut ipsorum scripta sanctorum Apostolorum esse crederentur.

ARAE Athenienses inscriptio: fuit olim Athenis Ara quaedam cum inscriptione, ut Oecumenius refert, hujusmodi: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, θεῷ ἀγνώστῳ, καὶ ξένῳ: id est, *Diis Asiae, & Europae, & Libyae, Deo ignoto, & peregrino*. Ex hac Paulus Apostolus, cum ad Athenienses in Martis Curia pro concione locuturus esset, argumentum orationis suae artificiosissime deduxit, his verbis,

Acto. 17. c

(a) Vide quae ibidem adnotabuntur in *Clemente*.

Digitized by Google

bis, ut Lucas in Actis Apostolicis scribit, exorsus: VIRI Athenienses, per omnia, quasi superstitiosos vos video, praeteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat, IGNOTO DEO, quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia, quae in eo sunt, &c. quibus verbis Paulus colore & astu quodam maxime rhetorico ostendit, se nihil aliud eis suadere, quam ut facerent, quod jam sponte faciebant: hoc est, ut colerent Deum, quem jam colebant, & in ara, sub Ignoti nomine praenotaverant. Duas autem causas refert Oecumenius, cur ea inscriptio haberet, ΑΓΝΟΣΤΩ ΘΕΩ, IGNOTO DEO: alteram, quod, cum Athenienses nuncios misissent ad Lacedaemonios oratum, ut venirent ipsis auxilio adversus exercitum Persarum, Graeciam invadentem, spectrum Panis juxta Parthenium nunciis apparuit, accusans Athenienses, quod, se neglecto, alios deos colerent; & se pro sua erga eos benevolentia auxilio futurum promisit. Cum itaque victoria potiti essent Athenienses, templum illi erexerunt, aramque aedificarunt: & tanquam observantes, ne idem sane, vel aliud simile ipsis accideret, si quemquam ignotum sibi Deum praetermitterent, aram illam erexerunt, inscribentes, IGNOTO DEO, ac si dicerent, si quis adhuc alius Deus est nobis ignotus, in ejus honorem hanc aram erigimus, ut nobis propitius sit, licet, cum ignoretur, non colatur. Alteram vero causam affert talem. Laborabant quondam gravissima peste Athenienses: & cum deorum omnium, quos ipsi colerent, opem multis votis, precibus, ac sacrificiis implorassent; nihil adjumenti senserunt, intelligentes igitur quemdam fortassis esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui iratus pestem immitteret, novam extruxerunt aram, eamque inscripserunt, IGNOTO DEO; quo facto, statim pestis cessavit. Hanc igitur inscriptionem Paulus, fortuito a se conspectam, tor-

In vulgata legitur superstitiosiores.

(a) Quod Oecumenius tradit, ad lydium lapidem probatum, alienum invenitur à veritate authoritateque: neque possumus adhibere fidem Oecumenio, ceu viro contemporaneo, aut suppari, quum diu post ac res evenit is fuerit in vivis: quapropter primum lubet ex Ethnicis depromere quae Athenienſibus consueta fuerunt, & ab antiquis traditam historiam ad examen revocare; deinde quid circa hanc rem tradiderint Critici, re plenius perpensa & examinata, adstruere. Fuisse quidem Athenis positam aram Europae, Asiae, & Africae diis (iis tamen ignotis) Sacram, cui haec erat adjecta inscriptio:

Θεοῖς Ασίας καὶ Εὐρώπης
καὶ Λιβύης
Θεοῖς ἀγνώστοις
καὶ
Ξένοις

nemo est, qui inficias ire pertentet. Legimus enim apud Pausaniam *Lib. V. pag.* 290. (qui anno 139. post Christum floruit.) „ De Maxima quidem Ara, quae „ dici opus fuit, paulo superius à me dicta sunt. „ Vocatur ea sane Jovis Olympii: Adjacet ei ignotorum Deorum Ara „. Ex quo certo certius evincitur Athenis in cumulanda superstitione cunctas Graeciae Urbes superemi nentibus Aram diis etiam incognitis fuisse erectam sacratamque. Num autem haec Ara, quam modo laudavimus, & Pausanias retulit, eadem fuerit, quam Paulus expressit, & Apostolorum Acta commemorant? dubium exoritur, idque necessario extricandum ad veritatis notitiam, & historiae cognitionem. Author Commentarii *Epistolae ad Titum* sub nomine Hieronymi ita de Gentium Doctore sentit ibidem *Cap. I.* „ Nec mirum „ si pro opportunitate temporis Gentilium Poëtarum „ versibus abutatur; cum etiam de inscriptione Arae „ aliqua commutans, ad Athenienses locutus sit. „ Pertransiens enim, inquit, & contemplans cul„ turas vestras, inveni & Aram, in qua superscri„ ptum est Ignoto Deo... Inscriptio autem Arae „ non ita erat, ut Paulus asseruit: Ignoto Deo; „ Sed ita; Diis Asiae, & Europae, & Africae, „ Diis ignotis & peregrinis. Verum quia Paulus „ non pluribus Diis egebat ignotis, sed uno tantum „ ignoto Deo, singulari verbo usus est. „ At quum ita sinistre sentiat, ita pessume de Gentium Sanctissimo doctore praefatus Author ogganniat: quis vel mica rationis pollens sibi suadebit unquam Hieronymum Doctorum Maximum illius scelesti operis fuisse Authorem? Samuel Basnagius ex consueta sibi petulantia traducere non ambigit, nec carpere timet Hieronymum dum praefatum textum refert. Ad *An. Christi Ll. pag.* 635. „ Intoleranda tamen nobis est Hie„ ronymi petulantia, quod pace cinerum ejus dica„ tur, qui pene falsi dicam scribit Apostolo. „ Certe vel ex eo major est ejus petulantia & ignorantia, quia omnis, qui Sapiens Criticus audit, sive Romanae communionis is sit, sive ex exegregum coetu, praefatum Commentarium Hieronymo abjudicat, restituitque illum vel Pelagio, vel Pelagiano cuidam inepto petulantique scriptori. Ita enim docent Cardinales Bellarminus, & Norisius. Alphonsus Salmeronius, Antonius Possevinus, Marianus Victorius, Benedictus Pererius, Antonius Pagi, Augustinus Calmet, Helias Du-Pin, & alii. Ex Nostris Ambrosius Catharinus, Xystus Senensis, Natalis Alexander, & plures alii. Ex Acatholicis Cornelius Scultingius, Gerardus-Johannes Vossius, Andreas Rivetus, Casimirus Oudin, Guillelmus Cave, cujus judicio subscribit Johannes Popeblount. Non igitur mentitus est Paulus oculatus & θεοπνευστος testis dum ignotum Deum ab Athenienſibus adoratum inquit; sed, ut vidit, ut legit, ita repetiit: nec aliter quidem poterat scientibus videntibus ac legentibus enunciare. Ait quidem: „ Praeteriens enim, „ & videns simulacra vestra inveni & Aram, in „ qua scriptum erat: ΑΓΝΩΣΤΩ ΘΕΩ, IGNOTO „ DEO.„ & consequenter altera ab enunciata a Pausania erat Ara, quam nominavit Gentium Doctor, altera erat inscriptio ab illa, quae prostabat Athenis: praecipue quum notum sit Eruditis non unicam id genus apud Ethnicos fuisse Aram, sed apud Graecos pariter ac Latinos fuisse Aras IGNOTO DEO sacratas. De Ara quidem subterranea juxta Circum maximum Romae positam, in qua Consualia.

Digitized by Google

torsit in argumentum Evangelicae praedicationis, usus artificio ejus loci, quem Rhetores locum a Fortuitis vocant; cum scilicet fortuitos quosdam eventus convertunt in argumentum eorum, de quibus dicturi sunt, sicut de Leone Byzantio Sophista scribit Philostratus in Sophistis: qui cum obeso ac praepingui, ut erat corpore, prodiisset ad populm Athenienſem, suasurus concordiam, statimque populus, enormi crassitudine hominis conspecta, ridere coepisset; ille nihil commotus, Ridetis? inquit: est mihi uxor me crassior, & cum ad haec populus majorem risum substulisset; protinus addidit; Et tamen unus lectulus nos tales capit concordes, discordes ne tota quidem domus, atque ita fortuitum risum vertit in argumentum suadendae concordiae.

Factum, & acutum dictum Leonis Byzantii.

ARA-

lia celebrabantur, haec habet Dionysius *Antiquit. Romanar. lib. II.* „ Illam vero Aram subterraneam „ Deo cuidam ignoto consiliorum occultorum Praesidi, & custodi postea fuisse consecratam „ Lucianus, sive alius is sit Author *Philopatris* haec habet: Ημεῖς δὲ ἐν τῇ ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἱδρυόντες. „ Nos autem illum Athenis ignotum, inventum „ adorantes, & manus ad Coelum tollentes, gratias agamus „ Hanc ergo Aram IGNOTO DEO Sacram Athenis reperit Paulus: de hac verbum habuit: quare Clemens Alexandrinus vetustissimus Ecclesiae Pater *Lib. V. Stromat. pag.* 429. „ Restat utique ut divina Gratia, & solo, quod ab eo profiscitur, verbo, id, quod est ignotum, intelligamus, quomodo Lucas quoque in Actis Apostolorum Paulum dicere commemorat... Inveni, „ inquit, Aram, in qua scriptum erat Ignoto Deo. „ Idem habent Origenes, aliique PP. Hac igitur veritate contra impostorem laudati Commentarii Authorem firmata, causſam hujusce erectae Arae cum eadem inscriptione edisserere lubet.

N. Xystus duas ab Occumenio (qui inscriptionem ab Authore Commentarii jam ventilato exscripsit) adsignatas causſas memorat, quas pariter alii adsignant. Alii autem ex Diogene Laertio (qui An. post Christum natum CLX. floruit) sic exscriptam repetunt, quam ille adsignat, causſam. „ Cum „ Athenienses corripuisset pestis, respondit Pithia, „ ut Urbem expiarent. Illi vero navem una cum „ Nicia, Nicerati filio, in Cretam ad accersendum „ Epimenidem miserunt, qui cum advenisset Olympiade 46. Urbem expiavit, effecitque hoc modo, „ ut pestis cessaret. Acceptas oves nigras, & albas, „ ad Areopagum duxit, & illinc abire permisit quocumque libuisset; addito iis, qui eas insequebantur, mandato, ut ubi quievissent, Deo, qui „ conveniret, sacrificarent. Ita igitur malum illud „ ajunt desiisse, & hinc factum, ut Athenienſium „ vicis, Arae nullo inscripto nomine inveniantur „ At conjectura haec neque historiae congruit, neque Apostoli verbo. Vel enim Ara, quam Paulus commemorat, epigraphe caruisset, vel illam praesetulisset, quam Epimenides subindicarat. τῷ προσήκοντι Θεῷ, At Paulus inscriptionem in ea offendit, & illam dubio procul, quam, nec apice immutato, nominavit ἀγνώστῳ Θεῷ: longe igitur ab commemorato eventu illa erecta Athenis Ara, quam Paulus invenit. Praeterea Numen, cui victimas immolandas Epimenides jussit, citra omnem dubietatis aleam, infame fuisset idolum, qua de causſa hujusce *Ignoti Dei* titulum illam praeseferentem Aram nec nominasset Paulus, qui hinc occasionem Veri Dei enunciandi adsumsit; & quem, ut colerent Athenienses, ex eorum monumento praedicavit, edixitque. Adde: quod si hoc numen Doctor Gentium laudasset, quod Laërtius indigitat, & Epimenides veneratione dignum inquit, Athenienses Paulo adclamassent, non secus ac Lycaonenses cum tauris adductis sacrificare eidem velut Mercurio contendebant.

Causſam quippe veram hujusce erecti sacratique Altaris Card. Baronius cum aliis pene multis Eruditis adsignat, eamque ait fuisse, ut Deo vero, quem ignorabant Athenienses, cultum, extructa Ara, praestarent. At, quod ex Trismegisto, & Sybillis notum Gentilibus adserit, ad incudem revocatum subsistere nequit: praecipue, quia, ut infra ostendetur, & Mercurii Trismegisti scripta, & Sybillina oracula fictitia sunt, quae propterea ab eruditis Criticis ad fabulas amandantur. Ut ergo res clarius innotescat praenotandum est ad rei firmitatem, quod M. P. Augustinus tradit *lib. I. contr. Cresconium cap.* 29. Athenienses, nimirum, sub Ignoti Dei nomine Verum Supremumque Numen adorasse, non secus ac extra Ecclesiam Schismatici agunt: quare ex eodem M. P. haec fuit Apostoli mens, „ ut eundem Deum, quem „ praeter Ecclesiam ignoranter, atque inutiliter, „ colebant, in Ecclesia sapienter, & utiliter colerent. „ Inutiliter quidem & ignoranter Deum verum, seu Deum Hebreorum colebant Athenienses, quia simul cum ceteris eorum Pseudo-Numinibus adorabant, non secus ac Samaritani cum ceteris Diis יהוה *Jehova* colebant, & Alexander Severus in suo Larario Christum, Abrahamum, Orphaeum, ceteroque id genus Deos, quos coleret, retinebat. Nec quidem alium eis Paulus praedicavit: quandoquidem nisi hunc יהוה seu Graecis Τετραγράμματον *Tetragrammaton* annunciasset, dum hunc eundem eis ignotum, sed ab eis cultum adseruit, obtorto collo solemnem Arae inscriptionem ad verum numen probandum traxisset; nec de peregrina religione praedicata promeritas poenas evasisset. Hebraeorum ergo Deus, qui ignotus Gentilibus erat, seu cujus quidditatem, & essentiam illi ignorabant, reboavit in eorum ditione ex conversatione cum Hebraeis, quare nec huic cultum denegarunt Pagani: extatque insigne hujusce rei monumentum apud Tacitum *Lib. II. Hist. Cap.* 15., ubi memoratur Deus *Carmel*, qui certe ab Judaeorum Deo diversus non est. „ Est Judaeam inter Syriamque Carmelus; ita vocant montem, Deumque. Nec simulacrum Deo, aut Templum, sic tradidere Majores, Ara tantum & reverentia. „ Multiplex vero, eaque solida hujusce tituli ἀγνώστου *incogniti* ab Athenienſibus veri Dei causſa praesto est. I. quidem quia Sapientes illi, qui eruditione, philosophiaque sua superbiebant, tam crassa Numinis ignorantia laborabant, ut nec vel primis quidem lineis deprehenderint quid esset Deus. Ait enim Plutarchus *Conv. Sap. p.* 153.: „ Quid est „ antiquissimum? Deus, inquit Thales; ortu enim „ caret. Quid maximum? Locus; reliqua enim „ mundus continet, & ab hoc continetur. Quid „ pulcherrimum? Mundus; omnes ejus partes ordine aptae sunt. Quid sapientissimum? Tempus. „ Id enim alia invenit, reliqua vero inveniet. „ Et ut ex Catholicis iisque vetustis Ecclesiae Patribus id ipsum scrutemur, ita loquitur de Gentilibus Clemens Alexandrinus *Lib. VI. Stromatum*: „ Non enim „ de Deo dicunt aliquid Philosophi, sed suas affectiones Deo attribuentes exponunt. „

II. Quia ignotus erat Ethnicis verus Deus, quem Synagoga colebat; hinc optime Regius vates ait: *Notus in Judaea Deus*: Judaeis siquidem ex Divina revelatione innotescabat D. O. M. qui Paganis ex praefato momento *incertum incognitumque* numen erat,

Digitized by Google

ARATUS, Poëta eruditiſſimus, & Antigoni Macedonum regis Medicus, ex Solis, urbe Ciliciae, (quae a Solone, Lindii filio, nomen accepit, & poſtea Pompejopolis appellata eſt) ex Athenodoro, vel, ut quibuſdam placet, Mnaſeo patre, & Leonodora matre natus eſt; ac ſub Dionyſio Heracleote, Ariſtotero mathematico, & Perſio poëta in urbe Athenarum liberalibus ſtudiis indulſit. Fratres quoque habuit tres, Mirin, Calondam, & Athenodorum; qui primus Zoilo, qui contra Homeri poëſim ſcripſit, contradixiſſe dicitur. Ipſe vero inter varia ſtudiorum ſuorum Opera librum edidit Aſtronomicum φαινόμενα, hoc eſt, APPARENTIA praenotatum, in quo conſtitutionem totius Sphaerae coeleſtis, imagines, figuras, ortus, & occaſus omnium ſtellarum inerrantium, heroïcis verſibus elegantiſſime cecinit, hunc in Latinum ſermonem & hexametro carmine tranſtulerunt, M. T. Cicero, Germanicus Caeſar, Octavii Auguſti filius, Sex. Avienus Ruffus, D. Hieronymo ſynchronos, ac plerique alii, quos enumerare longum eſſet. Ex hoc Paulus Apoſtolus, quemadmodum in decimo ſeptimo capite Actuum Apoſtolicorum legitur, cum in Areopago, quae eſt Athenienſium Curia, concionaretur ad populum, Teſtimonium ſumpſit, quod omnes ex Deo ſimus, inquiens:

IN-

erat, & ita quoque vocabatur ab eis: quapropter *in Legatione Philonis* Cajus inquit: „ Vos ne eſtis „ illi Diis inviſi, qui me omnium confeſſione Deum „ declaratum, ſoli aſpernamini, mavultiſque ve„ ſtrum innominatum colere. „ extatque diſertiſſimus in hanc rem locus Trebellii Pollionis *in Claudio* „ Etiam illud addentes, Moſen ſolum, Dei, ut Ju„ daeorum libri loquuntur, familiarem 125. Annis „ vixiſſe, qui cum quereretur quod juvenis interi„ ret, reſponſum ei ab Incerto ferunt Numine, ne„ minem plus eſſe victurum. „ Et tandem Lucanus *Lib. II. Pharſal.* diſertiſſime incertum vocat Judaeorum Deum. „ Cappadoces mea ſigna timent, & de„ dita ſacris Incerti Judea Dei. „

III. Tandem vel ex eo *Ignotus* dicebatur D. O. M. quem Iſraël agnoſcebat & venerabatur, quia huic Hebraeorum Deo nomen ineffabile יהוה reſpondebat, quod in aurea lamina inſculptum è Sacerdotum fronte pendebat, & in divino Eloquio ſcriptum conſpiciebatur; at nemini voce illud exprimere fas erat, qua de cauſſa dum illud nominandi neceſſitas occurrebat, praecipue in expoſitione Bibliorum non quidem יהוה uſurpabant, ſed vel אל *El*, vel אלוה *Eloah*, ve אלהים *Eloim*, vel אדני *Adonai* &c. Refertque Joſeph Hebraeus *Lib. II. Antiquit. Cap. XII. v.* 4. Hoc ineffabile nomen Patriarchis pridem ignotum ſolummodo Moyſi in Rubo, fuiſſe a Deo primitus reſeratum: „ Tum Deus nomen ſuum „ ei enunciat, hominibus non antea patefactum: „ quod effari mihi nefas eſt „ Hocque proprie nomen, quod nulli a Deo competere poteſt. De qua re conſuli poſſunt Divini Verbi Interpretes, eruditique Theologi, & praeſertim N. Xantes Pagninus *in Lexico Hebraico*. At Gentilium Numinibus ab initio proprium inditum fuit nomen, quod cunctis ſcribere effarique licebat; nec aliud ſonabat, quam privatam perſonam opere & nomine deſpicabilem. Dum igitur IGNOTO DEO Aram ſtatuerunt Athenienſes, nonniſi incerto innominato, ſed vero D. O. M. quem Hebraei colebant, ſacrarunt Altare.

Quod ſi ulterius cauſſam quaeras quo ex momento huicce Judaeorum Deo Athenienſes ſacraverint Aram? Sufficere quidem poſſet ſuperius adſignatum motivum, nimirum, ad ſuperſtitionem dilatandam etiam Hebraeorum numen ceteris Diis adgregare voluiſſe, etſi ignotus eis foret excelſus omnium conditor, quem adorabant. Verum ad majorem firmitatem noſtrae adſertionis, qua ſtatuimus ex eo Hebraeorum Deum fuiſſe ignotum, occultum, incertumque Graecis quia ineffabile erat יהוה, adnotare lubet quod Flavius Joſephus de Alexandro Macedonum Rege narrat, ut ex facto hujuſce Regis, qui יהוה adoravit, ſed effari non poſſe adſeruit, cujuſque dicti ac facti res tota innotuit Graecis, conjectura non levis firmetur de cauſſa ſacrandi Hebraeorum Deo aram Athenis. Sic enim ſcribit laudatus hiſtoricus *Lib. XI. Antiquit. Cap. 8. n. 5.* „ Alexan„ der enim procul adhuc conſpicatus multitudinem „ in albis veſtibus, & Sacerdotes praecedentes in „ byſſinis tunicis, & Pontificem in hyacinthina ve„ ſte, & auro diſtincta, atque thiaram in capite „ gerentem & auream in ea laminam, in qua Dei „ nomen inſcriptum erat: ſolus acceſſit, & nomen „ veneratus eſt, priorque Pontificem ſalutavit. Ju„ daeis autem omnibus una voce Alexandrum ſalu„ tantibus, & in orbem cingentibus, Reges quidem „ Syriae, reliquique obſtupuerunt, & Regem men„ tis impotem eſſe ſunt ſuſpicati. Parmenione ve„ ro ſolo eum aggreſſo, & percontato, qui fa„ ctum ſit, ut omnibus eum adorantibus, ipſe „ Judaeorum Pontificem adorarit; non hunc, „ inquit, adoravi, ſed eum, cujus ille ſum„ mo Sacerdotio decoratus eſt. Hunc enim ſecun„ dum quietem vidi in hoc habitu, cum eſſem in „ Dio in Macedonia; ac cogitantem me apud me „ ipſum, quonam pacto potiri poſſem Aſia, horta„ tus eſt, ne cunctarer, ſed confidenter trajice„ rem; se se enim exercitui meo praeiturum, mihi„ que Perſarum imperium traditurum. Itaque cum „ alium nullum in tali veſte viderim, & nunc con„ ſpicatus hunc, & illius in quiete viſi & cohor„ tationis recordatus ſim, puto me divino miſſu fa„ cta expeditione, Dario ſuperiorem fore, & Per„ ſarum poteſtatem aboliturum, atque omnia, quae „ mihi ſunt in animo ſucceſſura. Haec locutus ad „ Parmenionem, dataque Pontifici dextra, Sacer„ dotibus eum curſu comitantibus in Urbem venit; „ & in Templum aſcendit, ac Deo ad ſacerdotis „ praeſcriptum ſacrificavit, ipſumque Pontificem, „ & Sacerdotes magnifice honoravit. „ Ex quo enim Alexander veneratus eſt Dei nomen in lamina Pontificis inſcriptum, יהוה, nimirum, quem nec nominavit, ſed iterum in Templo adoravit, & Sacrificio ſibi indicto coluit, facile fieri potuit ut Athenienſes, ad quorum notitiam res tota pervenit, huicce ineffabili Deo, ſeu *ignoto*, vel *incerto*, ſeu *occulto* ſacraverint Aram. Quae vero tradunt alii de hac Ara IGNOTO DEO ab Dionyſio Areopagita primum erecta dum Solis eclypſim in morte Redemptoris vidit, ut Deum in Carne paſſum obſcura epigraphe indigitaret, ad fabulas ſunt amandanda, ſicut & alia id genus, quae repetere taedet, quum jam dicta ſufficiant ad noſtri operis intentum, & ſcopum. Cetera qui ſcire exoptat eruditos Interpretes conſulat, quum non pauci ea de re ex profeſſo tractarint.

Digitized by Google

IN IPSO vivimus, movemur, & ſumus, ſicut & quidam veſtrorum poëtarum dixerunt.

τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. id eſt, *Ipſius & genus ſumus.*

QUOD quidem hemiſtichium in Praefatione Phaenomenon poëta de Jove protulit, nam cum Opus inchoaſſet ab eo verſu, ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα, paulo poſt intulit, Ipſius & genus ſumus, quod Paulus animadvertens Jovi perverſe, & omnino injuſte attribui, ipſe Deo vero juſtiſſime reſtituit. Claruit Aratus tempore Ptolomaei Philadelphi, vixitque illuſtris in Regia Antigoni, Demetrii filii; qui imperium Macedonum ſuſcepit Olympiade centeſima quinta.

2. Macc. 1. ARISTOBULUS, Sacerdos & Philoſophus, genere Judaeus, ad quem extat epiſtola Senatus Hieroſolymitani, quae in principio ſecundi libri Maccabaeorum legitur, ſcripſit ad Ptolomaeum Philometorem, diſcipulum ſuum, Commentarios in Moſen eruditiſſimos (quorum recordatur Euſebius in Chronicis) & librum ad eumdem de membris Dei; ex quo Teſtimonium profert Euſebius libro octavo praeparationis Evangelicae. Vide hoc ipſum latius libro quarto, in dictione Ariſtobulus Junior.

ASSUERUS, quem Graeci Artaxerxen, Joſephus Cyrum, Xerxis filium, tradit, varia ſcripſit; de quibus in Sacris voluminibus citantur.

DIVINARUM Actionum Commentarii. Eſther 12.

AD PRAEFECTOS centum viginti ſeptem Provinciarum imperii ſui, de extinguenda penitus Judaeorum gente, epiſtola una. Eſther 8. & 13. Joſephus libro 11. Antiq. cap. 6.

AD EOSDEM pro ſalute & ſecuritate totius Judaïcae nationis, epiſtola altera, prioris revocatoria, primo Eſdrae 8. & 16. Joſephus ibidem.

B

Num. 22. BALAAM, filius Beor, ex regione Amonitide, profeſſione divinator & hariolus, cujus vaticinia Moſes in libro Numerorum conſcripſit, libros divinationum ſuarum creditur poſteris ſuis reliquiſſe, de quibus Origenes Homilia decimatertia in Numeros ita ſcribit: SI A MOSE prophetiae Balaam Sacris inſertae ſunt voluminibus; quanto magis deſcriptae ſunt ab his, qui habitabant tunc Meſopotamiam; apud quos magnificus habebatur Balaam, quosque artis ejus conſtat fuiſſe diſcipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus, & inſtitutio in partibus Orientis vigere: qui deſcripta habentes apud se omnia, quae prophetaverat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod Orietur ſtella ex Jacob, & exurget homo ex Iſraël. Haec ſcripta habebant Magi apud ſemetipſos: & ideo, quando natus eſt Jeſus, agnoverunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipſi, quam populus Iſraël; qui ſanctorum Prophetarum audire verba contempſit: illi ergo ex his tantum, quae Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcentes adeſſe tempus, venerunt; & requirentes eum ſtatim adoraverunt. Author Operis imperfecti in Matthaeum, cap. 2. Origeni ſubſcribens, LEGI, inquit, apud aliquem, Magos iſtos ex libris Balaam divinatoris appariturae hujus ſtellae ſcientiam accepiſſe; cujus divinatio poſita eſt in veteri Teſtamento: ORIETUR STELLA EX JACOB, ET EXURGET HOMO EX ISRAËL, ET DOMINABITUR OMNIUM GENTIUM. (a)

BA-

(a) Non una eſt omnium Patrum ac Interpretum de Balaamo ſententia. S. Hieronymus *Quaeſt Hebraic. in Geneſim* cum Hebraeis ſentire videtur Balaamum Veri Dei notitiam habuiſſe, cui aras erexit, fuiſſeque verum Prophetam, eſto pluribus obnoxium ſceleribus. S. Ambroſius *Epiſtola I. primae claſſis nov. editionis* Balaamum Caiphae comparat, qui imprudens Prophetam egit. Non pauci autem divini Verbi expoſitores Balaamum ſtatuunt Ariolum idolis ſacrum: quare S. Thomas 2. 2. *qu. CLXXII. Art. VI. in argum. ſed contra* ita ſcribit: „ dicit quaedam „ Gloſſa, quod *Balaam divinus erat, daemonum ſcilicet miniſterio, & arte magica nonnumquam futura praecognoſcens*. Sed ipſe multa praenunciavit „ vera, ſicut eſt illud, quod habetur Num. 24. „ *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſraël.* „ Ergo etiam prophetae Daemonum pronunciant „ vera: „ Cujus autem ſit haec gloſſa quam laudat Angelicus, optime adnotavit N. Johannes Nicolai *in nota marginali* ibidem: „ Quae in veteri manuſcripta „ editione nullo nomine praenotatur, ſed in moderna ex Rabano, qui & *Lib. 3. in Numeros cap. VI.* „ ſic eam habet. Quiddam etiam tale, licet ſerie „ non eadem, ex Origene in eum locum *Homilia XIII.* ſparſim colligi poteſt, & fortaſſe Rabanus inde ſumpſit. „ Ex Origene etiam ibidem idipſum mutuatus eſt N. Xyſtus, quod pariter docuerunt Theodoretus *qu. 39. & 40. in Numeros*, & S. Cyrillus Alexandrinus *Lib. IV. & VI. de adoratione in Spiritu & Veritate*. Verum Origenes tunc ſolum prophetaſſe Balaamum adſerit, quum Dominus eum adſumſit, & in os ejus ea poſuit verba, quae futurum Meſſiam enunciarent. Nec certe aliam in eo Angelicus veram prophetiam dignoſcit, quam nuper di-

Digitized by Google

BALAAM Doctrina citatur in secundo capite Apocalypsis, haec, ut quidam falso existimant, non est scriptura quaedam occulta, sed consilium improbum, quo ipse admonuit regem Balac; ut, si vellet Judaeorum gentem perdere, pertraheret filios Israël ad scortationem, & idolorum cultum, mittens ad eos formosissimas mulieres, quae eos ad libidinem inescarent, & accenderent; atque hoc pacto inescatos ad ritus gentiles inducerent. Vide hanc historiam Numer. cap. 24.

BARNABAS Cyprius (qui & Joseph Levites) de septuaginta duobus discipulis Domini, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus, & postea propter Joannem discipulum, qui & Marcus vocabatur, a Paulo separatus, Evangelicae praedicationis injunctum sibi opus usque ad septimum Neronis annum exercuit; in quo a Cypriis suis Martyrio coronatus occubuit. Clemens, Romanus Pontifex, in primo Recognitionum libro scribit, eum in Italiam venisse, & Dorothaeus, Tyri Episcopus, in Synopsi (a) testatur eum Mediolanensis urbis primum fuisse Episcopum. Hic unam ad aedificationem Ecclesiae pertinentem scripsit epistolam, ex qua in Stromatibus Clementis Alexandrini haec fragmenta, sive testimonia passim dispersa reperi. Act. 15. 39.

Epistolae, quae Barnabae tribuitur, fragmenta.

SIMPLICIUS vobis scribo, ut intelligatis. Deus, qui est universi mundi Dominus, det etiam nobis sapientiam, & intelligentiam, scientiam, cognitionem justificationum ejus, & tolerantiam. Ante, quam nos Deo crederemus, erat nostri cordis habitaculum, interitui obnoxium & imbecillum, vere templum manu aedificatum, quia erat quidem plenum cultu idolorum, & erat domus daemonum, quod faceret, quaecunque Deo sunt contraria. Attendite, ut templum Domini gloriose aedificetur: discite vos accepisse remissionem peccatorum, & speravisse in nomen; quare in nostro habitaculo Deus inhabitat, in nobis est verbum fidei, vocatio ejus promissionis, sapientia justificationum, & mandata doctrinae. Cum fide ergo vestra perfectam etiam habeatis cognitionem: fidei coadjutores sint timor, & tolerantia, quae autem opem ferunt his, sunt longanimitas, continentia; quibus caste manentibus, una cum eis laetatur sapientia, scientia; intelligentia, cognitio.

HAEC EX CLEMENTE, cujus discipulus Origenes in tertio Periarchon libro sic scribit: BARNABAS in epistola sua declarat, duas esse vias, unam lucis, alteram tenebrarum; quibus & praeesse dicit certos quosque angelos; viae quidem lucis angelos Dei, tenebrarum autem viae angelos Sathanae. Haec de Barnabae epistola, praeter quam Tertullianus etiam eam, quae sub nomine Pauli ad Hebraeos inscribitur, existimat ab ipso fuisse compositam. Transtulit quoque ex Hebraeo in Graecum Matthaei Evangelium; de quo Theodorus Lector collectaneorum

dictam de eodem Servatore Christo nascituro ex semine Jacob: Et ita similiter plane alii non pauci adferunt de Verbo Dei in carne nascituro ex Virgine Matre, Sole, nempe, de Stella prodituro, ut peregregie Bernardus ait. „ Angelus consilii natus est „ de Virgine, Sol de Stella „ quem propterea nova stella foret Gentibus demonstratura. At quae ita Origenes, ex eoque Author *Operis imperfecti*, aliique plures mutuantur ad designandam reapse stellam, quae Magos ad Christi praesepe duxit, ita indubia non sunt, ut suos quoque non patiantur manes. Dubium est enim imprimis unde nam venerint Magi, quos ab Oriente venisse Evangelista percenset: & probabilior certe est eorum opinio, qui adstruunt eos fuisse Persas ex Persida properantes ad Christi primordia veneranda, & magnificandum muneribus immaculatum Virginis partum. Sed etiam dato, quod Magi ex Mesopotamia Jerosolymam venerint, & inde Bethleemum perrexerint pupulum Jesum adoraturi, ut Origenes & Basilius adserunt, quid ad fides Balaami vaticinium nuper laudatum? Etsi enim Balaamus in Mesopotamia natus fuerit, non tamen in Mesopotamia, sed in Moab, quo fuerat a Balac adcitus, oracula fudit de Christi adventu, & de admirabili ejus ortu vaticinium protulit; neque unquam ad proprios rediit lares, neque suis laudatum oraculum commendavit, unde posset ad Magos Christi praesepis adoratores vaticinium pertrahi, quin potius sceleribus addictus Balaam ad finem usque extra Mesopotamiam perseveravit in malo. Mesopotamas itidem Astrologiae studio vacasse, nemo est, qui memoriae tradiderit. Quid insuper si addas non longe ab Judaea Mesopotamiam distasse? Haud ergo haec fuit Magorum Patria, quos ab Oriente venisse Evangelista commemorat.

(b) Neque Dorothaeus Tyri Episcopus, neque Athanasius Alexandrinus Praesul authores sunt *Synopseos*, quam saepius N. Xystus laudat, de qua re consuli possunt Critici, quos itidem saepius laudo. At circa Epistolam Barnabae varia est Criticorum sententia. Esse quidem genuinum ejus partum praefatam Epistolam olim à pluribus desideratam, & ab Hugone Menardo, & Isaaco Vossio editam percensent plene plures, & ex Origene, Clemente Alexandrino, & Hieronymo probant. Abjudicant autem eidem laudatam Epistolam ex testimonio Eusebii Caesarienfis, aliisque ex momentis alii itidem emunctae naris Authores: ut rem tamen acu tangas, quum nimium foret hic prorrahere moras ad dubium extricandum, consule Cl. V. Johannem Baptistam Cotelerium *Patres Apostolici* Tom. II.

Digitized by Google

rum lib. 2. in hunc modum meminit: RELIQUIAE Barnabae Apoſtoli inventae ſunt in Cypro ſub arbore ceratea, habentes ſub pectore Evangelium Matthaei, manu ipſius Barnabae ſcriptum, qua occaſione Cyprii victores evaſerunt, ut metropolis ipſorum liberum habeat epiſcopatum, nec Antiocheni epiſcopi juriſdictioni ſubdatur. Evangelium autem illud Zenon Auguſtus in Palatio ſuo reſervavit: Eſt & aliud ſub nomine Barnabae Evangelium, quod a Gelaſio diſtinct. 15. inter Apocrypha computatur.

BARPTOLOMAEUS Apoſtolus, qui Matthaei Evangelium, Hebraïcis ſcriptum literis, Indis, qui Fortunati dicuntur, tradidit, putatur ſcripſiſſe Evangelium; & ex eo Dionyſium Areopagitam in principio myſticae Theologiae teſtimonium protuliſſe, his verbis: SI IGITUR divinus Barptolomaeus ait, & multam Theologiam eſſe, & minimam, & Evangelium latum, & magnum, & iterum anguſtum: mihi quidem videtur ſupernaturaliter intelligens: quia & multiloqua eſt optima omnium cauſa, & breviloqua ſimul, & ſine verbo. Gelaſius diſtinct. 15. una cum caeteris apocryphis ſcriptis hoc Evangelium cavendum decernit.

Num. 21. 14. 15. BELLORUM Domini liber, Hebraïce ספר מלחמת יהוה Sepher Milchamoth Jeova appellatus, citatur in libro Num. cap. 21. profertque ex eo Moſes teſtimonium ad demonſtrandum, quae gerenda fuerant in torrentibus Arnon, in finibus Moabitarum, his verbis: UNDE dicitur in libro Bellorum Domini, Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon: ſcopuli torrentium inclinati ſunt, ut requieſcerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum. Hunc librum Rabbi Menachem dicit fuiſſe narrationem Dei, quae revelata erat Moſi, cui manifeſtaverat ſe eadem facturum in torrentibus, quae olim fecerat ad mare rubrum. Aben Ezra putat eſſe librum Judicum, quia in eo multa bella adverſus Amorrhaeos confecta legantur. Sunt etiam qui inter Judaeos exiſtiment hunc eſſe idipſum librum Numerorum, quia ספר ſepher, quod noſter interpres tranſtulit librum, etiam Numerationem ſignificat, ſicut Lyranus ait appellatum, quia in eo narrentur bella a Domino per manus Hebraeorum geſta. Auguſtinus, Chiſamenſis epiſcopus, cenſet librum Bellorum Domini non eſſe volumen aliquod, in quo bella conſcripta ſint, ſed narrationem quandam, quae tum apud Hebraeos communi omnium ore, ac voce narrabatur, quia quod Hieronymus vertit librum, Hebraïce ספר ſepher dicitur. quod non tam librum ſignificat, quam narrationem, & connumerationem, a verbo ספר ſipher, id eſt, narravit, numeravit, & verbum illud, *Dicitur*, quod apud nos ponitur in praeſenti, apud Hebraeos ponitur in futuro יאמר ieamar, id eſt, *Dicetur*, indicat Moſem loqui non de re jam conſcripta, ſed de re in poſterum narranda, ita ut ſenſus verborum ejus ſit, Unde dicetur in libro Bellorum Domini, hoc eſt, cum bella Dei recenſebuntur a poſteris, hoc quoque dicetur, quod ſicut fecit Deus in mari rubro, ita fecit in torrentibus Arnon. Verum D. Auguſtinus in lib. 18. de civitate Dei dicit, non eſſe negandum hunc librum cum pleriſque aliis etiam ante tempora Moſis fuiſſe conſcriptum.

Iſaiae 30. 8. BUXEUS LIBER, ſive Scriptura in buxea tabula exarata commemoratur ab ipſomet Deo; qui apud Eſaiam cap. 30. prophetae ſic praecipit: SCRIBE eis ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud; & erit in die noviſſimo in teſtimonium uſque in aeternum. In quibus verbis pro eo, quod in Hebraeo eſt עלות אתם, al luth itam; LXX. interpretes tranſtulerunt, ἐπὶ πυξίου, id eſt, In buxo; Symmachus ἐπὶ πινακὶ, hoc eſt, Super latiſſima tabula; Pagninus, In tabula cum eis; quidam verò, In tabulis eorum, & hi exiſtimant his verbis neque tabulas buxeas, neque alterius ligni ſignificari, ſed per periphraſim & idiotiſmum Hebraicae linguae hunc ſacrum prophetiarum Eſaïae librum circunſcribi. Hieronymus tamen credit Deum praecepiſſe prophetae, ut ſcriberet in tabulis, & his potiſſimum buxeis, quod buxus arbor ſit perpetua coma virens: cujus lignum ob firmiſſimam ſoliditatem pene ſit imputribile, multiſque ſaeculis permanens: ut in his ſempiterno tempore extarent divinae praedictiones, quibus Deus perpetuum & irreparabile excidium comminabatur ingratis, & incredulis Judaeis, qui bene monentes prophetas audire nolebant, & ipſorum vaticinia contemnebant: voluit enim Deus eas aeterno tempore ſcriptas permanere, ut poſtquam expletae eſſent,

Digitized by Google

eſſent, Judaei ſuo magno malo ſentirent tandem ea vera fuiſſe oracula, quae ipſe in tabulis, ſeu codicibus prophetarum ſuorum ſcribi mandaverat. Nec te lateat hoc praeceptum de tabulis conſcribendis a diverſis expoſitoribus diverſis modis exponi: alii hoc exiſtimant Eſaiae prophetae, ingredienti ad populum ſuum, a Deo fuiſſe mandatum: alii, & Hebraei potiſſimum, arbitrantur hoc eſſe Dei praeceptum ad Jeremiam, ut cum ingreſſus fuerit AEgyptum cum caeteris concaptivis, haec ſcribat: &, ne cui abſurdum videatur Deum loqui ad Jeremiam, qui nondum natus erat, ajunt ante Deum (qui vocat ea, quae non ſunt, tanquam ea, quae ſunt, & ante quem omnia juncta ſunt tempora) etiam Jeremiam, cum nondum eſſet, fuiſſe praeſentem. Sed, utcunque id ſit, non magni refert, cum unus idemque ſit mandati ſpiritus ac ſenſus, ad utrumvis horum prophetarum accommodatus.

C

CALCULUS, ſive Lapillus candidus, novo nomine inſcriptus: de hoc Jesus Chriſtus, Dei filius, in ſecundo capite Apocalypſis, VINCENTI, inquit, dabo calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Quae verba exponens Arethas, Caeſarienſis epiſcopus, in commentariis Apocalypſis ſic ſcribit: VINCENTI autem diabolum pollicetur Deus calculum candidum, hoc eſt, mercedem honore & fama fulgentem. Poſuit autem hoc loco calculum candidum, quod is notus eſſet his, qui in theatris, ac ſtadiis certabant, & vincentibus tradebatur. Nomen vero novum aeternae beatitudinis praemium eſt; quod in praeſenti vita ignoratur: ſiquidem ea bona, quae praeparavit Deus diligentibus ſe, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt: nova autem ſunt nobis, cum ad eorum poſſeſſionem poſt hanc vitam ingredimur. Haec Arethas. Conſtat etiam apud veteres Ethnicos victoriarum dies, publicis faſtorum tabulis inſculptos, conſueviſſe candido lapillo praenotari, quo clarius a caeteris diebus diſcernerentur: ad quem morem alludens Zoënzonius, poëta Chriſtianus, triumphalem Servatoris noſtri diem hoc hendecaſyllabo cecinit:

Apocal. 2. 17.

Victoriarum dies publicis faſtorum inſculpti tabulis conſueverunt candido lapillo praenotari.

O diem feſtum populis, diemque
Reddis, hunc ſigna niveo quotannis
Candidum, qui nos rediens beatos
Muſa lapillo.

CALLIMACHUS Cyrenaeus, inter Graecos poëtas nobilis, qui apud Ptolomaeum Philadelphum uſque ad Evergeten vixit, omne poëmatis genus attigit: in adverſarium poëma acerbiſſimum ſcripſit; quem ficto nomine IBIN appellavit: unde Ovidius poëta nomen, & argumentum operis in Ibin mutuatus eſt: edidit elegias, epigrammata, & hymnos in deos: laudes Jovis decantans, Cretenſes accuſat, &, tanquam vanos & mendaces, redarguit, quod Jovis, qui Deus immortalis eſt, ſepulchrum apud ſe eſſe jactent. Horum verſuum ſententiam, ut teſtis eſt Origenes, Paulus adverſus Cretenſes in epiſtola ad Titum detorſit. Vide infra in Epimenide.

CAMBYSES, quem Eſdras Aſſuerum & Artaxerxem nominat, Cyri Perſarum regis filius, ſcripſit ad Rheum Beeltheem, & caeteros Samariae praefectos epiſtolam, qua jubebat aedificationem Judaïci templi omnino impediri. Vide librum primum Eſdrae capite quarto.

CHALDAEORUM Sapientia, Hebraice חכמת כשדים Chochemath Chaſceddim, quae & Aramaea, & Aſſyria, & Syriaca, & Babylonica dicitur, in hac Daniel propheta ſe una cum tribus pueris ſodalibus ſuis fuiſſe apud Babylonios eruditum ſcribit his verbis: ET PRAECEPIT rex ipſi Aſphanez, ut introduceret de filiis Israël, & de ſemine regio pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & erudibiles in omni ſapientia, & dociles in omni ſapientia, & dociles in omni diſciplina, ut doceret eos literas, & linguam Chaldaeorum: & poſt pauca addit, PUERIS autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro & ſapientia: & omne verbum ſapientiae, & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis rex, invenit in eis decuplum ſuper cunctos hariolos & magos, qui erant in univerſo regno ſuo. Haec Daniel, qui in eodem volumine teſtatur fuiſſe tunc apud Babylonios plures ſapientum diverſitates, easque omnes a regibus Nabuchodonoſore, & Balthaſſare ad interpretationem ſomniorum difficilium accitas

Dan. 13. 4. In Vulgata legitur: Et ait Rex Aſphenez praepoſito Eunuchorum, ut introduceret de filiis Israël, & de ſemine regis, & Tyrannorum pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia &c.

Digitized by Google

Dan. 2. a refert, dicens. PRAECEPIT ergo rex Nabuchodonosor, ut convocarentur harioli, magi, malefici, & Chaldaei, ut indicarent regi somnia sua: & infra, TUNC ingrediebantur ad regem Nabuchodonosor harioli, magi, Chaldaei, & aruspices: & capite 5. EXCLAMAVIT itaque rex Balthassar fortiter, ut introducerent magos, Chaldaeos, & aruspices. Ex quibus verbis apparet sapientiam Assyriorum, sive Chaldaeorum eo tempore fuisse distinctam in quinque ordines sapientum; quorum nomina in libro Danielis Chaldaice conscripta haec sunt, כשדים Chasceddim, id est Chaldaei; אשפים Asaphim, id est Magi, חרטומים Chartummim, hoc est Harioli; מכשפים Mecasphim, hoc est Malefici; גזרים Gazarim, id est Augures, sive Aruspices. De quibus ea, quae apud varios scriptores legi, hic annectenda putavi.

Dan. 4. a

Dan. 5. a

CHASCEDDIM, id est Chaldaeorum nomen (sub cujus interdum appellatione vel omnes, vel singulae Babyloniorum sapientum sectae designantur) proprie, & apud Danielem particulariter, ut inquit Hieronymus, significat genus hominum, quos vulgus Mathematicos & Genethliacos appellat: hos Plinius ait initium habuisse a Belo Jove, Nini Assyriorum regis patre, primo sideralis scientiae inventore: hi coelorum motus diligentissime spectarunt; & circa astromoniae rationes, & praedictiones, quae ex astrorum observatione fiunt, occupabantur: horum Philo in libro de Abraham meminit in hunc modum: CHALDAEI, cum primis exercitati siderali scientia, omnia tribuebant stellarum motibus; a quibus credebant dispensari mundi potentias, quae constant ex numeris, earumque proportionibus. Venerabantur isti res visibiles, non percipientes invisibilia & intelligibilia, scrutantes illarum tantum ordinem: atque ita è Solis, Lunae, stellarum erraticarum, fixarumque circuitibus, & anni in quatuor tempora distincti vicibus, consensuque rerum coelestium, ac terrestrium mundum ipsum existimabant esse Deum, profana opinione creaturam facientes creatori similem. Haec Philo de Chaldaeis; quos Hieronymus in epistola ad Hebraeos ait, asseruisse materiam visibilis hujus mundi sempiternam esse, & a nullo productam.

ASAPHIM, qui a vetusto Latinae editionis interprete Philosophi, a LXX. interpretibus μαγοι, & a Hieronymo similiter Magi appellantur, de omnium, tam divinarum, quam humanarum rerum causis philosophati sunt. Horum auctorem Origenes fuisse putat Balaamum, filium Beor; quem Balac, rex Moab, accersiit, ut diris & imprecationibus suis Hebraeorum populum execraretur: cujus etiam vaticiniorum scripturis post multa saecula admoniti Magi, ex Oriente in Judaeam profecti sunt Christum adoraturi. Diogenes Laërtius in primo De philosophis libro scribit, Zoroastrem Persen fuisse Magorum principem, Magos vero, utpote sacerdotes, deorum vacasse cultui; & preces illis, votaque, & sacrificia, quasi soli ab iis exaudirentur, offerre solitos. Erat his vestis candida, lectus humus, esca olus, caseus, & panis: arundine pro baculo utebantur; cujus in summitate praefixum caseum ori applicantes edebant. Dogmata vero, & ipsorum placita haec erant; in primis, Unum esse Deum primum omnium & sempiternum: hoc autem docuisse Zoroastrem, Eusebius libro 1. Evangelicae praeparationis asseverat, his verbis: ZOROASTRES Magus in libro sacro, in quo res Persicas collegit, haec ad verbum scribit; DEUS incorruptibilium primus est, sempiternus, ingenitus, expers partium, sibi ipsi simillimus, bonorum omnium origo, munera non expectans, optimus, prudentissimus, pater juris, sine doctrina justitiam perdoctus, natura perfectus, sapiens, sacrae naturae unicus inventor. Haec Eusebius. Posuerunt quoque & alios deos secundos, sive genios; quorum substantiam vel igneam, vel aqueam, vel terream dixerunt. Signa & statuas deorum reprehendebant; atque eorum errorem; qui mares ac foeminas dicunt esse deos, improbabant. Animas esse post hanc vitam immortales, & omnia, quae hic sunt, illorum precationibus durare dicebant; & homines iterum resurrecturos; atque iniquum & impium defunctorum hominum corpora flammis exurere. De justitia etiam, caeterisque virtutibus multa disseruerunt. Auri & argenti usum interdixerunt. Philo in libro De specialibus legibus sic de Magorum sapientia loquitur: VERAM quidem illam Magiam, hoc est, speculativam scientiam, per quam naturae opera cernuntur clarius, ut honestam expeten-

Digitized by Google

tendamque non plebeji ſolum ſectantur, ſed etiam reges regum maximi, praeſertim Perſici, tam curioſi harum artium, ut regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familiariter. Cui ſubſcribens Hieronymus in interpretatione hujus loci, inquit: MAGI ſunt, qui de ſingulis philoſophantur. Conſuetudo autem communis Magos pro maleficis accipit; qui aliter habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint philoſophi Chaldaeorum: & ad artis hujus ſcientiam reges quoque & principes ejuſdem gentis omnia faciunt: unde & ipſi primum in nativitate Domini Salvatoris primi ortum intellexerunt, & venientes in Bethlehem adoraverunt.

CHARTUMMIM, qui a LXX. interpretibus ἐπαοιδοί, hoc eſt, Incantatores, & ab Hieronymo Arioli nuncupantur, daemonum excantationibus dediti, originem duxerunt, ut Plinius, Juſtinus, & Auguſtinus tradunt, a Zoroaſtre, altero Bactrianorum rege, & Mago, primo verae Magiae corruptore; qui ſolus inter omnes mortales eadem, qua natus eſt, die riſit; eique cerebrum ita palpitavit, ut impoſitam repelleret manum, praeſagio videlicet futurae inſaniae, qua admirabilem illam Magorum ſapientiam, a majoribus ſuis acceptam, primus ad incantationum deliramenta deduxit: unde & juſto Dei judicio a Nino, Aſſyriorum rege, bello victus eſt, & regno expulſus. Qui igitur illum ſecuti ſunt, duo, ut refert Laërtius, poſuerunt principia, unum bonum, alterum malum: numen bonum Deum eſſe coeli, a quo omnia bona proficiſcerentur; malum vero inferorum Deum, unde omnia mala arbitrati ſunt: quod poſtea dogma primi inter Chriſtianos Manichaei invulgarunt. Aëra dixerunt plenum eſſe daemonibus, qui tenuiter, & veluti evaporationes quaedam ipſis apparerent: divinationes, & praedictiones ex daemonum colloquiis profitebantur: juſtum, matri ac filiae miſceri, putabant.

MECASPHIM, qui a LXX. interpretibus φαρμακοί, hoc eſt, Venefici appellantur, Maleficos vocat Hieronymus: putatque eos eſſe, qui ſanguine utuntur & victimis, & ſaepe contingunt corpora mortuorum, & ex his divinant.

GAZARIM, quod LXX. interpretes verterunt γαζαρηνούς, id eſt, Gazarenos, Hieronymus Aruſpices, ſunt qui inteſtinis hoſtiarum inſpectis divinant. Alii per Gazarim Augures intelligunt, nimirum eos, qui aut ex volatu & ex cantu, aut ex paſtu avium futura praedicunt.

HAE IGITUR erant ſub rege Nabuchodonoſore Babylonicae Sapientiae partes, ac ſpecies: in quibus etſi propheta Daniel a Babylonicis praeceptoribus fuit pleniſſime inſtructus, ſicut & olim Moſes in omni AEgyptiorum ſapientia fuerat eruditus; tamen, ut Juſtinus Martyr in libro quaeſtionum a gentibus objectarum recte admonet, neque his unquam uſus eſt, neque approbavit unquam; ſed quatuor potiſſimum hujus ſapientiae partes exhorruit, ut contrarias legibus Dei ſui; pro quo non dubitavit leonibus ſemel atque iterum objici. Fuit & alia apud Chaldaeos divinitus infuſa ſapientia, cujus munere Sibylla Cumaea, Beroſi ſacerdotis Babylonii filia, multa prophetica oracula de futuris temporum eventibus, & de Chriſto Servatore noſtro potiſſimum edidit: de qua habes infra in dictione Sibylla.

CHAM, filii Nohe, Scriptura eſt opus impietatis prodigioſae atque maleficae, continens elementa ac praxim artis necromanticae. Meminit hujus voluminis Ciccus Aſculanus in Commentariis, quos edidit in Sphaeram: quod ſine ullo dubio ab iniquiſſimis hominibus confictum eſt, & ab iiſdem inſcriptum & evulgatum ſub titulo Scripturae Cham, ſumpta occaſione ex his, quae Serenus Abbas de magicis artibus, a Cham inventis & ſcriptis, refert apud Joannem Caſſianum in octava Collatione capite vigeſimo primo his verbis. SCIENTIAM omnium naturarum per ſucceſſiones generationum ſemen Seth ex paterna uſque ab ipſo Adam traditione ſuſcipiens, donec diviſum a ſacrilega propagine Cham perduravit, quemadmodum ſancte perceperat, ita etiam vel ad Dei cultum, vel ad utilitatem vitae communis exercuit: cum vero fuiſſet impiae generationi permiſtum, ad res prophanas ac noxias, quae pie didicerat, inſtinctu quidem daemonum derivavit; curioſasque ex ea maleficiorum artes, atque praeſtigias, ac magicas ſuperſtitiones audacter inſtituit, docens poſteros ſuos, ut, ſacra illa cultura divini nominis derelicta, vel elementa haec, vel ignem, vel aëreos daemones venerarentur, & colerent. Haec igitur curioſarum rerum notitia, quomodo diluvio non

Digitized by Google

perierit, ac ſupervenientibus ſaeculis innotuerit, perſtringendum breviter puto. Quantum itaque antiquae traditiones ferunt, Cham, filius Nohe, qui ſuperſtitionibus iſtis, & ſacrilegis fuit artibus infectus, ſciens nullum ſe poſſe ſuper his memorialem librum in arcam prorſus inferre, in qua erat una cum patre juſto, ac ſanctis fratribus ingreſſurus, ſceleſtas artes, ac prophana commenta diverſorum metallorum laminis, quae ſcilicet aquarum non corrumperentur injuria, & duriſſimis lapidibus inſculpſit: quae diluvio peracto, eadem, qua ille celaverat, curioſitate perquirens, ſacrilegiorum ac perpetuae nequitiae ſeminarium tranſmiſit in poſteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi, qua credunt angelos maleficia hominibus tradidiſſe, in veritate completa eſt. Hactenus Caſſiani verba. Petrus Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica ſcribit Cham, filium Nohe, quem ab antiquis Zoroaſtrem putat fuiſſe nuncupatum, cum regnaret in Thracia, inveniſſe artem magicam, & ſeptem liberales artes, quas in quatuordecim columnis ſcripſit, ſeptem aeneis adverſus aquarum alluviones, ſeptem vero latericiis contra ignis incendia. Fuit olim & aliud opus, praenotatum PROPHETIA CHAM, ex quo Iſidorum, Baſilidis diſcipulum, accepiſſe teſtimonia Clemens in ſexto Stromatum auctor eſt. Vide infra in dictione Seth.

CHARACTER Beſtiae habetur in Apocalypſis capite tertiodecimo ſub his verbis: ET FACIET omnes parvos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos, ut habeant characteres in dextra manu ſua, aut ſuper frontem ſuam, ut nemo poſſit emere, aut vendere, niſi habeat characterem beſtiae: & capite quarto decimo, NON habent requiem die ac nocte, qui adorant beſtiam, & imaginem ejus, & quicunque accipit characterem nominis ejus: & capite ſextodecimo, FACTUM eſt ulcus malum in homines, qui habebant characterem beſtiae: & Apocalipſis vigeſimo, QUI non acceperunt characterem beſtiae in fronte, & in manu ſua, vixerunt; & regnaverunt cum Chriſto. Arethas, Caeſarienſis epiſcopus, haec exponens, inquit: BESTIA diabolus eſt; Imago beſtiae eſt Antichriſtus; Character beſtiae eſt nota, ſignum, & demonſtratio imitationis diaboli, & Antichriſti in reprobis hominibus; qualem non habent hi, qui habent ſignum Dei vivi in frontibus ſuis; quique facies habent ſignatas lumine divini vultus. Quod autem impii characterem beſtiae, manibus & frontibus impreſſum, gerunt; ſignificat manus eorum plenas eſſe malis operibus; frontem vero, quae oculis imminet, caligine tenebriſque circunfuſam: ut nihil, quod rectum & honeſtum ſit, videant. Vel Character beſtiae in manibus, actiones eorum diabolicas deſignat; in fronte vero improbam ipſorum impudentiam, dum ſine ulla occultatione & pudore palam oſtentant, quales nam ipſi ſint, peccata ſua praedicantes, & iniquitatem gloriam & laudem exiſtimantes.

Aliquantulū varius textus habetur in noſtra Vulgata, quam conſulas.

CHIROGRAPHUM Decreti, ſive, ut in Graecis exemplaribus legitur, χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, id eſt, Chirographum dogmatum placitorum, ſive decretorum, recenſetur a Paulo in epiſtola ad Coloſſenſes his verbis: ET vos, cum eſſetis mortui in delictis, & praeputio carnis veſtrae, convivificavit cum illo; condonans vobis omnia delicta, delens, quod adverſus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo. Eſt autem hujuſmodi Chirographum quo ad Judaeos attinet, pollicitatio illa celebris, qua Judaicus populus olim ſe obſtrinxerat Deo in perpetuae ſervitutis cultum: cum enim Deus in monte Sinai proponeret populo legem, polliceturque ſe ſuſcepturum Hebraeorum gentem in proprium peculium praecaeteris gentibus terrae, ſi eam legem & accipere, & ſervare vellet: acclamavit univerſa multitudo filiorum Israël, OMNIA, quae praecepit nobis Deus, faciemus: quae quidem acclamatio communi omnium conſenſu emiſſa veluti ex ſyngrapha Judaeos reddidit debitores totius legis ſervandae: quam ſyngraphan nequando in poſterum Judaeorum gens ſuam eſſe negaret, annotata eſt ea non ſemel in decretis divinae legis, praeſertim vero in libro Exodi capite 19. & capite 24. Rurſus & aliud Chirographum longe antiquius eſt, & omne mortalium genus obſtringens, videlicet vetus illud decretum, quod Deus fecerat ad Adam, & in corde ejus ſcripſerat, DE LIGNO SCIENTIAE BONI ET MALI NE COMEDAS:

Coloſſ. 2. c

Chirographum decreti quid?

Exod. 24.

Gen. 2.

Digitized by Google

DAS: IN QUACUNQUE ENIM DIE COMEDERIS, MORTE MORIERIS. Hoc decretum cum Adam inobedientia ſua violaſſet; ſe ipſum, omnemque poſteritatem ſuam peccato, & morti obnoxium fecit. Diabolus autem ex hoc chirographo univerſum genus mortalium urgebat, & reos oſtendebat ſempiterni ſupplicii, proferens adverſus nos divini decreti chirographum, manu Dei in corde primi noſtri parentis conſcriptum. Chriſtus ergo, miſeratus calamitatem noſtram, quicquid ex hoc chirographo poterat a nobis exigi, id ipſe dependit in cruce; in qua ipſe pro nobis ſupplicio affectus diſcidit, ac dilaceravit, quod adverſus nos erat, chirographum; &, ne ullam in nos deinceps poteſtatem haberet, penitus de medio ſuſtulit, & Sathanam, qui nos per hoc chirographum Legis reos agebat, mortemque intentabat, ne quid ultra accuſationes minaſque ejus timeremus, deſtruxit in cruce moriens; & omnes ſatellites ejus, principatus, ac poteſtates tartareas fudit, fregitque, palam de illis triumphans, & opima ſpolia referens: ex quibus magnificum trophaeum perpetuum victoriae ſuae monumentum ſuſpendit in cruce, quo magis eſſet omnibus è ſublimi conſpicuum. Chryſoſtomus, hunc locum Pauli aliquanto diverſius exponens, ſic legit: ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον, hoc eſt, *Obliterato, quod adverſus nos erat, chirographo*: & deinde, appoſita virgula, addit, τοῖς δόγμασιν, id eſt, *Decretis*, innuens hac diſtinctione, quod Chriſtus chirographum illud vetus diſciderit, novis promulgatis decretis, videlicet, Evangelicis pactis ac promiſſis, quae nobis remiſſionem peccatorum, & coeleſtis regni haereditatem conferrent. Obſervabis etiam illud, quod Graece legitur in dativo caſu, χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, hoc eſt, *Chirographum decretis*, transferendum eſſe, *Chirographum decretorum*, in genitivo caſu: eſt enim idiotiſmus Hebraeis conſuetus, ut frequenter dativo pro genitivo utantur: ſicut in inſcriptionibus Pſalmorum, in quibus ponunt מזמור לדוד, hoc eſt, PSALMUS IPSI DAVIDI, pro, PSALMUS DAVIDIS; & ſicut in ſecunda ad Corinthios capite 2. ubi Paulus dixit, ἐδόθη μοὶ σκόλοψ τῇ σαρκί, id eſt, *Datus eſt mihi ſtimulus carni*, pro, *Carnis*. Hanc phraſin etiam a Catone uſurpatam invenio: qui in libris De re ruſtica ſaepe ſcripſit, Ornamenta bobus, pro, Ornamenta boum; & Inſtrumenta ruſticis, pro, Inſtrumenta ruſticorum. Mizmor lo David: Pſalmus ipſi Davidi.

CENSUS, ſive Liber Cenſus filiorum Israël, catalogus eſt, quem Nehemias in Hieruſalem invenit, continentem in ſe nomina, cognomina, & numerum eorum, qui primi de captivitate Babylonis dimiſſi a Cyro rege, reverſi ſunt duce Zorobabele in Judaeam; quos conſtat fuiſſe potiſſimum ex duabus tribubus Juda, & Beniamin, praeter Sacerdotes & Levitas, qui his erant admiſti. Obſervabis autem nomina duodecim primatum, qui in hoc catalogo populum reduxiſſe narrantur, paulo diverſius recenſeri in catalogo, qui habetur 1. Eſdrae capite 2. ſed eadem tamen ſunt: nam qui hic nominantur Azarias, Raamias, Belſar, Meſpharath, Beggoni, & Naum; in catalogo Eſdrae appellantur Saraia, Rahelia, Belſan, Meſphar, Begnai, Reum. Naamin vero, qui hic inter duodecim numeratur, ab Eſdra, qui undecim duntaxat recenſuit, excluditur. Caeterum in ea, quae ſequitur, familiarum enumeratione, & capitum cenſu tanta & nominum, & calculi diverſitas, ut fatendum ſit, vel Nehemiae catalogum eſſe ab Eſdrae catalogo diverſum; vel, ſi idem ſit, vehementer fuiſſe corruptum incuria & imperitia librariorum: quod & in aliis divinae Scripturae catalogis eveniſſe crebro conqueritur Origenes. Vide catalogum Nehemiae capite 7.

CEPHAS, qui & Martialis epiſcopus Lemovicenſis, & Galliarum Apoſtolus: hunc Clemens Alexandrinus in quarto diſpoſitionum libro dicit fuiſſe unum de ſeptuaginta diſcipulis, cognomen habentem idem cum Petro Apoſtolo: aſſeritque hunc illum eſſe Cepham, de quo Paulus ad Galatas ſcribens, inquit: CUM autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Hic fertur eſſe auctor duarum epiſtolarum, quae nuper, Domino revelante, repertae ſunt in ſacrario baſilicae Sancti Petri in urbe Lemovica, ubi hactenus latuerant, defoſſae in arca ſaxea ſub terra, quae prae nimia vetuſtate vix legi potuerunt: harum una eſt ad Burdegalenſes, altera ad Toloſanos, utraque venerandae antiquitatis pietatem redolens. Caeterum, an hic Cephas ille ſit a Paulo reprehenſus? vide infra libro ſexto, in annotationibus capituli ſecundi, epiſtolae ad Galatas. Gal. 2.

CHO-

Digitized by Google

CHOZAI חזי, Hebraicarum antiquitatum ſcriptor fideliſſimus, ſcripſit de ſceleribus, reſipiſcentia, & liberatione Manaſſis, Hieroſolymitani regis, librum unum: recordatur hujus Operis auctor ſacrorum annalium libro ſecundo, capite 33. ſic ſcribens: RELIQUA autem geſtorum Manaſſe, oratio quoque ejus, & exauditio, & cuncta peccata, atque contemptus, loca etiam, in quibus aedificavit excelſa, & fecit lucos, & ſtatuas ante, quam ageret poenitentiam, ſcripta ſunt in ſermonibus Chozai. Supereſt adhuc ex monumentis hujus Prophetae exiguum fragmentum, orationem Manaſſe regis continens; quod in quibuſdam Bibliis ſtatim poſt duos libros Paralipomenon apponi conſuevit; Auctor annotationum in Paralipomenon, quae Hieronymo tribuuntur, refert, a quibuſdam memoriae proditum eſſe, hunc Prophetam Chozai fuiſſe Eſaiam ipſum; qui, immutato nomine, Chozai, hoc eſt, Viſio mea, fuerit appellatus.

2. Par. 33. d

Confer textum noſtrae Vulgatae.

CLAUDIUS Caeſar, ſub cujus imperio Lucas in Actibus refert magnam illam famem fuiſſe ab Agabo Propheta praedictam, & paucis poſt annis omnes Judaeos ipſius juſſu Roma pulſos, ſcripſit Graeco ſermone.

Act. 18. a

HISTORIARUM libros viginti octo, hoc eſt, Tyrrheniacon libros viginti, Carchedoniacon libros octo: quorum cauſa veteri Alexandriae Muſaeo novum additum eſt ex ipſius nomine; inſtitutumque, ut quotannis in altero Tyrrheniacon libri, in altero Carchedoniacon diebus ſtatutis, velut in auditorio publico, recitarentur toti a ſingulis per vices.

SCRIPSIT etiam Latino eloquio libros XLIII. hoc eſt, de rebus a caede Caeſaris uſque ad pacem civilem volumina duo, a pace civili uſque ad ſua tempora libros unum & quadraginta.

COMPOSUIT etiam de vita ſua volumina octo magis inepte, quam ineleganter.

ITEM CICERONIS defenſionem adverſus Aſinii Galli libros ſatis eruditam.

DE TRIBUS literis, Latino alphabeto a ſe additis, librum unum.

DE ARTE Aleatoria librum unum. Sueronius in Claudio.

CLAUDIUS LYSIAS, Romanae militiae in Hieruſalem Tribunus, ſcripſit ad Felicem, Judaeae praeſidem, apologeticam pro Apoſtolo Paulo epiſtolam. Vide Acta Apoſtolorum capite 23.

CLEMENS (de quo Apoſtolus, ad Philippenſes ſcribens, ait: CUM Clemente, & caeteris cooperatoribus meis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro Vitae) patria fuit Romanus, Fauſtini filius, ex regione Coelii montis. Hic cum primum Sardicae factus eſſet epiſcopus, & poſtea cathedram apoſtolicam ſecundus, vel, ut quibuſdam placet, quartus poſt Petrum annis novem tenuiſſet; tandem poſt exilii relegationem martyrio coronatus occubuit Trajani Imperatoris anno tertio, hoc eſt anno ab adventu Chriſti Servatoris noſtri centeſimo tertio: ejus autem ſcripta haec eſſe dicuntur:

Phil. 4. a

In noſtra Vulgata legitur: adjutoribus meis.

EPISTOLA canonica ad Corinthios, prima.
EPISTOLA canonica ſecunda.
AD JACOBUM, fratrem Domini, epiſtola prima.
AD JACOBUM, fratrem Domini, epiſtola ſecunda.
AD OMNES coëpiſcopos epiſtola una.
AD JULIUM, & Julianum epiſtola una.
AD FRATRES Hieroſolymae, cum Jacobo habitantes, epiſtola una.
EPISTOLAE Pauli ad Hebraeos, ex Hebraeo in Graecum translatio.
APOSTOLICAE Liturgiae liber unus.
APOSTOLICORUM canonum liber unus.
RECOGNITIONUM priorum ad Jacobum, fratrem Domini, libri decem.
RECOGNITIONUM poſteriorum ad Jacobum, fratrem Domini, libri decem.
ITINERARII Clementis libri decem.
PRAECEPTIONUM epiſcopalium libri octo.
DISPUTATIONUM Petri cum Apione liber unus.
RESPONSIONUM Petri ad interrogationes Tripolitanorum libri plures.
HISTORIARUM libri ſex.
PRAEDICATIONUM, & Actuum Petri liber unus.

ACTIO-

Digitized by Google

ACTIONUM apoſtolicarum liber unus.

VITAE CLEMENTIS liber unus.

HAEC apud diverſos auctores, CLEMENTIS nomine inſcripta, reperi; de quibus quid nos ſentiamus, quam breviſſime poterimus, indicabimus.

CLEMENTIS Epiſtolam canonicam primam ad Corinthios, quanquam ea temporibus noſtris lateat, haud dubium tamen eſt Clementis eſſe, qui eam ex perſona Romanae Eccleſiae ſcripſerit, atteſtantibus id Hieronymo, Damaſo, ac praeſertim Irenaeo; qui in tertio adverſus haereſes libro occaſionem & argumentum epiſtolae explicat his verbis: IGITUR ſub Clemente diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta, ſcripſit, quae eſt Romae Eccleſia, potentiſſimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis receperat traditionem, annunciantem unum Deum omnipotentem, factorem coeli & terrae, plaſmatorem hominis, qui induxit cataclyſmum, & advocaverit Abraham; qui eduxit populum de terra AEgypti; qui collocutus ſit Moſi; qui legem diſpoſuerit, & prophetas miſerit; qui ignem praeparaverit diabolo, & angelis ejus; & hunc eſſe patrem Domini noſtri Jesu Chriſti, &c. Euſebius libro 4. hiſtoriae Eccleſiaſticae capite 38. refert Clementem in hac epiſtola mentionem feciſſe epiſtolae Pauli ad Hebraeos, & ejus quoque teſtimoniis uſum. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum ſtylum indicans hujus epiſtolae haec addit: SCRIPSIT Clemens ex perſona Romanae Eccleſiae ad Eccleſiam Corinthiorum valde utilem epiſtolam; quae mihi videtur characteri epiſtolae, quae ſub nomine Pauli ad Hebraeos fertur, convenire: ſed & multis de eadem epiſtola ſenſibus etiam juxta verborum ordinem abutitur: omnino grandis in utraque ſimilitudo eſt. Idem quoque in commentariis quarti capitis epiſtolae ad Epheſios citans ex hac epiſtola teſtimonium, ait: MELIUS eſt, ſi vinctum Domini, vinctum in Chriſti charitate dicamus: cujus rei & Clemens ad Corinthios teſtis eſt, ſcribens, VINCULUM charitatis Dei quis poterit enarrare? Clemens Alexandrinus in primo, quarto, & ſexto volumine Stromatum multa recitat hujus epiſtolae fragmenta.

CLEMENTIS Canonica ſecunda: hanc poſt primam canonicam epiſtolam fuiſſe a Clemente ſcriptam, teſtatur Damaſus Papa in libro Pontificali. HIC, inquit, fecit epiſtolas duas, quae Canonicae appellantur. Epiphanius quoque, adverſus Ebionaeos ſcribens, in primo Panarii volumine tradit non unam tantum, ſed plures ſcripſiſſe epiſtolas encyclicas, hoc eſt, orbiculares, ſive univerſales, quae in ſanctis Eccleſiis ſuo tempore legebantur: tametſi Euſebius in libro, quem paulo ante citavimus, referat ſecundam Clementis epiſtolam ſibi fuiſſe ignotam; & Hieronymus id ipſum affirmet a veteribus reprobatam. Suſpicor Hieronymum aut ex hac, aut ex ſuperiori epiſtola protuliſſe illam de pluralitate mundorum Clementis ſententiam, cum in ſecundo libro commentariorum epiſtolae ad Epheſios ita ſcripſerit: QUAERIMUS, quid ſit, quod ait Paulus, SECUNDUM SAECULUM MUNDI HUJUS: utrum nam & aliud ſaeculum ſit, quod non pertineat ad mundum iſtum, ſed ad mundos alios; de quibus & Clemens in epiſtola ſua ſic ſcribit, OCEANUS & mundi, qui trans ipſum ſunt, &c. Quam quidem ſententiam Origenes longe ante Hieronymum non minus pie, quam erudite explicavit, in ſecundo Periarchon libro his verbis: MEMINIT ſane Clemens, Apoſtolorum diſcipulus, eorum, quos ἀντίχθονας Graeci nominant, atque illius partis orbis terrae, ad quas neque noſtrorum quiſquam accedere poteſt, neque ex illis, qui ibi ſunt, quiſquam tranſire ad nos: quos & ipſos mundos appellavit, cum ait, OCEANUS intranſibilis eſt hominibus, & hi, qui trans ipſum ſunt, mundi, qui his eiſdem dominatoris Dei diſpenſationibus gubernantur. De hac item, atque ſuperiore epiſtola arbitror ſenſiſſe Hieronymum, cum in primo adverſus Jovinianum libro dixit: CLEMENS, ſucceſſor Apoſtoli Petri, cujus Paulus Apoſtolus meminit, ſcribit epiſtolas, omnemque pene ſermonem de virginitatis puritate contexuit.

CLEMENTIS Epiſtolam primam ad Jacobum, fratrem Domini, commemorat Damaſus in libro Pontificali in vita Clementis, non indicato tamen ejus auctoris nomine. Anacletus Papa, allegans ex ea teſtimonium, auctorem ejus eſſe dicit Clementem anteceſſorem ſuum. De ipſa tamen dubitatum eſt a multis, quia

Digitized by Google

quia abſurdum videretur, quod in ea ſcriptum eſt de Clemente, nimirum ſuſcepiſſe illum a Petro Romani epiſcopatus ſedem, ante quem conſtat Linum, & Cletum Romanae urbis fuiſſe epiſcopos: quam inconſonantiam tollere volens Rufinus, hujus epiſtolae interpres, in praefatione Recognitionum Clementis ad Gaudentium ita ſcripſit: QUIDAM requirunt, quomodo cum Linus, & Cletus in urbe Roma ante Clementem fuerint epiſcopi, ipſe Clemens, ad Jacobum ſcribens, ſibi dicat a Petro docendi cathedram traditam: cujus rei hanc accepimus eſſe rationem, quod Linus & Cletus fuerunt quidem ante Clementem epiſcopi in urbe Roma, ſed ſuperſtite Petro; videlicet ut illi epiſcopatus curam gererent, ipſe vero apoſtolatus impleret officium: ſicut invenitur etiam apud Caeſaream feciſſe; ubi cum ipſe eſſet praeſens, Zachaeum tamen a ſe ordinatum habebat epiſcopum: & hoc modo utrunque verum videbitur, ut & illi ante Clementem numerentur epiſcopi, & Clemens tamen poſt obitum Petri docendi ſuſceperit ſedem. Haec Rufinus. Joannes, patriarcha Antiochenus, in libro De poteſtate generalis concilii ſupra Papam conatur oſtendere, quod Romanus pontifex etiam extra cauſam ſchiſmatis, & haereſis ab univerſali Eccleſia poſſit deponi, allegans verba Clementis: qui in hac epiſtola inducit Petrum ad ſe ita loquentem: SI ENIM mundanis curis fueris occupatus; & te ipſum decipies, & eos, qui te audiunt: non enim poteris ea, quae ad ſalutem pertinent, plenius quibuſcunque diſtinguere: & ex eo fit, ut tu, tanquam qui non docueris, quae ad ſalutem hominum pertinent, deponaris. His verbis occurrens Joannes Turrecremenſis, presbyter Cardinalis, in ſecundo Eccleſiaſticae ſummae volumine capite CX. rejicit omnem prorſus epiſtolae hujus auctoritatem, ut obſcuram & dubiam, negans omnino fieri poſſe, ut Clemens epiſtolam hanc, poſt mortem Petri editam, ſcripſerit ad Jacobum, fratrem domini, quem Euſebius in chronicis teſtatur decem fere annis ante obitum Petri occubuiſſe a Judaeis lapidatum: addit quoque perperam haberi in hac epiſtola verbum illud, Deponaris, pro quo legendum ſit: Puniaris; ita tamen ut intelligas Pontificem non ab hominibus, ſed a ſolo Deo puniendum.

CLEMENTIS Epiſtolae quatuor: de his nihil eſt, quod hic lectorem admoneam, niſi quod ex ea, quae eſt ad Jacobum ſecunda, & ea, quae ad coëpiſcopos directa eſt, & ex ultima, quae ad Hieroſolymae habitatores inſcribitur, multa de verbo ad verbum in decretis Pontificum excerpta ſunt, praecipue in diſtinctionibus ſecunda, quinta, vigeſima tertia, & trigeſima octava; & in cauſis ſecunda, quaeſtione prima & ſeptima: & in undecima, quaeſtione tertia; & in duodecima, quaeſtione prima; & in ſextadecima, quaeſtione ſeptima: quod ſane antiquitatis harum epiſtolarum non parvum indicium eſt.

CLEMENTIS Translationem epiſtolae ad Hebraeos recenſet Euſebius libro 4. hiſtoriae Eccleſiaſticae capite 38. his verbis: CONSTAT, quod Apoſtolus epiſtolam ad Hebraeos, tanquam Hebraeis mittendam, patrio ſermone conſcripſerit; &, ut quidam tradunt, Lucam Evangeliſtam, alii autem hunc ipſum Clementem interpretatum eſſe. Quod & magis verum eſt: quia & ſtylus ipſe epiſtolae Clementis cum hoc concordat, & ſenſus nimirum utriuſque ſcripturae plurimam ſimilitudinem ferunt. Haec Euſebius. Clemens Alexandrinus libro quarto Stromatum fragmentum ex epiſtola Clementis ad Corinthios recitat, non diſſimile ab his, quae in undecimo capite epiſtolae ad Hebraeos habentur.

CLEMENTIS Apoſtolica Liturgia: de hac Proclus, archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, in libello De traditione divinae Miſſae haec verba exaravit: MULTI quidem, & alii divini paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, ac Eccleſiae doctores, ſacrorum illius divinae Miſſae myſteriorum rationem explicantes, ſcriptis mandatam Eccleſiae tradiderunt: in quibus primus & clariſſimus eſt beatus Clemens ſummi illius apoſtolorum diſcipulus ac ſucceſſor: qui ſacroſancta illa myſteria, a ſanctis apoſtolis ſibi revelata, in lucem edidit. Nicolaus, Methonenſis epiſcopus, in libro De veritate Corporis Chriſti in ſacramento altaris, profert ex hac Liturgia precationem quandam, qua Graeci utuntur ad conſecrationem Sacramenti Euchariſtiae; in qua poſt illa verba dominica, HOC EST CORPUS MEUM, ET HIC EST CALIX., &c. quibus Latina Eccleſia credit panem & vinum tranſmutari in Corpus & Sanguinem Chriſti, adduntur haec verba deprecatoria, TU,

QUI

Digitized by Google

QUI NULLIUS INDIGES, DEUS, MITTERE DIGNERIS SANCTUM SPIRITUM TUUM SUPER HOC SACRIFICIUM, UT EFFICIAT PANEM HUNC CORPUS CHRISTI TUI, ET CALICEM HUNC SANGUINEM CHRISTI TUI. AMEN. Quae verba Marcus, episcopus Ephesinus, in libro De sanctificatione divinorum donorum, & Nicolaus Cabasilas in libro De interpretatione missae ita voluerunt esse ad formam consecrationis necessaria, ut sine eis verba Christi, a sacerdote prolata, nihil ad sacramenti consecrationem proficerent: quibus occurrens Bessarion, patriarcha Constantinopolitanus, in libro De Sacramento Eucharistiae inquit, quod verborum Clementis auctoritas facile posset eludi, ut ex apocrypha scriptura deducta; non esse tamen spernendam, quia eisdem verbis usi sunt in suis Liturgiis Jacobus, frater Domini, Basilius, & praesertim Chrysostomus, qui post dominica transmutationis verba, a sacerdote recitata, addit, FAC PANEM ISTUM PRECIOSUM CORPUS CHRISTI TUI, ET, QUOD EST IN CALICE ISTO, PRECIOSUM SANGUINEM CHRISTI TUI, PERMUTANS SANCTO SPIRITU TUO. AMEN. Quae sane verba formam ac vim continere videntur transmutandi panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi: ob id igitur, ut talis tollatur haesitatio, Sciendum est, inquit, corpus dominicum duplex esse, verum scilicet, atque mysticum; & illud quidem ipsius domini verbis, cujus corpus est, confici, hoc vero, quod ipsi sumus, superadditis vel Clementis, vel Basilii, vel Chrysostomi verbis, precibusque compleri: quibus post consecrationem mysterii sacerdotes supplices orant, ut per dignam Eucharistiae sumptionem idem cum Christo Corpus efficiamur. Quod facile est intelligere, si quis missas, a praedictis patribus editas, diligenter animadvertat. Haec Bessarion: cujus sententiam confirmans Chrysostomus in homilia de Juda proditore manifeste fatetur panem verti in corpus Dominicum virtute sermonis Christi, HOC EST CORPUS MEUM, a sacerdote prolati. Habes haec uberius explicata Libro VI. Annot. CXI.

CLEMENTIS Canones Apostolici: ex his quidem alii sunt sub falso Clementis titulo ab haereticis incerto auctore conficti; quos Gelasius Papa in decretis distinctione 15. prorsus rejicit: alii vero sunt numero 84. quos Clemens ab Apostolis acceptos Graece scripsit, in haec verba incipientes, ἐπίσκοπος χειροτονείσθω, id est, *Episcopus ordinetur*. Hos Dionysius quidam vetustus interpres, precibus Laurentii fratris adductus, ad Stephanum Papam latinos fecit. De his quaeritur apud juris pontificii peritos, utrum ne canonici sint, vel apocryphi? Gratianus distinctione 16. varias proferens super hac re sententias, nihil certi statuit: ait enim Adriani secundi sententia approbatos in epistola ad Tharasium Constantinopolitanum: cujus tamen rei in ea epistola non meminit Adrianus; nam in quarta Actione septimae Synodi illa verba, quibus commendatur sexta Synodus, & ejus canones, sunt Tharasii, & non Adriani: in fine tamen praedictae quartae actionis confirmatur a Concilio, & legatis Adriani Papae ipsa quarta actio, per quam approbantur canones sextae Synodi; in quorum secundo recipiuntur 85. canones Apostolorum. Quaestio igitur hic bipartita est: altera pars auctoritatem horum Canonum, altera numerum concernit. Prioris autem assertionis pars est certissima, videlicet Canonum Apostolorum auctoritatem receptam esse, & indubitatam. Athanasius enim inter agiographa eos enumerat: & Joannes Damascenus libro quarto orthodoxae fidei illos in Canone divinarum scripturarum ponit: Epiphanius libro tertio adversus haereses, Audianos confutans, institutionem Apostolorum citat, dum agit de Paschae celebratione: tametsi hic canon non invenitur inter illos, quos habemus. Tertullianus adversus Praxeam dicit hos Canones Apostolorum esse per manus traditos: sed & Imperator Justinianus saepissime in Novellis mentionem horum introducit, & secundum illos profitetur se leges condere, & expressis verbis CANONES APOSTOLORUM vocat. Hactenus de eorum auctoritate, nunc de numero est dicendum.

ISIDORUS tantum quinquaginta recenset; sexta Synodus canone secundo probat 85. tametsi non sint nisi 84. sed duodecimus latinus est in codice graeco in duos divisus. Zephirinus, quingentis annis quinta Synodo prior, sexaginta tantum Canones admittit. Leo nonus, trecentis & quinquaginta fere annis poste-

Digitized by Google

rior ſexta Synodo, in epiſtola ad Michaëlem patriarcham totidem enumerat. In ultimo Apoſtolorum Canone recipitur Joannis Evangelium, quod ſcriptum fuit ſub Nerva. Canones vero, vivente Petro, qui longe antea ſub Nerone occiſus eſt, dicuntur editi, ſicut ex vigeſimo octavo Canone elicitur; in quo ſcriptum eſt, A ME PETRO. Hoc autem valde videtur abſurdum, niſi dicamus particulam illam de approbatione Evangelii Joannis ex libri margine, cui ab aliquo ſciolo addita fuerat, inrepſiſſe in textum. Sunt etiam in his ſanctionibus quaedam, quae cum praeſentibus Eccleſiae dogmatibus non conveniant, veluti canone 62. quo jubetur, comedentes carnes cum ſanguine deponi: & canone 56. quo jejunium tam dominicae, quam ſabbati prohibetur. Sunt qui arbitrentur hos canones a Nicolaitis Haereticis contaminatos, & aliis multis apocryphis reſperſos.

CLEMENTIS Recognitiones, quae graece inſcribuntur ἀναγνωσις, ſive ἀναγνώϊσμος, id eſt Recognitio, vel ἀναθεώϊσμος, quod eſt Reviſio, quidam duplici partitione diſtinguunt, nempe in decem Priores libros, & decem Poſteriores libros: in prioribus, qui nunc a nobis deſiderantur, Clemens ex praecepto Petri collegit, quaecunque Petrus apud Caeſaream Palaeſtinae tribus continuis menſibus diſſeruit, & ad Jacobum, fratrem Domini, tranſmiſit. Horum argumenta ſingula in tertio poſteriorum recognitionum, quae nunc habentur, volumine his plane verbis ſcripta leguntur.

PRIMUS Recognitionum liber agit de vero propheta, & de proprietate intelligentiae legis ſecundum id, quod Moſis traditio docet.

SECUNDUS de principio, utrum unum ſit, an multa? & quod non ignoret Hebraeorum lex, quid ſit immenſitas.

TERTIUS de Deo, & de his, quae ab eo inſtituta ſunt.

QUARTUS, quod cum multi dicantur dii, unus tantum ſit verus Deus ſecundum teſtimonia ſcripturarum.

QUINTUS, quod duo ſunt coeli: quorum unum ſit hoc viſibile firmamentum, quod & tranſibit; aliud vero aeternum, & inviſibile.

SEXTUS de bono & malo, & quod bono cuncta ſubjiciantur a Patre: malum autem qua re, quo modo, & unde ſit; & quod cooperetur quidem bono, ſed non propoſito bono; & quae ſigna boni, quae vero mali; & quae ſit differentia dualitatis, & conjugationis.

SEPTIMUS, quae proſecuti ſunt duodecim Apoſtoli apud populum in Templo.

OCTAVUS, de verbis Domini, quae ſibi videntur eſſe contraria, & non ſunt; & quae ſit horum abſolutio.

NONUS, quia lex a Deo poſita eſt juſta, & perfecta, & quae ſola poſſit facere pacem.

DECIMUS, de nativitate hominum carnalium, & de generatione, quae eſt per baptiſmum; & quae ſit in homine carnalis ſeminis ſucceſſio; & quae animae ejus ratio; & quomodo in ipſa eſt libertas arbitrii: quae quoniam non eſt ingenita, ſed facta eſt, immobilis a bono eſſe non poterat.

HAEC igitur ſunt argumenta Recognitionum, quae Clemens refert, ſe in urbe Caeſarea ſcripſiſſe, de his, quae a Petro in eadem urbe diſſerta ſunt. Hos libros magna ex parte fuiſſe ab haereticis contaminatos; teſtis eſt Rufinus; qui in Apologia Origenis haec ſcripta reliquit: CLEMENS, Apoſtolorum diſcipulus, libros edidit, quae Graece appellantur ἀναγνώϊσμος, id eſt, Recognitio; in quibus cum ex perſona Petri Apoſtoli doctrina, quaſi vere Apoſtolica, in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nihil aliud, quam ipſe Eunomius diſputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus aſſeverans: tum etiam illud adulterii inſeritur genus, ut naturam diaboli, caeterorumque daemonum non propoſiti voluntatiſque malitia, ſed excepta ac ſeparata cratura produxerit qualitas: ſunt & alia nonnulla libris ejus inſerta, quae Eccleſiaſtica regula omnino non recipit: quae perverſi homines ad aſſertionem dogmatum ſuorum, ſub virorum Sanctorum nomine, tanquam facilius credenda inſeruerunt: quae ille nec ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe, credendus eſt. Haec Rufinus.

CLEMENTIS Recognitionum libri decem Poſteriores, quos nunc habemus ſub titulo, RECOGNITIONUM CLEMENTIS AD JACOBUM, FRATREM DO-

Digitized by Google

DOMINI, & quorum initium eſt, EGO CLEMENS IN URBE ROMA NATUS, creduntur eſſe illi, quos Gennadius teſtatur translatos a Rufino; cujus etiam Praefatio habetur in principio totius Operis, in qua ſive Rufinus, ſive alius quiſpiam ſub nomine Rufini ita de ratione translationis ſuae ad Gaudentium Epiſcopum ſcribit: AEQUUM eſt ſane tibi, qui haec etiam Graece legeris, ne forte in aliquibus minus a nobis ſervatum translationis ordinem putes, interpretationis noſtrae indicare conſilium. Puto, quod non te lateat, & Clementis hujus in Graeco ejuſdem Operis ἀναγνωσιῶν, hoc eſt, Recognitionum, duas editiones haberi, & duo corpora eſſe librorum, in aliquantis quidem diverſa, in multis tamen ejuſdem narrationis: denique pars ultima hujus Operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur, in alio penitus non habetur; ſunt autem & quaedam in utroque corpore de ingenito Deo, genitoque diſſerta, & de aliis nonnullis; quae, ut nihil amplius dicam, exceſſerunt intelligentiam noſtram. Haec ergo, tanquam quae ſupra vires meas eſſent, aliis reſervare malui, quam minus plena proferre: in caeteris autem, quantum potuimus, operam dedimus, non ſolum a ſententiis, ſed ne a ſermonibus quidem ſatis, elocutionibuſque diſcedere: quae res, quamvis minus ornatum, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium. Haec Rufinus de editione horum voluminum; quorum argumenta hic libet ſubſcribere, ut ex collatione ipſorum cum ſuperioribus Priorum Recognitionum argumentis appareat, quantum ſit utriuſque Operis diſcrimen.

PRIMUS itaque liber continet educationem Clementis in urbe Roma, ac veritatis ſtudium; Barnabae adventum ex Judaea in Urbem; Clementis cum Barnaba initam ſocietatem; utriuſque navigationem in Palaeſtinam, & utriuſque ingreſſum in Caeſaream ad Petrum Apoſtolum; Petri item cum Clemente colloquium: in quo paucula quaedam de vero Propheta teſtatur Clemens ſe ex Petro audiviſſe, eaque literis unico volumine mandaſſe: additur in fine brevis decurſus hiſtoriarum veteris Teſtamenti.

SECUNDUS, referente Niceta, narrat Simonis Magi ſapientiam, eloquentiam, miracula, genus, parentes, item aliqua de poteſtate daemonum in homines, tum etiam primam Petri diſputationem cum Simone in eadem urbe habitam; in qua paucis admodum verbis oſtenditur, unum eſſe Deum mundi auctorem, & non plures.

TERTIUS refert ſecundum Petri cum Simone eadem in urbe congreſſum; in quo nonnulla de libero arbitrio diſſeruntur: quaeritur quoque, cur Deus non fecerit hominem impeccabilem; cur coelum factum ſit; quod igne reſolvendum ſit; utrum mundi corde Deum videbunt, & utrum anima immortalis ſit? denique Simonis a ſuis deſertionem, fugamque ipſius ex Caeſarea in Syriam deſcribit.

QUARTUS profectionem Petri, & Clementis, ex Caeſarea in Doram, Ptolemaidam, Tyrum, Sidonem, Berythum, eorumque ingreſſum in Tripolim: qua in urbe Petrus hyemavit: recitat etiam Petri concionem in eadem urbe habitam; in qua brevis eſt decurſus aetatum mundi ab ejus creatione uſque ad Chriſtum.

QUINTUS habet concionem aliam Petri in eadem urbe.

SEXTUS ſimiliter aliam in eadem urbe Petri concionem.

SEPTIMUS egreſſum Petri ex Tripoli, & profectionem ejus primum in Hortoſiadam, deinde Antaradum, deinde ad inſulam Aradum, ad videndas columnas vitreas immenſae magnitudinis: refert quoque matrem Clementis in eadem inſula a Petro repertam, & tum primum a filio Clemente agnitam: enavigat iterum Petrus ex inſula Aradum in Antaradum: inde pedeſtri itinere Balaneas ſe confert: deinde Pathon, & Gabalam pertranſit: denique Laodiceam devenit, ubi primum Clemens Fauſtum, & Fauſtinianum, fratres ſuos, recognoſcit.

IN OCTAVO libro Petrus in loco ſecretiori portus Laodiceae diſputat adverſus ſenem quendam mathematicum, aſſerentem omnia fato regi.

NONUS eandem proſequitur diſputationem adverſus mathematicos, qui dicunt, omnia ſtellarum impulſibus evenire.

DECIMUS narrat tranſmutationem Simonis Magi in Fauſtinianum, fratrem Clementis: deinde nonnulla addit de genealogia deorum gentilium: poſtremo digerit diſceſſum Petri ex Laodicea, & adventum ejus in Antiochiam: qua in urbe

Digitized by Google

populus ei cathedram tradidit docendi.

TOT IGITUR sunt Posteriorum Recognitionum voluminа: de quibus, ut libere pronunciem, quid sentiam, suspicor non esse Clementis: nam praeterquam quod multa in ipsis sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis & Aristotelis philosophia referuntur, duo quoque integra folia recitantur ex persona Petri, in nono libro hujus Operis, ad verbum transcripta ex libro De fato adversus Abydam astronomum Bardesanis Syri; qui, teste Epiphanio, claruit sub Marco Imperatore annis septuaginta post mortem Clementis: quam etiam Bardesanis scripturam Eusebius in sexto libro, De Evangelica praeparatione, iisdem plane verbis recitat, nec una quidem immutata dictione. Sunt quoque in his libris pleraque incerta, multa fabulosa, nonnulla insuper Catholicis dogmatibus adversantia: ex quibus Jacobus, archiepiscopus Genuensis, nonnulla annotavit in vita Clementis, a se in libro annuarum festivitatum inserta. Beda tamen in opusculo de ratione temporum exponens principium Geneseos, ex verbis quae in 6. harum recognitionum volumine continentur, appellat hoc opus, libros historiarum S. Clementis Romani Pontificis, & ex harum 6. volumine eam se expositionem fatetur accipere.

• CLEMENTIS Odeporicon, sive Itinerarium, Athanasius in Synopsi, & Leo Papa in epistola contra Niceten scriptis apocryphis annumerant; & Gelasius distinctione 15. inter libros recenset ab ecclesia reprobatos, inquiens: ITINERARIUM Petri Apostoli sub nomine Clementis Libri Octo apocryphum est: hoc Tritemius partitur in libros decem, quorum initium est, CUM IN URBE ROMA, &c. Suspicor hoc Opus illud idem esse, quod apud aliquos auctores Peregrinationes, sive Circuitiones, vel Circuitus Petri inscribitur: de quibus Epiphanius libro 1. Panarii haeresin Ebionis confutans, haec ait: UTUNTUR Ebionaei & aliis libris, nimirum CIRCUITIONIBUS PETRI appellatis, per Clementem scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes; velut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit, encyclicis, quae in sanctis Ecclesiis leguntur; quia alium habet characterem fides ipsius, & sermo ab his, quae ab illis sub nomine ipsius in Circuitionibus corrupta sunt. Haec Epiphanius de Circuitionibus, sive Itinerario: quod quidem, nisi me mea fallit opinio, id ipsum est supra memoratum RECOGNITIONIS POSTERIORIS Opus, tali titulo a librariis exornatum, & Rufini Praefatione aut conficta, aut aliunde petita, transformatum; ut hoc fuco volumen, sub Itinerarii nomine damnatum, commendabile redderent apud emptores, tam ex RECOGNITIONUM gratiori inscriptione, quam ex interpretis Rufini auctoritate. Facit autem, ut id facile credam, ipse numerus, & contextus librorum; in quibus a capite usque ad calcem nihil fere aliud enarratur, quam Petri & Clementis peregrinatio ex Italia in Palaestinam, & ex Palaestina usque in Antiochiam per singulas urbes, & loca, quae inter Caesaream Palaestinae, & Antiochiam sunt: huc accedit, quod Jacobus, archiepiscopus Genuensis, qui hanc ipsam peregrinationem in vita Clementis conscripsit, testatur se eam summatim collegisse ex Itinerario Clementis apocrypho: quod sane indicat libros Recognitionum, & Itinerarium Clementis idem esse Opus. Hoc proximis annis S. Romanae Inquisitionis Senatus in Indice damnatorum ab Ecclesia voluminum adscribi jussit.

CLEMENTIS, De Petri adversus Apionem disputatione librum citat Hieronymus in catalogo, inquiens: FERTUR & disputatio Petri, & Apionis, longo sermone conscripta; quam Eusebius in 3. historiae Ecclesiasticae volumine coarguit. Habetur autem hic locus ab Hieronymo citatus, apud Eusebium capite 38. libri 3. his verbis: SED & alia Opuscula Clementis non minima a nonnullis haberi perhibentur, velut Petri & Apionis Disputatio; quae in usu a veteribus habita minime reperitur; quia nec pura in eis; & incorrupta apostolicae fidei regula mànsisse deprehenditur.

CLEMENTIS Historiarum libri sex: de his Beda presbyter, in libro, De temporum ratione testimonium citat in haec verba: SANCTUS Clemens, Apostolorum discipulus, & Romanae ecclesiae III. post Petrum episcopus, in 6. historiarum suarum libro ita scribit: IN principio fecit Deus coelum & terram. Spiritus

Digitized by Google

tus autem jussu Dei, quasi ipsa conditoris manu, lucem separavit a tenebris, & post invisibile coelum, istud visibile produxit; ut superiora quidem habitacula faceret angelis, inferiora vero hominibus.

CLEMENTIS Praeceptiones episcopales: de his ita in fine canonum Clementis, ubi & liber ACTUS APOSTOLORUM, ab eodem auctore editus, commemoratur, scriptum reperi: Διαταγαὶ ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις δι' ἐμοῦ Κλήμεντος ἐν ὀκτὼ βίβλοις προσπεφωνημέναι, ἃς οὐ δεῖ δημοσιεύειν ἐπὶ πάντων, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά: hoc est, *Praeceptiones vobis Episcopis, per me Clementem in octo libris nuncupatae, has non oportet omnibus evulgare ob ea, quae in ipsis arcana continentur*. Hos octo Apostolicarum Praeceptionum, sive Constitutionum, libros nuper Latine vertit, & scholiis illustravit Joannes Ostunienſis episcopus, omni Doctrinarum genere praeditus.

CLEMENTIS Opus de Responsionibus Petri ad interrogata Tripolitanorum: de hoc nihil habeo, quod certi referam, nisi quod in quinto Posteriorum Recognitionum volumine scriptum est, Clementem pluribus libris hujusmodi interrogationes una cum Petri responsionibus collegisse.

CLEMENTIS Epitome κηρυγμάτων τοῦ Πέτρου, hoc est, *Praedicationum Petri Apostoli*: hujus Operis recordantur Clemens Alexandrinus in 6. libro Stromatum, & Origenes ejus discipulus Tomo 13. in Evangelium Joannis, proferentes ex ipso fragmenta aliquot, quae infra videre poteris in Petro.

CLEMENTIS Vita: de hac nihil habeo perspectum, praeter id, quod Jacobus archiepiscopus Genuensis, in vita Clementis a se edita affirmat, Clementis vitam in ITINERARIO, quod sub ejus nomine fertur, contineri. (a)

COE-

(a) N. Xystus non semel laudat aliquos inferioris aetatis Historicos, quos sua aetas nimium commendabat, praesertim Petrum de Natalibus, Episcopum Exquilinum, & N. Jacobum de Voragine, Archiepiscopum Januensem. Verum, ut compertum est Criticis emunctae naris, laudati Scriptores, etsi alio ex capite commendabiles, plura in eorum historicis operibus inseruerunt, quae spongia eruditorum egent; quaeque aliquando Idem Xystus, esto sub obscuriori Coelo scribens, castigavit: aut enim aliqua excepserunt, quae simpliciores alii primitus, re bene non pensata, sed ex vulgi relatione tradita, scripserunt: vel impostores alii personati larva inlustrium virorum commenta spargentes in vulgus ediderunt; heinc factum est, quod non semel primipili haereticorum Sanctis ac Coelitibus adcenseantur: fabellae, quisquiliae & gerrae veris historiis adcenseantur, ut notum est etiam iis, qui summis labiis Historiae latices delibarunt.

Idem alio ex momento esto judicium de Simeone Metaphraste, quem etiam non semel laudat Xystus, & diu ante laudaverant ceteri, qui de eo sermonem habuerunt, ac rem penitius haud fuerant rimati, quam hic aperire fas est. Quum enim Graecus ille Author, qui X. Ecclesiae Seculo floruit, Sanctorum Acta diu ante conscripta undique conquisisset, & conquisita recensuisset in elegantiorem formam, vulgare sategit, ut legentibus gratiora forent: neque ulla ex suis verbis mutatio in iis inrepsit, sed solum quae rudius erant scripta nitidiori stylo, eoque uniformi, fuerunt ab eo reddita, & publici juris facta: quare ex ea methodo ab Simeone servata dictus est ipse *Metaphrastes*. Ex eo autem studio, eoque ex opere certe nullum, aut saltem leve in eo est notare piaculum: verum quia alia SS. Acta proprio marte procudit, qui sincera vetustioraque ad manus non habuit, quae in elegantiorem formam redigeret, censoriam promeruit virgam; utque adcuratiori oculo Acta ab eo conscripta lustrarentur oportuit; ad discriminanda, nimirum, priora quae alii quidem scripserunt, sed ipse in meliorem formam redegit, ab iis, quae graece fidei author conscripsit. Nec dum finis. Ejus exemplo ausi sunt alii nova itidem conscribere Sanctorum Acta, eaque proprio marte procusa; utque majorem sibi adsciscerent fidem, Metaphrasti adjudicarunt quamplura, quae vel ab impostoribus vitilitigatoribusque ad fucum veritati faciendum fuerunt venditata, vel a crassioris minervae hominibus fuerunt in vulgus edita, & a simplicioribus excepta: ex quo factum est, quod non semel in eis monstra potius, quam facta occurrant, falsa miracula jactentur, ac plura in eis commenta igne purganda conspiciantur. Ne autem aurum plumbo admixtum remaneret Cl. Leo Allatius spartam sibi adsumsit secernendi priores SS. Vitas ab Metaphraste solum perpolitas, & historica rei veritate non laesa, unica dicendi methodo conscriptas, ab iis, quas vel idem Simeon proprio marte conscripsit, vel nebulones alii sub nomine Metaphrastis ediderunt in vulgus, remque feliciter absolvit, ut etiam Guilielmus Cave *Hist. Litterar. An.* 901. adnotavit. Ne igitur aliquis in re historica erret, ne commenta pro veritate excipiat, hanc in Metaphrastis lectione normam debet servare; quaeque excepit Allatius ipse recipere debet, rejectis repulsisque ceteris, quae commentitia sunt, spuria, & suppositicia: quod nos occasione data animadvertere non omittemus.

Isidorum, dictum *Mercatorem*, vel (ut ex Codicibus sequioris aetatis) *Peccatorem* dictum veluti genuinum quendam, sincerumque Authorem Collectionis Conciliorum, & RR. PP. Decretalium Epistolarum, cui proinde fides indubia possit adhiberi, laudat N. Xystus, Majorum suorum vestigia secutus. Verum Epistolas illas priorum RR. Pontificum (de quibus alibi verbum habuimus) pia fraude confictas fuisse, ut Card. Bona adfirmat, vel aperto commento consarcinatas editasque fuisse, ut Stephanus Baluzius adserit, suppositicias esse nemo, qui eruditus audit, inficias ire audet. Et Pseudo-Isidorum hunc fuisse virum despicabilem, cui nulla proinde fides est adhibenda, ne dum Acatholici, verum & sapientiores Orrodoxi Critici una voce fatentur. Sed quisnam fuerit hic, qui Isidori larva personatus corruptas hasce merces venditarit? dubium nimis est apud Eruditos. Certo certius quicumque ille fuerit sub dimidium IX. seculi vixit. De qua re consuli possunt qui litterariam historiam scripserunt, quum post eorum scripta alia addere sit post Homerum Iliadem scribere.

Por-

COELI & terrae generatio, ſive Liber generationis coeli & terrae: quanquam de hoc libro nulla ſit in Sacris Hebraeorum codicibus mentio: tamen ubi in ſecundo Geneſeos capitulo Hebraïca veritas habet, אלה תולדות השמים והארץ, Elle tholdoth haſciamaim ve haarez, hoc eſt, *Iſtae ſunt generationes coeli & terrae*; LXX. interpretes verterunt, Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ, καὶ γῆς, videlicet, *Hic liber eſt generationis coeli & terrae*. Quam quidem verſionem omnes Graeci expoſitores hoc loco ſequuntur, & exponunt. Philo Judaeus ait, Moſen his verbis indicaſſe, qualem vellet eſſe inſcriptionem primi voluminis totius Pentateuchi: quod approbans Chryſoſtomus, inquit, non eſſe mirandum, ſi Moſes ita librum inſcripſerit, quamvis praeter generationem coeli & terrae tam multa in eo contineantur de vitis virorum illuſtrium, deque aliis plurimis rebus; quia ſub hac generali appellatione generationis coeli & terrae omnes creaturas, tam coeleſtes, quam terreſtres, una cum ipſarum operationibus, & eventibus comprehendere voluit. Rabbini Hebraeorum inquirentes cauſam, cur hoc loco vocabulum תולדות tholdoth, id eſt, Generationes, perfecte ſcribatur, hoc eſt, per ſex literas, cum ubique in divinis voluminibus imperfecte, hoc eſt, per quinque tantum literas תולדת
Ruth. 4. d ſcribatur, praeterquam in genealogia Davidis, in fine libri Ruth; reſpondent, quod per hoc myſtice ſignificatur, mundum a principio perfecte productum fuiſſe a Domino, ſed Adae peccato corruptum multipliciter, reſtaurandum autem per Meſſiam filium David: in cujus genealogia, ut jam dictum eſt, haec dictio, Tholdoth, in priſtinum literarum numerum redintegratur. Alii Judaeorum credunt Moſen per ſex literas hujus dictionis exprimere voluiſſe numerum ſex dierum mundanae generationis.

Acto. 15. d CONCILII Hieroſolymitani tertii epiſtola: cum Chriſtiani ex Judaeis & gentibus nuper ad fidem converſi graviter ſuper legalium obſervatione contenderent, aſſerentibus Judaeis una cum Evangelio Moſaicam legem neceſſario ſervandam, gentibus contra ipſam prorſus rejiciendam; Apoſtoli ac Seniores, in Concilio Hieroſolymis tertio congregati, ſcripſerunt ad fratres Antiochiae, Syriae, & Ciliciae ex gentibus ad fidem converſos epiſtolam; qua eos ab omni legalium obſervatione liberos pronunciabant, his tamen quatuor exceptis, hoc eſt, idolothytis, ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: a quibus eos abſtinere decreverunt. Hoc Apoſtolorum decretum dupliciter exponunt interpretes Chryſoſtomus, & Oecumenius; quia in nova lege nuſquam legalium obſervatio praecipi invenitur, putant per Suffocatum & Sanguinem humani ſanguinis effuſionem, & qualecunque homicidium prohiberi. Auguſtinus vero in libro 12. contra Fauſtum, utraque intelligit juxta ritum Judaicum, hoc eſt, de ſanguine, quem Moſes Levitici ſeptimo capite edi vetat, inquiens: SANGUINEM NULLIUS ANIMA-

Porro quae ſub nomine S. Clementis I. Rom. Pontificis circumferuntur, omnia ſuppoſititia ſunt, ſi duas dumtaxat Epiſtolas demas, de quibus tamen non eadem eſt ratio, nec par Criticorum ſententia. Priorem namque à S. Clemente nomine Romanae Eccleſiae ad Corinthios datam occaſione graviſſimi ſcandali in Corinthiorum Eccleſia graſſantis, adſtruunt vindicantque Critici, qui ſapiunt, ex teſtimonio Irenaei, Euſebii, Hieronymi, aliorumque veterum Patrum. Circa poſteriorem (ſeu potius fragmentum) II. etiam ad Corinthios ſcriptam Epiſtolam, ſeu potius Homiliam, quae continet admonitionem, & inſtitutionem melioris vitae, non eſt una Eruditorum ſententia, nec par eorum judicium, quum alii eam Clem. I. adjudicent, eliminent vero alii; nullumque extat de ea veterum Patrum dilucidum monumentum. Videſis quos ſaepe laudavimus Criticos; ſed prae ceteris Joh. Baptiſtam Cotelerium *ubi ſupra*.

Circa Canones Apoſtolicos itidem aliud eſt Criticorum judicium, & longum nimis foret hìc funem trahere ad rem hanc vel digito monſtrandam: quare vel hoc unum adnotare ſatis eſt: illos fuiſſe dictos *Apoſtolicos*, non quia ab Apoſtolis editi fuerunt, ſed quia Apoſtolicam continent doctrinam, vel ab Apoſtolicis viris procuſi fuerunt, & primum II. labente ſeculo collecti videntur ex variis Epiſcoporum decretis; dubiumque non leve eſt num primum fuerint collecti à Clemente Alexandrino, περὶ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, ut fidem faciunt Euſebius *lib. VI.* Hiſtor. Eccleſ. cap. 12. Hieronymus *De Scriptoribus Eccleſiaſticis Cap.* 15. & Photius *Codice CXI.* Hos Canones invicte vindicavit Guillelmus Beveregius adverſus Johannem Dallaeum. Verum circa Conſtitutiones Apoſtolicas etiam ſub nomine Clementis Romani editas, eſto non eadem ſit Eruditorum ſententia, nec deſint Viri eruditiſſimi, qui eas adſtruant primum editas Seculo IV. certum eſt tamen non eſſe opus laudati Clementis, qui eas reapſe ab Apoſtolis firmatas ediderit in vulgus; quod vel ex eo manifeſtiſſime conſtat, quia Author ea percenſet, quae ad Apoſtolicum Seculum haud ſpectant, & ad longe poſteriorem pertinent aetatem. De qua re erudite nimis differunt Franciſcus Turrianus, Fronto Ducaeus, & Philippus Labbe è ſocietate Jeſu: NN. Natalis, & Graveſon; Helias Du-Pin, aliique: & ex Proteſtantibus praecipue Guillelmus Beveregius vir certe eruditus, quem tamen opponere procacibus quibuſdam Novatoribus lubet. Sed de hac re alibi etiam.

Tandem hìc adnotandum occurrit, quod liber *Pontificalis* ſub nomine S. Damaſi a N. Xyſto aliiſque laudatus non ſit ejuſdem Romani Pontificis genuinum opus, ſed ſubditicium, quum plura contineat S. Damaſo indigna, alia vero quae ad ſequiorem ſpectant aetatem. De qua re conſule Criticos.

Digitized by Google

MALIS COMEDETIS, ET DE ESU CARNIUM, EX QUIBUS SANGUIS NON ESSET EFFUSUS. Haec enim, etsi post Christi resurrectionem, non a gentibus solum, sed a Judaeis quoque licite poterant edi; interdicta tamen sunt ab Apostolis, ne hac occasione tolleretur in illa primitiva ecclesia pax & convictus gentium cum Judaeis, qui ex inveterata legis consuetudine harum rerum esum abhorrebant: crescente deinde Evangelicae praedicationis splendore, abrogata est hujusmodi legalium observatio, quam ad breve tempus pro mutua utriusque populi concordia Apostoli praeceperant. Prohibitio vero fornicationis, quam gentes peccatum non existimabant, inconcussa permansit; quia ex Dei jussu longe antea in decalogo fuerat interdicta. Neque hic praetereundum est, quod Ambrosius in Commentariis epistolae ad Galatas (a) arbitratur hunc locum esse corruptum, inquiens, ab Apostolis tria duntaxat praecepta fuisse, hoc est, abstinentiam ab idolothytis, scortationem, & sanguinem; quartum vero de suffocato additum a quibusdam temeratoribus Graecis. Vide librum sextum. Scripta est haec epistola anno quartodecimo Conversionis Pauli, hoc est, Claudii Caesaris anno quarto, ab Ascensione vero Christi decimo octavo.

CORINTHIORUM Ecclesia, intestinis agitata seditionibus, propter nonnullos divites, ac potentes, qui plebem a doctrina Pauli avocabant ad philosophorum doctrinam, tanquam ad eos, qui praestantiora docerent, quam Apostolus, scripsit ad Paulum per Fortunatum, & Stephanum, & Achaicum, epistolam unam, de periculo & causa propriae seditionis, simul & ipsum consulens de nuptiis & delectu ciborum: hoc est, utrum oporteret matrimonio abstinere, & num devitandus esset usus ciborum, qui idolis fuissent immolati? Ad haec Paulus abunde respondit, in prima ad Corinthios epistola; in cujus septimo capite meminit hujus a Corinthiis epistolae.

CURIOSARUM Artium libri, sive *βίβλοι περίεργοι*, hoc est, *Libri Curiosi*, de his in Actibus Apostolorum legitur, quod Paulo apud Ephesum daemonia ex obsessis corporibus ejiciente, multi ex his, qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus; &, supputatis preciis eorum, invenerunt argenti quinquaginta millia. Chrysostomus, Augustinus, Oecumenius, & Beda per libros Curiosarum artium intelligunt scripta pertinentia ad artes magicas, non quascunque, sed ad eas duntaxat, quae tam divinis, quam humanis legibus prohibentur: est enim duplex Magiae genus, verum, & falsum. Vera magia est, quae ex cognitione, & mutua applicatione naturalium virtutum, invicem agentium & patientium, docet res admirabiles, quae naturae miracula appellantur, operari: de hac Philo in libro, De specialibus legibus, VERAM, inquit, Magiam, hoc est, Perspectivam scientiam, per quam naturae opera cernuntur clarius, ut honestam expetendamque non plebeji solum sectantur, sed etiam reges regum maximi, praesertim Persici, tam curiosi harum artium, ut regnare non liceat, nisi cum Magis versato familiariter. Hieronymus in caput Danielis secundum, MAGI, ait, sunt, qui de singulis philosophantur, nec malefici sunt, sed philosophi Chaldaeorum: & ad artis hujus scientiam reges quoque, & principes ejusdem gentis omnia faciunt: unde & Magi in Salvatoris nativitate primi ortum ejus intellexerunt: & venientes in Bethlehem, adoraverunt eum. Justinus Martyr in libro Quaestionum a gentibus positarum, qu. 24. & 26. asseverat, Apollonium Tyanaeum magum, ex peritia verae magiae multa admiranda operatum, sic scribens: APOLLONIUS quidem, vir scientia naturalium facultatum praeditus, consensionumque, & contrariarum affectionum, quae in eis insunt, ex ea arte operationes edebat, propter quod in omnibus operationibus ei necessaria erat materiae accomodatae assumptio; qua adjutrice id, quod absolvebatur, explebat. Haec de vera Magia. Magia autem falsa, & omnium artium fraudulentissima est, quae ex daemonum commercio, aut vere, aut apparenter operatur: hujus auctorem Augustinus refert fuisse Zoroastrem, Bactrianorem regem. Plinius Zoroastrem Persen, qui vicies centum millia versuum de tota hac arte diligentissime scripsit. Philo ejus originem deducit ex vera magia, a maleficis hominibus adulterata,

Quid sit magia, & a quo inventa.

(a) Commentarii in Epistolas Paulinas sub nomine S. Ambrosii olim editi restituendi sunt Hilario Sardo Romanae Ecclesiae Diacono, qui IV. Ecclesiae Seculo vixit, & Luciferianorum Schismati adhaesit.

Digitized by Google

terata, ac depravata. Plinius censet eam ex tribus artibus, quas etiam in se ipsam redegit, enatam, hoc est, ex medicina, ex matheſi, ſive aſtrologia divinatoria, & religione: enumerat quoque ex Hoſthane, qui temporibus Alexandri Magni ſcripſit, magiae ſpecies plures, nempe eam, quae umbrarum, inferorumque colloquia promittit; & eam, quae ex aqua, ex ſphaeris, ex aëre, ſtellis, pelvi, lucernis, ſecuribus, multiſque aliis modis divinare docet. Auguſtinus libro decimo, de civitate Dei, capite nono, magiam hanc ex ſententia Porphyrii diſtinguit in Theurgiam, & Goëtiam. Theurgia eſt, invocatio daemonum beneficorum ad aliquod bonum conficiendum; quae per quaſdam conſecrationes, & ſacrificia fit. Goëtia vero, quae & Necromantia, fit per coactionem mortuorum, etiam invocatione: haec enim dicta ſic eſt, a planctu, qui fit circa ſepulchrum. Philo in libro ſuperius citato addit his & tertiam ſpeciem, quae Pharmacia appellatur: haec autem fit, cum aliquid alicui porrigitur ſumendum ore, quod certis incantamentis amorem, vel odium, vel inſaniam, vel mortem ſit allaturum. Haec omnia non ſolum divinis edictis damnata ſunt, ſed legibus quoque antiquiſſimis Romanorum; apud quos multi ſunt de Magia poſtulati; ut Apollonius Tyanaeus apud Domitianum Caeſarem, & Apulejus apud Claudium Maximum, Africae praefectum. Sunt qui per hos libros Curioſarum artium non ſolum magicos intelligant libros, ſed omnia judiciariae aſtrologiae volumina, quae in primitiva eccleſia non minus vetita fuere, quam magica: inducuntque hujus rei teſtes, Epiphanium, & Auguſtinum: quorum ille in libro, De ponderibus & menſuris ſcribit, Aquilam, primum Scripturae divinae interpretem, non alia de cauſa fuiſſe a patribus ex eccleſia pulſum, niſi ob eam, quod geniturarum inſpectionibus, & nativitatum divinationibus vacaret: hic vero, ut in calce enarrationis ejus, ſuper Pſalmo 61. apparet, Mathematicum in eccleſia non recipit, niſi publica & ſolemni poenitentia praemiſſa. Monemur demum hoc exemplo, vetuſtum eſſe morem apud Chriſtianos exurendi libros nefariae doctrinae, nec recens inventum eſſe, ſicut inique noſtrorum temporum haeretici conqueruntur: nam & hoc idem caeteris gentibus fuiſſe in uſu, teſtes ſunt Graecorum & Latinorum hiſtoriae: in quibus invenitur, ut de caeteris ſileam, libros Diagorae, & Protagorae, qui nullos deos eſſe docerent, publice ab Athenienſibus combuſtos; itidemque factum a Romanis de libris Numae, in agro Petilii repertis, quod Romanorum numinum cultus diſſolvere viderentur. Vide infra in dictione Sennacherib, hujus libri, & libro quarto in Juliano, epiſcopo Celanenſi, & in libri ſexti Annotationibus: ubi plura habes de non legendis haereticorum libris.

3. Eſd. 3. CUSTODUM Darii regis Schedulae. Eſdras in 3. libro refert has ſcripturas, verba, & verborum occaſionem habuiſſe hujuſmodi. Cum Darius, Hyſtaſpis filius, poſt brevem in lecto quietem excitatus, non poſſet ſomnum revocare, propoſuit tribus corporis ſui cuſtodibus quaeſtionem, Quid nam inter omnes humanas res maxime vigeret? quam qui prudentius ſolveret, praemium obtineret ſecundam a rege dignitatem. Tum illi, cum inter ſe aliquantulum taciti deliberaſſent, ſolutiones ſuas regi obtulerunt, tribus ſeparatis ſchedulis breviter annotatas.

PRIMA FUIT, ΥΠΕΡΙΣΧΥΕΙ Ο ΟΙΝΟΣ, hoc eſt, PRAEPOLLET VINUM.
SECUNDA, ΥΠΕΡΙΣΧΥΕΙ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ, id eſt, PRAEPOLLET REX.
TERTIA, ΥΠΕΡΙΣΧΥΟΥΣΙΝ αἱ γυναῖκες, ὑπὲρ δὲ πάντα νικᾷ ἡ ἀλήθεια, hoc eſt, PRAEVALENT OMNIBUS MULIERES; SUPER OMNIA VERO VINCIT VERITAS: quam Zorobabel, regio inter Judaeos genere ortus, ſcripſerat.

HAS CUM REX coram ſapientibus ſuis in ſequenti luce legiſſet, acclamatum eſt ab omnibus praeſtare caeteris Zorobabelis ſententiam; quae Veritatem praeferret ſolam inter omnes mortales res immortalem atque perpetuam, nullisque aut temporum injuriis, aut fortunae mutationibus obnoxiam. Zorobabeli vero tradita eſt poteſtas regiae proxima, ſimul etiam facultas reducendi reliquias Judaïcae captivitatis in Judaeam, & reaedificandi ſanctam urbem, & templum. Lege Eſdram libro 3. capite 3. & Joſephum libro 5. Antiqu. capite 3.

CY-

Digitized by Google

CYRUS, Perſarum rex primus, haec ſcripſiſſe dicitur, Diurnarum actionum commentarios; (in quibus Eſdras teſtatur inventum eſſe a Dario rege edictum de reducendis Judaeis in Palaeſtinam) Ad omnes Aſiae urbes pro liberatione gentis Judaïcae, & ſanctae urbis inſtauratione edictum; Ad Siſenem, & Sarabaſanam, Syriae ſatrapas, ejuſdem argumenti epiſtolam unam, cujus exemplum affert Joſephus libro undecimo Antiquitatum capite primo.

D

DANIELIS Prophetae Somnialia, hoc eſt Scripta, in quibus traditur ſuperſtitioſa ſomniorum interpretatio, qualis ea eſt, quam Artemidorus, Graecus auctor, ſcripſit, Chriſtianis interdicuntur in decretis Pontificiis cauſa vigeſima ſexta, quaeſtione ſeptima, capite NE OBSERVETIS. Divus Athanaſius in Synopſi Danielis Prophetae apocryphum librum ſine nomine reprobat: quem alii hanc ipſam ſomniorum interpretandi artem eſſe putant; alii vero Danielis ſupplementum, hoc eſt Hymnum trium puerorum, Suſannae hiſtoriam, & draconis Belei narrationem, reclamante tamen ipſo Athanaſio; qui auctarium illud inter canonicas ſcripturas collocat, ac nominatim recenſet. Superſtitioſa ſomniorum interpretatio Chriſtianis prohibita.

DARIUS, Hyſtaſpis filius, Perſarum & Medorum rex, ſcripſit ad Tatanain, & Strabuzanam de inſtaurando Judaeorum templo epiſtolam unam; quae habetur 1. Eſdrae 6. Ad Tangaram, & Sambabam, magiſtros equitum apud Samariam, epiſtolam unam ejuſdem argumenti. Joſephus libro undecimo. 1. Mac. 12.

DARIUS, ſive, ut Joſephus legit, Arius, Lacedaemoniorum rex, ad Oniarem, Simonis Magni filium, ſacerdotem Hieroſolymitanum, epiſtolas ſcripſit pro ineunda cum Judaeis ſocietate; de quibus in epiſtola Jonathae ad SPARTANOS, quae habetur primo Maccabaeorum capite 12. ſic legitur: JAM PRIDEM miſſae erant epiſtolae ad Oniam, ſummum ſacerdotem, ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam eſtis fratres noſtri, ſicut ſcriptum continet, quod ſubjectum eſt, &c. Quale autem fuerit ſcriptum hoc, ſive epiſtolae exemplar, ex hiſtoria Maccabaeorum non habetur, ſed extat apud Joſephum libro 12. Antiquitatum capite 5. in haec verba.

Rex Lacedaemoniorum Arius Oniae ſalutem.

INCIDIMUS in quandam ſcripturam antiquam, in qua invenimus cognationem interceſſiſſe inter noſtras origines, & noſtrum quoque genus non eſſe alienum a poſteris Abrahae: aequum igitur eſt, ut, cum fratres noſtri ſitis, petatis a nobis quaecunque libuerit: idem nos quoque faciemus; & res veſtras, tanquam noſtras, exiſtimabimus, noſtras item vobiſcum communes habituri. Demoteles eſt, qui has vobis reddit literas, in pagina quadrangula ſcriptas, & obſignatas Aquilae ſigillo, draconem tenentis unguibus. Valete. Olympiade 144.

DAVID, Iſai Bethlehemitae filius, rex Hieruſalem, Pſalmorum auctor, alia quoque ſcripta emiſit, de quibus in divinis literis infra ſcripta habentur.

DESCRIPTIO TEMPLI, Hebraice תבנית היכל, Thaunith hecal, Graece vero juxta LXX. interpretum editionem τὸ παράδειγμα τοῦ ναοῦ, hoc eſt Exemplar Templi: hoc quidem opere David, Spiritus Sancti illuſtratione inſtructus, omnem ſtructuram templi Hieroſolymitani, quod Deo Maximo voverat, Salomoni filio ſuo miro ordine, & divino prorſus artificio deſcripſit; teſtis eſt hujus voluminis auctor ſacrorum annalium, haec in 28. capite prioris libri ſcribens: DEDIT autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & coenaculi, & cubiculorum in aditis, & domus propitationis, nec non & omnium, quae cogitaverat atriorum, &c. & paulo poſt, OMNIA haec venerunt ſcripta manu Domini ad me, ut intelligerem univerſa opera exemplaris. Hujus deſcriptionis ſumma refertur tertio Regum ſexto, & ſecundo Paralipomenon tertio & quarto capite. 3. Reg. 6.

LAMENTATIO Davidis, ſive Lugubre carmen fuit ſuper Saul, primum regem Hebraeorum, & Jonathan, filium ejus; qui, in bello adverſus Palaeſtinos acriter decertantes, infeliciſſime ceciderunt: initium carminis eſt, CONSIDERA 2. Reg. 1.

Digitized by Google

O ISRAËL PRO HIS, QUI MORTUI SUNT, &c. habetur etiam in 2. Samuelis capite primo.

EPISTOLA David regis ad Joab de nece Uriae Ethei, viri fortissimi, ac bello inclyti: cujus cum rex uxorem Bersabeam furtivo concubitu gravidam reddidisset, veritus, ne maritus crimen resciret, misit eum cum epistola diligenter obsignata ad Joab, totius militiae praefectum, qui tum in palaestinos regias copias eduxerat: summa vero epistolae erat, ut instructo quamprimum adversus hostes exercitu, Uriam ea in parte agminis collocaret, qua nosset acriorem pugnam instare, & fortissimum quenque hostium ex adverso dimicare: ibique eum, revocatis ac statim reductis militibus, Palaestinorum agminibus obtruncandum desereret. Quod & Joab, perlectis literis, subito executus est, non sine sanguine cladeque suorum; qui una cum Uria strenue pugnantes occubuerunt: sicque David, vir alioqui integerrimus, unius epistolae dolo proditionem, caedemque viri innocentissimi, ac de se potissimum benemeriti turpi adulterio superaddidit; stragem militibus suis, fidissimis & nihil unquam tale commeritis, intulit; primogenitum suum ex Bersabee perdidit; omnemque exactae vitae gloriam proditionis, caedis, & adulterii labe deturpavit. 2. Reg. 11.

DESCRIPTIO totius populi Hebraeorum, jussu Davidis habita a Duce Joab: haec est illa memorabilis descriptio Israëlitici populi clade nobilitata: cum enim Deus ulcisci vellet rebelles Israëlitas, (qui, rejecto Davide rege optimo, desciverant ad Sebam, filium Bocri, perditissimum hominem, qui seditionem & arma adversus regem commoverat) permisit Sathanae, ut Davidis animum superbiae stimulis incitaret ad recensendam multitudinem populi sibi subditam. Misit igitur David ad id muneris obeundum Joab, principem militiae; qui post decimum fere mensem reversus attulit librum descriptionis universarum tribuum a Dan usque Bersabee: in quo descripta erant mille millia & quingenta septuaginta millia capita virorum fortium, bello aptissima: hoc est, ex tribubus Israël mille millia & centum millia, & de tribu Juda quadringenta & septuaginta millia: quanquam secundus liber Samuelis multo minorem summam annotaverit, quam haec sit in primo annalium volumine collecta, referens supputationem hujus census fuisse mille millia & tercenta millia capita pugnatorum, videlicet octingenta millia ex Israël, & quingenta millia ex Juda. Censent Rabbini Hebraeorum Joab ducem, quod invitus ad hunc censum, ut secundus liber Regum testatur, missus fuerit a Rege, majorem summam, nimirum illam, quae in libris Annalium scribitur, verissime collegisse, & alteram minorem summam, quam liber Samuelis commemorat, de industria regi obtulisse; ut ipsi, jam in superbiam elato, minorem praeberet intumescendi occasionem. Post hanc igitur descriptionem Deus, gravi ira commotus, sustulit peste subita ex his, qui descripti fuerant, septuaginta millia virorum, omnes una die ab exoriente Sole usque in vesperum: ultusque est hujusmodi vindictae genere tam seditiosi populi injustam defectionem, quam superbam regis arrogantiam; qui in ostentationem amplitudinis regni sui, ac multitudinis gentium, quas consilio suo, & virtute bellica sibi subegerat, stulta quadam vanitate adductus praeceperit censeri capita omnium, qui suo imperio parerent. Hoc in loco nescio, quid in mentem venerit Lyrano, viro in sacris literis exercitatissimo, ut assereret Deum succensuisse Davidi non tam ob animi elationem, quam quod jusserit haberi censum ritu & ordine plane diverso ab eo, quem divina lex sanxerat, jubens recensionem hanc fieri non per capitum & nominum enumerationem, & singulorum virorum descriptionem, sicut fecit Joab, sed per oblationem publicam pecuniae deputandae in usum tabernaculi; in qua quidem oblatione offerrent Deo singuli tam divites, quam pauperes singulos dimidios siclos; quos cum Levitae in unum redactos numerassent, deprehendebant numerum virorum esse duplum ad numerum siclorum, qui oblati fuerant. Videtur Lyranus hanc suam sententiam colligere ex lege Mosis de recensendo populo conscripta in trigesimo capite Exodi: cujus quidem verba, ut arbitror, sensum habent sententiae Lyrani ex diametro pugnantem: haec enim sunt: QUANDO tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli precium pro animabus suis Domino; & non erit plaga in eis: hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen suum 2. Reg. 24.

Nostra Vulgata habet: & non erit plaga in eis cum fuerint recēsiti.

dan-

dandum. Quibus verbis liquidum est Mosem non praecipere, ut ex oblationum collecta numerus filiorum Israël colligatur, praetermissis eorum nominibus, ac particularibus descriptionibus, quae per capita viritim, & nominatim fieri solent: immo jubet, ut prius, quam sicli exigantur, censores colligant nomina singulorum tam propria, quam familiae, ac patriae; eaque particulariter annotent, sicut in principio Numerorum idem Moses mandat his verbis: TOLLITE summam Num. 1. universae congregationis filiorum Israël per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum virorum fortium a vigesimo anno, & supra: & paulo post, RECENSUERUNT eos per cognationes, & domos, & familias, & capita, & nomina singulorum, sicut praeceperat Moses.

AD HAEC Athanasius in Synopsi affirmat, Davidem scripsisse Psalmorum tria millia, ex quibus amici regis Ezechiae solos quinquaginta & centum collegere, caeteris absconditis, ne ad vulgi notitiam pervenirent.

DEMETRIUS Sother, Seleuci filius, rex Syriae & Asiae undecimus, scripsit epistolas qninque sacris insertas voluminibus, videlicet.

AD NICANOREM, exercitus sui in Palaestina praefectum, epistolam unam. 2. Maccabaeorum 14.

AD JONATHAN, Judaeorum pontificem, epistolam unam: 1.Maccab.10.

AD UNIVERSAM Judaeorum rempublicam, epistolam unam: 1. Maccab.10.

AD JONATHAN Judaeorum pontificem, & Judaeorum senatum, epistolam unam: primo Maccab. undecimo.

AD LASTHENEM, cognatum suum, epistolam unam: 1. Maccab.11.

CLARVIT anno ante Christum natum centesimo quadragesimo quarto.

DEVORATUS Liber, sive τὸ βιβλαρίδιον ἀνεῳγμένον, id est Libellus apertus, quem Graeci quidam enarratores τὸν βίβλον καταφαγόμενον, hoc est Librum devoratum vocant, Joannes in decimo Apocalypseos capite describit his verbis: ET VIDI alium angelum fortem, descendentem de coelo, amictum nube; & Iris in capite ejus, & facies ejus, sicut Sol: & habebat in manu sua librum: & clamavit voce magna, & locuta sunt septem tonitrua: & vox, quam audivi de coelo, dixit mihi, ABI, & accipe libellum apertum de manu angeli: & abii ad angelum: dixique illi, ut daret mihi libellum: & ait mihi, ACCIPE, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel: & accepi libellum de manu angeli, & devoravi illum: eratque in ore meo, tanquam mel, dulcis: &, cum devorassem illum, amaricatus est venter meus, &c. Quae quidem juxta Arethae sententiam sic exponuntur. Angelus fortis est Christus magni consilii angelus, nube carnis nostrae indutus; Irim habens in capite, perpetuum divinae placationis testimonium; & faciem instar Solis, quia splendore gratiae, & fulgore evangelicae lucis totius orbis tenebras discusserit, & omnium mortalium mentes lumine gloriae suae illustraverit. Liber est infallibilis, & exactissima omnium impiorum in mente Dei notitia, singula iniquorum nomina, actiones, scelera, supplicia, & statuta suppliciis tempora conspiciens: hunc jubetur Joannes petere, & accipere de manu angeli, ut cognitionem & ipse accipiat aerumnarum, & dolorum, impiis ecclesiae Christi persecutoribus imminentium: nec jubetur simpliciter accipere, sed devorare, hoc est, plenam rei cognitionem sumere, & in visceribus cordis inscribere. Est autem dulcis in ore ejus propter adeptionem cognitionis futurarum rerum: quae sicut ab omnibus magno studio affectatur, & quaeritur; ita, dum primum acquiritur, magnam affert in principio delectationem: sed amarescit postea, cum in ventre digeritur: quia dum animo recogitat retributionem scelerum, quae improbis, praesertim suae gentis, hominibus reservatur, misericordia erga eos, qui sua sunt perituri culpa, afficitur: sic Paulus Apostolus flebilem Judaeorum lapsum mente revolvens, dicebat: TRISTITIA mihi est magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema fieri pro fratribus meis, tantum ne illi interirent, & a divina gratia exciderent. Aliter juxta Bedam, Liber apertus revelationem prophetiae, quam Joannes accepit, significat, haec fuit in ore ejus dulcis: quia dum eam perciperet, divini colloquii dulcedinem gustavit, sed in amaritudinem versa est, dum praedicare, quae audierat, & ob praedicationem tribulationes pati coepit: quamvis enim praedicatio illi

Digitized by Google

fuerit ex amore dulcis, fuit tamen ex tolerantia persecutionis amara. Aliter secundum Ambrosium, Liber apertus est divinae Scripturae volumen: quod cum prius esset septem sigillis obsignatum, nunc per gratiam Christi doctoribus ecclesiae apertum est. Hic igitur liber, dum devoratur, ut mel dulce, describitur: quia divina Scriptura dum auditur, legitur, & attenta meditatione tractatur, melle dulcior in cogitatione efficitur; sed tunc primum amaritudo ejus sentitur, cum opere explere incipimus, quod didicimus: quanto enim amplius meditationi divinae Scripturae dediti sumus, quantoque ejus meditatio nostrae menti dulcior est, tanto majorem amaritudinem carni nostrae exhibere debemus, affligentes eam jejuniis, vigiliis, & abstinentia vitiorum.

DEUS Optimus Maximus, pater D. N. Jesu Christi, & universi conditor, postquam eduxit populum Hebraeorum de AEgypto in solitudinem Arabiae, accersivit ad se Mosem in vertice montis Sina: quo in loco dedit ei per angelos compendium, & summarium legum omnium, tam ad divinum cultum, quam ad humanam conversationem pertinentium, decem capitibus distinctum, & in duabus lapideis tabulis manu sua extructis, digito suo vivo ex utraque parte hinc & inde, in fronte & a tergo conscriptum: has cum Moses accepisset, de monte Sina descendit: & cum jam castris Hebraeorum appropinquans, vidisset populum sacrificantem vitulo aureo, execratus rei indignitatem, tabulas, quas in manu habebat, prae nimia indignatione solo illisit, ac confregit: deinde jussu Dei alias duas tabulas lapideas, prioribus persimiles, aptavit: quas cum iterum conscenso monte Sina ad Deum attulisset, Deus rescripsit in eis eadem legis capita, quae in prioribus tabulis fuerant, praecipiens Mosi, ut eas in arca foederis reponeret: quod & Moses fecit, collocans, ut ait Paulus, una cum ipsis in eadem arca urnam auream manna repletam, & virgam Aaronis, quae olim fronduerat; ut his tribus potissima Judaïcae ingratitudinis monumenta conservaret; nimirum, ut per manna transmitteret ad posteros insatiabilem Judaeorum ingluviem: qui cum olim Manna in deserto alerentur, adversus Deum murmurarunt, eumque exacerbarunt: per Aaronis autem Virgam innotescere futuris saeculis, qua animi insolentia, & contumacia Summo Pontifici divinitus electo obstitissent: per Tabulas vero legis, Judaeos in perpetuum coargueret infidelitatis, & inconstantiae; ob quorum execrabilem vituli adorationem priores tabulae, illis posterioribus tabulis consimiles, fuerant a Mose irato attritae. Caeterum post mortem Mosis, amotis ex arca Aaronis virga & mannae urna, eisdemque in tabernaculum una cum volumine legis Mosaicae reconditis, solae in ea tabulae remanserunt: nam, cum arca a Salomone induceretur in templum, solas tabulas in ea fuisse, tertius liber Regum testatur his verbis: IN ARCA autem non erant nisi duae tabulae lapideae, quas posuit in eà Moses in Oreb, quando pepigit foedus cum filiis Israël. Has tabulas mille fere & quadringentis annis, postquam conditae fuerant, Jeremias Propheta, quemadmodum in secundo volumine Maccabaeorum refertur, in devastatione Hierosolymitanae urbis divinitus admonitus, de templo apprehendit, & una cum ipsa arca, asportari jussit in montem Nebo, è regione urbis Hierico, in quo Moses moriturus ascendit, ibique eam in profunda spelunca, nulli hominum cognita, abdidit; praedicens tabulas illas iterum sub finem saeculi reducendas in lucem, cum universus populus Judaeorum convertetur ad Christum. Tradunt quidam has tabulas tempore ultimi Hierosolymitani excidii, sub Romanis Imperatoribus in templo Dei fuisse, indeque a Tito Augusto inter caetera captae urbis spolia in triumphum allatas: quibus astipulatur simulacrum Judaïci triumphi, Romae in arcu marmoreo Titi imperatoris exculptum: ubi inter alia gestantium fercula geminae legis tabulae una cum arca foederis, & aureo candelabro spectantur. At Josephus, qui pompam illius triumphi luculenter descripsit, tantum meminit candelabri aurei, mensae aureae, & voluminis Mosaïcae legis; tabularum vero nihil prorsus. Philo, & Josephus tradunt in utraque harum tabularum quina legum capita fuisse inscripta.

Exod.32. c

Exod.34. a

2. Par. 5. b

Herb.9. a

3. Reg.8. a

2.Mac.2. a

IN PRIMA erant praecepta quinque potiora, & nobiliora.

Exod. 20. Deuter. 5.

QUORUM PRIMUM fuit, De monarchia unius Dei, sive de uno tantum Deo colendo; quod incipit, EGO SUM DEUS TUUS.

SE-

Digitized by Google

SECUNDUM De ſtatuis, ſimulacris, & id genus manufactis operibus omnino rejiciendis.
TERTIUM De non aſſumendo in vanum Dei nomine.
QUARTUM De religioſa obſervatione diei ſeptimae.
QUINTUM De parentibus honorandis.

SECUNDA vero tabula, alterum quinarium rerum interdictarum continebat.
QUARUM PRIMA juxta Philonem erat, NON MOECHANDUM; ſed juxta Joſephum, & Hebraïcam veritatem prima erat, NON OCCIDENDUM.
SECUNDA juxta Hebraïcam veritatem erat, NON MOECHANDUM; juxta Philonem NON OCCIDENDUM.
TERTIA fures cohibet.
QUARTA falſos teſtes vetat.
QUINTA reprimit concupiſcentiam, malorum omnium fontem.

CHRISTIANI vero harum tabularum praecepta alio ordine dividunt: nam Origenes homilia octava in Exodum, & Athanaſius in Synopſi putant in prima tabula fuiſſe quatuor tantum praecepta, ad divinum cultum ſpectantia: hoc eſt, primum De adoratione unius Dei, ſecundum De imaginibus non habendis, tertium De nomine Dei non abutendo, quartum De Sabbato. In ſecunda vero tabula reliqua ſex praecepta ad dilectionem proximi neceſſaria. Rurſum Auguſtinus, & aliqui ex latinis Patribus haec utriuſque tabulae praecepta partiuntur in trinarium, & ſeptenarium numerum: affirmantque in prima quidem tabula fuiſſe ante omnia praecepta praepoſitum breve totius legis prooemium, nempe illud, EGO SUM DEUS TUUS: quod Hebraei primum eſſe legis praeceptum putant: cui prooemio haec tria praecepta ſubnectunt, ad cultum Dei pertinentia: Exod. 20. a

QUORUM PRIMUM eſt, Non habebis deos alienos.
SECUNDUM, Non aſſumes nomen Dei in vanum.
TERTIUM, De Sabbato.

IN SECUNDA vero tabula digerunt haec ſeptem praecepta:
QUORUM PRIMUM eſt De honore parentum.
SECUNDUM De homicidio vitando.
TERTIUM vetat adulterium.
QUARTUM prohibet furtum.
QUINTUM teſtes falſos.
SEXTUM, quod omnem concupiſcentiam prohibet, quodque apud Hebraeos unum tantum eſt, & decimum locum in Decalogo continet, Auguſtinus in duo diſtinguit, hoc eſt; in Interdictum prohibens concupiſcentiam divitiarum, quod quidem eſt ſextum praeceptum, & in Interdictum concupiſcentiae carnis, quod ſeptimo & ultimo loco numeratur. Exod. 13.

APPELLAVIT autem Moſes has tabulas לוחת העדת Luchoth hahedoth, hoc eſt Tabulas teſtimonii; & Paulus ſimiliter τὰς πλάκας τῆς διαθήκης, id eſt, *Tabulas teſtamenti, vel pacti*, quia ſcripſiſſet eas Deus in teſtimonium ſempiternum pacti illius celeberrimi, quod ſecum inierat Hebraeorum gens in monte Sinai, quando coram univerſa multitudine Judaeorum pollicenti Deo, quod ex omnibus gentibus terrae habiturus eſſet populum Israël in proprium peculium, & in regnum ſacerdotale, & in gentem ſanctam ſibi uni maxime commendatam, ſi vocem ejus audirent, & propoſitae legis pacta ſervarent, reſpondit omnis populus unanimi clamore: CUNCTA, QUAE LOCUTUS EST DOMINUS, FACIEMUS. Tunc, praeſtito utrinque conſenſu, & pactis ex utraque parte confirmatis, conditiones iniri foederis lapideis tabulis ad perpetuam facti memoriam Deus Optimus Maximus digito ſuo vivo inſculpſit anno ab orbe condito bis milleſimo quadringenteſimo & quinquageſimo quarto, ante Chriſti vero adventum milleſimo quingenteſimo ſeptimo. Heb. 9. Exod. 19. b

DEUTERONOMION Altari inſculptum, cujus mentio eſt in octavo capite libri Joſue, hac occaſione ſcriptum fuit. Cum populus Judaeorum adhuc eſſet in campeſtribus Moab trans Jordanem, primum praecepit ei Moſes, ut, cum ingreſſus eſſet in terram promiſſam, aedificaret in monte Ebal altare ex ſaxis magnis, integris, informibus, & impolitis, quae ferrum non attigiſſet, calce invicem

Digitized by Google

cem conjunctis: deinde pulchre & deligenter in ipsis sculperet omnia verba decalogi, adjectis undecim malectionibus, quae vigesimo septimo capite Deuteronomii leguntur, quibus conscriptis, mandavit idem, ut Levitae alta voce maledictiones illas intonarent, & universus populus, ad singulas respondens, clamaret, AMEN. Cum igitur Josue, transgressus Jordanem, terram Chananaeorum occupasset, anno quinto post mortem Mosis, extruxit altare Domino in monte Ebal: scripsitque in lapidibus altaris, משנה תורה, Misne Thora, hoc est, Summarium illud legis; quod LXX. interpretes verterunt Δευτερονόμιον, id est, Secundam legem, seu repetitionem legis: atque una cum hoc summario maledictiones illas, ut Josephus testatur, conscriptas reliquit, anno ab orbe condito, bis millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.

1. Esd. 6. 2 DIARIUS regum Mediae, & Persiae, seu ספר דברי הימים למלכי מדי ו פרס, Sepher diurehaiamim lemalche Medai u Phares, id est, Liber verborum dierum regum Medorum, & Persarum, significat annales, in quibus acta diurna regum, servata temporum ratione, breviter annotabantur, & apud Babylonios in publica urbis Ecbathanae bibliotheca servabantur: in his testatur Esdras studio Darii, Persarum regis, inventum esse decretum quoddam Cyri, regis Persarum, de reducendo populo Judaïco in Judaeam, & reaedificando templo Hierosolymitano sumptibus & expensis ex regia Persarum regum paratis. In his etiam refert auctor libri Esther fuisse descripta Assueri, sive Artaxerxis regis Persarum gesta, praecipue vero ejus erga Judaïcam gentem immortale beneficium, quo universum Hebraeorum genus, per omnes urbes regni sui una die trucidandum magnifice liberavit, sumpta ultione de inimicis ipsius.

DIONYSIUS, cognomento Areopagita (quem Lucas Actuum 17. capite scribit Paulo, in Areopago Athenarum concionanti, una cum muliere Damari, ac plerisque aliis, credidisse) ecclesiae Atheniensis, ut Eusebius libro tertio historiae scribit, summum sacerdotium obtinuit; ut autem Beda in Commentariis Apostolicorum actuum refert, Corinthi episcopus fuit. Hic divinae, & in mysteriis absconditae sapientiae admiranda volumina Graeco & sublimi eloquio doctissime conscripsit: de quibus, quae Graece & Latine extant, haec sunt:

DE Coelesti, sive angelica hierarchia ad compresbyterum Timotheum, liber unus.

DE Ecclesiastica, sive sacerdotali hierarchia ad compresbyterum Timotheum, liber unus.

DE Divinis nominibus ad compresbyterum Timotheum, liber unus.

DE Mystica theologia ad Timotheum compresbyterum, liber unus.

AD Cajum Monachum, epistolae quatuor.

AD Dorotheum ministrum, epistola una.

AD Sosipatrum sacerdotem, epistola una.

AD Polycarpum summum sacerdotem, epistola una.

AD Demophilum Monachum, epistola una.

AD Titum summum sacerdotem, epistola una; quam Tritemius recenset sub titulo libri DE SYMBOLICA THEOLOGIA.

AD Joannem Apostolum & Evangelistam, epistola una.

AD Apollophanem philosophum, epistola una.

QUAE vero nunc desiderantur, ab ipso Dionysio in supradictis lucubrationibus commemorata, Opera haec sunt:

LIBER Divinorum hymnorum, allegatus capite 7. coelestis hierarchiae.

LIBER Symbolicae Theologiae, citatus capite 15. coelestis hierarchiae, & capitae 1. & 13. divinorum nominum, & capite 3. mysticae Theologiae, & 9. epistola ad Titum.

LIBER De intelligibilibus & sensilibus, citatus capite primo & secundo Ecclesiasticae hierarchiae.

LIBER De legali, sive sacerdotali hierarchia, citatus capite 3. eccles. hier.

LIBER Theologicarum hypotiposeon, citatus capite 1. & 2. divinorum nominum, & capite 3. Mysticae Theologiae.

LIBER De angelicis proprietatibus, citatus capite 4. divinorum nominum.

LI-

Digitized by Google

LIBER De anima, citatus capite 4. divinorum nominum.
LIBER De divino juſtoque judicio, citatus capite 4. divinorum nominum.
HIS addit Tritemius, De obitu Pauli, ad Timotheum epiſtolam unam; cujus exemplar a Jacobo, archiepiſcopo Genuenſi, in vita Pauli recitatur.

THOMAS, presbyter cardinalis S. Xyſti, in Commentariis Actuum Apoſtolorum, & tertii libri Regum opinatur Dionyſium Areopagitam nihil omnino ex ſupra memoratis ſcriptis reliquiſſe, inductus aliquot, ut ipſe judicat, non levibus conjecturis: quibus cum longe ante ipſum per alios adductis, pleniſſime ſatisfecerint Anaſtaſius Bibliothecarius, Joannes Scotus, Joannes Saracenus, Dionyſius Charthuſianus, Ambroſius Camaldulenſis, Marſilius Ficinus, ac plerique alii eruditiſſimi viri; ſuperfluum eſſet, eandem rurſus telam retexere. Agnovit, ac venerata eſt praedicta Opera, tanquam veros ac proprios Dionyſii foetus, Concilium tertium Conſtantinopolitanum, annis abhinc ſupra nongentis; in cujus Actis horum teſtimonia ſub nomine ſanctiſſimi Dionyſii Areopagitae, pluries ad confutandos haereticos inducuntur. (a)

DO-

(a) Quamvis alibi de Dionyſio Areopagita verbum fecerim, quia tamen hic, velut in propria ſede, criticam animadverſionem collocare (ut etiam in *not. ad praef. N. Xyſti* ſpopondi) opportunum eſt, conſequenter quae hic N. Author tradit, ad lydium lapidem revocare oportet. Non inficias eo quamplures PP. quos praecipue in praefata adnotatione laudavi, Dionyſio Areopagitae Pauli Apoſtoli diſcipulo adjudicaſſe opera, quae ejus nomine inſignita circumferuntur, & praecipue poſtquam eadem opera tempore Caroli M. reperta fuerunt, & ab Hilduino non ſine pompa divulgata: Commentarios etiam eiſdem (ſaltem primoribus) veluti in religionis teſſeram adpoſuerunt S. Maximus M. S. Thomas Aquinas, B. Albertus M. S. Dionyſius Carthuſianus, aliique plures. Tanto itidem plauſu fuerunt ea omnia, veluti inſignia ad fidem ſacroſanctam ſartam tectam cuſtodiendam, excepta ab omnibus XIII. Seculi, & poſterioris quoque aetatis ſcriptoribus, ut qui vel de iis caeſpitare auſus fuerit cenſoriam non effugerit virgam, & facillime Heterodoxis fuerit adnumeratus: quam infelicem ſortem prae ceteris ſubierunt Laurentius Valla, & Deſiderius Eraſmus Roterodamus. Quid ultra? adhuc ſub clariori Coelo qui etiam criticen colebant ita pro genuinis venditarunt vindicaruntque laudati Dionyſii opera, ut pro aris & focis ea propugnarint, praeſertim tres inſignes S. R. E. Cardinales Baronius, Bellarminus, & Cozza, N. Natalis Alexander, Petrus Arcudius, Emmanuel Schelſtrate, Petrus Annatus, N. Johannes Nicolai, Honoratus à S. Maria, aliique: quinimo ex eis non defuerunt qui iterum iratis diis devoverint aliter ſentientes; quos etiam ſectariorum labe pollutos, aut ex eorum lacunis pleno pectore & incaute bibentes aſſerere non dubitarunt. Verum re bene perpenſa, exactoque adhibito criterio, Magno Dionyſio abjudicarunt, quae univerſim ejus nomine inſcripta laudantur, opera, & alteri poſterioris aetatis (ſed cuinam, vel cujus ſeculi Authori? Non dum pro comperto eſt apud eruditos) reſtituenda curarunt: & praeter ſegreges à Romana communione, ſed doctos Criticos (quos hac in re laudare nullum eſt crimen, ut ex profeſſo in monito ad Lectorem oſtendi) Caſaubonum, Uſſerium, Cavium, Fabricium, Rivetum, Pearſonium, Scultetum, Oudinum, Binghamum, alioſque, ita ſentiunt praeclariſſimi Scriptores Orthodoxi Card. Bona, Johannes Launojus, Petrus-Franciſcus Chiffletius, Chriſtianus Lupus, Johannes Morinus, Ludovicus-Elliens Du-Pin, Philippus Brietius Ex NN. Card. Cajetanus, Jacobus Echard, Michaël Lequien, Jacobus-Hyacinthus Serry, Hyacinthus Amat de Graveſon, innumerique alii, cum exteri, tum Noſtrates. Et quidem vel ex eo (ut rem digito monſtrem) evincunt laudata opera fore M. Dionyſiuo abjudicanda I. quia nullus veterum ea laudavit, & tunc praeſertim, cum cauſſa opportuna non ſemel adfuit adverſus Arianos, Neſtorianos, alioſque: ſilentium de iis, & quidem altum eſt apud primores, qui de Eccleſiaſticis Scriptoribus catalogum texuerunt, Euſebium, nimirum, & Hieronymum: qua de cauſſa dum Severiani adverſus Catholicos in collatione habita Anno DXXXIII. laudaſſent Areopagitae opera, conclamarunt Orthodoxi: „ Illa enim teſtimonia, quae vos Dionyſii Areopagitae dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Nicaeno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii diverſae ſubſtantiae blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere quia illius ſint? Neſcio. „ *Tom. IV. Concil. pag.* 1767. II. Stylus Authoris longe abit ab Apoſtolico Seculo. III. Ea habet, quae in poſterioribus Scriptoribus offenduntur. IV. Illorum operum author ſe Presbyterum dumtaxat, & nullatenus Epiſcopum eſſe aperte fatetur, quum ex adverſo Dionyſius Areopagita ab Apoſtolo Paulo fuerit Epiſcopus ordinatus. V. memorat Templa Monaſteria, Monachos, ritus varios circa Sacramenta, ac Miniſtrorum ordinationes, varioſque Eccleſiae gradus, & cetera id genus plura, quae ante IV. Seculum non eſt in Eccleſiaſtica Hiſtoria adinvenire. Alia itidem in eo plura caſtigavit N. Michaël Lequien *in Diſſert. Damaſcen.* quae omnino ſpuria eſſe Areopagitae opera ejus nomine inſcripta oſtendunt. Ad rei plenam notitiam conſule Authores laudatos, quum in ea immorandi otium non ſuppetat; & ſolum addidiſſe ſufficiat, neminem, aut, fere neminem inpraeſentiarum, qui Eruditus, qui Criticus audit, ab hac negativa ſententia, cui adhaereo, procul abire.

At circa Epiſcopatum Dionyſii non levior eſt inter recentiores controverſia. Fuiſſe illum Athenienſium Epiſcopum à S. Paulo ordinatum habetur ex S. Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo (cujus monumentum refert Euſebius *Lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap.* 4.) & ex Graecis Monologiis, Latiniſque Martyrologiis: num vero fuerit Corinthiorum Epiſcopus? incertum. De ejus autem adventu in Gallias, & de ejuſdem Pariſienſi Epiſcopatu acrior eſt inter Gallos etiam, ne dicam alios Criticos, controverſia. Similiter quo obierit Anno? non dum apud Hiſtoricos eſt exploratum. Legeſis Cardinalem Baronium *Tom. I. Annal.* N. Natalem, *Hiſt. Eccleſ. I. Seculi*, Honoratum à S. Maria *Tom. II. Animado. Critic.* N. Card. Gotti *Tom. V. De Verit. Chriſtian. Relig.* Hadrianum Baillet alioſque Criticos.

Digitized by Google

DOMINI Liber, Hebraice ספר יהוה Sepher Jehova, citatur ab Esaia capite 34. his verbis: REQUIRITE diligenter in Libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter ad alterum non quaesivit: quia quod ex ore ipsius procedit, ille mandavit; & spiritus ejus ipse congregabit ea. Per hunc librum quidam intelligunt librum Mosi, quidam librum naturae: sed sanior sensus est, quod Esaias per librum Domini prophetiarum suarum librum intelligit, quasi dicat: Commendatus sit vobis liber hic; & cum evenerint vobis, quae ventura praenuncio, quaerite, & occurrent vobis omnia in hoc libro, jussu Domini, ex spiritu oris ejus excepta. Colligunt quidam ex verbis illis mysterium Trinitatis. Filius enim significatur per os; Pater vero, cum additur ipsius, quod Hebraice scribitur, הוא, & apud Rabbinos nomen Dei excellentissimum reputatur: at Spiritus Sanctus exprimitur per ipsam Spiritus dictionem.

Mysterium SS. Trinitatis.

DOMUS Israël Scriptura, catalogum, & canonem sanctarum Scripturarum designat, in quo vaticinia, & scripturae falsorum prophetarum non habent locum, sicut aperte Deus per Ezechielem testatur capite 13. inquiens: ET ERIT manus mea super prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium: in concilio populi mei non erunt; & in scriptura domus Israël non scribentur. Vel alio modo, Scriptura domus Israël est catalogus electorum, apud Deum in libro sempiternae praedestinationis digestus, in quo nullus scribitur impius, ac reprobus.

E

EPIMENIDES Cretensis, patria Gnossius, philosophus & poëta vetustissimus, templi Mithrae, sive Solis in Creta sacerdos, scripsit librum περὶ τῶν χρησμῶν, hoc est, ORACULORUM, titulo praenotatum; in quo de oraculis & responsis, futura praenunciantibus disseruit: ex hoc Apostolus Paulus contra falsos Cretensium doctores sumpsit testimonium ut eos proprii doctoris auctoritate convinceret, sic ad Titum, Cretae episcopum, scribens: HUJUS REI gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas... Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & seductores, maxime qui de circuncisione sunt; quos oportet redargui; qui universas domos subvertunt, docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta:

Tit. 1. b

ΚΡΗΤΕΣ ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες, ἀργαί. hoc est;
CRETENSES semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.

Testimonium hoc verum est: ob quam causam increpa illos acriter. Haec Paulus. Hieronymus de hoc hexametro carmine in Commentariis epistolae ad Titum sic loquitur: SUNT QUI putent hunc versum de Callimacho Cyrenensi poëta sumptum: & aliqua ex parte non errant: siquidem & ipse, in laudibus Jovis adversus Cretenses scriptitans, qui sepulchrum ejus se ostendere gloriabantur, ait; CRETENSES semper mendaces, qui & sepulchrum ejus sacrilega mente fabricati sunt. Verum, ut supra diximus, integer versus de Epimenide poëta ab Apostolo sumptus est: & ejus Callimachus in suo poëmate usus est exordio. Haec Hieronymus: cui Augustinus in libro 2. contra adverss. leg. & proph. subscribit, eundem versum Epimenidi attribuens. Chrysostomus vero, fusius explicans hujus carminis occasionem, in Sermone 3. epistolae ad Titum haec scribit: QUIS ILLE, & unde fuerit, qui hoc dixerit, necessario ad vos dicendum est. Epimenides hic est, qui hoc protulit, Cretensis & ipse: ea est autem hujus dicti occasio. Cretenses sepulchrum habent Jovis ita inscriptum:

Ἐνθάδε κεῖται ὃν δία ἐπικαλοῦσι: hoc est,
Hic jacet, quem Jovem appellant.

Propter hanc igitur inscriptionem poëta, eos mendacii perstringens, ait:

ΚΡΗΤΕΣ ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,
Τάφον, ἄνα, σεῖο κρῆτες ἐτεκτήναντο:
Σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ ἀεί. hoc est,
Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.
Etenim sepulchrum, o rex, Cretenses fabricati sunt tuum:
Tu autem minime obiisti: semper enim vivis.

CELSUS Epicureus in libris veridici sermonis, quos edidit, contra Christianos

Digitized by Google

nos dixit ea, quae Cretenſes de Jovis apud ipſos ſepulchro narrant, myſterium continere, & juxta allegoriam oportere intelligi: cui contradicens Origenes in 3. adverſus eum volumine ſimul & hos verſus Callimacho, aliquibus ſupperadditis, attribuens, haec ſcribit: CALLIMACHUS Cyrenaeus, cum infinita poëmata perlegiſſet, percurriſſetque Graecam fere omnem hiſtoriam, nihilque prorſus de Jove, & ejus ſepulchro myſtice dictum intellexiſſet; Cretenſes diſticho quodam, quod in Jovis laudem ſcripſit, incuſat, ſic inquiens:

O Juppiter, te quidem in Idaeis montibus natum homines ferunt:
Te, inquam, & in Arcadia ortum dixere plerique:
Utrinam iſtorum, o pater, mentiuntur?
Cretenſes, ſemper mendaces, ſepulchrum tibi, o rex, condiderunt:
Tu vero mortem nondum objiſti: es enim aeterne permanſurus.

Diſtichon, cujus hic meminit Origenes apud Callimachum in hymno Apollinis, ſic habet.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, ἢ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο.
Κρῆτες ἐπεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἔσσι γὰρ αἰεί.
Cretenſes ſemper vani ſtruxere ſepulchrum
Cretenſes rex alme tuum, ſuccumbere morti
Sed nunquam poteras, qui cuncta in ſecula vivis.

EPIPHANIUS libro 1. Panarii aſſerit omnes hos verſus eſſe Epimenidis, ſed ex his Callimachum ſibi poſtremos duos uſurpaſſe, veluti approbatum adverſus Cretenſes teſtimonium. Hieronymus occurrens quibuſdam, qui hujus teſtimonii gratia Paulum calumniabantur, in loco jam citato haec addit: PUTANT quidam Apoſtolum reprehendendum, quod imprudenter lapſus ſit; &, dum falſos doctores arguit, illum verſiculum comprobarit; quod propterea Cretenſes dicunt eſſe fallaces, quod Jovis ſepulchrum inane conſtruxerint. Si enim, inquiunt, Epimenides, ſive Callimachus, propterea Cretenſes fallaces, & malas beſtias arguunt, & ventres pigros, quod divina non ſentiant; & Jovem, qui regnet in coelo, in ſua inſula fingant ſepultum; & hoc, quod illi dixerunt eſſe verum, Apoſtoli ſententia comprobatur: ſequitur, Jovem non mortuum eſſe, ſed vivum. Imperite igitur Paulus, idololatriae deſtructor, dum adverſus perverſos doctores agit, deos, quos impugnabat, aſſeruit. Quibus breviter reſpondendum eſt, Sicut in eo, quod ait, CORRUMPUNT MORES BONOS COLLOQUIA PRAVA, & in illo, IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS, non ſtatim totam Menandri comoediam, & Arati librum probavit: ſed opportunitate verſiculi abuſus eſt: ita & in praeſenti loco non totum opus Callimachi, ſive Epimenidis (quorum alter laudes Jovis canit, alter de oraculis ſcriptitat) per unum verſiculum confirmavit; ſed Cretenſes tantum mendaces vitio gentis increpavit; non ob illam opinionem, qua ſunt arguti a poëtis, ſed ob ingenitam mentiendi facilitatem de proprio eos gentis auctore confutavit; & ut ſciamus Apoſtolum, non fortuito & tranſitorie, ſed conſiderate, & circumſpecte, & ex omni parte ſe protegentem adverſus Cretenſes locutum, TESTIMONIUM, inquit, HOC VERUM EST, non totum carmen, de quo teſtimonium ſumptum eſt, non univerſum opus, ſed hoc tantum teſtimonium, hic tantum verſiculus, quo mendaces vocantur. Haec Hieronymus.

CELEBRIS factus eſt hic verſus in ſcholis dialecticorum ex ſyllogiſmo, qui vocatur, ψευδόμενος, id eſt Mentiens: in cujus exemplum hic verſus a ſophiſtis adducitur hoc modo: Aut Epimenidis carmen verum eſt, aut falſum: ſi verum; Cretenſes ergo non ſunt mendaces, quia Epimenides, auctor carminis, Cretenſis fuit: ſi falſum; igitur Cretenſes mendaces non ſunt.

DIOGENES Laërtius ſcribit Epimenidem hunc, cum adhuc invenis eſſet, miſſum aliquando a patre, ut ovem è rure deferret; & cum meridiano tempore ex itinere in ſpeluncam divertiſſet, quinquaginta & ſeptem annos ibi perpetuo ſomno quievit: deinde excitatus, cum parum ſe dormiiſſe putaret, ovem iterum quaeſivit: quam cum non inveniſſet, in agrum rediit: ubi cum rerum omnium faciem immutatam cerneret, ſtupore attonitus & cunctabundus reverſus eſt in oppidum: ibi cum domum ſuam vellet ingredi, quis nam eſſet interrogatus, vixque agnitus a juniore fratre, jam ſene, omnem ex illo didicit rei veritatem. Porro

Epimenides LVII. Annos cõtinuos dormivit.

Digitized by Google

illius fama, per Graeciam volante, diis charissimus existimatus est, summoque semper apud Athenienses in honore vixit usque ad annum aetatis suae centesimum quinquagesimum septimum; migravitque è vita olimpiade quinquagesima, hoc est anno ante Christi ortum 750.

ESAIAS, filius Amoz, Propheta, scripsit librum de gestis ab Ozia rege Hierosolymitano; cujus habetur mentio in vigesimo sexto capite posterioris libri Paralipomenon; in cujus etiam 32. capite commemoratur Visio quaedam Esaiae, continens sermones & misericordias Ezechiae, regis Juda: quam quidem haud dubium est eam esse, quae in libro Esaiae a trigesimo sexto usque ad quadragesimum caput longo sermone describitur.

IDEM QUOQUE Esaias, ut Rabbi Moses Kimchi ex sententia Judaeorum annotavit in libro Viarum linguae sanctae, scripsisse fertur librum Proverbiorum, Ecclesiasten, & Cantica canticorum, quae sub nomine Salomonis in divinis scripturis habentur.

HAERETICI sub nomine Esaiae librum commenti sunt, qui inscribitur ANAVASIS, id est Ascensus; cujus mentionem facit Epiphanius in secundo Panarii his verbis: HIERAX, multa nugans de Melchisedech, quem dicit esse Spiritum Sanctum, nititur id confirmare ex Ascensione Esaiae, nimirum, velut in ASCENSORIO appellato volumine ille dixit, nempe, OSTENDIT mihi angelus obambulans coram me, & mihi dixit, Quis est ille ad dexteram Dei? & dixi, Tu nosti Domine: & ait: Hic est unigenitus ille dilectus: &, Quis est alter similis ei a sinistris? & dixi, Tu cognoscis: hic est Sanctus Spiritus, qui loquitur in te, & in prophetis: & erat similis unigenito. Et ex hoc testimonio confirmat Melchisedech esse Spiritum Sanctum, quia, ut ait Paulus, assimilatus filio Dei manet sacerdos in aeternum. Haec eadem scriptura apud Archonticos Haereticos fuisse in usu idem testatur Epiphanius libro primo Panarii, Hieronymus in caput Esaiae 64. edisserens illud Esaiae, A SEGULO NON AUDIERUNT, NEQUE AGCEPERUNT, ET C. ait: ASCENSIO Esaiae, & Apocalypsis Heliae hoc habent testimonium, & per hanc occasionem Lusitaniae deceptae sunt mulierculae, oneratae peccatis. Origenes in Matthaei caput 13. citat Esaiae Apocryphum, in quo narratur Esaiam a populo suo in partes crudeliter dissectum interiisse.

EXTAT Visio quaedam, titulo Esaiae, Venetiis impressa, cujus haec est inscriptio, VISIO admirabilis Esaiae Prophetae in raptu mentis, quae divinae Trinitatis arcana, & lapsi generis humani redemptionem continet.

4. Esdr. 14. ESDRAS, qui in primo sacrorum annalium volumine Josedech sacerdos appellatur, & ab Hebraeis Malachias, ultimus prophetarum esse putatur: hic cum esset de captivitate Babylonis reversus, afflante Spiritu Dei, dictavit de his, quae in sacrosanctis scripturis in excidio Hierosolymitano incensis continebantur, libros quatuor & ducentos; quos ab ore ejus quinque velocissimi scribae, per continuos quadraginta dies excipientes, in tabellis buxeis descripserunt: ex his Esdras centum & viginti sex passim evulgavit; reliquos vero, secretiore sapientia, & sublimiore scientia elaboratos, solis sapientibus, ac doctoribus legis peritis majori cura, & solertiori studio occulte legendos reservavit. Meminit horum librorum ipsemet Esdras in quarto suarum visionum volumine, capite quartodecimo his verbis: QUONIAM, O DOMINE, lex tua incensa est, & propter hoc nemo scit, * quae a te facta sunt: si inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, ut scribam omne, quod factum est in saeculo ab initio, quae erant in lege tua scripta. Et respondit ad me, & dixit, VADE, & congrega populum, & dices ad eos, ut non quaerant te diebus quadraginta: Tu autem praepara tibi buxeos multos, & accipe tecum Saream, Dabriam, Salemiam, Echanum, & Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scribendum velociter; & venias huc; & ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quae non extinguetur quoadusque finiantur, quae incipias scribere: & tunc perfectis, quaedam palam facies, quaedam sapientibus absconse trades.... Et accepi quinque viros, sicut mandavit mihi Dominus; & profecti sumus in campum, & mansimus ibi: & factus sum in crastinum; & ecce vox vocavit me, dicens, ESDRA aperi os tuum, & bibe, quo te potavero. Et aperui os meum; & ecce calix plenus porrigebatur mihi: hoc erat plenum, sicut aqua;

Digitized by Google

aqua; & color, ut ignis: & accepi, & bibi: &, cum bibiſſem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increſcebat ſapientia: nam Spiritus meus conſervabatur memoria. Et apertum eſt os meum, & non eſt clauſum amplius. Altiſſimus dedit intellectum quinque viris, & ſcripſerunt, quae dicebantur, exceſſiones noctis, quas non ſciebant. Nocte autem manducabant panem: ego autem per diem loquebar; & per noctem non tacebam. Scripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor: &, cum completi eſſent quadraginta dies, dixit ad me altiſſimus: PRIORA, quae ſcripſiſti, in palam pone, & legant digni & indigni: noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos ſapientibus de populo tuo: in his enim eſt vena intellectus, & ſapientiae fons, & ſcientiae flumen. Et feci ſic.

PICUS, Mirandulae comes, Apologiae ſuae quaeſtione quinta aſſerit his ſeptuaginta poſterioribus libris contineri univerſam illam ſecretiorem divinae legis expoſitionem, quae a Judaeis קבלה KABALA, hoc eſt Receptio appellatur: eſt autem Kabala ſecretior divinae legis expoſitio, ex ore Dei a Moſe recepta, & ex ore Moſis a patribus per continuas ſucceſſiones, non quidem ſcripto, ſed viva voce ſuſcepta; quae ſimilitudinem habet ejus expoſitionis, quam nos Anagogicam nominamus, caeteris idcirco ſublimiorem, quia ſurſum nos ducat a terrenis ad coeleſtia, a ſenſibilibus ad intelligibilia, a temporalibus ad aeterna, a corporeis ad ſpiritualia, ab humanis ad divina. Horum itaque ſeptuaginta voluminum originem & occaſionem idem Picus ex ſententia Rabbi Moſis AEgyptii refert his pene verbis: CUM MOSES montem Sina conſcendiſſet, duplicem a Deo legem accepit, unam literalem, quam ipſe literis exaratam ex praecepto Dei omnibus Judaeis evulgavit; alteram ſpiritualem, quam, ita jubente Deo, non ſcripſit: ſed ſolis ſeptuaginta ſapientibus, quos ipſe ſibi ad cuſtodiam legis delegerat, occulte communicavit: eiſque itidem praecepit, ne eam ſcripto proderent, ſed ſucceſſoribus ſuis viva voce revelarent; tum & illi poſteris ſuis, eodem in perpetuum ſervato ordine, aperirent. Quod autem Deus Moſi praeter legem ſcriptam aliam legem ſpiritualem, ſive myſticam ejuſdem legis ſcriptae expoſitionem ſeparatim revelaverit; teſtes ſunt Eſdras, Paulus, Origenes, & Hilarius: ex quibus Eſdras libro quarto in principio quarti decimi capitis introducit Deum ſic ad ſe loquentem: REVELANS revelatus ſum Moſi ſuper rubum, quando populus meus ſerviebat in AEgypto; & adduxi eum ſuper montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis: & enarravi ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta & finem: & praecepi ei, dicens, HAEC in palam facies verba, & haec abſcondes. Eſdrae ſubſcribens Origenes, cum exponeret illud ad Romanos, QUIA CREDITA SUNT ILLIS ELOQUIA DEI, dicit Judaeis a Deo non ſolum creditas fuiſſe literas, ſed & eloquia Dei. Ex quo Origenis dicto indicatur praeter literalem legem aliud quid traditum fuiſſe Judaeis, quod hic vocat Paulus Eloquia Dei: ſed & Hilarius in expoſitione pſalmi ſecundi hoc idem apertius teſtatur, inquiens: ERAT autem jam a Moſe ante inſtitutum in omni ſynagoga ſeptuaginta eſſe doctores: nam idem Moſes quamvis veteris teſtamenti verba in literis condidiſſet; tamen ſeparatim quaedam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſeniоribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat: cujus doctrinae etiam Dominus in Evangelio meminit, dicens, SUPER cathedram Moſi ſederunt ſcribae & Phariſaei: omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum autem opera eorum nolite facere. Doctrina ergo horum manſit in poſterum; quae, ab ipſo ſcriptore legis accepta, in hoc ſeniorum numero & ſervitio conſervata eſt. Haec Hilarius. Cum igitur uſque ad tempus Babylonicae captivitatis nihil de hac ſecretiori expoſitione ſcriptum eſſet; Eſdras poſt urbis reaedificationem, & legem a ſe reſtauratam voluit hujuſmodi kabaliſticam explanationem literarum monumentis mandari, ne forte perderetur propter captivitates, & diſperſiones Judaïcas; in quibus ſervari non poterat ordo, & priſca conſuetudo tradendi Kabalam per manus: accitis ergo ad ſe fidiſſimis notariis, redegit omnia Kabalae myſteria in libros LXX. juxta numerum ſeptuaginta ſeniorum Synagogae, ſolis ſapientibus in poſterum communicandas. Hos ergo libros, ſumma impenſa mihi coëmptos, cum diligenter perlegerem; inveni in eis multa, immo pene omnia conſona fidei noſtrae, quibus Chriſtiani Judaeos ſuis telis confodiant: apud

Kabala quidnam ſit?

Rom. 3.

Matt. 23.

Digitized by Google

quos auctoritas Kabaliſtarum in magno honore, & reverentia eſt. Haec igitur Kabala eſt, de qua credo me primum apud Latinos explicitam feciſſe mentionem. Hucuſque Picus.

Duplex genus Kabalae.

CAETERUM, quia ex decreto ſanctae Romanae Inquiſitionis omnes libri, ad Kabalam pertinentes, nuper damnati ſunt; ſciendum eſt, duplicem eſſe Kabalam, alteram veram, alteram falſam. Vera & pia eſt, quae, ut jam diximus, arcana ſacrae legis myſteria juxta anagogen elucidat: quam quidem in tertio hujus operis volumine oſtendemus neceſſariam ad divinae ſcripturae interpretationem, producentes aliquos ex illuſtribus tam Graecis, quam Latinis expoſitoribus, qui ea in explanationibus ſuis utuntur, hanc ergo nunquam damnavit Eccleſia. Falſa atque impia Kabala eſt ementitum quoddam Judaïcae traditionis genus, quod improbi quidam Judaei a Moſe ex patribus uſque ad ipſos emanaſſe dicunt, innumeris vanitatibus ac falſitatibus refertum, nihil, aut parum a Necromantia diſtans: explicat enim ſecreta quaedam Dei nomina, ipſorumque virtutes occultas; quibus ad ligandos daemones, & ad praeſtigia facienda Necromantici nonnulli apud Judaeos utuntur, aſſerentes Chriſtum noſtrum hujus artis ope omnia ſua miracula edidiſſe. Hoc igitur ſuperſtitionis genus, Kabalam improprie appellatum, Eccleſia proximis annis merito damnavit. (a)

ESDRAE Pentateuchus, unica & oblonga membrana ipſius, ut Hebraei credunt, Eſdrae manu conſcriptus abſque ullis vocalibus punctis, ſervatur ſumma veneratione in coenobio noſtro Praedicatorum Bononiae.

ESDRAE Somnium & vaticinium de fatis monarchiae Romanae eſt liber ab Haereticis noſtrorum temporum confictus; quem ſacroſanctae Romanae Inquiſitionis Senatus nominatim inter damnatas ſcripturas haberi voluit.

ESTHER, Artaxerxis, ſive Aſſueri regis Perſarum uxor, ſcripſit ad Judaeos, ſub mariti imperio viventes, epiſtolas duas de ſolemnitate Purim, hoc eſt Sortium, in perpetuum celebranda: has Lyſimachus, Ptolemaei filius, ex Perſica lingua in Graecam vertit. Eſth. cap. 9. & 11.

EZECHIAE regis Juda ſcriptura, pro qua in Hebraeo habetur מכתב Michtau, hoc eſt Scriptura; apud ſeptuaginta interpretes προσευχὴ Ἐζεκίου, id eſt Oratio Ezechiae; apud alios vero Gratulatio, ſive Gratiarum actio in ſcriptura: hanc rex Ezechias cum poſt redditam divinitus ſanitatem conſurgeret, conſcripſit rem memoratu dignam, hoc eſt beneficium prorogatae vitae ad poſteros tranſmittens: deſcribit autem primum morbi acerbitatem, deinde reſtitutae a Deo valetudinis beneficium. Vide Eſaiam capite trigeſimo octavo. Idem ſcripſit, De feſto paſchatis extra tempus in lege inſtitutum, hoc eſt, quartadecima die menſis ſecundi, celebrando epiſtolam unam: cujus mentio fit 2. Paralipomenon 30. ſcripſit item, ut quidam putant, hiſtoriam libri Judicum.

EZECHIELIS Prophetae liber Apocryphus citatur ab Athanaſio in Synopſi; qui forte alter eſt è duobus vaticiniorum, & oraculorum libris, quos Joſephus in quinto capite decimi libri Antiquitatum refert ab Ezechiele conſcriptos.

F

FOEDERIS Judaeorum ſcriptura habetur in Nehemiae capite nono; quo in loco narratur, quemadmodum populus Israël, reverſus de captivitate Babylonis, foedus percuſſit cum Deo, promittens ſe deinceps ſervaturum legem ejus, addita publica ſcriptura, & juramento ad foederis confirmationem. Signarunt autem ſcripturam; eique nomine totius populi ſubſcripſerunt Principes, Sacerdotes, & Levitae omnes Judaeorum.

FOEDERIS Volumen, Hebraice ספר ה ברית Sepher ha berith, pro quo ſeptuaginta interpretes verterunt τὸ βίβλον διαθήκης, hoc eſt Liber teſtamenti, commemoratus Exodi vigeſimo quarto capite his verbis: SCRIPSIT autem Moſes univerſos ſermones Domini, & aedificavit altare... & obtulerunt holocauſta immolaveruntque vitulos duodecim: tulitque Moſes dimidiam partem ſanguinis, & miſit in crateras: partem autem reſiduam fudit ſuper altare: aſſumenſque volumen

Varius eſt Textus noſtrae Vulgatae, quem conſule.

(a) Conſule N. Card. Gotti *Tom. II. Verit. Religion. Chriſtianae pag.* 45. *num.* 48. ubi plene de Kabalis verbum habet Eminentiſſimus Scriptor.

Digitized by Google

men foederis, legit audiente populo: qui dixerunt, OMNIA, quae locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait, HIC est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super sermonibus his. Quod quidem foedus Paulus, aliquot superadditis ritibus, in capite nono epistolae ad Hebraeos ita expressit: PRIMUM QUIDEM testamentum non sine sanguine dedicatum est: postquam enim legit Moses omne mandatum legis universo populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & hysopo, ipsum quoque librum, & populum aspersit, dicens, HIC est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Haec in divinis literis habemus de Volumine Foederis: quod ideo sic appellatum est, quia esset, veluti chirographum initi foederis inter Deum & populum Israël continens in se promissa Dei ad populum, & populi ad Deum: ea enim fuit Dei benigitas, ut, cum ab omni lege & pactione liber esset, voluerit tamen se veluti ex instrumento & contractu obligare; ut vel sic certiores redderet Hebraeos, se nunquam defuturum promissis; & ipsi arctius se devinctos agnoscerent ad exequendum, quod sponte in hoc Foederis volumine veluti ex syngrapha promiserant. Voluit etiam pollicitationes hujus foederis, utrinque factas, effusione sanguinis, & animalium caede confirmari juxta vulgatum omnium gentium morem; quae mactatis pecudibus, & victimarum sanguine mutua inter se foedera jungebant: quem morem usque ad Albanos & Romanos reges ex vetustissima consuetudine dimanasse, Virgilius his versibus ostendit:

Post iidem inter se posito certamine reges AEneid. 8.
Armati Jovis ante aras: pateraque tenentes
Stabant, & caesa jungebant foedera porca. & alibi,
Talibus inter se firmabant foedera dictis, AEneid. 12.
Conspectu in medio procerum: tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
Eripiunt,

DE scriptura vero hujus voluminis triplex est sententia: Judaei interpretes, in quibus Rabbi Salomon, volumen fuisse dicunt decursum totius Mosaicae narrationis ab initio Geneseos usque ad finem 19. capitis libri Exodi; in quo habentur foedera & pacta omnia, quae Deus sanxit cum patribus eorum Abraham, Isaac, & Jacob, una cum caeteris Israëlitici populi gestis usque ad traditionem Legis; quam vigesimum Exodi caput post scripturam hujus voluminis conditam refert. Augustinus existimat in hoc volumine solas fuisse justificationes, hoc est judicialia, & caeremonialia mandata; quae a vigesimo usque ad vigesimum quartum caput Exodi recitantur, exceptis decem moralibus decalogi praeceptis: quae quanquam Moses in capite 20. Exodi recensuerit, servata anticipationis regula apud divinos scriptores usitata; ostendit tamen postea in 24. capite decalogum a Deo in tabulis lapideis fuisse conscriptum post ejus voluminis editionem. Thomas Cajetanus censet praesenti volumine in primis & ante omnia comprehendi decem moralia mandata, ac deinde caeteras judiciorum & caeremoniarum leges ante promulgationem legis in tabulis, a Mose promulgatas: idque suadet ex ipso, quod volumini tribuitur, foederis cognomine. Summa enim & caput totius foederis inter Deum & populum in decem praeceptorum obligatione consistit: unde & tabulas, quibus ipsa decem praecepta continentur, Tabulas foederis nuncupavit Moses: cui cum nondum revelasset Deus scripturum se aliquando in tabulis leges decalogi; oportuit eum in initio hujus voluminis decem praecepta jam ex ore Dei prodita conscribere, ut integra & absoluta esset pacti scriptura, quae sanguinis aspersione firmabatur; & integrum quoque esset foedus, quo populus praesertim per decalogi obligationem Deo jungebatur.

G

GAD Propheta, Hebraice גד הנביא חוזה דוד, GAD annavi Choze David, hoc est Gad Propheta Videns Davidis, (quem Dominus misit ad regem Davidem, ut ei propter facinus numerati populi unum offerret ex tribus suppliciis eligendum, hoc est aut famem septennem, aut persecutionem ab hostibus trimestrem, 1. Par. ul. 29.

aut

Digitized by Google

aut peſtilentiam triduanam) compoſuit copioſiſſimam de vita Davidis regis, ac de rebus ipſius tempore ubique terrarum geſtis univerſalem hiſtoriam; quae in fine prioris libri Paralipomenon recenſetur his verbis: GESTA autem David regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in volumine Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetae, atque Gad Videntis, univerſique regni ejus & fortitudinis, & temporum, quae tranſierunt ſub eo, ſive in Israël, ſive in cunctis regnis terrarum.

Rom. 16. GAJUS, dilectus apoſtolorum hoſpes, (de quo Paulus ad Romanos ſcribens, dicit: SALUTAT vos Gajus Hoſpes meus) fuit, ut in Synopſi teſtatur Dorotheus Tyrius, Epheſinae Eccleſiae poſt Titum Pauli diſcipulum epiſcopus: hunc Athanaſius in Synopſi tradit ſcripſiſſe apud Epheſum ex ore Joannis Apoſtoli Evangelium, quod nunc Secundum Joannem inſcribitur: at Simon Metaphraſtes in vita Joannis Evangeliſtae memoriae prodidit Prochorum, apoſtolicum diaconum, hoc ipſum Evangelium in inſula Pathmos, dictante Joanne, literis mandaſſe,

Evangelium Joannis a quo ſcriptum

1. Tim. 1. Tit. 3. * GENEALOGIAE Infinitae: de his Paulus in priore ad Timotheum epiſtola, NE INTENDAS, inquit, Genealogiis interminatis, quae quaeſtiones magis praeſtant, quam edificationem, & in epiſtola ad Titum, GENEALOGIAS, ait, & pugnas devita. Hieronymus in commentariis epiſtolae ad Titum, & in tertio commentario Eſaiae dicit has eſſe conſtitutiones quaſdam Judaeorum a Graecis διπερώσεις appellatas, quas primum literis mandarunt Akibas, Mayr, Joannam, & Heliezer Hebraei. Auguſtinus in ſecundo libro contra adverſarium legis capite primo refert has deuteroſes apud Judaeos non eſſe ſcriptas, ſed memoriter teneri, & ab altero in alterum loquendo transfundi; in quibus Judaei tradunt Deum primo homini duas creaſſe mulieres, ex quibus poſtea infinitas texunt genealogias.

Eſa. 8. 1 GRANDIS Liber, Hebraice גליון גדול, Ghillaion gadol, quod ſeptuaginta interpretes verterunt τόμον καινὸν μέγαν, hoc eſt Volumen novum magnum, eſt charta, ſive pagina magna inſtar ſpirae in ſe ipſam circumvolubilis, notariorum vulgo Rotulum appellata; in qua Deus majoribus literis juſſit ab Eſaia ſcribi quatuor has Hebraicas dictiones מהר שלל חש בז Maher ſalal, chas baz: hoc eſt Accelera ad praedam, feſtina ad direptionem: pro quo editio noſtra vulgata legit, Velociter ſpolia detrahe, cito praedare: ſeptuaginta interpretes vero habent τῷ ὀξέως προνομὴν ποιῆσαι σκύλων: id eſt Ut velociter depraedationem faciat ſpoliorum: quidam vero habent, Voca nomen ejus CELERISPOLIUM, VELOCIPRAEDAM: alii autem, Velocem praedatorem, feſtinum ſpoliatorem. Oſtendebat autem ſcriptura haec nomen, quod Eſaias divino juſſu imponere debebat filio ſuo; quem mox; ut Chryſoſtomus ait, ex uxore ſua prophetiſſa habiturus eſſet: voluit enim Deus hoc nomine portendere imminentem Israëlitici regni depraedationem, qua paulo poſt, ante quam infans ille nuper editus lallare inciperet, rex Aſſyriorum Damaſcum & Samariam, Israëlis metropolim, depraedatus eſt; ſicut Eſaias teſtatur his verbis: ET DIXIT Dominus ad me, Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis, VELOCITER SPOLIA DETRAHE, CITO PRAEDARE. Et adhibui mihi teſtes fideles Uriam ſacerdotem, & Zachariam, filium Barachiae: & acceſſi ad prophetiſſam; & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus, ACCELERA, SPOLIA DETRAHE, FESTINA PRAEDARI: quia ante, quam ſciat vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariae coram rege Aſſyriorum, &c.

SUNT QUI exiſtimant haec verba non eſſe intelligenda de filio Eſaiae Prophetae; quoniam veriſimile non ſit Prophetam, ſumma modeſtia & honeſtate praeditum, fuiſſe inducturum teſtes, qui ſe cum conjuge ſua coëuntem obſervarent, atque eos praeſertim teſtes; quorum alter, nempe Zacharias, filius Barachiae, nondum natus eſſet; alter vero, ſcilicet Urias ſacerdos, auctoritate ac nomine teſtis, praecipue vero in divinis myſteriis, omnino indignus: quippe qui infidelis erat; &, ut quartus Regum liber refert, aram extruxerat aſſimilem altari urbis Damaſci; in qua victimas & holocauſta una cum rege impio Achaz diis gentium offerebat: quem etiam Uriam, ſi ſecum introduxiſſet propheta, non tamen appellaſſet eum teſtem fidelem, dicens, ADHIBUI MIHI TESTES FIDELES.

4. Reg. 19. 10. 11.

Digitized by Google

LES. Deinde neque aetas infantis convenire videtur tempori Samariticae direptionis; quam prophera futuram praedixerat ante, quam puer eloqui inciperet: ea enim, ut quartus liber Regum testis est, contigit anno sexto Ezechiae, regis Judae, & anno nono Oseae regis Judae: quo quidem tempore puer jam ad decimum & octavum suae aetatis annum pervenerat: nam tot anni fluxerunt ab anno quarto Achaz, in quo natus est puer, & scriptus est liber, usque ad annum sextum Ezechiae regis Judae, & annum nonum Oseae, regnantis super Israël in Samaria; quando Salmanassar rex Assyriorum, devastavit Samariam, & transtulit Israëlitas in Assyrios; posuitque eos in Hailam, & in Habor juxta fluvium Gozan in civitatibus Medorum, sicut in quarto libro Regum narratur. Sed his facile occurrimus, dicentes Esaiam adduxisse secum testes illos non ad spectaculum carnalis concubitus, sed ad intuendam & audiendam scripturam voluminis: assumpsit autem secum Zachariam, Barachiae filium, non illum quidem, qui nondum erat inter vivos editus, sed alium ejusdem nominis & cognominis Zachariam eodem tempore viventem. Uriam quoque sacerdotem accivit tanquam testem fidelem: & fidelem appellavit, non cultu & religione erga Deum, quem ipse non colebat, sed fidelitate & obsequio erga regem Achaz, apud quem Urias fidissimus habebatur: & hunc potissimum adesse voluit Esaias; ut homo idololatra, & prophetis Dei infensus, inspecta prophetiae scriptura, statim rem totam in odium prophetiae ad regem idololatram deferret. Depopulatio vero, cujus hic vaticinium scribitur, non est illa, in qua Salmanassar transtulit Israël in Mediam anno sexto Ezechiae, & nono Oseae; sed alia, quae quindecim fere annis antea facta est circa sextum, septimum, & octavum annum Achaz regis Judae, quando Phaceas, filius Romeliae, & Rasim rex Syriae, & Teglatphalassar rex Assyriorum, vastarunt Israël & Juda, & praedam ingentem asportarunt una cum omnibus vasis, & ornamentis templi: quae rex Achaz Teglatphalassar regi Assyriorum tradidit, quemadmodum in secundo Paralipomenon cap. 18. scriptum est. 4. Reg. 18.

SUNT item qui & argute, & pie hunc locum mystice interpretentur, asserentes rem hanc non ut corporaliter, sed ut spiritualiter gestam a propheta narrari; ac proinde testium introductionem, prophetae concubitum, & infantis nativitatem sic esse juxta allegoriam exponenda, ut per prophetissam, Virginem Dei, ac Domini nostri Jesu Christi matrem: per Uriam intelligamus non sacerdotem illum impium regis Achaz, sed Uriam propheram filium Semei, Jeremiae Prophetae synchronon, quem Jeremias in nomine Domini prophetasse scribit; per Zachariam vero eundem illum, qui inter duodecim Prophetas undecimus numeratur. Denique in infante, cujus nomen est ACCELERA AD PRAEDAM, FESTINA AD DIREPTIONEM, agnoscamus Leonem illum de tribu Juda; cui multis saeculis antea dixerat Jacob, AD PRAEDAM ascendisti fili mi: manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, hoc est Christum Jesum servatorem nostrum ex tribu Juda secundum carnem; qui, devicto mundo, destructo regno peccati, dejecto Sathana, expoliato inferno, occisa morte, & omnibus hostibus suis debellatis, fusis, ac prostratis, victor ac triumphans ascendit in coelum, spoliis inimicorum suorum onustus, captivam ducens captivitatem, adducens secum ab inferis redempta captivorum patrum agmina, exultantia coram eo, sicut exultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia. Epiphanius, Salaminae episcopus, libro primo adversus haereses, tomo 2. docet hunc Librum Grandem esse, Mariae Virginis uterum, magnum merito appellatum, quod incomprehensibilem comprehenderit, quem coelum & terra capere non possunt. Basilius in commentariis in Esaiam de hoc libro juxta allegoriam sic scribit: FORTASSE Tomus hic, volumen, sive liber novus & magnus adumbratio quaedam est, ac figura novi & magni Testamenti, stylo hominis descripti, quod Evangelii verba humana locutione, sive charactere descripta sint, ut a quovis facile exaudiantur: in quo quidem scriptum est, ut velox fieret depraedatio spoliorum. Evangelii siquidem doctrina, fulgetra quavis pernicior, ad extremos usque limites terrae habitabilis pertingit, spolians principem saeculi hujus; & ad obedientiam Christo redhibendam eos traducens, quos ille praedo detinebat captivos. Gen. 49. Esa. 9.

HE-

Digitized by Google

H

HEBRAEORUM Evangelium, quod SECUNDUM HEBRAEOS, sive SYROS inscribitur, ut ex veterum monumentis apparet, non unum fuit, sed plura: ex quibus tria potissimum sunt, quae appellantur Nazaraenorum, Hebionitarum, & Encratitarum.

PORRO Evangelium Hebionitarum Secundum Hebraeos illud idem est, quod Hebraicum Matthaei Evangelium, sed ab haereticis Hebionis sectatoribus adulteratum, immutatum, & multis in locis mutilatum, ac recisum: ex quo Epiphanius libro primo adversus haereses, contra Hebionitarum haeresim disputans, longum fragmentum inserit, ita scribens: PRINCIPIUM EVANGELII, quod Hebraicum appellatur, apud ipsos sic se habet: Factum est in diebus Herodis regis Judaeae, & Caiphae pontificis, venit quidam Joannes, nomine baptizans baptismum poenitentiae in Jordane fluvio, qui dicebatur esse ex genere Aaron sacerdotis, filius Zachariae, & Helizabeth: & egrediebantur ad ipsum omnes: & venit vir quidam, nomine JESUS, annorum circiter triginta; & baptizatus est a Joanne: & ut ascendit ab aqua, aperti sunt coeli, & vidit Spiritum Dei in specie columbae descendentis, & ingredientis in ipsum: & vox facta est de coelo, dicens, TU ES FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI BENE COMPLACITUM EST: EGO HODIE GENUI TE. Et statim circumfulxit illum lux magna: quem ubi vidisset Joannes, dicit ad ipsum: Tu quis es Domine? & rursus vox de coelo ad ipsum, HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI BENE COMPLACUI: & tunc prolapsus Joannes ante ipsum dicebat; Rogo te, Domine, tu me baptiza: ille vero prohibuit ipsum, dicens: Dimitte, quia sic est decorum omnia impleri: & veniens Jesus, qui elegit nos, in Capernaum, ingressus est in domum Simonis, appellati Petri: & aperto ore suo praeteriens stagnum Tyberiadis, dixit: Elegi Joannem, & Jacobum, filios Zebedaei, & Simonem, & Andream, & Philippum, & Barptolemaeum, & Judam, & Thaddaeum, & Thomam, & Simonem Zelotem, & Judam Iscarioten, & te Matthaeum sedentem in teloneo vocavi, & secutus es me. Vos igitur volo esse duodecim Apostolos in testimonium Israël, &c. Haec de Evangelio Hebionitarum.

ALTERUM ENCRATITARUM EVANGELIUM, ipsis olim Encratitis usitatum, idem Epiphanius libro primo haeresi. 46. tradit a Tatiano Syro, Encratitanae sectae auctore, ex quatuor Evangelistis fuisse collectum, & in unam continuae narrationis consonantiam, quam Diatessaron, id est Unum ex quatuor, appellavit, digestum. Theodoretus, Cyrensis episcopus, libro primo haereticarum fabularum de hoc Evangelio ita scriptum reliquit: TATIANUS composuit etiam Evangelium, quod dicitur Diatessaron, id est Ex quatuor unum, amputatis genealogiis, & aliis, quaecunque ostendunt Dominum natum esse ex Davide secundum carnem: eo autem usi sunt non solum qui sunt illius sectae, sed hi etiam, qui dogmata apostolica sequuntur, compositionis fraudem non agnoscentes, sed simplicius eo, tanquam libro compendioso, utentes. Ego quoque inveni plus, quam ducentos hujusmodi libros, qui in honore habebantur in nostris Ecclesiis: quos cum omnes simul coëgissem, deposui, & in loco eorum reposui quatuor Evangelistarum Evangelia. Haec Theodoretus de Tatiani Evangelio; quod nunc una cum ipsa Christi genealogia extat, olim a Victore, Capuano episcopo, translatum: ejusque initium est, QUONIAM QUIDEM MULTI CONATI SUNT.

EVANGELIUM NAZARAENORUM sic appellatum est, quod in usu fuerit apud Nazaraenos, qui una cum Evangelica Christi doctrina etiam Mosaicas caeremonias servandas credebant. Ex hoc loci quidam, ac sententiae in sacra quatuor, quae nunc habemus, Evangelia existimantur a vetustissimis patribus transfusa; qualis illa sententia est apud Matthaeum, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM: quam Origenes ex hoc Evangelio desumptam putat: & tractatu in Matthaeum octavo locum quendam hujus Evangelii, unde hoc testimonium acceptum est, adducens, ita scribit: QUOD ait, DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TE IPSUM, suspicari possumus, non a Domino positum in hoc loco, sed ab aliquo nescio quo, non intelligente additum esse: hoc autem adjectum esse comprobat, quod ipsum locum Marcus & Lucas exponentes, neuter addidit:

Matth. 9.

Marci 10. Lucae 18.

nun-

Digitized by Google

nunquam enim Marcus & Lucas capitale & maximum hoc praeceptum praetermisissent: sed hoc scriptum est in Evangelio, quod dicitur SECUNDUM HEBRAEOS, si tamen placet alicui suscipere illud. Dixit ad eum alter divitum: Magister, quid bonum faciens vivam? dixit ei, Homo, leges, & prophetas fac: respondit ad eum, Feci: dixit ei, Vade, vende omnia, quae possides, & divide pauperibus; & veni, sequere me. Coepit autem dives scalpere caput suum, & non placuit ei, & dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis, Legem feci, & Prophetas, quoniam Scriptum est in lege, DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM: & ecce mihi fratres tui, filii Abrahae, amicti sunt stercore, morientes prae fame; & domus tua plena est bonis, & non egreditur aliquid ex ea ad eos. Et conversus dixit Simoni discipulo suo, sedenti apud se, SIMON, FILI JOANNE, FACILIUS EST CAMELUM INTRARE PER FORAMEN ACUS, QUAM DIVITEM IN REGNUM COELORUM: Eusebius libro tertio historiae Ecclesiasticae indicat ex hoc Evangelio desumptam esse historiam illam, quae nunc habetur in Evangelio Joannis capite octavo de muliere, in adulterio deprehensa; quam Euthymius Zigabenus in vetustis exemplaribus fuisse negat. Fuit hoc ipsum Evangelium apud veteres patres inter alias venerandas scripturas ad aedificationem Ecclesiae susceptum: & quanquam Eusebius scribat illi fuisse aliquando in Ecclesia contradictum: Beda tamen in principio commentariorum in Lucam de ipso sic loquitur: NOTANDUM est, quod dixit Evangelium Juxta Hebraeos, quo utuntur Nazaraei, non inter apocryphas, sed inter Ecclesiasticas numerandum historias: nam & ipsi Sacrae Scripturae interpreti Hieronymo visum est ex eo pleraque testimonia sumere, & ipsum in Latinum Graecumque sermonem transferre: quae Bedae verba vera esse ostendunt varia loca in operibus Hieronymi; qui in Catalogo virorum illustrium testimonium pro Jacobo, fratre Domini, assumens ex hoc Evangelio, haec inquit: EVANGELIUM, quod appellatur SECUNDUM HEBRAEOS, a me nuper in Graecum Latinumque sermonem translatum, quo Origenes saepe utitur, post resurrectionem Salvatoris de Jacobo sic refert: DOMINUS autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei: juraverat enim Jacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini donec videret eum resurgentem a mortuis: *Rursusque post paululum*, AFFERTE, ait Dominus, mensam & panem, *statimque additur*, Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Jacobo Justo; & dixit ei, Frater mi comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus. Haec Hieronymus; qui in eodem libro de Ignatio loquens, inquit. IGNATIUS unam ad Smyrnaeos scripsit epistolam: in qua de Evangelio, quod nuper a me translatum est, super persona Christi ponit testimonium, dicens, Ego vero & post resurrectionem eum in carne vidi; & credo, quia sit: & quando venit ad Petrum, & ad eos, qui cum Petro erant, dixit eis, ECCE palpate, quia daemonium non sum incorporale: & statim tetigerunt eum, & crediderunt. Rursum libro tertio adversus Pelagianos, IN EVANGELIO, inquit, juxta Hebraeos, quod Chaldaico Syroque sermone, sed Hebraicis literis, scriptum est; (quo utuntur usque hodie Nazaraeni Secundum Apostolos, sive, ut plerique autumant, Juxta Matthaeum) & in Caesariensi bibliotheca habetur, narrat historia: ET ECCE mater Domini, & fratres ejus dicebant ei, Joannes Baptista baptizat in remissionem peccatorum; eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Recipit quoque scripturae hujus auctoritatem Origenis praeceptor, Clemens Alexandrinus; qui cum in secundo Stromaton libro vellet astruere admirationem esse primum gradum ad perfectam Dei cognitionem, hinc dicti sui confirmationem accepit, inquiens: HAC RATIONE scriptum est in Evangelio Secundum Hebraeos, QUI admiratus fuerit, regnabit; &, qui regnabit, requiescet. Citatur ex hoc Evangelio ab Origene in secundo Tomo in Joannem alia quoque sententia in haec verba: DIXIT Christus, Modo accepit me mater mea, Spiritus Sanctus, uno capillorum, & me in montem magnum Thabor portavit. Quae quidem sententia nisi candide consideretur, videtur continere haeresim Gnosticorum, & Valentinorum, asserentium Spiritum Sanctum esse matrem Christi. Proinde Origenes loco jam citato inquit, hoc ita interpretandum esse, ut dicamus, Spiritum San-

Historia mulieris adulterae in Evangelio secundum Hebraeos.

Digitized by Google

ctum appellari matrem Christi non natura, & generatione, sed maternae pietatis imitatione; id est, quia Spiritus Sanctus semper facit voluntatem patris: ET OMNIS, ait Christus, QUI FACIT VOLUNTATEM PATRIS MEI, QUI EST IN COELIS, HIC PATER MEUS, ET MATER MEA EST. Hegesippum, qui vicinus fuit Apostolorum temporibus, multa ex hoc Evangelio enarrasse Eusebius in quarto Ecclesiasticae historiae testis est.

HELDAD, ET MEDAD Prophetae, (super quos, ut in XI. Numerorum capite legitur, requievit Spiritus Domini) cum in solitudine Arabiae in castris Israël prophetarent; Josue veritus, ne ipsorum apud populum existimatio Mosis auctoritatem aliquo modo imminueret, admonuit Mosen, ut eis prophetandi munus inhiberet: cui Moses, nihil alienis honoribus offensus, placide respondit: QUID tu pro me aemularis? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus Spiritum suum? Horum igitur vaticinia ab incerto auctore unico libro comprehensa sunt; ex quo Hermas, Pauli discipulus, in I. libro Pastoris capite secundo testimonium sumpsit, his verbis: PROPE est Dominus his, qui se ad eum convertunt, sicut scriptum est in Heldad, & Medad; qui vaticinati sunt in solitudine populo. Auctor Hebraicarum Traditionum, quae HIERONYMI titulo praenotantur, scribit Heldad, & Medad eosdem esse, quos prior annalium liber capite quarto appellat Epher, & Jalon de tribu Levi, filios Ezrae, qui & Amran dictus est, & Mosis pater fuit. Moses enim, post acceptam legem in eremo, matri injunxit, ut patrem Amram dimitteret, eo quod illius amita esset: filia enim fuit Levi, post cujus dissidium Amram aliam duxit uxorem; ex qua suscepit duos hos filios Heldad, & Medad. Athanasius in Synopsi hunc librum inter Apocryphos numerat.

HELIAS Propheta ex Thesbis Arabum oppido fuit, de tribu Aaron Levita, habitator regionis Galaad, vir Dei, zelo ardens; qui ter ignem è coelo deduxit, imbrem sua lingua gestavit, mortuos suscitavit, & in coelum denique in turbine ignis assumptus est. Hic, cum Joramus, Hierosolymae rex, adigeret populum conscendere lucos, in editis montibus sitos, ibique aliena colere numina, scripsit ad eum epistolam, qua illi inevitabilem Dei vindictam ideo minabatur, quod, contempto patrum suorum exemplo, ad sectandam Israëliticorum regum
2. Par. 21. impietatem se contulisset; neque hoc contentus, etiam Judae tribum, & Hierosolymorum cives impulisset, relicta patria religione, ad externos ritus desciscere: ad haec, quod fratres, & alios viros bonos ac justos interemisset: pro quibus sceleribus poenam, quae illi imminebat, eadem epistola significavit; hoc est, quod hostes in populum ipsius, ac domesticam familiam desaevirent, nec liberis parcentes, nec uxoribus; ipsum quoque, lento ventris profluvio vexatum, intestinis paulatim effluentibus, & sero ex his cruciatibus culpam suam agnoscentem, ac Dei opem nequicquam implorantem, miserabilem animam efflaturum. Argumentum hujus epistolae spectare licet in secundo Annalium capite vigesimo primo.

FERTUR & liber quidam sub nomine Heliae, qui Ascensio, vel Assumptio, vel Apocalypsis, vel Secreta Heliae inscribitur; de quo Origenes existimat, Paulum in prima epistola ad Corinthios accepisse testimonium illud, *Quod oculus non*
1 Ad Cor. 2. *vidit &c.* sic enim scribit tractatu in Matthaeum trigesimo quinto: APOSTOLUS scripturas quasdam secretas profert, sicut dicit alicubi, Quod oculus non vidit, nec auris audivit: in nullo enim canonico libro hoc positum invenitur, nisi in Secretis Heliae Prophetae. Haec Origenes. Hieronymus in caput 64. Esaiae edisserens verba illa ex eodem capite, *A saeculo non audierunt, neque acceperunt, &c.* APOCALYPSIS, inquit, Esaiae hoc habet testimonium, & per hanc occasionem Lusitaniae mulierculae deceptae sunt. Citantur in Synopsi Athanasii inter libros rejectae auctoritatis Apocryphi Heliae Prophetae.

STRATONICUS, Cumarum episcopus (a) in Collectaneis suis citat ex libro Traditionum Heliae Prophetae praedictionem quandam de mundi consumatione, quae futura sit anno sex millesimo ab ejus creatione. Arbitror hanc esse traditionem illam, quae in Thalmudicis Hebraeorum voluminibus

(a) Certum est Stratonici opera a N. Sixto laudata suppositicia esse, sed de eo infra plenius differetur.

Digitized by Google

bus legitur in Tractatu SANEDRIM, Capite Helech, his plane verbis: שתא אלפי שני לתוי עלמא : וחד חרב : ב אלפים תתו : ב אלפים תורה : ב אלפים ומות המשיח : Scitta alphe ſene leheve alma, vechad chareb, be alaphim tohu, be alaphim tora, be alaphim vemot hamaſciach: *quae hoc ſane modo interpretari poſſumus*: Sex millia annorum erit mundus, & iterum deſtruetur: duo millia inanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Meſſiae. Nec praetereundum hoc loco arbitror Heliam ab Hebraeis appellari ſeptimum aetatis humanae continuatorem: ſeptem enim viris omnem a mundi principio uſque in finem vitam humanam continuatam aſſerunt. Primus homo Adam; hunc vidit Matuſalem, aetaſque primi hominis uſque in Matuſalem ſe porrexit; Matuſalem vidit Seem, filium Nohe; Seem pervenit uſque ad Jacobum; Jacob uſque ad Hamram, patrem Moſis; Hamram pervenit uſque ad Ahiam Silonitem; Ahias autem uſque ad Heliam; Helias vero uſque ad finem mundi.

HENOC, ſive חנוך Chenoc, ab Adam ſeptimus, filius Jared, nepos Maaelalel, pronepos Kenan, abnepos Enos, nepotis Adam, vir ſuo ſaeculo juſtiſſimus, & Deum ſumma religione colens, ſcripſit quemadmodum in ultima ſuper Numeris homilia teſtatur Origenes, plures propheticos libellos; ex quibus Judas Apoſtolus in epiſtola ſua catholica adverſus impios ſeductores formidabile de extremo judicio teſtimonium accepit, ſic inquiens: PROPHETAVIT autem & de his ſeptimus ab Adam Henoc, dicens, Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quae locuti ſunt contra Deum peccatores impii. Auguſtinus de hoc volumine in 18. de civit. Dei ſic dicit: HENOC ſeptimus ad Adam in canonica Apoſtoli Judae prophetaſſe praedicatur: cujus ſcripta, ut apud Judaeos, & apud nos in auctoritate non eſſent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur eſſe ſuſpecta, ne proferrentur falſa pro veris: nam & proferuntur quaedam, quae ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim, quod volunt, credunt; ſed caſtitas canonis non recepit: non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas; ſed quod iſta eſſe non creduntur ipſorum. Haec Auguſtinus. Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiae docet epiſtolam Judae propter teſtimonium ex hoc Apocrypho libro deſumptum, olim a pleriſque Eccleſiaſticis patribus fuiſſe rejectam: & in commentariis epiſtolae ad Titum addit, Judam Apoſtolum non totum hunc librum probaſſe, ſed hoc tantum teſtimonium de judicio adverſus impios; cujus auctoritatem in epiſtola ſua recepit. Quale autem fuerit libri hujus argumentum, ignotum eſt: apparet tamen ex Patrum monumentis fuiſſe in eo capita quaedam De numero, ac nominibus ſtellarum, & ipſarum ſecretis virtutibus, De deſcenſu filiorum Dei ad filias hominum, De gigantibus ex angelorum coïtu progenitis, De extremo judicio Dei erga impios; de quo praeſens Judae teſtimonium prolatum eſt: ſiquidem Origenes, de his capitulis verba faciens, in 28. homilia libri Numerorum ſic ſcribit: QUI fecit multitudinem ſtellarum, ut ait propheta, omnibus eis nomina vocat: de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur HENOC, ſecreta continentur, & arcana: ſed quia libelli ipſi non videntur apud Hebraeos in auctoritate haberi; ea, quae ibi nominantur, in exemplum vocare differamus. Idem in commentariis ſuper Joannem tomo ſexto, de deſcenſu animarum in corpora loquens, ait: IN HENOC ſcriptum eſt, (ſi modo quiſpiam eum, ut ſanctum librum, probare velit) IN diebus deſcenſus filiorum Dei ad hominum filias; quem quidem deſcenſum nonnulli obſcure ſignificare exiſtimaverunt animorum in corpora deſcenſum, quod filias hominum obſcure & tropice terrenum tabernaculum dici exiſtimaverint. Auguſtinus autem in 15. libro de civit. Dei, capite 23. de gigantibus loquens, ſic inquit: SCRIPSISSE quidem nonnulla divina Henoc illum, ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cum hoc in epiſtola canonica Judas Apoſtolus dicat; ſed non ſunt in canone ſcripturarum: unde illae, quae ſub ejus nomine proferuntur, & continent fabulas illas de gigantibus, quod non habuerunt homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda. Haec Auguſtinus. In vetuſtiſſimo autem volumine, cui titulus eſt TESTAMENTUM DUODECIM PATRIARCHARUM, quod ſaepe Origenes

Judae ep. v. 14

genes & Procopius citant: multa ex libro Henoc inseruntur vaticinia, videlicet, De his, quae eventura fuerant filiis, ac nepotibus duodecim Patriarcharum, De futuris Hebraeorum sceleribus, & poenis, De mundi salvatore ab Hebraeis occidendo, De Hebraeorum eversione, captivitate, & dispersione inter gentes perpetua. Joannes Annius in commentariis super Berosum scribit in eodem Henoc volumine fuisse celebre vaticinium de geminis totius terrae cladibus, altera per inundationem, altera per incendium futuris: additque hoc ipsum vaticinium, ab Henoch in duabus columnis, altera lapidea, altera latericia insculptum, ad perennem posteritatis commonitionem; ut si latericiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes commendatam sibi scripturam conservaret. Meminit utriusque columnae Josephus in primo Antiquitatum, affirmans quoque lapideam temporibus suis in Syria extitisse. Tertullianus in libro de habitu mulierum, occurrens iis, qui dicunt, librum hunc, si ante diluvium ipse fuisset ab Henoc scriptus, post diluvium ad posteros salvum pervenire non potuisse, ostendit, non esse id incredibile, vel, quia ipsum Nohe in arca servaverit, vel, quod ipsum, inundatione diluvii abolitum, aliquis, Spiritu Sancto illustratus, restituerit; sicut per Esdram sacra volumina post captivitatem instaurata sunt. Proinde censet, non esse rejiciendam ipsius Scripturae auctoritatem.

Henochi vaticinium de geminis totius terrae cladibus.

VIXIT HENOC, versatus in hoc nostrae mortalitatis exilio, annis trecentis & sexaginta quinque, hoc est, usque ad annum orbis conditi, millesimum decimum quintum: quibus expletis annis, ambulavit, ut inquit Moses, cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Quomodo autem, & quem in locum tulerit eum Deus, non aeque apud omnes Sacrarum literarum expositores certum est. Aven Ezra, & aliqui Judaeorum verbum illud, TULIT EUM DEUS, interpretantur, Mortuus est, & quidem ante tempus, ne malitia immutaret cor ejus: quod is loquendi Scripturarum mos sit, ut eum tolli dicant, qui de vita tollitur, juxta illud Heliae, Tolle animam meam; & Job, Post modicum tollet me. Philo Judaeus in libro de vita sapientis, secutus translationem Septuaginta, qui hunc locum verterunt, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός, hoc est, *Quia transtulit eum Deus*, dicit, Deum transtulisse Henoc non per mortem, sed per separationem a consortio, & frequentia improborum hominum ad virtutis secessum vulgo ignotum, & vix paucis, iisdemque praestantissimis viris cognitum. Procopius Sophista in Genesim innuere videtur Henoc translationem fuisse non mortem, sed immutationem quandam ex mortali ad immortale corpus. Augustinus libro nono in Genesim, & in libro de peccatorum meritis, negat Henoc immutatum esse in illam spiritualem qualitatem corporis, quae in resurrectione promittitur: putatque iterum ipsum rediturum ad hanc vitam, & moriturum, ut corpus animale in spirituale mutetur; interim vero, aut sine cibo a Deo substentari, sicut Helias quadraginta dies sine cibo vixit; aut, si cibo opus habet, in paradiso fortasse pasci, sicut Adam de ligno vitae, & inde contra vetustatem vitae stabilitatem accipere. Irenaeus libro quinto adversus haereses Valentini asserit eum una cum Helia vivere in eodem paradiso, in quo primus homo a Deo positus fuit. Hieronymus in primo libro adversus Jovinianum, forte ex memoriae lapsu, hanc translationem attribuit non Henoc, sed Enos, cujus Henoc fuit abnepos, inquiens: SI AUTEM transfertur Enos; non reor idcirco translatum Enos, quod uxorem habuerit, sed quod primus invocaverit Deum. Chrysostomus & Theodoretus ajunt, non esse curiosius investigandum, quo translatus sit, & num usque ad praesens vivat, & quomodo nunc agat; sed hoc esse satis, ut credamus, & quod Deus eum transtulerit, & quod viventem transtulerit, & quod mortem non sit expertus, sicut & Paulus ad Hebraeos testatur, dicens: FIDE Henoc translatus est, ne videret mortem: & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Gregorius Theologus in 2. libro de Theologia, HENOC, inquit, quanquam hinc translatus est; nondum tamen constat, comprehenderit ne Dei naturam, an adhuc sit comprehensurus.

Genes. 5. 22.

3. Reg. 19. 4 Job 32. 22.

Hebr. 11. 5.

HERMAS, Pauli Apostoli discipulus (cujus ipse, ad Romanos scribens, meminit, dicens: SALUTATE Phlegontem, Herman, Patroban, Hermen, & qui cum eo fratres sunt) Opus Graeco sermone edidit, tribus libris distinctum: quo-

Rom. 16. a

Digitized by Google

quorum primus ECCLESIA inſcribitur, quia in eo quatuor viſiones eccleſiae narrantur: ſecundus PASTOR praenotatur, quod in ipſo Angelus, paſtor, protector, & cuſtos ipſius Hermae, qui & Angelus poenitentiae nuncius dicitur, duodecim praecepta vitae bene agendae proponit: tertius, quia decem ſimilitudines ab eodem Paſtore explicatas continet, SIMILITUDINUM appellatur: conſuetudo tamen poſtea obtinuit, ut totum Opus PASTORIS, ſive PASTORALIS titulo vocaretur. Hoc olim in quibuſdam Graeciae eccleſiis publice legebatur ad inſtitutionem eorum, qui primis ad fidei inſtitutionem inſtruebantur elementis: multique veterum ipſius teſtimoniis ad dogmatum confirmationem uſi ſunt; veluti Clemens Alexandrinus in ſexto libro Stromatum, Origenes Homilia octava in Numeros, homilia 10. in Joſue, homilia 35. in Lucam, & libro primo, ſecundo, & quarto Periarchon; Athanaſius in libro de incarnatione Chriſti, Irenaeus libro primo adverſus haereſes, Joannes Caſſianus collatione 13. capite duodecimo; ac plerique alii pervetuſti auctores: poſt quorum tempora auctoritas libri hujus paulatim defecit, & a Gelaſio demum inter Scripturas dubiae fidei rejecta eſt, ut arbitror, ad haereticorum ſubverſionem, qui inde execrabilium dogmatum praeſidia aſſumebant: nam, ut de caeteris taceam, Ariani, teſte Athanaſio, in epiſtola ad epiſcopos Africae, aſtruebant filium Dei creatum eſſe a patre ex non exiſtentibus, ſive ex nihilo; quia in primo praecepto ſecundi libri Paſtoralis ſcriptum eſſet: PRIMUM omnium crede unum eſſe Deum, qui omnia creavit, & conſummavit, & ex nihilo omnia fecit. Citatur tamen interdum a Gratiano in Collectaneis decretorum, & a Petro Lombardo in Collectaneis ſententiarum ad comprobationem Eccleſiaſticarum ſanctionum. Euſebius libro tertio Eccleſiaſticae hiſtoriae capite tertio, LIBELLUS, inquit, Hermae, qui dicitur Ποιμήν, id eſt, PASTOR, cujus Paulus in epiſtolis ſuis meminit, a plurimis non eſt receptus: ab aliis autem neceſſarius judicatus eſt propter eos, qui primis ad fidem inſtitutionibus imbuuntur: unde & in nonnullis Eccleſiis legitur, & multi veterum uſi ſunt teſtimoniis ejus. Rufinus in explanatione Symboli, Paſtoris volumen inter Eccleſiaſtica ſcripta una cum libris Tobiae, Judith, & Maccabaeorum enumerat. Ex prima narratione libri hujus apparet Herman vixiſſe Romae: at Dorotheus, Tyri epiſcopus, in Synopſi ſcribit eum Philippopoleos fuiſſe epiſcopum. Damaſus in Catalogo pontificum tradit hunc Herman fuiſſe fratrem Pii Papae ejus nominis primi, eumque exaraſſe Paſtoris opus temporibus Antonini Pii imperatoris anno Domini 129. At Origenes libro decimo in epiſtolam ad Romanos exiſtimat eum fuiſſe Paulo ſynchronon, ita ſcribens: PUTO, quod Hermas iſte ſit ſcriptor libelli illius, qui PASTOR appellatur: quae ſcriptura valde mihi utilis videtur, &, ut puto, divinitus inſpirata. Quod vero Paulus ei nihil laudis aſcripſerit; illa eſt cauſa, quia videtur, ſicut ſcriptura illa declarat, poſt multa peccata ad poenitentiam fuiſſe converſum: & ideo nec opprobrium ei aliquod ſcripſit: didicerat enim ſcripturam, NON improperare homini ſe convertenti a peccato: neque laudis aliquid tribuit, quia poſitus erat adhuc ſub angelo poenitentiae, a quo, tempore opportuno, Chriſto rurſus deberet offerri. (a)

HIRAMUS, Tyriorum rex, (quem tertius liber Regum teſtatur miſiſſe ligna cedrina ad aedificationem templi Hieroſolymitani) ſcripſit ad Salomonem, Hebraeorum regem, epiſtolas plurimas: in quibus diverſas quaeſtiones partim Salomoni ſolvendas propoſuit, partim ſibi a Salomone propoſitas diſſolvit: harum meminit Dius in Phoeniciis hiſtoriis, & poſt eum Joſephus in primo adverſus Apionem volumine his verbis: HYRAMUS, Tyriorum rex, amicus erat regis noſtri Salomonis: hanc autem amicitiam amor ſapientiae conciliaverat: problemata enim ſolvenda alterutris dirigebant; & melior in his Salomon erat, & ſapientior apparebat. Hactenus vero ſervantur apud Tyrios epiſtolae multae, quas illi ſcripſere adinvicem. 3. Reg. 5.

HIEROSOLYMITANUS ſenatus ſcripſit epiſtolas duas, alteram ad Judaeos diſperſos, alteram ad Ariſtobulum, Ptolemaei regis AEgypti praeceptorem: utriuſque exempla habentur 2. Maccab. 1.

JA-

(a) Quum de Herma verbum fecerint innumeri eruditique recentiores Critici, Dupinius, N. Natalis, Cavius, aliique, legeſis praecipue Cl. Johannem Baptiſtam Cotelerium *PP. Apoſtolici* ſupra laudatum.

Digitized by Google

I

Gen. 28. a JACOB Patriarchae Scala, volumen fuit Ebioneis haereticis familiare: in quo Jacob introducebatur, veluti exponens insomnium scalae, a se per quietem visae, adversus Judaeos, & templum, & eorum sacrificia. Epiphanius primo Panarii in confutatione Ebionitarum hujus rei testis est. Circunfertur etiam typis excusum Jacob Patriarchae Testamentum, quod Gelasius distinctione quintadecima inter libros apocryphae auctoritatis computat. Citatur a Stratonico in collectaneis Titulus a Jacob Patriarcha scriptus in Bethel Luzae: verum an titulus ille scriptura fuerit in lapide excisa, an lapis absque ulla scriptura erectus ad perpetuam conspectae visionis memoriam, non satis profecto est manifestum.

JACOBUS, frater Domini secundum carnem, auctor ejus epistolae, quae inter septem catholicas connumeratur, pleraque magnae sanctitatis scripta reliquit: in quibus excellit Evangelium, quod a quibusdam JACOBI, a quibusdam SECUNDUM Hebraeos inscribitur: cujus saepe meminit Origenes; & cui Hieronymus, qui illud ex Hebraeo Graece, & Latine transtulit, egregium praebet testimonium in catalogo scriptorum illustrium: de quo etiam nos sub titulo Evangelii Secundum Hebraeos abunde locuti sumus. Athanasius in Synopsi scribit Jacobum in Evangelium Matthaei, Hebraice scriptum, interpretationem & expositionem primum omnium adhibuisse. Extat nunc scriptura quaedam, ab haereticis nostrorum temporum typis excusa, quae Protoevangelium Jacobi, sive Sermo historicus de nativitate Deiparae inscribitur, continens historiam nativitatis Mariae usque ad adventum Magorum: in quo inter caeteras ambiguae fidei narrationes illud etiam adjicitur absurdissimum, nempe Josephum & Mariam, stupri & sacrilegii accusatos, ex decreto sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum redargutionis, quo Moses explorari jussit innocentiam foeminae de adulterio suspectae: Fertur, & in usu est apud Graecos, Liturgia, sive divina Missa sub nomine hujus Apostoli, cujus initium est, PECCATORUM MULTITUDINE INQUINATUM: quam, ut veram, & germanam Jacobi scripturam, agnoscit, & accipit Proclus, Constantinopolitanus archiepiscopus; qui in Synodo Ephesina adversus Nestorium fortiter dimicavit: sed & Concilium universale (a) cognomento in Trullo, sub Justiniano celebratum, refellit ex hac Missa haereticos, qui vino tantum in mysteriis utebantur, sic in 32. canone pronuncians: NAM ET Jacobus, Jesu Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui primum Hierosolymitanae ecclesiae thronus creditus, & Basilius, Caesareae archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, peragendum in sacro mysterio ex aqua & vino sacrum poculum ediderunt, &c.

JANNES, & Jambres Liber, *βίβλος Ιαννὴς καὶ Ιαμβρὴς*, vel, sicut editio nostra legit, Jamnes & Mambres: ex hoc Paulus in posteriore epistola ad Timotheum accepit nomina Magorum, qui cum Mose in AEgypto decertarunt, inquiens:
2. Tim. 3. 8. QUEMADMODUM enim Jamnes, & Jambres resistebant Mosi; ita & hi resistunt veritati. Quae verba expendens Origenes tractatu 35. in Matthaeum, sic inquit: QUOD ait Paulus, Sicut Jamnes & Mambres restiterunt Mosi, non invenitur in publicis scripturis, sed in libro secreto, qui supra scribitur, JAMNES, ET MAMBRES LIBER: unde ausi sunt quidam epistolam ad Timotheum repellere, quasi habentem in se textum alicujus secreti; sed non potuerunt: nam & primam epistolam ad Corinthios propter hoc aliquem refutasse, quasi adulterinam, ad aures meas nunquam pervenit. Haec Origenes, alludens ad Menandri versiculum, qui
1. Cor. 15. in capite 15. prioris ad Corinthios legitur: id est, CORRUMPUNT BONOS MORES COLLOQUIA MALA. Attestatur auctoritati hujus voluminis Numenius Apamaeus, professione Pythagoricus, in tertio libro, De bono: ubi singillatim Magorum, qui Mosi restiterunt, nomina refert his verbis: JAMNES, & Jambres

(a) Concilium Trullanum sub Justiniano Juniore An. DCCLIV. coactum, & vulgo *Quini-Sextum*, non fuit Oecumenicum, sed Nationale Graecorum, nunquam ab Ecclesia receptum, quinimo in pluribus rejectum, & reprobatum. Ab Authore dicitur universale, seu plenarium, fortasse quia ad illud ex universo Oriente confluxerunt Episcopi numero CCCVIII.; quapropter reapse dicendum est Pseudo-Septimum Universale Concilium, ut etiam memoriae tradidit Theophanes. Consule praeceteris M. Annalium Parentem Card. Baronium ad *An.* 754.

Digitized by Google

bres AEgyptii erant, viri magicis artibus adeo praepotentes, ut Musaeo, Judaeorum duci, viro Deo conjunctissimo, soli resistere posse a cunctis AEgyptiis judicati sint: multas enim calamitates, quas Musaeus AEgypto intulit, solvere visi sunt. Haec Numenii verba sunt ab Eusebio ex 9. evangelicae praeparationis transcripta. Gelasius, ut habetur in decretis distinctione decima quinta, librum hunc inter Apocryphos rejicit, secutus nimirum D. Ambrosii judicium; qui in explanatione horum verborum Pauli inquit: EXEMPLUM hoc de Apocryphis est. Jamnes enim & Mambres fratres erant magi, vel venefici AEgyptiorum; &c.

JASON CYRENAEUS, natione Judaeus, verax & disertus historiarum scriptor, scripsit Graeca & copiosa dicendi ubertate de gestis Maccabaeorum principum libros quinque; quos ob eximiam narrationis fidelitatem senatus populusque Hierosolymitanus jussit in parvam redigi epitomen, quae nunc inter caeteros divinae Scripturae libros annumeratur, parique cum eis veneratione suscipitur, & SECUNDUS MACCABAEORUM inscribitur: in cujus initio haec verba leguntur: ITAQUE ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus uno parvo volumine breviare: & nobis quidem ipsis, qui hoc Opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus, &c. Claruit Jason sub Ptolemaeo Philometore, sexto rege AEgypti, Olympiade CLI. hoc est, anno ante Christum natum centesimo trigesimo. 2. Mar. 2.

JASON Thessalonicensis (cujus Paulus ad Romanos meminit, inquiens: SALUTAT vos Jason: & de quo etiam in Actibus Apostolorum scribitur, quod turbis Thessalonicae pro Paulo & Sila, seditionem commoventibus, semet ipsum dederit, ut Apostolo fugiendi facultatem faceret) dicitur esse auctor ejus libri, qui ALTERCATIO JASONIS, ET PAPISCI inscribitur, cujus auctoritatem, a Celso Epicureo philosopho oppugnatam, Origenes in quarto adversus eundem Celsum libro, defendens, ita inquit: QUOD si quis aequiore animo Jasonis, & Papisci scripta perlegerit: profecto comperiet non irridendum esse hunc librum, in quo Christianus ex Judaïcis scriptionibus cum Judaeo describitur disputans, & plane demonstrans, quae de Christo extant vaticinia, Jesu ipsi congruere. Hieronymus in principio Quaestionum in Genesim ait perperam affirmari in hoc libro, quod in exordio Geneseos Hebraice scriptum sit, IN filio creavit Deus coelum & terram; cum Septuaginta interpretes, & Symmachus, & Theodotion, in principio transtulerint, & in Hebraeo scriptum sit, Beresith: quod in principio interpretantur omnes; & non In filio. Dorotheus Tyrius in Synopsi tradit, hunc Jasonem fuisse primum Troadis episcopum. Rom. 16. 4 Acto. 17. b

IDDO HACHOZE חזה עדו id est, Iddo Videns, sive Vates spiritu Dei plenus, conscripsit Chazoth, hoc est, de visionibus, sive divinationibus adversus Jeroboam, regem Israël, volumen unum; in quo multa de rebus, a rege Salomone gestis, immiscuit; item de his, quae a Roboam, rege Hierosolymitano, tam bello, quam pace facta sunt, volumen alterum: ad haec etiam addidit מדרש Midrasc, hoc est, Commentarios de factis dictisque memorabilibus Abiae, regis Juda, accuratissima diligentia digestos. Vixit a temporibus Salomonis usque ad tempora Asa, regis Juda. Citantur haec volumina in 2. Paralipomenon cap. 9. 12. & 13. 2. Par. 9.

JEREMIAS Propheta & Sacerdos, praeter eos libros, qui nunc inter Sacros extant, hoc est, librum Prophetiarum, librum Lamentationum, & duas epistolas ad Hebraeos in Babylone captivos, quarum altera Jeremiae cap. 29. habetur, altera Baruch sexto, scripsit etiam libros alios, in Sacris literis citatos, quorum inscriptiones & argumenta haec sunt.

קינות KINOTH, sive Epicedion, hoc est, Lamentatio, vel Lugubre carmen, in funere Josiae, regis Juda; qui, dimicans adversus Necaum, regem AEgypti, sagitta vulneratus interiit. Meminit hujus carminis 2. Annalium liber capite 35. his vis: MORTUUSQUE est Josias, & sepultus in mausoleo Patrum suorum: & universus Juda, & Hierusalem, luxerunt eum, Jeremias maxime; cujus omnes cantores, atque cantatrices, usque in praesentem diem lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israël, Ecce scriptum fertur in lamentationibus. Hieronymus, & quidam ex Judaeis, inter quos Rabbi Salemon, arbitrantur hanc 2. Par. 35. d

la-

Digitized by Google

lamentationem esse postremam partem libri Threnorum, sub quarto & ultimo alphabeto comprehensam, existimantes de morte Josiae intelligendum esse, quod ibi scriptum est, SPIRITUS oris nostri Christus dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus. Quod tamen magis convenire videtur Sedechiae regi, quem Chaldaei catenis vinctum, & exoculatum in Babylonem duxerunt, statim post urbis Sanctae devastationem: quae toto ejusdem alphabeti metro una cum regis ac populi captivitate deflebitur: & ideo lamentationem hanc in Josiam minime superesse crediderim: tametsi Josephus libro 11. Antiquitatum testatus sit Epicedion Jeremiae in Josiam temporibus suis extitisse.

Thren. 4.

SCRIPSIT quoque Jeremias, De furore & indignatione Domini adversus Judam, & Hierusalem librum unum, in quo, excipiente Baruch notario, praenunciavit templi eversionem, urbis excidium, regni vastitatem, regis ac totius populi captivitatem, caeteraque extremas calamitates Judaeis, nisi resipiscerent, imminentes. Hunc librum rex impius Joakim, cum ad se perlatum legere incepisset, execratus horribiles prophetiae comminationes, cultro scriptorio discidit, & in arulam ignis, cui per hyemem assidebat, combussit, jubens Jeremiam, domi suae latentem, una cum Baruch detrudi in carcerem: quod audiens Jeremias, iterum jubente Deo, per manus Baruch librum rescripsit, multo etiam graviora adversus regem ac regnum ejus vaticinia superaddens. Meminit Jeremias prophetiae suae capite 36. hujus voluminis; quod Rabbi Salomon putat esse librum Threnorum, quem cum Jeremias jam exustum rescriberet, quarto adauxit alphabeto, quod in priori volumine non posuerat.

CONSCRIPTI sunt etiam, jubente Jeremia, Emptionis & Venditionis libri duo; alter apertus, alter clausus, & sigillis obsignatus: cum enim rex Assyriorum jam jam adventaret, occupaturus regnum Hierosolymitanum; Hannanaël, filius patrui Jeremiae, venit ad ipsum, in carcere regio detentum, offerens ultro venditionem agri sui, quem possidebat in Anathot villa: quod cum Propheta jussu Dei fieri cognosceret, quamvis captivus esset; & risu dignum videretur in ea regione campos emere, quam ipse mox vastandam credebat, & constantissime praedicabat: tamen numerato argento agrum emit: &, ut omnis emptionis, ac translatae possessionis jura servarentur, jussit hujus contractus schedas, sive instrumenta, quae Judaei Libros vocant, per notarios publicos, adhibitis testibus & sigillis, judicum auctoritate conscribi. Fiebant autem in his contractibus, ut tradit Rabbi Salomon, duae potissimum schedae; altera sigillis testium communita & clausa, quae tutissimo loco in publicis notariorum carthophylaciis reservabatur: altera ad illius exemplum bona fide descripta, & judicum calculo comprobata, quae aperta apud emptorem remanebat: utranque igitur Jeremias recondi jussit a Baruch, scriba suo, in urnam fictilem, ut essent posteris monumentum ac testimonium vaticinii, quo Propheta praedixerat Judaeos post septuagesimum Babylonicae captivitatis annum remigraturos in proprias sedes, ibique iterum villas, agros, & vineas empturos. David Kimchi existimat hos fuisse tres libros, primum Emptionis; secundum Exemplum ejusdem integra fide extractum; tertium, qui mysterium & rationem contineret hujus emptionis, quae stulta in oculis impiorum videbatur; & hos duos posteriores in urnam conjectos. Lege Jeremiam cap. 32.

Ritus contractuum emptionis & venditionis apud Hebraeos.

SCRIPSIT item, De Babylonis devastatione librum unum, quem saxo alligatum jussit per Saraiam, principem prophetiae, quem Sedechias ad salutandum regem Babylonis miserat, in Eufratem fluvium coram Judaeis demergi, in praesagium perpetuae demersionis, quae Babylonicae urbi imminebat. De libro ipso haec apud Jeremiam capite 51. leguntur: SCRIPSIT Jeremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem in libro uno: & dixit ad Saraiam, Cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba haec; dices, Domine tu locutus es contra locum istum, ut disperderes eum, ne sit, qui in eo habitet, ab homine usque ad pecus, & sit perpetua solitudo. Cumque compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & projicies illum in medium Euphratem; & dices, Sic submergetur Babylon, & non consurget a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur. Hactenus verba Jeremiae, qui hoc visibile signum dictis suis addere voluit, quo promulgati vaticinii memoria foret diuturnior;

Digitized by Google

turnior; ut si verba praetervolarent, factum saltem coram prae oculis gestum, imis spectantium animis infixum perduraret. Supereſt adhuc magna hujus voluminis pars apud eundem prophetam capite 50. & 51. ab ipso Jeremia descripta.

CITANTUR etiam in secundo Maccabaeorum capite 2. Commentarii, sive Descriptiones Jeremiae Prophetae; quibus ipse conscripsit ea, quae statim post eversam urbem evenerunt ante, quam populus captivus in Babylonem adduceretur; hoc est, De legibus, quas Jeremias populo, in Babylone commoraturo, praescripsit; De igne perpetuo, quem sacerdotes de altari sublatum, in ignotum puteum absconderunt; De tabernaculo, arca foederis, & altari incensi in specu montis Nebo, jussu Dei abditis; ac de rebus aliis, quae initio transmigrationis Babylonicae contigerunt. Sunt qui hos Commentarios una cum initio secundi libri Maccabaeorum, ex his commentariis desumpto, tanquam apocryphos & incertae fidei, rejiciant: quos tamen Epiphanius in vita Jeremiae Prophetae, ac plerique Ecclesiastici Patres approbant.

FERTUR & aliud volumen sub nomine Jeremiae prorsus apocryphum: ex quo Origenes a Matthaeo sumptum existimat vaticinium illud, Appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Hoc olim usos fuisse Nazaraeos, Hieronymus in caput Matthaei 27. refert.

JEHU rex Israël, scripsit ad Senatum Samariae epistolas duas; quibus occidi jussit septuaginta filios regis Achab, Samaritanorum educationi, atque eruditioni traditos. 4. Reg. 10.

JEHU Propheta, Chanani Prophetae filius (qui Baasa, regi Israël, suam ac suorum omnium extremam cladem ex praecepto Dei praedixit, & post multos annos increpavit Josaphat regem Judae, ob initum foedus cum impio Achab rege Israël) scripsit de gestis regum Judae, & Israël, qui usque ad Joram, filium Josaphat regis Judae, regnaverunt, accuratissimam historiam: cujus secundus liber Paralipomenon mentionem facit, his verbis: RELIQUA autem gestorum Josaphat priorum & novissimorum scripta sunt in verbis Jehu, filii Chanani, quae digessit in libro Regum Israël. Et ne cui forte videatur impossibile Jehu conscripsisse historiam usque ad Joram, filium regis Josaphat, quia in tertio Regum legatur, hunc Jehu supra quadraginta annos ante mortem Josaphat a Baasa, rege Israël, fuisse obtruncatum; sciendum est, quod ea, quae in tertio Regum capite sextodecimo nostrae vulgatae editionis, De caede Jehu, referuntur, in Hebraicis exemplaribus non habentur; in quibus haec tantum verba leguntur: CUM autem in manu Jehu, filii Chanani Prophetae, verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum ejus, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum: quod vero in editione Latina statim additur, HOC EST, JEHU, FILIUM CHANANI, PROPHETAM, Hebraica lectio non habet, sed est, nisi fallor, annotatiuncula quaedam, margini primum adjecta ab incerto expositore, qui locum hunc sibi, non intellectum, illustrare voluit; deinde, ut saepe accidit, scriptorum audacia in contextum translata. 2. Par. 20.

JESU CHRISTI Digitea scriptura. Etsi Christus, magister noster, nihil per se ipsum literarum monumentis mandaverit; quippe qui praestantiori scribendi forma legem amoris sui scripturus advenerat, non in paginis, & emortuis membranis, ac libris, sed in vivis & animatis humanorum cordium tabulis: legitur tamen aliquando scripsisse quaedam in lapideo pavimento Hierosolymitani templi, non calamo, aut stylo, sed eo ipso digito, quo olim divina praecepta lapideis tabulis inscripserat: hujus scripturae occasionem Joannes in octavo sui Evangelii capite refert, his verbis; ADDUXERUNT ad Jesum Scribae & Pharisaei mulierem, in adulterio deprehensam; & statuentes eam in medio, dixerunt ei, Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio: in lege autem Moses mandavit hujusmodi lapidare: tu vero quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem, inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cum autem perseverarent interrogantes, erexit se, & dixit eis, Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat: & iterum se inclinans, scribebat in terram. Haec Joannes. Caeterum, quid Christus primo

Digitized by Google

ſe in terram inclinans ſcripſerit, & quid ſecundo; neque Evangeliſta aperit, neque promptum eſt cuiquam definire. Ambroſius tamen in duabus ad Studium epiſtolis ſuſpicatur, Chriſtum primo inclinatum exaraſſe in pavimento ſententiam
Jer. 22. quandam Jeremiae, videlicet, TERRA SCRIBE HOS VIROS ABDICATOS; ut his verbis oſtenderet tentatores illos jam eſſe a Deo abjectos, & inter reprobos, quorum nomina non in coelo; ſed in terra ſcribuntur, computata. In ſecunda vero inclinatione conjicit, Chriſtum ſcripſiſſe illam a ſe alias praedicatam ſententiam,
Matth. 7. 2 FESTUCAM, QUAE IN OCULO EST FRATRIS TUI, VIDES; TRABEM AUTEM, QUAE IN OCULO TUO EST, NON VIDES. Beda putat, eum ſemel atque iterum ſcripſiſſe eandem illam ſententiam, quam tunc ore protulerat, nempe, QUI SINE PECCATO EST, PRIMUS IN EAM LAPIDEM MITTAT: ac ſi diceret, Puniatur peccatrix, ſed non a praevaricatoribus legis. Haymo exiſtimat eum notas quaſdam in ſolo delineaſſe, quibus quiſque accuſantium ſuis oculis propria conſpiciebat ſcelera, & menti objecta cernebat. Euthymius, qui ſolus de Graecis mulieris adulterae hiſtoriam explanavit, nihil arbitratur ſcriptum a Chriſto, ſed duntaxat ab eo ſimulatum ſcribentis geſtum & actionem: quod frequenter facere ſolent, qui reſpondere nolunt importuna indignaque rogantibus: cognita enim illorum machinatione, fingebat ſe in terra ſcribere, nec his attendere, quae dicebantur; ut, dum ipſe in eos non reſpiceret, erubeſcerent lenius redarguti; utque ita in ſcribendo occupato, liceret eis ſenſim abſcedere ante, quam manifeſtius condemnarentur: nam ſua ſumma benignitate etiam ipſis parcebat. Rabanus ait, voluiſſe Chriſtum hoc ſcribendi geſtu ſignificare eos, qui foeminam accuſabant, dignos eſſe, ut in terra ſcriberentur una cum his, de quibus dicit Jeremias capite 17. DOMINE omnes a te recedentes, in terra ſcribentur: impii enim non ſcribuntur in coelo ſcriptura ſempiterna, ſed in pulvere pavimenti; ut cito ſcriptura & memoria ipſorum pedibus praetereuntium protrita evaneſcat.

2. Cor. 3. 2 JESU CHRISTI Epiſtola animata: de hac Paulus Apoſtolus Corinthios in poſteriore ad ipſos epiſtola ſic alloquitur: EPISTOLA eſtis Chriſti miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus: qua ſententia Paulus Corinthios vocat epiſtolam Chriſti, quos proxime praecedentibus verbis ſuam ipſius epiſtolam nuncupaverat, inquiens: EPISTOLA noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quae
* ſcitur, & legitur ab omnibus. Appellat autem eos Paulus & ſuam, & Chriſti epiſtolam, quia ſicut epiſtolae commendaticiae, quae in commendationem alicujus ſcribi ſolent, virtutem ac dignitatem ejus, cujus gratia ſcriptae ſunt, verbis manifeſtant: ita Corinthii ſinceritate fidei, & vita vere evangelica & Chriſtiana Chriſti gloriam illuſtrabant, & Pauli magiſterium, qui eos in Chriſto inſtruxerat, declarabant: & quemadmodum in literis commendaticiis, qui eas legunt, agnoſcunt virtutem eorum, qui in eis commendantur: ita qui Corinthiorum vitam intuebantur, ſtatim cognoſcebant Chriſti, quem illi profitebantur, praeſtantiam ſublimem, & apoſtolatus Pauli, qui eos ad Chriſtum adduxerat, dignitatem. Uſus eſt autem Paulus hac epiſtolae metaphora, ut oſtenderet, ſibi non eſſe opus commendaticiis epiſtolis, quas circunferebant pſeudoapoſtoli, vel ab aliis ad Corinthios, vel a Corinthiis ad alios impetratis: quod & ipſe aperte indicavit, in-
2. Cor. 3. 1. quiens: NUNQUID egemus, ſicut quidam, commendaticiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis? ac ſi diceret, Quid opus epiſtolarum commendatione, ubi res ipſa commendat hominem? nihil moramur ejuſmodi literas: epiſtola enim viva, & efficax commendatio noſtra eſtis vos, qui ex ſublimitate virtutis veſtrae cunctis hominibus commendabilem redditis miniſterii noſtri dignitatem: quicquid illud eſt, quod feciſſent epiſtolae, nos commendantes, nobiſque reverentiam conciliantes, hoc vos facitis, dum & vident vos, & de vobis audiunt omnes: propterea quod diſcipulorum virtus praeceptorem ornare ſolet, & commendare plus quam ulla poſſit epiſtola. Vos igitur, inquit, eſtis epiſtola noſtra ſcripta in cordibus noſtris; quia pietatem & charitatem veſtram ſemper in animo habemus, corde geſtamus, ubique nobiſcum circunferimus, & apud omnes veſtra benefacta celebramus: eſtis item non noſtra tantum, ſed Chriſti quoque epiſtola, cum per vitae veſtrae ſanc-

ti-

Digitized by Google

timoniam auctorem salutis vestrae Christum, omnibus gentibus suscipiendum, exhibetis: tunc enim vera estis ac viva Christi epistola, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio; scripta vero non atramento delebili, quales sunt, quas pseudoapostoli ad vos emendicatas afferunt; neque rursus inscripta saxeis tabulis, quemadmodum lex illa vetus, de qua tantopere gloriantur Judaei, sed in tabulis cordis carneis ac mollibus: corda enim vestra, quibus Christi doctrinam impressimus, nobis membranae vice fuerunt: lingua nostra calamus, sed Christus ipse per Spiritum dictavit, quae in cordibus vestris scriberemus.

JESU CHRISTI, respondentis ad Abgarum Edessenorum regulum, epistola: hanc Eusebius libro primo historiae Ecclesiasticae capite 15. testatur, se in publicis archivis Edessenae urbis reperisse, una cum epistola ipsius Abgari Syriace conscriptam: quarum exempla haec sunt.

Abgarus, Uchaniae filius, Toparcha, JESU, salvatori bono, qui apparuit in locis Hierosolymorum, S.

AUDITUM mihi est de te, & de sanitatibus, quas facis; quod sine medicamentis, aut herbis fiant ista per te; & quod verbo tantum caecos facis videre, & claudos ambulare; & leprosos mundas; & immundos Spiritus, ac daemones ejicis; & eos, qui longis aegritudinibus afflictantur, curas, & sanas; mortuos quoque suscitas: quibus omnibus auditis de te, statui in animo meo, unum esse è duobus; aut quia tu sis Deus, & descenderis de coelo, ut haec facias: aut quod filius Dei sis, qui haec facis: propterea ego scribens rogaverim te, ut digneris usque ad me fatigari, & aegritudinem meam, qua jamdiu laboro, curare: nam & illud comperi, quod Judaei murmurant adversum te, & volunt tibi insidiari: est autem civitas mihi parva quidem, sed honesta, quae sufficiat utrisque.

Jesus Nazaraenus Abgaro Toparchae.

BEATUS es, quia credidisti in me, cum ipse non videris: scriptum est enim de me, quia hi, qui me vident, non credent in me; & qui non vident me, ipsi credent, & vivent. De eo autem, quod scripsisti mihi, ut veniam ad te; oportet me omnia, propter quae missus sum, hic explere; & postea quam compleverо, recipi me ad eum, a quo missus sum: Cum ergo fuero assumptus, mittam tibi aliquem ex discipulis meis, ut curet agritudinem tuam; & vitam tibi, atque his, qui tecum sunt, praestet.

HANC epistolam Gelasius Papa primus inter Apocryphas rejicit scripturas. Joannes Damascenus libro quarto, De fide orthodoxa, capite 17. scribit, D. N. Jesum vultus sui effigiem huic Abgaro, eam anxie efflagitanti, misisse. Evagrius libro quarto historiae Ecclesiasticae narrat, Edessam urbem hujus sacrae imaginis virtute ab oppugnatione Persarum, & incendio flammarum per eos excitato mirum in modum liberatam: idem quoque refertur in quinta actione secundi Concilii Nicaeni. Gelasius distinct. 15. utranque epistolam in Apocryphis numerat. (a)

(a) Non est una eademque Criticorum opinio de Epistolis Abgari, vel Agbari, seu Abagari, ad Christum, & Christi vicissim ad Abgarum Edessae in Syria Regem. Post Card. Baronium, aliosque etiam recentiores Criticos praesertim Abbatem Faidit, Guilielmum Cave &c. binas hasce Epistolas vindicantes, viriliter eas propugnat N. Cl. Jacobus-Hyacinthus Serry *Exercitatione XLVI. de Christo, & Deipara* ex testimonio Eusebii Caesariensis *Lib. I. Hist. Eccles. Cap. XIII.* juxta editionem Christophorsoni, ex S. Ephraemo Syro Edessenae Ecclesiae Diacono in Libro, cui titulus *Testamentum Ephrem*, ex Procopio *Lib. II. de Bello Persico Cap.* 12. Evagrio *Lib. IV. Hist. Cap.* 26. Nicephoro Callixto *Lib.* 2. *Cap.* 7. S. Theodoro Studite *Epistola ad Paschalem Rom. Pont.* & Cedreno *in Compend. Historiar.* impavide quoque rejicit confutatque nonnulla oppositae sententiae momenta, adstruitque propterea nullimode obesse sententiam Gelasii Romani Pontificis, qui inter apocrypha binas hasce epistolas rejecit: quandoquidem (ut etiam Card. Baronius contendit) inter ea apocrypha Gelasius utramque epistolam recensuit, quae Agiographa non sunt; secus autem inter ea, quae spuria, & suppositicia denotant monumenta. Nec dumtaxat laudati Authores ita sentiunt, viriliterque propugnant praefatas Epistolas; verum & quamplures alii de litteraria Republica bene meriti Scriptores Card. Bellarminus ubi *infra*, Antonius Possevinus in *Apparatu*, Honoratus à S. Maria in *Regulis Critic. Tom. II.* Sebastianus Tillemontius *in not. ad Act. S. Thom.* Philippus Brietius *in Annalibus*, Henricus Valesius in *not. ad Euseb.* Antonius Sandinus *Hist. S. Famil. Cap. XX.* alique.

Digitized by Google

que. Quinimo Heterodoxi non ineruditi in eandem descendunt sententiam, aut saltem non rejiciunt. Admittit namque eam Ernestus Grabius *in Spicileg. Patr.* Guillelmus Cave *in Histor. Litterar.* non audet eam rejicere ab Eusebio relatam historiam, Richardus Montacutius *in Baron.* etsi non obsistat aliorum sententiae, adserit tamen laudata hucusque monumenta digna fore, quae excipiantur, nihilque occurrere in laudatis Epistolis, quod sit rejiciendum. At ex adverso alii non ignobiles Critici, cum Romanae Communionis, tum extra illam, vel nimium suspectas habent praefatas ab Eusebio laudatas Epistolas, ut praecipue sentit N. Card. Gotti *Veritat. Christ. Religion. Tom. I.* vel omnino rejiciunt illas ad supposititia monumenta ablegantes, ut Elias Du-Pin *Tom. I. Bibliothecae*, Daniel Huetius *de Clar. Interpret. p.* 128. & ex NN. Melchior Canus in generali thesi *Lib. V. Theol. Loc. Cap.* 6. Natalis Alexander *Hist. Ecclesiast. Sec. I. Dissert.* 3. Hyacinthus Amat de Graveson *de Myster. & Annis Christi*, Polisichius modo laudandus, aliique, quibus utroque pollice subscribo. Ex Acatholicis autem Samuel Basnagius, Spanhemius Junior, Andreas Rivetus, Isaac Casaubonus, aliique plures manibus ac pedibus in eandem hanc negativam eunt opinionem.

Momenta vero, quibus innituntur, sunt. I. Silentium omnium Ecclesiae Patrum quinque priorum Seculorum (si Eusebium dumtaxat, & Ephreemum excipias, de quibus post pauca sermo redibit.) Et Hieronymus qui eas dubio procul percensere debuisset, alto silentio pressit; quinimo si vel ex ipsius mente rem hanc rimari velimus, oppositum certe clarescet ex eo, quod habet super *Cap. XLIV. Ezechielis*, „Salvatorem nullum volumen doctrinae suae propriae „ dereliquisse, quod in plerisque apocryphorum de„ liramenta confingunt.„ Et quamvis brevis illa ad Abgarum Epistola ad volumen non pertineat, quae potius chartula dicenda est, debebat saltem eam excipere, qui ceteras à Christo peractas, aut relictas suae doctrinae scripturas abegit. Et mirum certe est, quod res tanti momenti non fuerit ab aliis prioris aetatis Patribus memorata: & quamvis de illis fama pervolarit, nonne ut vulgi rumor ab eruditis fuit existimata historia, quae reboabat alicubi V. Ecclesiae Seculo? Ut vulgarem traditionem eam retulit Darius Comes *in Epistola ad Augustinum* data, nec Augustinus ullum de ea verbum habuit. Quinimo adhuc sub-dimidum IX. Seculi Haymo Halberstatensis Episcopus in *Epitome Histor. Eccles. Euseb. lib. II. cap.* 4. de hac historia dubius nimium haesit. II. Quia ex doctrina M. Patris *lib. I. de Consensu Evangelistarum* Et Angelici Doctoris *III. P. Qu. XLII. Art.* 4. Christus numquam aliquid scripsit, nec unquam atramento propriam doctrinam signavit, solumque digito in pulvere scripsit dum adulterae accusatores confudit: quomodo autem adstrui potest Christi Servatoris ad Abgarum data epistola? III. Quia inter Canonicas Scripturas dubio procul Ecclesia ab ipso Apostolico aevo retulisset; & saltem veneration is ergo, etsi brevem epistolam, inter agiographa percensuisset: quum ergo nec vestigium ejus reperiatur apud eosdem, recte inter apocrypha monumenta est reponenda: sicut reapse ea inter, seu inter vere suppositicia opera, reposuit Gelasius Papa in Concilio Romano, ut constat ex id genus similibus scripturis ab eodem ad commenta demandatis. IV. Quis unquam sanae mentis homo, nisi prorsus sit obesae naris, poterit sibi facile persuadere tam insigne facinus in contestationem Divinitatis Verbi in carne fuisse ab Evangelistis, Apostolisque omissum, quum id genus, & minoris certe momenti, Acta fuerint ab eis memoriae commendata? Saltem ad conversionem infidelium, vel ad confusionem haereticorum, etsi non ad Christi Divinitatem comprobandam, eam percensuissent Apostoli, Apostolicive homines. V. Ephreemi testimonium falsitatis nota non expungitur, sed quod genuina fuerit scriptura in Tabulario Edessae reperta? hic punctus hic labor est. Potuit à nebulone quodam ibi clam reponi abscondique, ut postea reperta utraque conficta epistola sibi fidem ex fraude promereretur, quae primitus in vulgus edita fuisse explosa: & in hujus rei confirmationem innumera praesto sunt ejusdem conditionis conficta monumenta ab impostoribus hoc modo vulgata, eaque propatula sunt cunctis, praecipue novissimis hisce temporibus laminae plumbeae, membranaeque absconditae in antro Granatensi, & tempore Innoc. X. repertae, quae sub nomine Jacobi Apostoli, vel catholicas, vel pias sententias Alcorani doctrina permixtas praeseferebant, nec non vita B. Johannis Calà in Bibliotheca Vaticana ab impio Sycophanta recondita, & à S. Sede damnata, utpote hominis mere chymerici Acta penitus commentitia. De Eusebio Caesariense judicium recte vel est ex sententia Polisichii formandum, vel ad summum dicendum est eum non revocasse ad incudem monumentum, quod adcuratius examinare debebat; praecipue cum ex ejusmet computo anachronismus occurrat in facto, ex quo, vel solo, Eusebii narratio spongia Eruditorum eget. VI. Et quidem dum factum hoc ad lancem sanctuarii adpenditur, acu tangitur fidem Abgari spuriam esse & rem totam longe abire a vero, si Thaddaei ad curandum Regulum istum missi historia adtente libretur. Ex Dione namque, imperante Trajano Caesare, Edessam Syriae Urbem regabat Toparcha quidam, seu Regulus à Christianae Religionis institutis alienus, qui filium suum Arbundem barbarico more saltantem nduxit, & ob speciositatem vultus, ut eidem infami paedicatori Trajano in nefariis deliciis foret, ultro permisit. Hic autem Arbundes, ut ex computo liquet, aut Patrem, aut Antecessorem habuit Abgarum, qui ad Christum scripsit obtenturus ab eo salutem: illum, inquam, ad quem Thaddaeus post Servatoris in Coelum adscensionem, juxta promissum, fuit missus, ut curaret, & reapse, ut adserunt, fuit ab eodem Apostolo pristinae redditus sanitati, baptismate lustratus, & in fide munitus. At credibile ne est se statim evolasse fidem ex Aula, in quam ex fama miraculorum Christi, & ex prodigiis Thaddaei fuerat invecta? Ut silentio praeteream nimis longe ab Servatoris consuetudine ire adsertam salutis dilationem per Apostolum suum indulgendae post triumphalem adscensionem, quum consueverit Dominus confestim sanare infirmos, eosque praesertim, qui magna fide recurrebant ad eum, ut ex Evangelio constat. Non consonat itidem Historiae Apostolicae actutum Christi discipulos commigrasse ad Paganos: qua de caussa Petrus Apostolorum vertex, ut ad Gentilem adcederet, coelesti fuit visione instructus. Quod si ex Christi promisso id innotuit Thaddaeo, quomodo latuit Petrum? Si itidem tam celebre factum cunctis perspicuum erat, cur non fuit ab Evangelistis memoriae proditum, quando & Centurionis fidem à Christo commendatam, ob idque protinus ejus puerum sanitate donatum, in Evangelio legimus promulgata, ut cetera id genus Acta silentio premam? Dubio procul hisce momentis convictus in negativam sententiam ultro libenterque descendo, quum ita ad incudem revocando historiam, eam fabellis à capite ad calcem usque scatentem invenio. Reliqua qui exoptat consulat nostrae sententiae Patronos, qui etiam oppositae argumenta dissolvunt: quum eos sufficiat indigitasse.

Quod tamen me prorsus impellit ad utramque Epistolam fabulis adcensendam, illud certe, ex plurimis, quae sunt in utraque Epistola libranda, est, quod gemina Epistola ab Eusebio relata simul conlata, atque ad lydium Theologicum lapidem probata, offenditur spuria & adulterina; utraque simul in statera Sanctuarii adpensa invenitur minus habens; quapropter, vel eo ex momento, adhuc qui Theologiam à limine salutavit, ut utramque respuat, ac e Catholicis Gymnasiis expellat, oportet. Sit er-

59

Digitized by Google

go conlatio. Abgarus ita de Christi divinitate sentit. „ Quae cum omnia de te audirem, sic in animum meum induxi, aut te revera Deum esse, qui „ de Coelo delapsus haec efficias, aut certe Dei filium „. Christus ita laudat ac commendat Abgari confessionem. „ Beatus es Abgare, qui in me „ credideris, quem non vidisti. De me enim scriptum „ est, eos, qui me viderint, non credituros in me, „ ut ii, qui me non viderint, credentes vitam accipiant. „ Igitur Abgarus vel Deum verum, vel creaturam Deo charam, Christum confessus est, & hanc fidem Christus calculo suo probans beatum Abgarum dixit. At quaeso: qui fieri potuit, ut tam inepta fidei confessio, quae sub disjunctione, ac caespitatione fuit expressa, divino commendaretur encomio, & aeterna vita digna diceretur? Non erat quippe ex divina revelatione, alioquin Abgarus verum Deum fassus esset Christum, & absolute Verbum ὁμοούσιον Patri fuisset effatus: quomodo ergo, ut beatus praedicaretur, Abgarus promeruit, qui ita erronee loquebatur; etsi (ut Patroni oppositae sententiae adstruunt) credere coepisset? Quia Petrus absolute, sine dubitatione, sed coelesti inradiatus lumine Christum confessus est Filium Dei Patri consubstantialem, audivit à Domino „ Beatus es Simon „ Ba-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit ti„ bi, sed Pater meus, qui in Coelis est. „ E contra vero Evangelicus Regulus, etsi Christum sanare potentem, adeoque eum divina virtute fretum indubie credidisset, quia tamen praesentiam illius ad sanitatem conferendam requisivit (ut S. Gregorius M. expendit *Homil. XXVIII. in Evangel.*) non commendatus fuit ex fide, sed objurgatus ex infidelitate fuit „ Nisi signa & prodigia videritis non creditis „ (*Joh. IV.*) Quomodo, inquam, vita aeterna dignus, & quidem juxta Scripturas, fuit à Christo Abgarus declaratus, quando ex divino propatulo indubioque Christi Servatoris testimonio (*Joh. XVII.*) „ Haec „ est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum „ Deum, & quem misisti Jesum Christum. „ cui innumera id genus Novi Foederis consonant monumenta? Ergone fidei initio (ut Theologi adversantes adstruunt) quod est à sola gratia excitante, imo nec plene excitante, vita aeterna veluti merces & corona respondet? Nemo, qui Theologus audit, id potest adseverare. Patres Tridentinae Synodi, dum de justificatione loquuntur dispositionem utique requirunt ad eam praeviam, & hanc statuunt in vera supernaturali fide in D. O. M. & in hunc, utpote supernaturalem provisorem, atque in Jesum Christum Servatorem; nec non in timore itidem supernaturali, ac timore illo, quo justitiae fontem diligere incipiunt peccata detestantes cum spe in propitiatorem Deum, & cum voluntate servandi mandata. (*Sess. 6. c. 6.*) Sed numquid ex eo justum declarant hominem ita dispositum? Minime gentium. „ Hanc dispositio„ nem (subdunt. *Cap. VII.*) seu praeparationem ju„ stificatio ipsa consequitur, quae non est sola pec„ catorum remissio, sed & sanctificatio, & renova„ tio interioris hominis per voluntariam susceptio„ nem gratiae & donorum .... id tamen in hac „ impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimae „ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas „ Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justifican„ tur, atque ipsis inhaeret: in ipsa justificatione „ cum remissione peccatorum haec omnia simul in„ fusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseri„ tur, fidem, spem, & charitatem. „ Haec omnia reperiant (si Superis placet) in Abgaro, & tunc eum dicant Christi elogio commendatum: quod cum non repererint, uti reapse in eo offendi haud potest, nobiscum sentiant, adhaereant nobis.

Non taedet tamen ad uberiorem adnotationem praeterire opinionem cujusdam recentioris Critici in libello ejusdem argumenti, cujus proprius author est N. F. Jordanus Polificchio (qui est etiam author alterius opusculi *de Tortoribus Christi*) natione Calaber, non ignobilis litteraturae, Vir acrioris ingenii, sed moribus conspicuus, qui jam excessit e vivis: Laudatus quidem Polisicchio quum utramque epistolam Abgari ad Christum, videlicet, & Christi ad Abgarum commentitiam adstruat, ut detegat utriusque authorem, hanc sibi adsumsit spartam, probandi, nimirum, utramque fuisse ab Eusebio Caesarienſe proprio marte procusam, ut Arianismum subdola arte, magnaque fraude promoveret; qua de causa utramque sic ab se editam & in Tabulario Edessae clam obseratam, nova arte promulgandam curavit, veluti fortuito repertum monumentum ab antiquis retro temporibus repositum, quod ceteris fuerat occultum. Hunc ergo libellum, in quo cuncta utriusque Epistolae verba in Sanctuarii lance librantur, evolvere haud inutile est, quum non modicum adferat lumen ad criterium veritatis, & ex argumenti novitate laudem promereatur.

Quod vero N. Xystus tradit de imagine Christi ab eodem Servatore ad Abgarum missa, eamque probatam in VII. Synodo contendit, universim ab Criticis, etiam Orthodoxis, in praesentiarum fabulis adcensetur: praesertim quia nullo veterum Patrum monumento firmatur. Non inficias eo S. Johannem Damascenum hanc retulisse fabellam veluti spectabilem historiam ab Evagrio traditam *Lib. IV. Hist. Cap. 27.*, ex eoque factum esse, ut fidem Damasceno praestantes quamplures, Graeci primum, deinde Latini, iique haud ignobiles Theologi, cum veteres, tum recentiores, piaculum existimarint, aut latum unguem, aut transversam paleam à Damasceni relatione procul ire, quos inter enumerantur Haymo Halberstadiensis Episcopus *de Christo rer. memor. lib. 2. cap. 5.* Simeon Metaphrastes *in Vit. Constantin. M.* Nicephorus *Lib. II. Hist. Cap. 7.* Gregor. II. Epist. ad Leon. Isauric. *Tom. VII. Concil. Labbaei p. 14.* Card. Baronius *ad An. Christ. XXX. n. 60.* ubi etiam plura PP. monumenta depromit. Card. Bellarminus *Cap. X. de imaginib. SS. Lib. II.* Laurentius Surius *ad diem XV. Novemb.* Guillelmus Estius *Lib. III. Sent. dist. 9.* Antonius Possevinus *in Appar. V. Abgarus*. Honoratus à S. Maria *Lib. IV. Animadvers. in Regul. ad usum Crit. D. S. 2.* Antonius Boucat. *Dissert. V. de cultu SS.* Gretserus, aliique. Quid ergo mirum, quod N. Xystus in eam descenderit sententiam, quam pridem novit PP. testimonio probatam, à suis contemporaneis propugnatam, quum Recentiores Theologi, iique posteriori clariorique aetate scribentes idipsum adseruerint? Universim tamen hodie Critici adcuratiores, qui ad incudem & limam priora Acta revocarunt, fundamentum hujusce fabellae enervarunt. Ut enim prae ceteris observat N. Michaël Lequien, Evagrius, à quo Damascenus historiam hanc transcripsit, falso laudavit Procopium, velut hujusce rei authorem; heinc vel inde corruit venditata fabella. Ait enim *in not. ad S. Joh. Damascen. Lib. IV. de fide Orthodox. Cap. XVI. pag. 281.* „ Primus Scriptorum Ecclesiasticorum, qui extant, „ imaginis Edessenae meminit Evagrius lib. 4. Hi„ stor. cap. 27. ubi Procopium citat, qui epistola„ rum dumtaxat Abgari ad Christum, & Christi ad „ Abgarum mentionem facit lib. 2. de bellis cap. 12. „ Damasceni narrationem novis commentis sequiores „ Graeci auxerunt.„ Et quidem si Damasceni verba bene librentur, nec ipse uti certum adstruit, quod ex Evagrio narrat; sed rem certe dubiam, aliorum testimonio, & veluti vulgari traditione delatam. Ait enim ibidem Φέρεται δὲ τις ἱστορία *Fertur autem historia* &c. Ideoque in praesentiarum laudati adcuratiores Critici eam uti fabulam universim exsufflant, nimirum Hadrianus Bailletus *Histor. de Fest. Mobil. Tom. I. de Reliq. Dom. N. Art. 12.* L. Helias Dupinius *Biblioth. Tom. I.* Henricus Valesius in *Evagrii loc. cit.* Sebastianus Tillemontius *Tom. I. Art. de S. Thom. vers. fin.* aliique innumeri, quibus adde Partheno-

JESU CHRISTI Generatio, ſive Liber generationis Jesu Chriſti (qui in Hebraico Matthaei Evangelio appellatur ספר תלדות ישוע המשיח Sepher tholdoth Jeſcua Hamaſciach, hoc eſt, Liber generationum Jesu Meſſiae) occaſionem praebuit Sacris interpretibus inquirendi, num hic titulus, Liber generationis Jesu Chriſti, totum hujus evangelii Opus ſignificaret, aut ſolam hanc Salvatoris genealogiam, in principio evangelii poſitam, indicaret, juxta Moſis conſuetudinem, qui genealogiam primi parentis noſtri Librum generationis Adam appellavit. Chryſoſtomus exiſtimat Matthaeum hoc titulo noluiſſe complecti ſummam totius hiſtoriae evangelicae, quemadmodum multi ſcriptores ſuis titulis integra Operum argumenta comprehendere conſueverunt, ſed initium duntaxat, & fontem, ex quo reliqua hiſtoria evangelica naſcitur, quae a carnali Chriſti generatione in hac genealogia deſcripta principium ſumit. Quidam vero affirmant hoc titulo concludi ſummam & argumentum univerſum totius evangelii: quod Matthaeus ideo Librum generationis Jesu Chriſti appellavit, quia, cum ipſe Hebraeus eſſet; & Hebraeis Hebraice ſcriberet, viſum eſt illi hiſtoriam ſuam inſcribere a Chriſti generatione, quam in principio voluminis enarrabat, ſervata in hoc Hebraeorum conſuetudine, qui libros ſuos plerunque ab his rebus, quae in exordiis referuntur, nomina imponunt, Moſem imitati, qui, ut Philo Judaeus in libro, De mundo teſtis eſt, primum Pentateuchi volumen inſcripſit Librum Geneſeos, hoc eſt, generationis; quia ejus initium mundi generationem contineret. Mihi autem videtur Matthaeum non ſolum Hebraeorum more, ſed etiam juxta caeterorum ſcriptorum conſuetudinem complexum fuiſſe hoc titulo non tantum carnalem Chriſti generationem, ſed & omnem ipſius vitam, praedicationem, miracula, paſſionem, mortem, reſurrectionem, caeteraque ejus geſta omnia, atque eventus; quoniam dictio illa התולדות Hattholdoth, id eſt, Generationum, quae in titulo ponitur, apud Hebraeos duo ſignificet; hoc eſt, generationes, & eventus, unde Hebraeorum Rabbini quoties exponunt locos illos ex divinis Scripturis, HIC EST LIBER GENERATIONIS ADAM, &, ISTAE SUNT GENERATIONES ABRAHAM, & his ſimiles locos, ajunt: UBICUNQUE inveneris vocabulum תולדות tholdoth, hoc eſt, Generationum, locus ille docet de nativitatibus, & de eventibus, & actionibus illius, cujus illic fit mentio: erit ergo LIBER GENERATIONUM JESU CHRISTI titulus comprehendens omnes Chriſti operationes, & eventus, ab incarnatione ipſius uſque ad aſcenſionem, quae toto hoc evangelio deſcribuntur. Fauſtus, Manichaeorum epiſcopus, ut refert Auguſtinus in libris adverſus illum editis, multis variiſque cavillationibus oppugnavit hunc titulum; afferens illum, neque ad totum corpus evangelii, neque ad ullam ejus partem pertinere; ſed eo tantum indicari carnalem quandam Chriſti genealogiam, quam ipſe ab omni prorſus evangelio reſcindendam putabat, ceu falſo confictam, & Matthaei evangelio temere, & ab incerto auctore, veluti equinum caput humano collo impoſitam. Hujus inſanas blaſphemias in ſeptimo hujus Operis libro ex

thenopaeum Canonicum Inſulatum Nicolaum-Julium de Torno *in not. Eſtii III. Sentent. Diſt. IX.* §. 3. Ex Noſtris autem Melchior Canus, Natalis Alexander, & Hyacinthus Amat de Graveſon ubi ſupra, Jacobus-Hyacinthus Serry *Exercit. XLVI. de Chriſto, & Deipara*, Michaël Lequien *loc. cit.* & alii.

Neque ullum faceſſit negotium, quod praefata Hiſtoria de Edeſſena Chriſti imagine *Acheropoeta* dicta, quia non manufacta, in II. Nicaena Synodo veluti probata legatur, quum nullum ea de re Conciliare decretum legatur ibidem; ſed dumtaxat juxta meritum hiſtoriae, qualiſcumque ea foret, relata legatur. Ut contra Iconomachos dogma de Imaginum cultu ex traditione firmaretur quamplurima monumenta in medium fuere prolata, quae tamen omnia nec ipſimet Concilii Patres, ad incudem revocare potuerunt, ut ſecernerent a ſuppoſititiis genuina; nil ergo mirum, quod tot inter teſtimonia, eaque ex humana fide pendentia, nonnulla fuerint admixta, quae ex vulgari traditione decantata pridem uti vera, poſtmodum recto adhibito criterio, fuerunt ad fabulas amandata, ut concors eſt ſapientum Criticorum de Litteraria Republica, & S. R. E. bene meritorum opinio: Quapropter eſto aliqua id genus non faciant ad Eccleſiae conſuetudinem & diſciplinam firmandam circa licitum uſum imaginum, imo & circa dogma de religioſo earum cultu, faciunt tamen alia; ſed praecipue ad veritatem hanc adſtruendam utriuſque Divini Foederis, & Patrum monumenta, ut notum eſt iis, qui vel a limine Theologiam ſalutarunt. Utque ea in re recta proferatur ſententia, dicendum eſt, quod etſi aliqua id genus monumenta in laudata Synodo, vel recepta, vel commendata legantur, haud tamen, ut indubia & certo Synodali decreto probata fuerunt; non ſecus ac in eadem Synodo aliquorum opinio de corporeitate Angelorum, aut non rejecta, ad minus, etſi non recepta, legitur, quae tamen ex decreto Lateranenſis III. Concilii exploditur exſufflaturque. Niſi etiam dicas cum Eminentiſſimo N. C. Gotti. *Vera Eccleſ. T. II. P. II.* quod avitus ille fidelium cultus erga laudatam imaginem optime firmabat diſciplinam & dogma adverſus Iconomachos, qui proinde bene fuit in Concilio probatus.

Digitized by Google

ex Auguſtini ſententiis fortiſſime confutavimus.

JESU CHRISTI Infantia, ſive, De infantia Salvatoris liber. Vide infra in dictione Matthaeus.

JESU CHRISTI Magia: plures ab haereticis & impoſtoribus libros, ſub titulo Servatoris noſtri Jesu fuiſſe editos, non ſolum Hieronymus in tertiodecimo Ezechielis Commentario teſtis eſt, ſed & Auguſtinus in primo libro, De conſenſu Evangeliſtarum affirmat, fuiſſe gentiles quoſdam temporibus ſuis, qui jactarent ſe vidiſſe, ac legiſſe libros aliquot Chriſti ad Petrum, & Paulum, in quibus ſcripta eſſet ſumma totius artis Magicae: ex cujus peritia Chriſtus, dum viveret, tot tantaque miracula edidiſſet: quorum inſaniam Auguſtinus quatuor argumentis eodem in loco breviter refellit. Primo, quod hi, qui tales ſe legiſſe libros, affirmant, nunquam talia miracula, quamvis anxie conati, facere potuerint, qualia Chriſtum de libris talibus feciſſe dicunt. Secundo, quod iſti divino judicio ſic errent, ut eoſdem libros aſſerant ad Petrum, & Paulum, tanquam epiſtolari titulo praenotatos, forte in talem errorem prolapſi, quod pluribus in locis ſimul eos cum Chriſto depictos viderint; cum tamen etiam pueris notum ſit, Paulum, quandiu Chriſtus in carne mortali vixit, neque Chriſto fuiſſe diſcipulum, neque familiarem: non igitur potuit libros, quos ante mortem eum ſcripſiſſe dicunt, ad Paulum, tanquam familiariſſimum, ſcribere, qui poſt Aſcenſionem Domini coepit tunc primum ejus eſſe diſcipulus. Tertio, quod qui putant Chriſtum magicis artibus tanta potuiſſe, & univerſum terrarum orbem in ſe unum convertiſſe, non animadvertunt per magicas artes nequaquam fieri potuiſſe, ut Chriſtus ante, quam naſceretur, tot Prophetas divino Spiritu impleret; qui talia eum facturum praenunciarent, qualia in orbe terrarum praeſentia nunc videmus: nam etſi magicis artibus feciſſet, ut coleretur etiam mortuus; magus tamen eſſe non poterat ante, quam natus. Quarto, quia ſtulte credunt Chriſtum compoſuiſſe libros, qui nihil unquam ſcripſerit, ſed tantum aliis de ſe ſcribenda reliquerit, ita exigente ipſius doctrinae praeſtantiſſima ſublimitate: quam non decebat atramento delebili in caducis chartarum foliis, vel in tabulis, ſenſu carentibus, ſcribi, ſed in vivis & ſempiternis diſcipulorum ſuorum mentibus, ſtylo divini Spiritus perpetuo duraturam inſculpi: unde etiam apud ethnicos nobiliſſimi philoſophi, Pythagoras, & Socrates, nihil literarum monumentis mandarunt, exiſtimantes, inveniſſe ſe perfectiſſimum docendi modum, ſi praecepta bene beateque vivendi non in paginis ſcripta, ſed in animis auditorum ſuorum impreſſa relinquerent.

Plerique nobiliſſimi Philoſophi nullum ſcriptū monumẽtum reliquerunt.

JESU CHRISTI Sacerdotium, ſive Liber de legali Jesu Chriſti ſacerdotio, extat in Graeco Suidae lexico, in dictione JESUS, libellus quidam integre inſertus, De legali Jesu Chriſti ſacerdotio, repertus in archivis urbis Tyberiadis, tempore Juſtiniani Imperatoris a Theodoſio, Judaeorum principe, & Philippo Argentario Chriſtiano: in quo diffuſe narratur, Chriſtum, tam ob vitae ſanctimoniam, quam ob generis nobilitatem ex duabus Tribubus Juda & Levi invicem permiſtis deductam, fuiſſe ab omnibus Levitis judicatum ſacerdotii Moſaici honore dignum, & ſic demum a ſacerdotibus in collegium ſacerdotum receptum. Apponitur autem ſub finem libri Apologia, quae ejuſdem libelli auctoritatem defendit, & Chriſtum legali ſacerdotio functum oſtendit, tum ex Joſephi teſtimonio, tum ex variis utriuſque teſtamenti locis. Hieronymus Hentennius libri hujus, qui proximis annis magno legentium plauſu Lutetiae, & Baſileae ter fuerat excuſus, confutationem conſcripſit, & Paulus Papa IIII. in indice damnatorum voluminum poni juſſit.

JEZABELA, Achabi regis Israël uxor, cum animadverteſſet maritum vehementer deſiderare villam Nabuthi Israëlitae, regiis fundis contiguam, neque illam vel pretio, vel precibus a Nabutho impetrari poſſe, ſcripſit ad Israëlis praecipuos ſecretas epiſtolas, quibus jubebat, ut, indicto jejunio, concionem advocarent, & in ea primum locum Nabutho propter illuſtre genus attribuerent: deinde, ſubornatis tribus viris, nihil non auſuris, horum teſtimonio convictum, eum blaſphemiae in Deum ac regem, populo lapidandum objicerent, atque hoc modo de medio tollerent. Nabutho igitur per hunc modum contra jus faſque ſaxis obruto, Jezabela occiſi villam marito tradidit poſſidendam: pro quo tam impio 3. Reg. 21.

Digitized by Google

pio ſcelere ipſa non multo poſt occiſa eſt, & a canibus eo loco devorata, ubi canes Nabuthi cadaver abſumpſerant. Vide librum tertium Regum cap. 21.

ANNOTABIS autem in his Jezabelae epiſtolis verbum illud, BENEDIXIT DEO ET REGI, intelligendum eſſe contrario ſenſu pro Maledixit; ſicut & illa verba uxoris Job execrabilia, BENEDIC DEO, ET MORERE, id eſt Maledic; & illud item ipſius Job dicentis, NE forte peccaverint filii mei, benedicentes Deo in cordibus ſuis; & illud Sathanae ad Deum de Job, NISI in faciem benedixerit tibi: eſt enim verbum Benedic apud Hebraeos de numero illarum dictionum, quae tam in bonam, quam in malam partem accipiuntur; ſicut apud Graecos Anathema, quod & donarium Deo in templo appenſum, & extremam deteſtationem ſignificat: & apud Latinos Sacer, & Sacrum in malam partem interdum accipiuntur pro execrando & deteſtabili: juxta quam ſignificationem dixit Virgilius:

Job 2. 9. Job 1. 5. Job 11. 1.

Anathema quid apud Graecos ſignificet.

Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?

& Juvenalis, *Inteſtabilis, & ſacer eſto,*

Sunt & qui dicant Judaeis uſqueadeo fuiſſe inviſum maledictionis & blaſphemiae nomen, ut illud propria voce exprimere non audentes, per contrariam benedictionis vocem ſignificaverint.

INSCRIPTIO Equitis, inſidentis equo albo, duplex eſt; alia viſibilis in veſtimento, ſuper femore ſedentis exarata; altera incomprehenſibilis, quam nemo novit, niſi ipſe eques: quarum Joannes in Apocalypſi mentionem facit his verbis: ECCE equus albus, & qui ſedebat ſuper eum fidelis, & verax, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe: & veſtitus erat veſte tincta ſanguine, & vocatur nomen ejus ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, id eſt Verbum Dei: & habet ſuper veſtimentum, & ſuper femur ſuum nomen ſcriptum Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ Κύριος κυρίων, id eſt Rex regum, & Dominus dominorum. Haec Joannes de gemina equitis inſcriptione: quarum quae viſibilis eſt, in femore impreſſa, juxta Arethae Caeſarienſis interpretationem ſic exponitur. Veſtimentum quidem carnem Chriſti deſignat; femur vero naturam carnis, quod vere humana ſit, & non phantaſtica: nam ad hujus deſignationem femur accipitur in divina ſcriptura. Sermonis igitur ſcopus eſt per hoc ſignificare, quod cum Verbum hypoſtatice ſit unitum naturae humanae, & humanam carnem vere ſuſceperit de Virgine; nihilominus omnipotens eſt, utpote coeleſtium Rex, & Dominus terreſtrium ac ſubterraneorum: quam imperii omnipotentiam, humanitati filii Dei communicatam, volens exprimere Paulus in epiſtola ad Philippenſes, dixit: PROPTER quod Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine JESU omne genu flectatur coeleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Apocal. 19. 11 Conſule noſtram Vulgatam ob vaſtam lectionem.

Phil. 2. 9.

ALTERA inviſibilis inſcriptio, continens nomen, quod nemo novit praeter ipſum, ſignificat incomprehenſibilitatem infinitae, & ob id incognoſcibilis & ineffabilis ſubſtantiae filii Dei: de qua Salomon inquit: QUOD eſt nomen ejus, & nomen filii ejus, ſi noſti? Quanquam enim ex variis creaturarum ſimilitudinibus emendicemus appellationes quaſdam, quibus Deum, quatenus ipſum per ſpeculum, & in aenigmate cognoſcimus, nominemus vel per affirmativa nomina, qualia ſunt Sapiens, Bonus, Sol, Lux, Vita, Rex, Dominus; vel per negativa, ut ſunt Inviſibilis, Immutabilis, Incorporeus: eſſentia tamen ipſa, ut in se eſt, nec verbis explicari, nec ſcriptis exprimi, neque ulla poteſt cogitatione comprehendi: ſolus enim ille, qui infinitus eſt, ſeque ſolus comprehendit, hanc nominis ſui incognoſcibilis, hoc eſt eſſentiae ſuae, quae per nomen incognoſcibile ſignificatur, notitiam ſibi reſervavit, nemini ejus incomprehenſibilem immenſitatem revelans; ſicut ipſe ad Moſem teſtatus eſt, inquiens: EGO Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum יהוה JEHOVA non indicavi eis. Dicitur autem hoc nomen nemini fuiſſe revelatum, non quod vox ipſa Jehova aut ignota ſit, aut lingua exprimi non poſſit, cum & certis literis ſcripta ſit, & a Pharaone impuriſſimo homine expreſſa fuerit; ſed quod Dei natura, maxime per ipſum nomen ſignificata, a nulla creatura exprimi poſſit, cum ſit infinita; & ob id diſtincte, aperte, & exacte a nullo poſſit agnoſci, & nominari. Sunt qui exiſtiment hoc loco per nomen, quod nemo novit, niſi ipſe, intelligendum eſſe

Prov. 30. 4

Exod. 6. 2

Nomen יהוה cur ineffabile?

esse nomen hoc Jehova propter similitudinem significationis, quam habet cum epithetis, quae Joannes attribuit sedenti super equum, appellans eum fidelem & veracem: dicitur autem fidelis & verax, qui perstat in sententia, servat promissa, & opere complet pollicitationes suas: quam quidem significationem retinet ipsa vox Jehova, deducta a radice היה haia, quae significat Fuit, & Esse fecit: unde Jehova significat eum, qui est, & aliquid esse facit: juxta quem sensum dixit Deus ad Mosem: NOMEN meum Jehova non indicavi eis: hoc est, Ego nondum me revelavi per impletionem earum rerum, quas pollicitus sum Abrahae, Isaac, & Jacob: nunc vero revelabo me nomine Jehova; hoc est, praesenti & manifesta impletione promissionum mearum, & juxta significationem nominis mei Jehova faciam esse quod promisi: promisi autem me daturum terram Chanaam filiis Israël: hanc mox exhibens, manifestabo nomen Jehova, ea nunc esse faciens, quae ego verax & fidelis pollicitus sum. Habes de hac re infra in Pontificalis vestimenti inscriptione, litera P. & libro tertio in Expositione elementaria. Unde radicem habeat nomen יהוה

INVOLUTUS LIBER, Graece βιβλίον εἰλιττόμενον, hoc est, Liber, qui voluitur, sive convolubilis, commemoratur in Apocalypsis capite sexto: ubi Joannes postremum totius orbis excidium praedicens, inquit: SOL factus est niger, tanquam saccus cilicinus; & Luna tota facta est sicut sanguis; & stellae de coelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur; & coelum recessit sicut Liber involutus: & Esaias, iisdem pene verbis idem argumentum pertractans, de hoc libro sic scribit: TABESCET omnis militia coelorum, & complicabuntur sicut Liber coeli; & omnis militia eorum defluet, sicut defluunt folia de vinea, & de ficu. Obscura profecto est haec Hebraica libri metaphora, & tam Graecis, quam Latinis auribus insueta ac dura: proinde sciendum est, quod apud Hebraeos, ex antiqua consuetudine libri, praesertim Sacri, alterius sunt formae, quam sint libri nostri, ex multis foliis compaginati: habent enim unum duntaxat folium, sive membranam oblongam, quae circa cylindrum, sive axem ligneum circumvertitur instar lineae telae, radio textorio circumvolutae. Videntur autem hujusmodi libri aliquam praeseferre coelorum imaginem: quia sicut axem illum ligneum, qui in medio voluminis est, plures ipsius membranae, sive orbes, sive spirae altera super alteram ambiunt, & concludunt: ita hanc terram, quae medium totius universi axem tenet, plures coelestes orbes, alter super alterum collocati, orbiculariter circundant, & claudunt. Quomodo autem, & qua de causa coelum sit in suprema saeculi die instar libri juxta Esaiam complicandum, vel juxta Joannem, instar libri recessurum, duplex est Patrum sententia, utraque, ut arbitror, orta ex ambiguitate verbi Hebraici גלל nagolu; quod in hoc Esaiae loco anceps est, & tam circumvolvere, quam evolvere, sive tam complicare, quam explicare, significat. Qui ergo hanc vocem גלל nagolu, in sensu evolvendi & explicandi accipiunt, hunc locum legunt sic: Explicabuntur tanquam liber coeli: asserunt autem coelum, quod nunc obvolutum est, in fine mundi evolvendum & aperiendum esse, ut manifestentur nobis omnia consummatae illius gloriae praemia, quae nunc ab oculis nostris remota sunt. Ita quoque hunc locum exposuit Arethas, Caesareae episcopus, in Commentariis Apocalypseos, inquiens: ARBITRAMUR veteri consuetudine usum fuisse Apostolum. Hebraeus enim ea re, quae circum evolvitur, usus est, sicut fieri solet in libris, qui apud nos sunt; quorum evolutio non obscurationem, sed eorum, quae scripta sunt, manifestationem efficere solet. Clemens item Romanus post Petrum Pontifex, in secundo & tertio libro Recognitionum, hunc locum fusius enarrans, sic scribit: DUO SUNT coeli, unum superius ambiens visibile firmamentum; & illud est perpetuum & aeternum cum his, qui habitant ibi: alterum hoc visibile inferius, quod in consummatione saeculi resolvetur, & transibit, ut illud coelum, quod est antiquius & excelsius, appareat: cum enim expletus fuerit numerus animarum, quae praedestinatae sunt, & mundi hujus tempora ad finem pervenerint; tunc istud visibile coelum evolvetur, ut liber: ut illud, quod superius est, appareat; & animae beatorum, corporibus suis redditae, inducantur in lucem: propter hanc enim praesentem hominum vitam factum est istud visibile coelum, ut esset interjectio quaedam & divisio; ne quis forte indignus habitationem coelestium, & Dei ipsius Esa. 34. 4.

Digitized by Google

sius sedem videret; quae his solis, qui mundi sunt corde, videnda praeparantur nunc enim, id est, agonis tempore, invisibilia esse placuit ea, quae vincentibus ad praemium destinata sunt: sicut enim testa ovorum, quamvis ea pulchre facta, & diligenter formata videatur, necesse est frangi, & resolvi, ut inde pullus procedat, & illud, pro quo totius ovi forma expressa videtur, appareat: ita & hujus mundi necesse est transire statum, ut status ille regni coelestis effulgeat. Hactenus Clemens: cui Justinus Philosophus & Martyr, in libro Quaestionum a gentibus positarum iisdem fere verbis subscribit. Qui vero huic voci גלל nagolu significationem attribuunt Convolvendi, & complicandi, coelos ajunt ob varias causas complicandos. Andreas, Caesariensis episcopus, in expositione Apocalypsis, putat per hanc circumvolutionem intelligi hyperbolicos, moestitiam coelestium virtutum, qua in die illa condolebunt super his, qui a fide Christi exciderunt: sicut enim alibi legimus coelum extentum sicut tabernaculum; ita nunc prae amaritudine dicitur Circumvolutum sicut liber. Origenes in Tomis libri Geneseos, quemadmodum refert Eusebius lib. 6. De praeparatione evangelica, dixit, universum coelum esse quasi librum quendam apertum, significationes omnium futurarum rerum & humanorum eventuum; sed absque ulla humanae libertatis coactione, continentem, dicente Mose: POSUIT Deus stellas in firmamento, ut
Gen. 1. 14. sint in signa: hoc est, ut significent rationes futurarum rerum, a divina providentia ordinatas. Cum ergo adimpleta fuerint, & evenerint omnia, quae stellae humano generi divinitus ordinata denunciant; tunc coeli complicabuntur ut liber; hoc est, a denunciatione futurarum rerum cessabunt, neque ultra venturos successus significabunt. Hieronymus autem ait coelos in die judicii complicandos, ut post diem illam non ultra scribantur in coelis peccata malorum. Thomas Aquinas (a) praesentem locum pertractans, inquit, hunc esse prophetae sensum, quod sicut in libro complicato aliquid legi non potest; ita nec in coelo poterunt Judaeorum astrologi & augures, praevidere calamitates, quae ab Assyriis, & Chaldaeis, & aliis gentibus Judaïcus populus accepturus est. Ambrosius (b) in Commentariis Apocalypsis juxta allegoriam explanans illud Joannis, COELUM RE-
Apoc. 6. 14. CESSIT TANQUAM LIBER INVOLUTUS, per, Coelum, vetus Testamentum interpretatur, quod Judaeis est tanquam liber involutus: quia spiritalem intelligentiam, quae Christum in veteri Testamento demonstrat, intelligere nolunt. Coelum itaque, sicut liber involutus, recessit; quia vetus Testamentum Judaeos dereliquit, & ad gentes transivit. Ticonius Afer coelum allegorice pro ecclesia accipit: quoniam sicut liber involutus mysteria quidem intus, sed foris non apparentia, continet; sic ecclesia in illa suprema Antichristi persecutione, suis tantum cognita, & extraneis abdita, recedet ab oculis impiorum, eladem illius persecutionis prudenter evitans, ac latenter.

JOANNIS Apostoli ad septem ecclesiarum episcopos epistolae septem, jussu Christi conscriptae, videlicet, ad episcopos ecclesiarum Ephesi, Smyrnae, Pergami, Tyatirae, Sardis, Philadelphiae, & Laodiceae: quarum argumenta leguntur in secundo & tertio capite Apocalypseos, ut in Commentariis ejusdem loci Victorinus Martyr annotavit. Origenes Homilia vigesima in Numeros, & Homilia 13. in Lucam, existimat hosce septem episcopos, ad quos Joannes scribens,

(a) Commentarius in Apocalypsim sub nomine S. Thomae Aquinatis abjudicandus est S. Thomae Angelico Doctori, sed cuinam restituendus sit? ut verum fatear, ignoro, & lubet sequi judicium Cl. N. Jacobi Echard, qui ita scribit *T. I. Script. Ord. fol.* 110. *n. I.* „ Hujus verus author ignoratur, certe „ non est S. Thomae „ Ab aliquibus adjudicatur N. Thomae Jorz, seu Jorsio *Anglico* A Clem. V. Lugduni Anno 1305. creato Cardinali Presbytero Tituli S. Sabinae, ex quo saepe irrepsit error in operibus N. Sixti, ut laudatus Echardus ibidem adnotavit; sed hoc certe non constat.

(b) Similiter *Commentarius in Apocalypsin* olim S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi adjudicatus, ex communi Criticorum calculo restituendus est alteri sequioris aetatis Scriptori: quum praesertim non semel in eo S. Gregorii M. monumenta legantur. Sed quisnam hujusce operis sit author? infra expendetur Lib. IV. ubi ex professo N. Xystus agis de S. Ambrosio Mediolanense. Verum hic praetereundum non est, quod quum ibi N. Author hoc idem opus abjudicet S. Ambrosio, quod hic S. Ambrosio adscribit, ne eum memoriae lapsum passum, contraria scripsisse dicamus, certo certius adserendum est ibi indigitasse S. Ambrosium Autpertum Ord. S. Benedicti, natione Gallum, Abbatem S. Vincentii ad Vulturnum VIII. Seculo clarum sub Desiderio Longobardorum Principe, cujus meminit in calce Commentarii in Apocalipsin. Et quamvis Labbeus, & Possevinus hunc Ambrosium authorem Commentarii in Apocalypsin statuant sub Lothario, errant, quum posterior Ambrosius IX. Seculo clarus fuerit Abbas Montis Casini.

Digitized by Google

bens, Angelos appellat, fuiſſe vere angelos, non tantum nomine, & officio, ſed etiam natura.

JOANNIS Apoſtoli, & Evangeliſtae epiſtola ad Parthos: hujus mentionem faciens Auguſtinus in ſecundo libro Quaeſtionum evangelicarum quaeſt. 39.(a) ait: DICTUM eſt a Joanne in epiſtola ad Parthos, DILECTISSIMI nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus: ſcimus, quia, cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quia videbimus eum, ſicuti eſt. Hoc quidem teſtimonium, utrum Auguſtinus ex prima Catholica Joannis, ubi ad literam hoc idem integre legitur, citaverit; vel, an ex alia quapiam epiſtola, ad Parthos ſcripta, adduxerit: non ſatis perſpectum habeo. Vide librum primum in Joannis epiſtola.

JOANNIS Actus memorat Philaſtrius in Catalogo haereſeon capite 54. inquiens: HABENT Manichaei Joannis Evangeliſtae Actus, & Petri, & Pauli, ſimiliter ab eccleſia reprobatos; quia in his ſigna & prodigia magna Apoſtolos feciſſe narrent, ita, ut pecudes, & beſtiae, & canes loquerentur; & animas hominum, velut canum & pecudum, eſſe dicant. Jacobus, Genuenſis archiepiſcopus, in libro Annuarum feſtivitatum profert librum quendam apocryphum Joannis Evangeliſtae, De tranſitu & aſſumptione Mariae Virginis: ex quo etiam ejuſdem ſolemnitatis hiſtoriam ſummarie collectam recitat: ſed arguit ipſius Operis vanitatem, Auguſtinus in Sermone 35. de Sanctis (b): ubi de corporali morte Mariae Virginis loquens, ſic ait: SED nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de Mariae morte quippiam dixiſſe aperte: & quid de his dico, cum nec is, qui hanc accepit ante crucem Domini in ſuam, id eſt, Joannes Evangeliſta, de hoc aliquid poſteris retinendum, ſcriptis mandaverit? nullus enim fidelius narrare potuit (ſi illud Deus manifeſtare voluiſſet) quam ille utique, qui hanc nutriendam ſuſcepit. Reſtat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vide infra in Maria.

JOANNIS Apocalypſin Alogiani haeretici non a Joanne Apoſtolo, ſed a Cerintho haeretico editam crediderunt: & propter hoc ipſam, ut Opus peſtilentiſſimi nebulonis, vitandam cenſuere. Epiphanius libro ſecundo adverſus haereſes. Vide infra libro ſeptimo Haereſi X.

JOANNIS Apocalypſis juxta Cerinthum: de hoc Opere Gajus (c), Origenis diſcipulus, in Dialogo diſputationum ſuarum, ita ſcribit: CERINTHUS per revelationes quaſdam, quas velut ab Apoſtolo magno conſcriptas, & per Angelos ei revelatas putaret, talia quaedam portenta nobis inducit; Poſt reſurrectionem terrenum futurum eſſe regnum Chriſti in Hieruſalem, & homines in carne iterum concupiſcentiis & vitiis ſubjectam converſationem habituros: contra fidem quoque Scripturarum quoſdam mille annos deſignat; in quibus multa quidem & alia corruptionis Opera, & Nuptiarum feſtivitates dicit futuras, ad eos, qui libidini ſunt dediti, decipiendos.

JOANNIS MACCABAEI, ſummi Pontificis, Commentarius, ſive Liber dierum ſacerdotii Joannis: ex hoc auctor primi libri Maccabaeorum geſta aliquot Joannis, Mathathiae filii, excerpſit; cujus poſtremum caput primi Maccabaeorum meminit, his verbis: CAETERA ſermonum Joannis, & bellorum ejus, & bonarum virtutum, quibus fortiter geſſit, & aedificii murorum, quos extruxit, & rerum geſtarum ejus, ecce haec ſcripta ſunt in libro dierum principatus & 1. Mac. ult.

(a) Ne dum Auguſtinus, ſed & alii veteres S. Johannis epiſtolam dixerunt ſcriptam *ad Parthos*, quo nomine veniunt Perſae, & aliae plures Orientis nationes, apud quas erant plurimi Judaei, aliique Simonis, Cerinthi, & Ebionis diſcipuli, ex falſo dogmate Antichriſti, quos Apoſtolus ibi refellit.

(b) Sermo olim XXXV. nunc *in Appendice* nov. editionis CCVIII. non eſt M. P. Auguſtini, ſed Authoris longe poſterioris: laudat quippe S. Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum. A Lovanienſibus autem tribuitur Fulberto Carnotenſi, qui ſub initium XI. Seculi floruit. De hiſce autem Sermonibus M. P. fuſius ſuo loco agetur.

(c) Cajus, vel Gajus, Vir diſertiſſimus Romanae Eccleſiae Presbyter, & Gentium Epiſcopus ordinatus, teſte Photio *Codice* 48., ideſt ad id Epiſcopus ordinatus, ut Gentiles in ſolo Barbarico conſtitutos ad Chriſti fidem converteret, non fuit Origenis diſcipulus: ne dum, quia Latinus homo, qui Romae juventam tranſegit; ſed etiam quia Origenem aetate praeivit, etſi ei contemporaneus. Claruit enim Romae Anno CCX. ſub Zephyrino Rom. Pontifice, & celebrem cum Proclo Cataphrygarum haereſeos propugnatore diſputationem habuit, quam poſtea in Dialogi formam redactam ſcripto conſignavit, quae ab Euſebio vocatur *βιβλίον διαλέξεως*. Alia, quae edidit Gajus, opera, eaque primum recenſita ab Euſebio *Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 25. & *Lib.* 3. *cap.* 28. Theodoreto *Haeretic. Fabul. l.* 2. *cap.* 5. Photio *ubi ſup.* aliiſque, conſule apud Valeſium, Du-Pinium, Cavium, N. Natalem, alioſque.

Digitized by Google

ſacerdotii ejus. Extat hoc Opus Graecum Lugduni in Bibliotheca, quae fuerat Sanctis Pagnini, viri trium linguarum peritiſſimi, ſub titulo, LIBRI QUARTI MACCABAEORUM. Vide ſupra libro primo, in ſectione Apocryphorum.

JONATHAS, Pontifex, & dux Judaeorum, ſcripſit pro ineundo foedere cum Lacedaemoniis ad Spartanos epiſtolam, quae habetur 1. Maccabaeorum 12.

JOSEPH Oratio, ſive Sermo, vel Narratio, vel Diſputatio Joſephi, filii Jacob Patriarchae, Scriptura fuit apud veteres, tam Hebraeos, quam Chriſtianos non parum habens auctoritatis: quam Origenes non contemnendam Scripturam appellavit, forte, quod quaedam in ea legiſſet placitis ſuis congruentia: nam in ſecundo Tomo explanationis in Joannem, hujus praecipue teſtimoniis utitur, ad confirmandam aſſertionem de incarnatione quorundam angelorum, quos ipſe credit ad imitationem Servatoris noſtri humanam animam & corpus aſſumpſiſſe, ita ſcribens: QUOD SI QUIS approbat etiam myſticam illam, quae apud Hebraeos habetur, Joſeph orationem; is illinc ſimile huic dogma accipiet, ſcilicet quoſdam ex angelorum natura in hominum naturam deſcendiſſe: ait enim in hac oratione Jacob, EGO enim, qui vobiſcum loquor, Jacob & Israël, Dei ſum angelus, & Spiritus principalis; & Abraham & Iſaac ante omne Opus creati ſunt: ego autem Jacob non ab hominibus Jacob vocatus, ſed Israël eſt nomen meum; vocatuſque ſum Israël a Deo, Vir videns Deum: ego enim ſum primogenitus omnis animalis, quod a Deo vitae uſum accipit: & cum venirem ex Meſopotamia Syriae, exivit Uriel, Dei angelus; meque in terram deſcendiſſe dixit, & inter homines habitaviſſe, atque appellari Jacob nomine: me porro aemulatus eſt, ac mecum pugnavit, & luctatus eſt, dicens fore, ut nomen ſuum meo nomini, atque ei, quod omne evangelium anteiret, anteponeretur: eique nomen ſuum expreſſi, principatumque in Dei filiis obtinet: nam tu Uriel es, a me octavus: ego quoque ſum Israël, exercitus Domini archangelus, ſumque in Dei filiis praefectus mille militum: nonne ſum ille Israël in Dei conſpectu primus miniſter? & Deum meum nomine immortali invocavi. Sed longius a propoſito aberravimus, aſſumpta de Jacob diſputatione, teſteque nobis producta non contemnenda Scriptura. Haec Origenes, qui in Tomis explanationum in Geneſim oſtendens, ex hac eadem narratione, quod in aſtris coeli, veluti in libris, omnes humanorum eventuum praenotiones legi poſſint a peritis ſiderum inſpectoribus, ſic inquit: UNIVERSUM coelum eſt, quaſi liber quidam apertus, omnia futura in ſe conſcripta continens: idcirco in oratione Joſeph ſic intelligi poteſt, quod a Jacob ad filios dicitur; Legi in tabulis coeli quaecunque contingent vobis & filiis veſtris? Haec eadem verba, ex hac ipſa Scriptura nominatim deſumpta, referunt Euſebius libro 6. Evangelicae praeparationis, & Procopius Gazaeus in expoſitione primi capitis libri Geneſeos. Athanaſius in ſua Synopſi totam hanc narrationem rejicit inter Apocrypha ſcripta. (a)

Uriel Angelus commentitius eſt, non probatus in Sacro eloquio, ſicut & commentitia eſt incarnatio Angelorum.

CICCUS Eſculanus in commentariis ſuper Ptolemaei centiloquio de his tabulis coeli mentionem inſerens ita ſcriptum reliquit. Sententia communis ſapientum Aſtrologorum eſt, quod non ſolum octava ſphaera, ſed etiam nona, & decima ſint tanquam tabulae variis configurationibus, imaginibus, & notis depictae: nam in ſigno arietis eſt imago juvenis formoſi, & in ſigno virginis imago virginis geſtantis puerum, & in ceteris ſignis & partibus coeli ſunt diverſae effigies, & characteres,

(a) Commentitium, ad marginem, & jure merito, dixi Angelum Urielem, eſto ex nomine id ſignificet, quod gratum aliquibus fuit, nimirum, ignem Dei, ſicut Raphaël dicitur Medicina Dei; quod ut clariſſime patefiat, ex Eccleſiae decretis oſtendere lubet. Quum enim in Concilio Romano II. contra Adelbertum, & Clementem haereticos coacto Anno DCCXLV. lecta fuiſſet oratio Adelberti ad SS. Angelos: „ Precor vos, & conjuro vos, & ſuppli„ co me ad vos Angelus Uriel, Angelus Raguel, „ Angelus Tubuel, Angelus Michaël, Angelus „ Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, „ Angelus Simiel. „ Zacharias R. P. dixit: „ haec „ nomina, praeter Michaëlis, omnia ſunt nomina doe„ monum. Quid aliud agendum, niſi ut omnia, „ quae lecta ſunt, igni concrementur? „ annueruntque omnes Epiſcopi dicentes: „ non plu.quam trium „ Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Gabriel, „ Michaël, Raphaël. „ Ex quo colligit Cl. Card. Baronius librum IV. Eſdrae nomine vulgatum, in quo frequens eſt mentio Angeli Uriel, ab Eccleſia Romana proſcriptum penitusque rejectum. Idem etiam decretum legitur in Concilio Aurelianenſi *cap.* 3. „ Ne falſa Angelorum nomina colant, ſed „ ea tantum, quae Prophetica, & Evangelica do„ cet ſcriptura, ideſt Michael, Gabriel, Raphael. „ Procul ergo abigantur Rabbinorum deliria, quibus incauti quidam ſimplicioreſque Chriſtiani olim adhaeſerunt.

Digitized by Google

res, & literae demonſtrantes nobis cauſas horum inferiorum, de quibus intelligenda eſt illa ſententia Patriarchae Jacob LEGI in tabulis coeli quaecunque contingent vobis: hae autem figurae non ſunt ocioſae, ſed influunt diverſos effectus in hunc mundum. Et idcirco dicit Ptolemaeus in hac parte centiloquii: VULTUS hujus ſeculi ſubjecti ſunt vultibus corporum ſuperiorum, id eſt, figurationibus & aſpectibus imaginum, quae inſunt corporibus coeleſtibus. Et quamquam iſtae figurae non poſſint ab omnibus indifferenter videri, tamen ab his, qui acutiſſimum viſum & purgatiſſimum animum habent certis temporibus & in clariſſima noctis ſerenitate conſpici poſſunt. Unde ex horum obſervatione collecta fuit a ſapientibus ars illa quae Notoria appellatur, cujus virtute iidem ſapientes multa miranda experimenta fecerunt ad hominum utilitatem, ſculpebant enim vel in metallis vel in lapidibus electis, vel in gummi, vel in cera, vel argilla imprimebant notas figurarum coeleſtium, quas in tabulis coeli viderant, & nomina angelorum addebant, quos Deo revelante cognoverant praeeſſe figuris illis; & ſic ex horum ſculptura, & impreſſione multos admirabiles effectus ad laudem Dei, & beneficium hominum operabantur: Sed poſtea quidam corruptores hujus artis adjecerunt ei quaſdam figuras, & notas infernales, quas in regione damnatorum inveniri dicebant, & nomina daemonum, ex quibus diabolo ſuadente formabant imagines ad inducendum libidines, diſcordias, homicidia, furta, aegritudines, faſcinationes, veneficia, maleficia &c. Et ideo propter hanc corruptionem accidit tandem ut ars per ſe bona, propter ſuperadditam malitiam fuerit damnata, & prohibita. Hucuſque CICCUS, innuens his dictis priorem hujus artis partem non eſſe improbandam, nec ab ejus ſententia multum abeſſe videtur Thomas Cajetanus qui ſuper ſecunda ſecundae, Divi Thomae exponens Art. 2. quaeſt. 96. acri ſtudio contendit imagines aſtrorum, ac coeleſtium ſignorum aſtronomico artificio metallis impreſſas eorundem Syderum viribus affici, verbi cauſa, leonis figuram, quae horoſcopum tenente Leone inſculpta fuerit auro, acciperet ab aſtro leonis vim quandam proficuam, maximeque ſalubrem iis, quibus leoninae conſtellationis influxus moderatur: ego vero ut ingenue promam quod mihi ineſt animo utranque partem arbitror jure optimo explodendam, & omnino abjiciendam, primum quidem ut inanem, ac ſuperſtitioſam fallaciam nulla vel ratione vel auctoritate innixam: poſteriorem vero ut certam, & apertam deteſtandae infidelitatis impietatem. Damnantur ambae a D. Thoma in ſecunda ſecundae quaeſtione 96. & ab Oecumenica Synodo Tridentina in Indice rejectorum voluminum.

Ars Notoria quaenam ſit?

JOTA & Apex in Hebraico Matthaei Evangelio appellantur יוד או עיקר Jod, o Okez, id eſt, Jod, vel Apex; in Graeco vero Ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία, hoc eſt, Jota unum, aut unus Apex: de his Chriſtus apud Matthaeum obiter loquens, ait: AMEN dico vobis, donec tranſeat coelum & terra, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant: volens his verbis vehementer exprimere perfectam totius legis obſervationem in ſe ipſo uſque ad minima & leviſſima praecepta implendam: haec enim Jod, & apices, minimae legis particulae ſignificabant. Cum enim duo ſint in lege praeceptorum genera, Morale alterum, alterum Caeremoniale; Chriſtus utrunque implevit: nam caeremonialia, quae nihil erant niſi umbrae & figurae venturi Chriſti, Chriſtus ipſe adventus ſui fulgore obſcuravit. Moralia vero ſolus ipſe in ſe ipſo, & a ſe ipſo, juxta voluntatem legislatoris Dei, perfectiſſime adimplevit, quia ſolus innocens fuit, & abſque peccato: deinde & haec eadem nobis Spiritu gratiae ſuae conceſſit implere. Verum, quoniam Apicis nomine tam apud Graecos, quam apud Latinos duo ſignificantur, puncta videlicet, ac ſupremae literarum ſummitates; occaſionem praebuit hic locus inquirendi, quid Apex nunc ſignificet, punctane, an literarum ſummitates? Chriſtianus Druthmanus in Commentariis ſuper Matthaeum hac de re ita ſcribit: APEX titulata dicitur, quae apud antiquos ſuper quibuſdam literis ponebatur, ſive differentiae cauſa, ſive ut oſtenderetur geminandam eſſe literam. Verbi gratia, Populus quando gentem ſignificabat, non ponebatur: quando vero Populus arborem ſignificabat; tunc ponebatur apex deſuper, ut admoneret Lectorem, ab uſitato intellectu recedendum, & longam eſſe ſyllabam. Geminationis quoque cauſa ponebatur, ut in Alleluja, quia duo LL ibi eſſe debent, ſcribe-

Matth. 5. 18.

Digitized by Google

bebatur unum L, & apex desuper: exinde intelligebatur geminandam esse literam L: in syllaba quoque lA similiter super I apex ponebatur, ut ostenderet, geminandum esse illud I. Ostendit ergo Dominus tales differentias non praetereundas in Scriptura divina: quia, si negligerentur, sensus quoque una interiret. Haec ille. Alii ex Latinis autumant per Apices hic intelligi oportere puncta illa, quae passim in codicibus Hebraicis scribuntur ad formandos vocalium literarum sonos: asseruntque horum punctorum notas non solum Christi temporibus, sed etiam longe antea fuisse, attestantibus id multis Hebraeorum doctoribus: ex quibus aliqui inventionem vocalium punctorum referunt ad viros Synagogae magnae; in qua fuerunt Aggaeus, Zacharias, Malachias, Daniel, Hananias, Azarias, Ezras, & Nehemia: alii vero censent, inventionem hanc esse a Deo, qui legem tradidit Mosi in monte Synai, una cum literis & vocalibus punctis. Horum sententiae major doctorum virorum pars repugnat; de quorum numero Augustinus in 1. libro De sermone Domini in monte per Apices exponit particulas in summo literarum positas. Isidorus Apices dicit esse lineolas in cacuminibus literarum; Euthymius lineas obliquas; Thomas vocat virgulas in summitate literarum ductas, quae assimiles Hebraicarum literarum figuras distinguunt: quam quidem sententiam verissimam existimo, quia vox illa Syra, sive Chaldaïca עוקץ Okez, magis fastigium rei, quam punctum significet: tum quia satis constet temporibus Christi, & longe post Hebraeorum literas caruisse vocalibus punctis; quos, ut scribit Elias in Praefatione libri Masoreth Hammasoreth, Rabbini urbis Tyberiadis, prae caeteris in lingua sancta exercitatiores, invenerunt, ac legi addiderunt, anno ab ultima templi devastatione 436. hoc est, anno Christi 476. cujus etiam rei argumenta sunt, quod nec Epiphanius, nec Hieronymus ullam prorsus horum punctorum fecerunt mentionem; quanquam saepe occasionem & necessitatem habuerint loquendi de ipsis, si tunc temporis illa fuissent: & vetustissimi Hebraeorum codices etiam si nunc puncta habeant, aliquando tamen ea non habuisse, tum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ ipsorum deprehenduntur. Utebantur autem veteres Judaei in scribendo solis fere semper, ut alias dictum est, consonantibus; quas ex vulgata loquendi consuetudine, juxta varietatem regionum pronunciabant. Testatur hoc in epistola ad Evagrium Hieronymus; qui differens, an ubi in Genesi dicitur, MELCHISEDEK, REX SALEM, Legendum sit Salem, vel, Salim, sic ait: NON refert, utrum Salem, vel, Salim, legas, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebraei; & pro voluntate Lectorum, atque diversitate regionum eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferant. Vide hac de re libro tertio, in expositione Elementaria.

Puncta, seu vocales quando primùm locum habuerint in Hebraeorũ Scripturis.

Gen. 14. d.

JUDICIALES LIBRI, sive Libri in judicio aperti: de his inquit Daniel, capite septimo: JUDICIUM sedit, & libri aperti sunt. Librorum apertio, significat apertionem cordium, & humanarum mentium, quae nunc nobis inscrutabiles sunt, in die judicii futuram; quando ante tribunal Dei in omnium conspectu cujusque opera, sive bona, sive mala, patefient. Cum autem Deus libros apud se clausos esse vult usque ad supremam illam diem: hoc exemplo nos admonet, ne occultas & incompertas fratrum nostrorum mentes, atque cogitationes, quas Deus mortalibus in hoc saeculo occultari voluit, temere judicemus; sed illi judicandas relinquamus, qui solus novit hominum corda, juxta Pauli praeceptum, dicentis: ITAQUE nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.

1. Cor. 4. a

JUDAE ISCARIOTIS Evangelium Caïani haeretici maxime venerati sunt: in quo quidem laudatur magnifice Judas, quod Christum, magistrum suum, tradiderit Judaeis juxta eam, quam habebat, divinae determinationis notitiam: noverat enim Judas, quod per mortem Christi redimeretur mundus, & regnum Sathanae everteretur: & ob id festinavit tradere Christum, ut nobis per crucem ejus salutem pararet. Epiphanius libro primo Panarii adversus Caïanos, & Theodoretus libro primo haereticarum fabularum, testes sunt.

JUDAS MACCABAEUS collegit Commentarios belli Sacri, quod Mathathias pater adversus reges Asiae pro patria libertate, ac divinis legibus susceperit, & ipse

Digitized by Google

ipſe poſt patrem glorioſe confecit: hos non obſcure ſubindicat auctor ſecundi libri Maccabaeorum, capite 2. his verbis: JUDAS ea, quae didicerat per bellum, quod nobis acciderat, collegit omnia, & ſunt apud nos: quae ſi deſideratis legere; mittite qui ad vos deferant.

JUSTORUM LIBER (quem Sacrae literae appellant ספר הישר Sepher chaiaſciar, & LXX. ubique verterunt βιβλίον τῦ εὐθοῦς, hoc eſt, Librum juſti) magnae fuit apud divinos Scriptores auctoritatis: ex quo in libro Joſue producitur teſtimonium de miraculo Solis ſtantis in medio coeli, his verbis: NONNE ſcriptum eſt hoc in libro Juſtorum, Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis? & libro Regum ſecundo, capite 1. habetur: PRAECEPIT David, ut docerent filios Juda arcum; ſicut ſcriptum eſt in libro Juſtorum. Quidam exiſtimant hunc eſſe librum ſempiternae praedeſtinationis, in quo ſcripti ſunt omnes juſti, quos Deus in aeterna praeſcientia praenovit eſſe ſalvandos; teſtante id Pſalmo 68. in quo legitur, DELEANTUR de libro juſtorum, & cum juſtis non ſcribantur. Hieronymus in Quaeſtionibus ſuper libris Regum (ſi tamen Opus illud Hieronymi eſt) tradit hunc eſſe librum Samuelis, id eſt, primum & ſecundum volumen Regum, quod in eo ſcribantur geſta Juſtorum, Samuelis videlicet, David, Nathan, Gad, & aliorum Juſtorum. Quidam Hebraeorum, quibus non videtur veriſimile, ut idem liber in teſtimonium propriae ſententiae adducat ſe ipſum, exiſtimant, hunc eſſe librum duodecim Prophetarum, quia verba citata in libro Joſue ſcripta ſint in oratione Abacuch, in hunc modum: SOL & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo: quae quidem ſententia vera eſſe non poteſt, eo quod liber duodecim Prophetarum ſcriptus ſit poſt tempora Joſue fere annis mille. Proinde Rabbi Salomon docet hunc eſſe volumen totius legis, in quo ſcripta ſunt geſta juſtorum, Abraham, Iſaac, Jacob, & Moſis; praeſertim vero admonitio illa ad filios Israël, ut ſe in arte bellica, in qua tunc praecipuum locum tenebant, arcus & ſagittae ſe exercerent, memores illius praecepti, MANUS TUAE IN CERVICIBUS INIMICORUM TUORUM; quod in Geneſis continetur volumine. Sunt etiam qui credant hunc eſſe librum Exodi, quia in eo dixerit Deus ad Moſem: SCRIBE hoc ob monumentum; & trade auribus Joſue; quoniam delebo memoriam Amalech de ſub coelo. Theodoretus, Cyrenſis epiſcopus, in Quaeſtionibus in Jesum Nave, autumat hunc eſſe veruſtiſſimum Commentarium, ex quo hiſtoria libri Joſue ab incerto auctore per compendium collecta fuerit.

Joſ. 10.

Abac. 3. 11.

Gen. 49. 8.

Exod. 17. 14.

L

LAMUEL, rex Hebraeus, ſcripſit bipartitam quandam inſtructionem, quae in ultimo Proverbiorum capite recitatur: cujus prior pars brevem regis inſtitutionem habet; poſterior vero continet inſtitutionem matrisfamilias, viginti duobus carminibus comprehenſam, juxta ordinem videlicet ac numerum Hebraicarum literarum; ita ut ſinguli verſus a ſingulis literis incipiant. Judaei arbitrantur, hunc Lamuelem fuiſſe Salomonem, idcirco למואל Lamuel, hoc eſt, Apud nos Deus, appellatum, quia in diebus ejus fuerit Deus cum Israëlitis, ſecluſa omni cultura idolorum, praeſertim tempore juventutis ejus, quando magno zelo templum Deo maximo erexit, & divinum cultum propagavit.

LEX Cordi inſcripta (quam Deus per Jeremiam fidelibus ſuis pollicitus eſt, inquiens: POST dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum ſcribam eam) eſt lex Evangelicae gratiae, hoc eſt, divini amoris viva & ardens experientia, ſcripta non in tabulis lapideis, quemadmodum lex illa vetus, de qua tantopere Judaei gloriantur, neque in paginis caducis atramento delebili, ſed in tabulis cordis carneis ac mollibus; non calamo, ſed digito Dei vivo, hoc eſt, Spiritu Sancto; qui praecepta amoris fidelium cordibus ita impreſſit, ut qui hanc legem tenet, omnia, ut inquit Paulus, legis mandata impleat; nec opus habeat longis adhortationibus, quibus ad bene beateque vivendum accendatur: charitas enim per ſe ardens, & perpetuo erga Deum & proximum dilectionis incendio exaeſtuans, neſcit eſſe otioſa, ſed in opera ſancta ſponte ſua prorumpit. Chryſoſtomus, hoc idem fere ſentiens, ait, conſcriptionem hanc legis, de qua propheta loquitur, eſſe inſtaurationem, & lucidiorem expreſſionem illius antiquiſſimae ac

Jerem. 31. 33. In noſtra Vulgata legitur: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam.

Ad Rom. 13. 8. 9.

pri-

primae omnium legis, quam Deus in primo humani generis saeculo, sine ullo scripto electis suis tradidit, cum enim perbeati illi viri, Adam, Abel, Henoc, Nohe, Abraham, Job, integerrima vita pollerent; nullis indigebant libris, aut scriptis; sed corda librorum vice illis erant; & pro paginis, ac membranis, erant iis animi, atque mentes incorruptae; in quibus Deus non atramento, sed illustrationis suae gratia leges suas, tanquam in vivis & animatis libris, scribebat, omnia suggerens, quae forent ad piam sanctamque vitam necessaria: sed postquam progressu temporis humanum genus in vitiorum barathrum delapsum est, omnem divini Spiritus conscriptionem de corde abolevit: unde & tabulae, & libri, postea in locum abolitae legis subrogati sunt; ut per eos ad reminiscentiam deperditae disciplinae homines excitarentur: sed, cum ea parum profuissent, advenit tandem Legifer noster Christus, qui legem Dei, ab exordio mundi, sine Scripturis traditam, iterum juxta Jeremiae vaticinium, humanis cordibus per Spiritum Sanctum insculperet.

LIBER Desideratus a Job: hujus recordatur ipse Job capite decimo nono, inquiens: QUIS mihi tribuat, ut exarentur sermones mei in libro vel stylo ferreo, & plumbea lamina, vel celte sculpantur in silice? & iterum capite trigesimo primo, idem aliis verbis repetens, addit: QUIS mihi tribuat, ut desiderium meum audiat omnipotens, & librum scribat ipse, qui judicat; ut in humero meo illum portem, & circundem illum, quasi coronam mihi, & per singulos gradus meos pronunciem illum, & quasi principi offeram eum? Liber hic, tantopere a beato Job expetitus, nihil aliud significat, nisi apertam innocentiae suae demonstrationem; quam ipse optat a Deo, rerum omnium inspectore, patefieri: cum enim anniteretur ostendere, se non pro admissis flagitiis torqueri, sed ad probationem virtutis, & examen patientiae tribulationibus exerceri; neque id incredulis amicis persuadere posset, qui eum, ut hypocritam, justo Dei judicio plecti asseverabant; librum a Deo scribi desiderat: hoc est Apologiam & Justificationem integritatis suae, Deo revelante, literis mandari, & ad memoriam posteritatis transmitti precatur, non ad gloriae ostentationem, sed ad consolationem piorum; ut, his auditis, agnoscant saepe Deum electis suis adversitates ad exercitium pietatis immittere. Notandum est autem, quod ad phrasin attinet, plumbi laminam non ita referri ad stylum, ut sit sensus, stylo ferri & plumbi, sive ferreo & plumbeo stylo literas sculpi in silice (siquidem stylo plumbeo lapides excindi non possunt) sed est sensus, stylo ferreo insculpi literas, mox plumbea lamina in lapide efformandas: qui enim literas marmori inscribit, primum celte, vel ferreo stylo eas excavat; deinde laminis plumbeis, aut aeneis, vacua literarum spacia replet, ut earum notas magis reddat conspicuas; sicut Romae spectari potest in inscriptione M. Agrippae tertium consulis; quae adhuc in frontispicio templi Pantheon visitur.

LIBER Legis, ab Helchia repertus, de quo scribitur in quarto libro Regum capite 22. & in secundo Paralipomenon capite 34. hac occasione inventus est. Cum Manasses, impius rex, qui Hierosolymitano regno quinquaginta quinque annis praefuit, penitus aboleviſſet libros legis Domini, & occidisset Prophetas & Sacerdotes, qui eam docebant, ac caeteros pios viros, qui impietatem suam sequi noluerant: vir quidam, zelo Sanctarum legum incensus, abdidit exemplar legis divinae in penetrabilibus templi: cum autem Josias, rex piissimus, anno aetatis suae 26. regni autem 18. misisset ad Helchiam Pontificem, patrem Jeremiae Prophetae, ut pecuniam, quae erat in abditis templi, proferret ad instaurandas ruinas templi: ille aurum diligenter perquirens, librum quoque legis Sacrae invenit, & ad regem misit: qui cum divinas comminationes, & imminentes urbi calamitates, quae in illo descriptae erant, audisset; scissa veste jussit ire Helchiam Pontificem, & Sapham scribam ad consulendum Oldam prophetissam, si quo consilio, aut auxilio, ea clades effugi posset. Sunt qui existimant hunc librum non fuisse codicem Mosaicae legis, sed aliud quoddam propheticum volumen: quia cum Manasses post poenitentiam suam, & libertatem adeptam, ex Babylonica captivitate reversus esset in regnum; templum purgavit, idola abjecit, & cultum Dei restituit, quemadmodum in secundo Paralipomenon legimus: nec

ve-

Digitized by Google

verisimile est eum non instauravisse legem Domini, quae caput est & fons totius divini cultus: credibile est etiam Josiam, utpote virum religiosissimum, legem, jam a Manasse instauratam, frequenter non solum audisse & legisse, sed etiam probe nosse: quapropter si liber nuper inventus, & ante eum lectus continuisset legem Mosaicam, cujus lectioni jam assueverat rex, non oportuerat eum ad verba libri, veluti ad rem inopinatam, & tum primum auditam, adeo vehementer perturbari, ut vestem disrumperet, & ad Oldam prophetissam mitteret scisitatum de sensu ejus Scripturae. Chrysostomus Homil. 9. in Matthaeum, & Rabbi Salomon putant hunc fuisse librum Deuteronomii, quem Manasses, senio gravatus, & morte praeventus, invenire non potuit: cujus narrationem, tum primum audiens Josias, cum perveniisset ad verba capite 28. quae praedicebant Judaeis supremum excidium, & diuturnam captivitatem, si quando Deum dereliquissent; tanto animi dolore correptus est, ut cum fletu & lacrymis vestem scinderet, & omnem populum cogeret juramentum praebere, se deinceps omnia praecepta ejus libri integre servaturum. Inventus est itaque liber Deuteronomii, multis antea annis absconditus, anno ab orbe condito 3358. quem cum rursus temporum injuriae perdidissent, demum Christiani invenere luto obrutum, paulo ante Chrysostomi aetatem: quod & ipse Homilia septima in priorem ad Corinthios annotavit.

LIGNORUM duorum scriptura: de hac legitur apud Ezechielem capite trigesimo septimo, in hunc modum: FILI hominis, sume tibi lignum unum, & scribe super illud Judae, & filiorum Israël sociorum ejus: & tolle lignum alterum, & scribe super illud Joseph, Ephraim, & cunctarum domus Israël, ac sociorum ejus: & adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua. Scriptura haec Symbolum fuit conjunctionis totius populi Hebraei inter se discordantis, & dispersi & avulsi sub uno rege Messia. Historia nota est, quod sub Roboam, filio Salomonis, decem Tribus ad Jeroboam, filium Nabath, de tribu Ephraim, filii Joseph, concesserint, sicut scriptum est in tertio Regum capite 12. & post haec populi duo exiterunt, Juda videlicet, & socii ejus Tribus Beniamin, & decem Tribus, quae Joseph, vel Ephraim vocabatur: & hae duae gentes post regem Josiam dispersae sunt inter gentes: & post Sedechiam utrunque regnum exterminatum fuit. Ex hac igitur duorum lignorum imagine praedicit Propheta populos hos duos non solum liberandos, sed iterum conjungendos in unum regnum Messiae, & coituros consensu summo in unum regem legitimum, ut prorsus unum sceptrum videatur, & sit: ex ligno enim sceptrum regni Symbolum fiebat: priore ligno inscribitur Juda & socii, id est Beniamin: inscriptio alterius erat Ephraim. Voluit autem Propheta verbo Dei adjungere hoc signum, ut aures per conspectum oculorum commoveret efficacius. Visa enim attentionem impetrant orationi loquentis: sic in lege veteri multae caeremoniae adhibebantur, ut his ritibus simplices, & pueri commoti interrogarent, quid ea sibi vellent, & intelligerent: sic & caeremoniae multae in Ecclesia institutae sunt, ut ex his interiorem, & abditam Dei voluntatem imbecillitas ingenii nostri cognoscat. Volunt aliqui haec duo ligna miraculo in unum coaluisse: quod si recipitur; parabola erit efficacior. Significabat hoc Symbolum unionis duorum lignorum per unionem duorum lignorum crucis Christi coituros in unam Ecclesiam sub uno rege Christo duos populos, Gentilem, & Judaeum summo animorum consensu: unde Paulus, FECIT, inquit, utraque unum, reconcilians inimicitias in semet ipso, pacem his, qui erant prope, &c. Eph. 2. a Nostra Vulgata habet: interficiens inimicitias.

LINUS, de septuaginta duobus Christi discipulis unus, cujus nomine Paulus Timotheum in posteriore ad ipsum epistola salutat, primus post Petrum Romanae Ecclesiae Pontifex, natione Hetruscus, scripsit Graeco sermone De Petri, & Pauli agone libros duos, itemque epistolas aliquot. Moritur Romae sub Galba Imperatore, anno Christi septuagesimo, post expletos Pontificatus sui annos undecim, menses tres, dies duodecim. (a)

(a) Esto non leve dissidium inter Historicos, nedum Acatholicos, praecipue Johannem Pearson, & Henricum Dodvvellum, sed etiam Catholicos, praecipive Card. Baronium, & Antonium Pagi, occurrat de tempore mortis S. Lini P. M. quo anno, nempe, & sub quo Caesare ad Superos martyrio coronatus

Digitized by Google

2. Cor. 3. b LITERA Occidens (de qua Paulus in posteriore ad Corinthios epistola scribens, ait: LITERA occidit, Spiritus autem vivificat) est lex Mosis, cui passim ascribit Apostolus non solum, quod animam occidat, sed etiam quod concupiscentiae fomitem excitet ad peccandum; quod abundantiam pariat peccatorum; quod iram & indignationem inducat, mortemque inferat, & damnationem ministret: sic enim scribens ad Romanos, inquit: OCCASIONE acceptâ, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam: & iterum, Lex iram operatur: ubi enim non est lex, nec praevaricatio: &, Lex subintravit, ut abundaret delictum: item, Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit: item, Mandatum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum: & in secunda ad Corinthios vocat eam ministram mortis, & ministrationem damnationis: & in epistola ad Galatas Scripturam maledictionis appellat, non ob id, quod lex mala sit, ac suapte natura noxia, vel auctoris sui malignitate mortifera, quemadmodum olim Manichaei, legis destructores; dicebant; sed propter alias longe diversas causas, quas orthodoxi Patres ex Pauli doctrina didicerunt. Origenes inquit per literam, quae occidit, intelligendam esse omnem tropicam & figuratam divinae scripturae locutionem, omnemque umbratilem veterum caeremoniarum praeceptionem, juxta nudum literae sensum intellectam, sicut ipsa ejus verba sonant: quo sane modo litera eos occidit, qui, spiritalem sensum in eis latentem spernentes, solam externam & carnalem intelligentiam sectantur: quoniam, ut ait Paulus, in octavo capite epistolae ad Romanos, sapere secundum carnem mors est; sapere autem secundum Spiritum, vita & pax: veluti si quispiam omnia, quae scripta sunt in Cantico canticorum carnaliter accipiat juxta libidinosam carnalis amoris concupiscentiam, & non secundum casti ac divini amoris affectum; hic ex perversa literae intelligentia occiditur. Vel si quis circuncisionem, sacrificia, caeteraque legis umbras, quas Deus foedere sempiterno servari jubet, adhuc juxta literam credat esse facienda, & non magis secundum Spiritum implenda: is a Christi gratia in Judaïsmum labitur, & se ipsum interimit. Est autem, ut idem inquit Origenes homilia 7. in Leviticum, non solum in veteri testamento, sed etiam in novo testamento hujusmodi occidens litera; quae occidit eum, qui non spiritualiter, quae dicuntur, advertit. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est: qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium: ecce & haec litera Evangelii est; sed occidit: si vero spiritualiter eam suscipias; non occidit: sed est in ea Spiritus vivificans. Chrysostomus ait literae occidentis vocabulo significari legem Mosaicam; Spiritus vero vivificantis nomine, gratiam, quae per baptismum confertur: quia lex delinquentes damnat ac punit: gratia vero peccatores absolvit, & justificat: lex si prehenderit homicidam; tollit eum è vivis: gratia si acceperit homicidam; illuminat, ac vivificat: ligna Sabbato colligentem litera legis occidens lapidat: innumerabiles homicidas, ac latrones recipit

Rom. 7. b

Rom. 4. c 5. d, & 7. c

Consule nostram Vulgatam.

2. Cor. 5. b

Gal. 3. a

Rom. 8. a

Luc. 22. d

tus (ut Ecclesia sentit) evolaverit, necnon quomodo, seu quem locum in successione Apostolica tenuerit, quum obscurus nimium sit Irenaei locus *Lib. III. adversus haereses*, & varius etiam sit annorum computus ab Eusebio in Chronico, & in Ecclesiastica historia servatus, de qua re praesertim consuli potest recentior adcuratissimus Criticus Sebastianus Tillemontius *in Histor. Eccles. Comment. T. II. in notis ad S. Clementem*, ad quem etiam adpellat in re tam ardua Cl. Renatus Massuet *not. in S. Irenaeum loc. cit.* Nemo tamen, qui eruditus audit, cujuscumque sit ille communionis, audet S. Lino adjudicare Decretales Epistolas, quae sub ejus nomine circumferuntur, & de quibus supra verbum habuimus. Ablegant quoque ab eo quaecumque alia opera ejus nomine conscripta; & quamvis Segebertus Monachus Gemblacensis sub initium XII. Saeculi clarus *de Scriptor. Ecclesiast. Cap. V.* tradat Linum graece scripsisse libros duos *de Passione SS. Petri & Pauli*, ex quo eosdem laudarunt sequioris epochae Scriptores, praesertim N. Xystus, qui itidem vel ex eo praefatos libros laudavit, quia extant in Bibliotheca Veterum Patrum: tamen bene norunt Eruditi quique nullius firmitatis esse Segeberti monumentum, quum sit testimonium viri, qui longe post Apostolicos Scriptores vixit, nulloque venerandae antiquitatis monumento fulciatur: nil autem mirum, quod fuerit in Bibliotheca Veterum Patrum repositum spurium opus, quum alia id genus ibidem quoque prostent, & qui eam conflavit Theologus fuerit infimae aetatis. Opus autem istud certe ab aliquo barbarico Scriptore fuit editum, &, ut censet Gerardus Vossius *Lib. 2. de Historic. Graecis* a Monacho obscuri Seculi; & quod pejus est, ab alio posterioris aetatis nebulone corruptum, quum in eo Manichaeismum carpat Card. Baronius ad *An. Christ. 69. §. 6.* ac universim eruditi Critici haereseos fuligine adspersum spurium suppositiciumque S. Lini opus adseranr, Bellarminus, Labbeus, Possevinus, Cavius, aliique ex NN. Natalis, Graveson, Card. Gotti, & alii plures, sed praecipueris N. Johannes Maria Brassichellanus in Indice Romano a se confecto illud notavit.

Digitized by Google

pit gratia vivificantis Spiritus, & baptizatos ſervat. Lex è vivo reddit mortuum: quem capit gratia, è mortuo facit vivum, inquiens, VENITE AD ME OMNES, QUI LABORATIS, ET ONERATI ESTIS: ET EGO REFICIAM VOS: non dixit, Puniam vos, ſed Reficiam vos: nam in baptiſmo delentur peccata, delentur priora, vivificatur homo; & in corde ejus, velut in tabula, ſcribitur omnis gratia. Auguſtinus in libro De ſpiritu & litera, in quo hanc Pauli ſententiam copioſiſſime tractat, per legem intelligit ipſam praecipue Decalogi legem: quae quanquam juſta & optima ſit; occidere tamen, & iram, & peccatum, & maledictionem operari dicitur: quia dum peccatum oſtendit & prohibet, occaſionem praebet ſpiritualis interitus duobus potiſſimum modis; hoc eſt, peccandi deſiderium augendo, & peccati praevaricationem aggravando. Primo enim cum lex vetat peccatum, ex hac prohibitione auget concupiſcentiam, malorum omnium fontem; quae ſuapte natura nititur in vetitum ſemper, cupitque negata: nam quemadmodum aquae impetus, ſi in eam partem, ad quam ſua violentia rapitur, non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito; cujus cum molem evicerit, majore cumulo praecipitatus, per prona provolvitur: ita hoc ipſum, quod concupiſcitur, ardentius deſideratur, dum vetatur; acrius torquet, dum non habetur; & jocundius fit, cum obtinetur: & hoc eſt, quod Paulus indicare voluit, cum dixit: OCCASIONE accepta, peccatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam: & iterum, Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & occidit. Deinde lex perpetrati ſceleris gravitatem cumulat & exaggerat, propterea quod multo ſit gravius in peccatum decidiſſe, ubi lex peccatum oſtendit, atque prohibuit, quam antea: quia ubi lex non eſt, ibi nec praevaricatio eſt, ut inquit Apoſtolus: at cum per legem cognitio peccati patefacta eſt; tunc ejus, qui ſciens volenſque peccat, majus & gravius crimen exiſtimatur: & ob hanc cauſam dixit Paulus: LEX ſubintravit, ut abundaret delictum: & per mandatum fit ſupra modum peccans peccatum. His igitur de cauſis non immerito lex litera occidens dicitur; Spiritus vero gratiae merito vivificans dicitur: quia concupiſcentiam, quam lex auget, minuit: peccandi deſiderium extinguit: & contrarium huic benefaciendi deſiderium per fidem inſpirat, & per charitatem, in cordibus noſtris diffuſſam, deſiderium bonum bonis operibus explet.

Matth. 11.

Rom. 7. b

Noſtra Vulgata habet: peccatum per mandatum operatum eſt in me, &c. conſule illam

Rom. 5. d

LYSIAE, Antiochi regis Syriae familiaris & comitis, epiſtola ad populum Judaeorum habetur in ſecundo Maccabaeorum cap. 11.

LUCAS Evangeliſta, Evangelii, & Actuum Apoſtolicorum Scriptor, a pleriſque veterum creditus eſt auctor epiſtolae, quae nomine Pauli Apoſtoli ad Hebraeos inſcribitur; inter quos praecipuum fuiſſe Tertullianum, Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiae teſtatur: quam ſententiam prorſus falſam oſtendemus in ſeptimo hujus operis volumine. Tertullianus memoriae prodidit, presbyterum quendam Aſianum, Pauli ſtudioſum, pio quidem, ſed mendaci zelo finxiſſe Actus quoſdam Pauli, & Teclae falſo Lucae titulo inſcriptos, eumque, cum de falſitate in judicio convinceretur, confeſſum id ſe amore Pauli inductum feciſſe. Dicitur etiam Lucas poſt ſcriptam a ſe Chriſti Servatoris vitam, etiam imaginem ipſius, ac matris ejuſdem pennicillo & coloribus pinxiſſe, & utriuſque icones Antiochenae Eccleſiae reliquiſſe (a): cujus rei mentionem faciens Simon Metaphraſtes

(a) Lucam Evangeliſtam pingendi artem calluiſſe, & Chriſti Deiparaeque imagines pennicillo coloribuſque in tabulis efformaſſe tradiderunt olim Hiſtorici, Theologique nonnulli ex teſtimonio Simeonis Metaphraſtis, qui vel ex eo praeſertim laudatos viros decepit, quia S. Germanum Conſtantinopolitanum Patriarcham ita ſentientem falſo induxit; foediuſque Jodocus Clichtoveus S. Johannis Damaſceni commentator erravit dum S. Auguſtinum *in lib. de Doctrina Chriſtiana* pro hac ſententia laudavit. Nec finis: adaucta fraus fuit ab Nicephoro Callixto, qui, ut fabellam hanc facilius venditaret, excerpta ex Theodoro Lectore Secul. VI. Scriptore in medium protulit, quibus adſerebatur, quod Pulcheria Auguſta ex Antiochia delatam Deiparae imaginem a S. Luca depictam in Eccleſia Conſtantinopoli ab eadem erecta collocarit: quare factum eſt, ut etiam primi nominis Theologi, ad lydium lapidem haud revocantes hiſtoriam, S. Lucam Pictorem conclamarint. Quid ergo mirum, quod N. Xyſtus in eam deſcenderit ſententiam, quum praecipue non dum Critice ſuam obtinuerit in litteraria Republica ſedem? Magnus itidem Annalium Parens eiſdem permotus monumentis pro S. Lucae arte pictoria ſtetit ad *An. Chr. 726.* & alibi: ſteterunt Card. Toletus *Annot. VI. in Praefat. Luc.* & Card. Bellarminus, qui etſi in *lib. de Script. Eccleſiaſt.* Lucam Medicum ſolummodo dicat, tamen in *Controverſ. de Imaginibus SS.* percenſet imagines Deiparae a S. Luca depictas juxta Theodori Lectoris, & Nicephori teſtimonium, ſicut etiam Antonius Poſſevinus *in Apparatu*, pluresque alii Hiſtorici, & Polemici de Litteraria Republica

Digitized by Google

in vita D. Lucae ſic ſcribit: HOC autem inter caetera gratiſſimum eſt, quod ipſum quoque aſſumptum typum humanitatis Chriſti, ac ſignum ejus, quae illum peperit, Lucas primus omnium cera & lineamentis pingens, ut ad haec uſque tempora in imagine honorarentur, tradidit, tanquam non ſatis eſſe exiſtimans mente & ſpiritu cum his eſſe, quos deſiderabat, niſi etiam per imaginem ac typum verſaretur cum eis: quod ferventiſſimi amoris indicium eſt. Hactenus ille. Nicephorus Calliſti Eccleſiaſticae hiſtoriae libro 14. & 15. de imagine Deiparae Virginis, a Luca depicta, loquitur in hunc modum: PULCHERIA Auguſta templum in urbe Conſtantinopolitana extruxit, τῶν ὁδηγῶν, hoc eſt, Viae ducum, appellatum: ubi ex Antiochia tranſmiſſam matris Dei imaginem dedicavit; quam D. Apoſtolus Lucas ſuis ipſe manibus depinxit, illa adhuc vivente, & tabulam ipſam vidente, gratiamque adeo illi formae ſuae immittente. Haec imago primum in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit: ubi ea, quae nunc quoque fiunt, miracula peracta ſunt. Haec Nicephorus. Vidimus olim Venetiis in aedibus Titiani, celebratiſſimi noſtrorum temporum pictoris, exemplar hujus ſacrae picturae, ex archetypo D. Lucae, ut credebatur, exceptum: in quo ſpectabantur omnes illae notae, quas idem Nicephorus expreſſit in ſecundo ejuſdem hiſtoriae volumine: ubi ſtaturam, formamque ſanctiſſimae Virginis ex Epiphanii ſententia deſcribens, haec affert: MARIA Virgo ſtatura fuit mediocri, quamvis ſint, qui eam aliquantulum ſtaturam mediocrem exceſſiſſe dicant, colore fuit frumentum referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas & tanquam oleae colore pupillas in eis habens: ſupercilia ei erant inflexa, & decenter nigra; naſus longior; labia florida, & verborum ſuavitate plena; facies non rotunda, vel acuta, ſed aliquanto longior; manus ſimul & digiti longiores: erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, minimeque vultum fingens: veſtimentis nativi coloris contenta fuit: id quod etiam ſanctum capitis ejus velamen oſtendit.

MAR-

blica optime meriti dum adverſus nuperos Iconomachos ſcripſerunt. At viri emunctae naris, qui rectum efformarunt criterium, iique etiam Orthodoxi, praeſertim Auguſtinus Calmet *in Dictionar. Sac. Script.* & alibi, Sebaſtianus Tillemont *Vit. S. Lucae*, Bollandiſtae *T. I. Maii pag.* 46. 1. Henricus Valeſius *not. ad Euſeb. Lib. III. Cap.* 4. Elias Dupin *in Bibliotheca*, N. Hyacinthus Serry *XLVII. Exercit. de Chriſt. & Deipar.* aliique innumeri pictoriam artem ab Evangeliſta Luca eliminarunt, & quae ſub ejus nomine ſacrae imagines, ſeu ab eo efformatae, circumferuntur, ad fabulas amandarunt: Nec certe refragatur Johannes Maldonatus, qui *Praefat. in Luc.* vel ſententiam de ſola ſcientia, non vero de profeſſione, pictoria Lucae, vulgarem dicit nixam teſtimonio Simeonis Metaphraſtis, & Nicephori Callixti. Momenta autem eorum plura ſunt, I. quia Paulus dumtaxat *Medicum* Lucam dicit *Ad Coloſſenſes ultim.* „ Salutat vos Lucas Medicus chariſſimus. „ II. quia Patres, ex quibus ad nos Apoſtolorum, Apoſtolicorumque Virorum Acta pervenire potuerunt, univerſim pictoriam Lucae artem, aut ſcientiam omnino tacuerunt, & qui ejus profeſſionem declararunt, non Pictorem, ſed Medicum (contra deliria Calvini etiam id denegantis) eum ſolummodo dixerunt, ut conſtat ex Hieronymo *Catalog. de Script. Illuſtr.* Chryſoſtomo, Beda, Thoma Aquinate *in Epiſt. ad Coloſſ.* aliiſque; nec refragantur innumeri, iique docti Proteſtantes, qui etſi adſtruant Lucam Medicum contra Calvinum, pictorem omnino inficiantur: eos tamen hic laudare non decet, quum nonnulli ex iis, vel ex eo ſint ſuſpecti, quia contra Sacrarum imaginum cultum & uſum dimicant, & dumtaxat Hugonem Grotium ea in re haud ſuſpectum ceteris Orthodoxis adnumerare lubet. III. Quia, quae ab Nicephoro, & Simeone Metaphraſte referuntur, nullam promerentur fidem, utpote ab authoribus longe poſterioris aetatis tradita, & reapſe quae veluti ab Theodoro Lectore, VI. Seculo claro, exarantur, authentica non ſunt (jam diu quidem perierunt illius ſcripta) quibus proinde indubiam adhibere fidem non eſt prudentis, neque ſapientis Critici: praeſertim quia ſilentibus omnibus quinque Seculorum Patribus, quomodo id ab uno Theodoro Lectore poterat indubie adfirmari? Et quamvis Pulcheria Auguſta Deiparae imaginem, ut ab Luca efformatam, recepiſſet, nonne ex vulgari traditione, eaque deſpicienda, proceſſit adſertum? IV. vel ex eo tandem ſuppoſititia dicenda eſt adſerta pictoria ſcientia, vel profeſſio S. Lucae, quia PP. II. Concilii Nicaeni contra Iconoclaſtas coacti quum omnem moviſſent lapidem, ut ne dum ex S. Scripturae monumentis, ſed etiam ex variis, omnique ſtudio ſelectis, hiſtoricis actis ſacrarum imaginum uſum & cultum probarent, nec verbum habuerunt de id genus iconibus a S. Luca efformatis. Quid inſuper ſi addas S. Lucam ab Apoſtolo Paulo ad fidem converſum poſt triumphalem Chriſti adſcenſionem non potuiſſe Chriſtum in Carne videre? Quidquid ergo vel ex adverſo opponatur, vel aliter explicetur, non facit ad rem: quare, ut ſapienter prudenterque ſentiamus, S. Lucae hanc pingendi artem vel ſcientiam adferere non debemus, nec ab eodem efformatas imagines vindicare. Quae ulterius addi poſſunt conſulantur apud laudatos Criticos, quum haec ſufficiat adnotaſſe.

Digitized by Google

M

MARCUS, Alexandriae epiſcopus, atque Evangeliſta, (quem Lucas in Actis Apoſtolicis capite duodecimo Joannem nominat, Mariae filium) (a) poſt Evangelium, a ſe ex ore Petri Apoſtoli, cujus comes & interpres fuit, collectum, ſcripſit brevi volumine Barnabae Apoſtoli, & conſobrini ſui vitam; quam Beda presbyter ex Graeco eloquio in Latinum ſermonem tranſtuliſſe creditur. Meminit hujus operis Jacobus, archiepiſcopus Genuenſis, in libro Annuarum feſtivitatum. Sunt & qui eum alia literarum monumentis mandaſſe referant; quorum nec ipſi titulos recenſent, nec nos alicubi annotatos invenimus. (b)

MANUS in pariete Babylonicae regiae apparentis ſcriptura, tria duntaxat habuit Chaldaica verba, eaque infauſtiſſimi ominis nuncia, videlicet. Noſtra Vulgata habet: Mane, Thecel, Phares.

מנא MENE, id eſt Numeravit, vel, ut Graeci legunt, ἐμέτρησε Menſus eſt.

תקל THEKEL, quod eſt Appendit.

פרס PHERES, hoc eſt Diviſit.

HARUM conſcriptionis occaſionem, & interpretationem ſimul, Daniel in quinto ſui voluminis capite refert fuiſſe talem. Cum intra Babylonem Balthaſſar, Aſſyriorum rex a Cyro Perſarum & Dario Medorum regibus obſideretur; ipſe, prorſus neglectis hoſtibus, in aula quadam ampla coenans, magno apparatu diſcumbebat, accumbentibus ſimul concubinis, & purpuratorum praecipuis: cumque jam mero incaluiſſet, juſſit afferri ſancta vaſa, quae Nabuchodonoſor ex templo Hieroſolymitano in ſuum templum repoſuerat: & cum in eis una cum pellicibus ſuis potaret, multaque in Deum contumelioſa verba jactaret; repente ex adverſo pariete manus prominere viſa eſt, cujus digiti praedicta verba, in eo paulatim deſcripta, relinquebant. Quo portento maxime perterritus rex, cum a Magis & divinatoribus ſuis ſcripturae ſenſum diu multumque perquiſiſſet, neque invenire potuiſſet; tandem, accito Daniele, luctuoſam ab eo verborum interpretationem aſſecutus eſt, in hunc modum. QUANDOQUIDEM, inquit Daniel, o rex, Deum omnium maximum, qui te ad tanti regni faſtigium evexit, ſuperbe contempſiſti, & adverſus eum impias voces ore ſacrilego profudiſti, & in ſacris ejus vaſis una cum pellicibus tuis bibere non es veritus; ob haec iratus Deus denunciat tibi hoc ſcripto, qualem ſis habiturus regni vitaeque exitum. Sic enim ſingula ejus verba interpretanda ſunt:

MENE, id eſt Numeravit, ſignificat numeraſſe Deum dies tam vitae, quam regni tui; & utriuſque finem mox adeſſe.

THEKEL, hoc eſt Appendit, ſignificat appendiſſe Deum in libra juſtitiae ſuae opera tua; & in altera quidem librae lance, quae depreſſior erat, apparuiſſe pondus enorme ſuperbiae, luxus, blaſphemiae, & tyrannidis tuae: in altera vero, quae leviſſima erat, apparuiſſe te minus habere pietatis erga Deum, & juſtitiae

(a) Quia nonnulli veteres, praeſertim Alexander Graecus, ſaepius ab Simeone Metaphraſte laudatus, & Nicephorus Calixtus *Lib. 2. Hiſtor. cap. 15.* (quorum certo certius duces fuerunt Origenes, Pſeudo-Papias, & Pſeudo-Clemens, quos N. Xyſtus laudavit ſupra *lib. I.*) exiſtimarunt Marcum Evangeliſtam eundem eſſe, quem Apoſtolorum Acta dicunt Johannem Marcum, mirum non eſt, quod horumce opinioni ſubſcripſerit N. Xyſtus. Verum Evangeliſtam Marcum alium eſſe ab Johanne Marco concors eſt Criticorum ſententia: Tum quia hic abſolute Marcus, ille autem Johannes Marcus in Divino eloquio nuncupatur: Tum etiam quia Evangeliſta a Petro ad fidem vocatus, ab eoque baptizatus (heinc ab eodem Apoſtolorum Vertice ſuus filius adpellatur) Romae Petro adhaeſit; at Johannes Marcus eodem tempore Hieroſolymis cum Paulo, & Barnaba manſit, quod praeceteris ad diſcrimen ſtatuendum etiam S. Iſidorus *Lib. de vit. & obit. Sanctorum* adnotavit; aliaque plura occurrunt momenta a PP. ſuppeditata, quae Marcum Evangeliſtam alium omnino eſſe a Johanne Marco manifeſtant. An autem Johannes Marcus idem ſit ac Barnabae conſobrinus, qui in Epiſtola ad *Coloſſenſes* laudatur? dubium eſt inter Criticos. Indubium tamen eſt Evangeliſtam Marcum non fuiſſe unum ex LXXII. Domini diſcipulis. Vide Baronium *ad An. Chriſti* 45. Calmetum in *Nov. Teſtam.* Dupinium *in Biblioth. Nova*, Cornelium a Lapide *Comment. in XII. Act. Apoſt.* Cavium in *hiſtor. litteraria*, alioſque, praeſertim N. Card. Gotti *Verit. Chriſt. Relig. Tom. V.*

(b) Jacobus Archiepiſcopus Genuenſis, quem N. Author laudat, eſt N. Jacobus de Voragine, Ligur, ad Januenſem Eccleſiam evectus Anno 1292. vir certe piiſſimus & doctus, qui *Legendas Sanctorum* in unum volumen redegit, compilavitque illas ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, Hiſtoria Scholaſtica, & Tripartita, aliiſque Chronicis. Verum quia hic eo ſcripſit Seculo, quo plura ſpuria, & commentitia venditabantur impune, & monumenta, quae tranſcripſit, non erant plene purgata, multa tradidit, quae viris eruditis merito diſplicuerunt, ut adnotavit N. Jacobus Echard *Scriptor. Ordin. p. 456. T. I.* qui etiam retulit Scriptores, a quibus ea fuerunt ventilata, nimirum Ludovicum Vives, NN. Melchiorem Cano, & Berengarium de Landora XIII. Magiſtrum N. Ordinis. Sed, quae in vindiciam laudati Jacobi cedunt, haud omiſit: legeſis eum.

Digitized by Google

ſtitiae erga homines, quam par foret regi, eique potiſſimum regi, quem Deus tot regnis, populiſque praefecerat.

PHERES, quod eſt Diviſit, ſignificat diviſiſſe Deum cunctas opulentiſſimi regni tui opes, & jam eas per partes in Medos & Perſas diſtribuiſſe. Atque haec fuit ſcripturae hujus occaſio, & recta interpretatio: quam quidem fuiſſe veriſſimam, ipſe praedictionis eventus ſtatim proxime ſequenti nocte comprobavit: dum enim Balthaſſar, partim prodigii horrore perculſus, partim ſomno vinoque oppreſſus, jaceret; a cubicullariis ſuis, qui jam antea in ejus necem conſpiraverant, obtruncatus eſt; & urbs per proditionem Medis, ac Perſis tradita.

Kabaliſticae expoſitionis ſpecies.

NON praetereundum hoc loco arbitror, quod Hebraeorum Rabbini ex hujus ſcripturae interpretatione anſam acceperunt excogitandi novum quoddam in ſacras literas expoſitionis genus, kabaliſticum ab illis appellatum: quo non ſolum ſententias, & integras divinae ſcripturae orationes explanant, ſed & ſyllabas, & ſingulas quaſque literas ſeparatim expendentes examinant, & variis tam hiſtoricis, quam myſticis ſenſibus exponunt, ſumpto hinc argumento, quod quemadmodum licuit Danieli ſingulas dictiones per ſingulas integras orationes explicare; ita caeteris Synagogae Rabbinis licitum eſt conſimili exemplo ſyllabas, & ipſas quoque dictionum literas, alteram ab altera divulſas, interpretari per aliquas dictiones, quas literae illae ſignificant. Sed de hoc interpretandi genere ſatis ſuperque ſcripſimus infra in libro de modis exponendi ſanctas ſcripturas, dum elementariae expoſitionis Methodum tractaremus: ad quem locum Lectorem, harum rerum curioſum, remittimus.

MARIA, Virgo beatiſſima, Domini ac Dei noſtri Jesu Chriſti mater, ſcripſiſſe fertur breviſſimam quandam epiſtolam ad Ignatium martyrem, Joannis Apoſtoli diſcipulum, & tertium poſt Petrum Antiochenae Eccleſiae epiſcopum: is enim cum ardore incredibili teneretur viſendi, & coram alloquendi matrem Domini, ſcripſit ad illam ſatis brevem epiſtolam in hunc modum.

Chriſtiferae Mariae ſuus Ignatius.

ME, neophytum, Joanniſque tui diſcipulum, confortari, & conſolari debueras: de Jesu enim tuo percepi innumera dictu, & ſtupefactus ſum ex auditu: a te autem, quae ſemper ei fuiſti familiaris, & conjuncta, & ſecretorum ejus conſcia, deſidero animo fieri certior de auditis: ſcripſi tibi etiam alias, & rogavi. Valeas: & neophyti, qui mecum ſunt, ex te, & per te, & in te confortentur. Amen.

Cui epiſtolae mater Dei hac reſponſione ſatisfecit.

Ignatio, dilecto diſcipulo, humilis ancilla Chriſti Jesu.

DE JESU, quae a Joanne audiſti, ac didiciſti, vera ſunt: illa credas, illis inhaereas, & Chriſtianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem una cum Joanne, te, & qui tecum ſunt, videre: ſta, & in fide viriliter age: nec te commoveat perſecutionis auſteritas; ſed valeat; & exultet Spiritus tuus in Deo ſalutari tuo. Amen.

MEMINIT Ignatii epiſtolae D. Bernardus in pſalmum nonageſimum ſermone ſeptimo his verbis: MAGNUS ille Ignatius, auditor diſcipuli, quem diligebat Jesus, martyr noſter, cujus precioſis reliquiis noſtra eſt ditata paupertas, Mariam quidem in pluribus, quas ad eam ſcripſit, epiſtolis CHRISTIFERAM conſalutat: egregius plane titulus dignitatis, id eſt, commendatio honoris immenſi. Dionyſius Carthuſianus in Commentariis, quos edidit in librum Dionyſii Areopagitae De divinis nominibus, ita ſcribit de epiſtola Ignatii: SANCTUS Ignatius in una epiſtolarum ſuarum ad Sacratiſſimam Virginem fervide rogat eandem, ut pro conſolatione & confortatione ſui, & plurium neophytorum dignetur venire ad ſe. Utriuſque vero epiſtolae Marcus Michaël, presbyter Cortonenſis; in libro de viris illuſtribus recordatur hunc in modum: SCRIPSIT Ignatius ad diverſos epiſtolas quatuor, primam ad Epheſios: ſecundam ad Magneſios, tertiam ad Coloſſenſes. quartam ad Romanos. Extant & epiſtolae ejus ad Joannem Evangeliſtam, praeceptorem ſuum, & ad Mariam beatiſſimam Virginem, & Domini noſtri Salvatoris humillimam matrem; ad quem & ipſa reſponſivam & brevem epi-

Digitized by Google

epiſtolam reddere humiliter non dedignata eſt. (a)

MARIAE Interrogationes magnae, & ejuſdem Interrogationes parvae, libri ſunt execrandis impietatibus & blaſphemiis a Gnoſticis & Stratioticis haereticis repleti: in quibus inter alia deteſtandae foeditatis myſteria ritus traditur Coenae dominicae tanta apud eoſdem haereticos abominatione celebratus, ut animus eloqui horreat, & manus refugiat ſcribere: ſed, ut ex hoc appareat, in quantum prodigioſae caecitatis profundum, & diabolicae dementiae barathrum ruant qui Gnoſticos, ſic ab omnium rerum, quam profitebantur, notitia dictos, imitantur, hoc eſt qui ſuo ingenio & ſapientia freti, ab eccleſiaſtica diſciplina, & ſanctorum patrum traditionibus recedunt; non gravabor breviter referre quae de hoc Epiphanius in primo Panarii ſcribit adverſus Gnoſticos. Hi ergo in praedicto Magnarum interrogationum volumine habent, Dominum Jesum Chriſtum revelaſſe Mariae virgini ritum ſynaxeos, & dominicae communionis, a Gnoſticis poſtea obſervatum in hunc modum. Conveniebant omnes in idem coenaculum viri & foeminae: ibi cum large & opipare coenaſſent; mariti, abjecta omni verecundia, uxores ſuas in publicum exponebant, invitabatque alter alterum in uxoris ſuae complexum his verbis: Surge frater, & fac dilectionem cum fratre tuo: cum autem invitatus oblatae foeminae commiſceretur; uterque propriis manibus virilis ſeminis fluxum excipiebat: mox id ipſum expanſis palmis, & protentis more ſupplicantium manibus, Deo offerebat, adjecta hac praecatiuncula, Offerimus tibi hoc donum, corpus ſcilicet Chriſti: ſtatimque ſemen ipſum ore aſſumentes; & edentes addebant: Hoc eſt enim Corpus Chriſti, & hoc eſt Paſcha, id eſt paſſio: ideo patiuntur corpora noſtra, & confitentur hoc modo paſſionem Chriſti. Eodem quoque modo, ubi contigiſſet foeminam in ſanguinis fluxu eſſe, collectum ab ea menſtruum Deo offerebant; & mox edentes dicebant: Et hic eſt Sanguis Chriſti. Utebantur autem ad hujus turpiſſimae feritatis confirmationem non ſolum praedictis Interrogationum voluminibus, ſed, quod vix credi poteſt, etiam divinarum ſcripturarum teſtimoniis; ita permittente Deo, ne leviter credamus iis, qui dogmata ſua, Eccleſiae traditionibus adverſa, ex divinis literis utcunque detortis annituntur aſtruere, exemplo Gnoſticorum, qui de hac prodigioſa turpitudine interpretabantur, quod dictum eſt a Chriſto, CUM videritis filium hominis redeuntem, ubi erat prius: hoc eſt, defluxum humani ſeminis eo revertentem, unde exierat: itemque illud, NISI manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem: hoc eſt, in humano ſemine, & ſanguine menſtruo: eodem referebant quod Salomon dixit, BIBE aquam de ciſternis tuis: & quod habetur in Pſalmo primo, TANQUAM lignum plantatum ſecus decurſus aquarum fructum dabit tempore ſuo, exponebant de membro genitali, quod in defluxu ſeminis dat fructum voluptatis: & illud, FOLIUM ejus non defluet, idcirco additum dicebant, ne ſinerent ſeminis guttas in terram defluere; ſed ut collectum ederent: ſimiliter quod in Apocalypſi legitur de arbore ferente duodecim fructus in anno per menſes ſingulos, quae eſt lignum vitae, figurate interpretabantur de ſanguine

Gnoſticorum, & Stratioticorum ſceleratum.

Noſtra Vulgata habet: Aſcendentem ubi erat prius Joan. 6.

Prov. 5. c

Pſal. 1.

Apocal. 22. 2

(a) Epiſtolae Deiparae Virginis ad Ignatium Apoſtolorum diſcipulum, & hujuſce ad Sanctiſſimam Dei genitricem ex communi Criticorum calculo ſpuriae ſunt, atque omnino ſuppoſititiae, non ſecus ac plures aliae, quae eidem Ignatio perperam fuerunt adjudicatae. Ex communi quidem Eruditorum judicio genuinae Ignatianae Epiſtolae ſeptem dumtaxat enumerantur, nimirum, Ad Epheſios: Ad Magneſianos: Ad Trallianos: Ad Romanos: Ad Philadelphienſes: Ad Smyrnaeos: & Ad Polycarpum; reliquae autem, quae ſub ejus nomine circumferuntur, & vel ex oſcitantia, aut ignorantia, vel etiam ex impoſtura ſub ejus nomine aut procuſae, aut laudatae fuerunt, ad ſuppoſititia & ſpuria monumenta ſunt amandanda. Legeſis Eruditos, Cotelerium, Dupinium, Mabillonium, N. Natalem, alioſque Orthodoxos, & ex Acatholicis Hammondum, Pearſonium, Cavium, Uſſerium, alioſque. Nil autem mirum, quod S. Bernardus laudatam Pſeudo-Ignatii Epiſtolam ad Deiparam datam in medium protulerit, commendaveritque, quia monumentum ſuo tempore vulgo probatum referre opportunum ei erat, qui Criticum non agebat. Nec tamen diſplicet hic ſubdere judicium Cl. Johannis Mabillonii in *nova editione Operum S. Bernardi*, qui ibidem advertit ab Clarae-Vallenſi Abbate non laudari epiſtolam Pſeudo-Ignatianam ad Mariam Deiparam datam, ſed ad alteram Mariam *Caſſabolitam* dictam, eſto & haec quoque epiſtola, utpote ſuppoſititia, etiam fit ableganda Ignatio. Sic enim ibi loquitur Mabillonius: „ *Mariam* abſolute habent edi„ ti, etiam antiquiores: *quandam* addunt ſcripti, „ & recte quidem, cum hoc loco non agatur de Ma„ ria Deipara Sanctiſſima, ſed de alia quadam, nem„ pe, Caſſabolita, ſeu Caſtabolite, ad quam duae „ extant epiſtolae S. Ignatio Martyri adſcriptae, in „ quibus *Chriſtifera* ſalutatur. Quamquam eamdem „ etiam ſalutationem praefert alia vulgata ejuſdem „ Ignatii nomine epiſtola ad Mariam Deiparam. Ve„ rum hic ſermo eſt de Maria illa, ad quam *plures* „ circumferebantur epiſtolae pro Ignatianis habi„ tae. „

Digitized by Google

ne mulieris menstruo, singulis mensibus fluente. Haec Epiphanius. Augustinus vero in libro de haeresibus ad QuodvultDeum scribit, Manichaeos aetate sua, apud Carthaginem huic execrabili superstitioni addictos, consuevisse Eucharistiam sumere ex farina, & humano concumbentium semine conspersam.

MARIAE Stirps, vel Prosapia, ut loco superius citato refert Epiphanius, liber est apud Gnosticos celebris, horrendam & pernicioſam doctrinam continens: in quo inter caetera portenta narratur, Zachariam sacerdotem in penetralibus templi ingressum, ut incensum coram Deo adoleret, vidisse formam quandam asinino capite praeditam: quam visionem cum revelare vellet, & populum admonere, ne asinum adoraret; is, qui visus est, vocis & linguae usum illi ademit, sed ademptum paucis post diebus restituit: eo recepto, Zacharias visionem prodidit Judaeis: illi indignati ipsum obtruncarunt. Hac de causa commotus Hebraeorum legislator, sacerdoti praecepit, ut ingrediens ad sacra peragenda, tintinnabula vestimento appensa gerat: quo sonitu admonitus asininus ille Deus se occultet, ne forma ejus, intempestive conspecta, interitum afferat spectatori. Serapion, Thmuenus episcopus, in libro adversus Manichaeos affirmat ex hujus libri occasione Christianos olim accusatos ab Ethnicis, quod Judaeis permisti, asinum, Judaeorum numen, colerent. Tertullianus tamen in Apologetico autumat Gentiles venisse in hanc suspicionem ex scriptis Cornelii Taciti: qui in quinto historiarum libro referens originem Hebraicae religionis ait, Judaeos ex AEgypto pulsos, cum in vasta Arabiae solitudine siti macerarentur, ab asinis sylvestribus, qui forte de pastu ad potum petebant, aquarum fontes, didicisse; & beneficii memores, bestiam divinis honoribus coluisse; ejusque effigiem postea in templo consecrasse; atque inde praesumptum a gentibus, Christianos, ut Judaïcae religioni propinquos, asinum pro deo venerari: unde & quidam jumentorum locator ausus est Tertulliani temporibus apud Carthaginem ante stabulum jumentorum, velut suae artis insigne, appendere tabulam, in qua depictus esset homo togatus, dextera librum tenens; de cujus capite asininae prominerent aures: in pedibus vero asini ungues spectarentur cum hac inscriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITIS, id est asinjunguius.

Christiani cur olim accusati de cultu asinino nō secus ac pridem infamati Hebraei.

MARIAE Transitus, sive Liber de transitu S. Mariae, a Gelasio inter Apocrypha scripta rejicitur: Jacobus, archiepiscopus Genuae, in libro Annuarum festivitatum refert se incidisse in volumen quoddam apocryphum ejusdem argumenti & tituli, divo Joanni Evangelistae ascriptum: in quo scriptum esset, Mariam virginem anno vigesimo quarto ab ascensione filii sui ex hac vita migrasse, & omnes Apostolos, momento temporis per aëra raptos, morienti affuisse; atque ejus cadaver, publico funere, & solemnibus exequiis elatum, lapideo monumento condidisse; eamque post diem tertium revixisse; & integro corpore, deducentibus Angelis, in coelum evolasse; Thomam vero, cum abfuisset, & rediens credere recusaret, zonam, qua corpus virginis praecinctum erat, è sublimi demissam, accepisse resurrectionis, & corporeae in coelum assumptionis argumentum. Augustinus sermone 35. De sanctis, hujus operis inscriptionem, narrationem, & auctoritatem refellit his verbis: VIRGO MARIA quo ordine hinc ad suprema transierit, nulla catholica narrat historia: non solum autem respuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur haec Ecclesia: siquidem sunt nonnulla sine auctoris nomine de ejus assumptione conscripta; quae, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem minime legi permittantur: hinc sane pulsantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra reperitur, nec assumptio ejus cum carne, ut in apocrypha legitur, in catholica reperitur historia: sed dignum non est de corporis ejus notitia sollicitum quempiam esse, quam non dubitat super coelos elatam cum Christo regnare: sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quippiam dixisse aperte. Et quid de his loquor, cum nec ipse, qui hanc accepit ante crucem Domini in sua, id est Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid scriptis retinendum mandaverit? nullus enim hoc fidelius narrare potuit, si illud Deus manifestari voluisset. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus assumptione sententia est, ut secundum Apostolum sive in corpore, sive extra corpus ignorantes assum-

Digitized by Google

assumptam, super Angelos eam esse credamus. Haec de transitu, & assumptione Mariae Augustinus: qui ab hac sententia palam dissentire videtur in libello De assumptione Mariae, qui sub ejus nomine inter scripta noni tomi computatur (a). Hieronymus, sive Hieronymi comes Sophronius in sermone De assumptione Virginis (b), libri hujus mentionem faciens, ita scribit: SI VENERIT in manus vestras illud apocryphum De transitu Mariae Virginis, dubia pro certis non recipiatis; quod multi Latinorum pietatis amore, & studio legendi charius amplectuntur: monstratur autem sepulchrum ejus usque ad praesens in vallis Josaphat medio. Haec idcirco dixerim, quia multi nostrorum dubitant, utrum assumpta fuerit simul cum corpore, an abierit relicto corpore: quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus personis sanctissimum corpus ejus inde ablatum fuerit, vel ubi traspositum: utrum ne resurrexerit, nescitur: quamvis nonnulli astruere velint eam jam resuscitatam, & beata cum Christo immortalitate in coelestibus vestiri: veruntamen, quid horum verius censeatur, ambigimus: melius tamen Deo totum, cui nihil impossibile est, committimus, quam ut aliquid temere definire velimus auctoritate nostra: sed, & utrum redierit in pulverem terrae, certum non habemus. Tritemius in catalogo recenset librum De transitu Sanctae Mariae inter opera Melitonis, Sardensis episcopi, cujus initium est, MELITO, CHRISTI SERVUS, quem tamen Hieronymus, enumerans Melitonis scripta, praetermisit. (c)

BEDA psesbyter de hoc libro in Retractationibus Apostolicorum actuum exponens illud, *Omnes dispersi erant per regiones Judeae, & Samariae, praeter Apostolos*, ita scriptum reliquit: Si, dispersa Ecclesia, Apostoli remanserunt in Hierusalem, ut Lucas ait; constat, quia mendacium scripsit ille, qui ex persona Melitonis, episcopi Asiae, librum componens de obitu beatae genitricis Dei, dicit, quod secundo post ascensionem Domini anno Apostoli fuerint omnes toto orbe ad praedicandum in suam quisque provinciam divisi: qui universi, appropinquante obitu Beatae Mariae, de locis, in quibus praedicabant verbum Dei, elevati in nubibus rapti sunt Hierosolymam, ac depositi ante ostium domus ejus; inter quos etiam Paulus, nuper ex persecutore ad fidem Christi conversus, qui assumptus est cum Barnaba in ministerium gentium. Quae scriptura etiam specialiter de Joanne Apostolo refert, quod eo tempore Ephesi praedicaverit: quae cuncta verbis beati Lucae contradicunt, quibus narrat Apostolos, caeteris fidelibus ab Hierosolymis propulsis, remansisse ibidem, & praedicasse per omnia, donec Ecclesia per totam Judaeam, & Samariam, & Galilaeam pacem haberet; quod in uno anno perfici potuisse nulli dubium est. Qui etiam manifeste insinuat Paulum non secundo post ascensionem Domini anno, sed longo post tempore in ministerium gentium cum Barnaba ordinatum. Absit autem, ut credamus beatum Joannem Apostolum, cui Dominus in cruce matrem Virginem virgini commendavit, post unum annum recessisse, & eam reliquisse solam: ac tanto tempore dejectam, Act. 8. a

(a) Sermo de *Assumptione Virginis* extra omnem dubitationis aleam non est genuinus S. P. Augustini foetus, sed Scriptoris longe posterioris aetatis, utpote qui laudat Isidorum in *lib. de Vit. & obit. Sanctor.* PP. Benedictini hunc sermonem ordine CCVIII. in Appendicem rejectum nulli certo Authori adscribunt, sed incerti Scriptoris esse dicunt; quamvis ex pluribus Manuscriptis, ut iidem San-Mauraei advertunt, Fulberto Carnotensi Episcopo adscribatur.

(b) Alius itidem sermo *de Assumptione Virginis* Hieronymo quondam adjudicatus optime ab Authore Nostro sub dubio laudatur, eademque caespitatione manente, aut Hieronymo, aut Sophronio tribuitur. Sed cujusnam Sophronii sit opus? quia tres ejusdem nominis Scriptores in Historia litteraria occurrant, unus, nimirum, sub finem IV. Seculi clarus, duo VI. Seculo inlustres, e quibus postremus fuit Patriarcha Hierosolymitanus, quum non exprimat Xystus, expendendum est hic. Non esse duorum posteriorum opus ex Criticorum censura, eorumdemque PP. scriptis liquido constat; quapropter facilius tribuendus est laudatus sermo priori Sophronio S. Hieronymi familiari, viro apprime erudito, ut ipse Hieronymus tradit in *Catalog. Viror. Illustr. cap.* 134., & ita censet Erasmus, sicut eidem Sophronio adjudicanda sunt aliqua alia sub Hieronymi nomine vulgata opuscula.

(c) Liber *de transitu S. Mariae* perperam ab Trithemio, aliisque adjudicatur Melitoni. Plura quidem scripsit laudatus Melito Sardensis Episcopus, quae enumerant Eusebius *Lib. IV. Histor. Ecclesiast. cap.* 25. Hieronymus *Catal. Vir. Illustr.* Gennadius *de Dogmat. Eccles.* Anastasius Sinaita ὁδηγ cap. 13. aliique veteres, extantque eorundem operum fragmenta apud Eusebium, & Anastasium; at librum *de transitu S. Mariae* nec somniavit Melito, nec ullus veterum ei adscripsit: & quamvis in Bibliotheca Veterum PP. *T. II.* sub nomine Melitonis ille prostet, indignum tamen est opus, quod tanto Viro adjudicetur, ut etiam Card. Bellarminus *De Scriptorib. Ecclesiasticis* adnotavit; indeque jure optime eradendus est, aut corrigendus est, obliterato nomine Melitonis; & ideo Sapienter Xystus in medium profert judicium V. Bedae.

Digitized by Google

ut etiam corpus suum defunctae timeret ab hostibus esse comburendum; eamque, propter quam raptus est in nubibus, ad se rediisse velut obitum sive incuriosum sui sollicita precaretur, dicens: ROGO te, fili Joannes, ut memor sis verbi magistri tui, Domini mei Jesu Christi, qui me commendavit tibi: ecce enim vocata ingrediar viam universae terrae: audivi autem consilia Judaeorum, dicentium, Expectemus diem, quando moriatur, quae portavit Jesum Nazaraenum, & corpus ejus comburamus: nunc ergo fili curam habeto exequiarum mearum. Haec ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi praefato volumini contra auctoritatem beati Lucae incauta temeritate assensum praebere. Hactenus Beda.

MATTHAEUS Evangelista fingitur esse auctor duorum librorum, quorum alter, De ortu, sive stirpe Mariae, alter, De infantia Salvatoris, inscribitur: qui Valentinorum, & Gnosticorum commenta sunt: his libris inepti quidam auctoritatem asserere cupientes, praefationes addiderunt sub nomine Chromatii, & Heliodori episcoporum ad Hieronymum, & Hieronymi ad ipsos confictas; quae utrunque Opus testarentur a Hieronymo in gratiam eorundem episcoporum ex Hebraico Matthaei volumine translatum, & ab haereticorum falsationibus expurgatum: sed cum in his libris eaedem nunc extent aniles fabulae, quas Irenaeus in primo adversus Valentinorum haereses, & Epiphanius primo Panarii sectione tertia, ex iisdem voluminibus refellunt, palam appareret impostorum deceptio. Gelasius distinctione 15. inter libros ab Ecclesia damnatos utrunque abjicit.

MATTHIAE Apostoli Evangelium inter alia non canonica Evangelia enumerat Origenes Homilia prima in Lucam: ejusdem Traditiones Clemens in secundo libro Stromatum citat: & in septimo ejusdem Operis libro scribit Marcionem, & Basilidem ex harum auctoritate haereses suas firmasse. Eusebius in tertio libro historiae Ecclesiasticae capite 25. inter libros ab haereticis confictos recenset Matthiae Evangelium.

MEMORIALIS Liber, sive Monumenti, Hebraice ספר זכרון Sepher ziccaron: hujus Propheta Malachias capite tertio recordatur, inquiens: ATTENDIT Dominus, & audivit, scripsitque librum coram se timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus. Liber hic significat particularem memoriam, & considerationem, quam Deus habet de electis suis. Impii videntes eos affligi, putant illos Deo esse in oblivionem: at Propheta ait, quod Deus tantam curam gerit eorum, & attendit, & audit, ut numeret, ac scribat omnes gemitus suorum, ne in oblivionem veniant: librumque semper ante oculos habet; ut quando tempus opportunum venerit, non opus sit aliquo suggerente: sicut & apud Esaiam in manibus scripsisse dicit. Proinde nemini in afflictionibus desperandum: diabolus enim tentat nos, sicut amici Job, dicens, quod Deus nostri oblitus est, nec nostra considerat: unde dicunt, Usque quo oblivisceris in finem? quibus respondet Deus se habere librum memorialem sempiternae recordationis, quem nulla unquam delebit oblivio.

Isai. 44. 5.

MENANDER, inter antiquos Graeciae comicos poëta celebratissimus (cujus aliquot fabulas, praesertim vero Andriam, & Perinthiam Terentius se Latinas fecisse fatetur) scripsit; ut Athenaeus in Dypnosophistis testis est, comoedias quadraginta novem: è quarum una Paulus Apostolus, ut Hieronymus ad Magnum Oratorem scribens testatur, cum Corinthios a colloquiis seductorum dehortaretur in priore, quam ad eos conscripsit, epistola, versum jambicum senarium accepit hujusmodi:

1. Cor. 15. Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί: hoc est,
Corrumpunt bonos mores colloquia mala.

CLARUIT Olympiade CXV. cujus anno primo primam fabulam, cognomento Orgen, publice exibuit: moriturque anno primo Olympiadis CXXII.

Apoc. 17. 33. MERETRICIS magnae inscriptio (de qua Joannes in Apocalypsi dicit: VIDI mulierem sedentem super bestiam, & super frontem ejus nomen scriptum, BABYLON, MAGNA MATER FORNICATIONUM, ET ABOMINATIONUM TERRAE) significat veterem Romam, cum adhuc idolorum immunditiis & abominationibus deserviret, impudentissime & absque ullo rubore scelera execranda per-

Digitized by Google

perpetraſſe; & inter alia ſanguinem quoque Martyrum, qui eam objurgabant, quo liberius deorum ſuorum fornicationibus frueretur, crudeliter effudiſſe. Haec Arethas, Caeſarienſis epiſcopus, in Apocalypſis Commentariis. Ob eandem cauſam Papias, Hieronymus, Oecumenius, & Beda exiſtimant Petrum in fine prioris epiſtolae Romam Babylonis nomine appellaſſe cum diceret, ſalutat vos Eccleſia quae eſt in Babylone collecta. Roma Ethnica Babylonica dicta.

MORTIS Liber eſt certiſſima & immobilis Dei notitia, eos agnoſcens, & innumerato habens, quos divina juſtitia occulto, ſed tamen juſtiſſimo judicio ab aeterno & in aeternum reprobavit, & ad poenam aeternam non ſine praecedenti demerito damnavit: in quo quidem volumine ſcripti ſunt omnes mali ac reprobi, quos Deus praeſcivit extra charitatem & gratiam, ſine poenitentia morituros: quem tamen librum licet divinae Scripturae nudis & apertis verbis non expreſſerint, & aliquae Theologorum ſcholae non recipiant: ex multis tamen locis neceſſitatem ejus latenter indicarunt. Cum enim Sacrae literae paſſim doceant extare apud Deum, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt, librum vitae, hoc eſt, perſpicuam & infallibilem praedeſtinationis, atque praedeſtinatorum ſcientiam, & conſcriptionem; neceſſe eſt etiam, cum oppoſitorum eadem ſit cognitio, eſſe in Deo, quem nihil latere poteſt, reprobationis ac reprobatorum omnium claram notitiam, certamque conſcriptionem; & haec Liber mortis appellatur: in quo numeratim deſcripta ſunt nomina, & mala merita, atque peccata reproborum omnium; quos Deus ita promeritos perpetuae damnationi addixit: de quibus Auguſtinus in 28.cap. Soliloquiorum (a) ſic Deum alloquitur: MORS peccatorum peſſima, illorum, inquam, quos ante, quam faceres coelum & terram, ſecundum abyſſum multam judiciorum tuorum occultorum, ſemper autem juſtorum praeſciviſti ad mortem aeternam: quorum dinumeratio nominum & meritorum pravorum apud te eſt, qui numerum arenae maris dinumeraſti, & dimenſus es profundum abyſſi. JOANNES quoque in ſua revelatione teſtatur nomina reproborum in divina praeſcientia numerari, cum de impiis loquens dixit: ET occiſi ſunt in terremotu nomina virorum ſeptem millia: unde & divus Hieronymus in commentariis Eſaiae explicans illud, COMPLICABUNTUR COELI, UT LIBER, dixit coelos in die judicii fore inſtar libri complicandos, ut non ultro ſcribantur in eis peccata malorum: & quemadmodum Servator noſter, inquiens, GAUDETE, QUONIAM NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELIS, intelligere voluit eos, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitae: ita Jeremias eos, qui ſcripti ſunt in libro mortis, ſignificare voluit per illos, quos aſſeruit ſcriptos eſſe in terra, cum dixit: DOMINE, omnes, recedentes a te, in terra deſcribentur. Utrum autem ex hoc libro mortis quidam deleri poſſint, ut ſerventur; & iterum reſcribi, ut damnentur: non levis eſt apud Theologos praecipue ſcholaſticos difficultas: quae facile diſſolvitur, ſi, quemadmodum alias diximus, in libro vitae aliquos ſcriptos eſſe intus, aliquos foris, ita & nunc dicamus, librum mortis ſcriptum eſſe intus, & foris; & aliquos in eo ſcriptos eſſe intus & foris, aliquos vero exterius tantum. Illi intus & foris conſcripti ſunt, quos Deus ſecundum aeternam & firmam ſapientiam praeſcivit vel in malo perſeveraturos uſque ad finem, vel ſaltem in iniquitatibus ex hac vita deceſſuros: quos ſecundum praeſcientiam ſempiternae damnationis, & ſecundum propoſitum perpetuae miſeriae ab aeterno irrevocabiliter rejecit, & indelebili proſcriptione proſcripſit; ut Cain, Judas, Eſau, Pharao, Antiochus, atque alii reprobi; qui quidem ex intima hujus libri ſcriptura deleri minime poſſunt: nam licet aliquando ex extrinſeca libri circunſcriptione aut ad tempus deleantur, aut deleri videantur, dum temporalem quandam praeſentis juſtitiae gratiam utcunque exercent, cum Cain ſacrificia offerentes, cum Juda Chriſtum in ſtatu altiſſimae perfectionis ſequentes, cum Eſau, & Antiocho poenitentes, & miſericordiam multis cum lacrymis obſecrantes: intus tamen indelebiliter ſcripti permanent. Illi autem in hoc libro extrinſecus tantum ſcripti ſunt, quos Deus praeſcivit aliquando & ad tempus in ſceleribus permanſuros, ſed poſtea per poenitentiam fore ſalvandos, quemadmodum Paulus, Petrus, & Auguſtinus: qui quanquam eſſent in libro mortis, & ad tempus circunſcripti,

Apoc. 11. 3.

Eſa. 34. 4

Luc. 10. c

Jer. 27. 13.

(a) Liber hic non eſt S. P. Auguſtini, ſed alterius incerti poſterioris Authoris.

Digitized by Google

& ex libro vitae exterius deleti ob lethale ac mortiferum infidelitatis crimen; non tamen erant intus in libro mortis in aeternum indelebiliterque conscripti, & ex intimis libri vitae paginis deleti; sed erant in interiori parte ejusdem libri vitae ascripti, & annumerati inter illos, qui, ut Augustinus ait, nequaquam perire possunt; quibus omnia cooperantur in bonum: & ipsa etiam peccata: qui cum
Psal. 36. 24. cadunt, non colliduntur; quia Deus supponit manum suam, custodiens ossa eorum, ut unum ex his non conteratur: non quod eorum peccata, peccata non sint, & morte, atque aeterna damnatione digna; sed quod ipsi, post lapsum, sceleris gravitatem, & virium suarum imbecillitatem agnoscentes, facilius surrexerunt, acrius poenituerunt, cautius incesserunt, & ardentiori studio, ac validiori conatu regnum Dei quasi violenter rapere anniti sunt. Mentionem faciunt Judaei hujus, de quo nunc diximus, Libri mortis in secundo ordine Thalmudicorum voluminum, tractatu octavo: ubi fabulantur Deum quolibet anno decem primis Lunae Septembris diebus scribere bonos in libro vitae, malos vero in libro mortis.

Jud. 1. 9. MOSIS Ascensio, Graece ἀνάβασις τῦ μωσέως, liber est, de quo dicitur Judam Apostolum in sua catholica epistola sumpsisse testimonium Archangeli Michaëlis, altercantis cum Sathana de cadavere Mosis. Recordatur scripturae hujus Origenes libro 3. Periarchon (a) capite 2. his verbis: PRIMO quidem in Genesi serpens Evam seduxisse describitur: de quo in Ascensione Mosis (cujus libelli meminit in epistola sua Apostolus Judas) Michaël Archangelus, cum diabolo disputans de corpore Mosis, ait diabolo, inspiratum serpentem causam extitisse praevaricationis Adae, & Evae. Haec ille. Inscribitur autem, ut arbitror, hic liber ASCENSIO Mosis, quia contineat ascensum Mosis de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga, contra Jericho; item colloquia Mosis jam jam morituri cum Deo peracta, & ejusdem sepulchrum angelorum manibus in occulto loco effossum; disceptationem quoque Michaëlis & diaboli, de qua Oecumenius in commentariis epistolae Judae sic scribit: DICITUR Michaël Archangelus ministerium praebuisse in sepeliendo Mose: id non ferebat diabolus, sed accusationem afferebat propter caedem AEgyptii, quasi Moses ipsius esset: & propterea non permittebat, ut ille honorificam consequeretur sepulturam: cum autem in hac controversia haberet Michaël occasionem, ut diabolum maledicto impeteret propter illius impudentiam, non hoc fecit, sed id tantum in eum intulit, INCREPET TE DEUS, O DIABOLE. Hactenus Oecumenii verba. Hieronymus in commentariis epistolae ad Titum de libro ambigens, unde hoc Apostolus accepit, DE QUIBUS, inquit, scripturis Judas testimonium hoc assumpserit, non facile patet: sed tamen sciendum, quia simile his aliquid in Zacharia Propheta reperimus:
Zach. 3. 2 ipse etenim dicit: QUIA ostendit mihi Dominus Jesus sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini; & Sathan stabat a dexteris ejus, ut adversaretur ei: & dixit Dominus, INCREPET DOMINUS IN TE, SATHAN. Haec ille. Origenes homilia 35. in Lucam citat librum quendam secretiorem ejusdem ferme argumenti: in quo introducuntur justitiae & iniquitatis Angeli, super Abrahae interitu & salute disceptantes, dum utraeque turmae suo eum nolunt coetui vindicare. Clemens in sexto Stromatum allegat ex Assumptione Mosis visionem quandam Josue, & Caleph, qui Mosem, dum assumeretur, viderunt inter Angelos gloria illustratum. Athanasius in Synopsi hanc Mosis Ascensionem una cum alia huic affini Scriptura, cui titulus est, TESTAMENTUM MOSIS, inter Apocrypha

(a) Libri περὶ ἀρχῶν, seu *de Principiis*, ab Origene conscripti ante Annum CCXXXIII. difficillimi plane sunt, nimiumque obscuri; & qui nunc extant latine redditi ex Rufini versione, pessima fide confecti deprehenduntur: pluribus namque omissis, multisque interpolatis, ac in melius commutati conspiciuntur, quod nec Rufinus ipse dissimulavit: quapropter Hieronymus sincere vertit eosdem libros περὶ ἀρχῶν, quorum versionem curavit, ut Origenis errores, & Rufini fraudes detegeret: at laudata Hieronymi versio temporum injuria periit. Quot autem in eisdem libris περὶ ἀρχῶν errores, haereses, & commenta lateant prostentque adcurate adnotarunt Basilius, Hieronymus, aliique universim Ecclesiae Patres, qui propterea bene adverterunt caute nimium eos fore legendos, & veluti inter aspides ambulandum. Ob praefatos siquidem libros fuisse Origenem ab Demetrio excommunicatum improbabile non est; sed certum, ac luce meridiana clarius est eosdem libros fuisse a V. Synodo diris devotos. „ Utilissimi „ fuissent laudati *Principiorum* libri, si satis habuisset Origenes Religionis principia ex Scriptura, & „ traditione explicare, imaginationes suas philoso„ phicas non admiscendo „, inquit Helias Dupin *Biblioth. nov. Script. Eccles. T. I.* Dum autem praefati libri περὶ ἀρχῶν a N. Syxto percensentur, ex eisque nonulla laudantur, sale adhibito, & criterio haud omisso, ea sunt excipienda.

Digitized by Google

pha rejicit. Alios quoque libros, nomine MOSIS, fuiſſe ab haereticis, qui Setiani dicuntur, confictos, teſtis eſt Epiphanius in primo Panarii Sethianorum haereſim confutans: ubi etiam adverſus eos inducit auctoritatem voluminis cujuſdam pervetuſti, quod JOBELEUS, vel GENESIS EXACTIUS EXPLICATA inſcribitur, proſapiam & genealogias filiorum Adami longo ſermone exponens. Fertur & liber quidam Moſis appellatione a Georgio Cedrenio citatus cui titulus eſt Μικρογένεσις, id eſt, parva geneſis, hunc eſſe apochriphum illud, quod nuper Synodus Tridentina ſub nomine floſculorum Bibliae damnavit, ſatis indicant narrationes aliquot, quas idem Cedrenius ex hoc opere videtur in ſuas hiſtorias transfudiſſe.

N

NATHAN Propheta, Spiritu Dei ſancto afflatus, ex tribu fuit, & proſapia Thock, urbe Gabath Galilaeae oriundus: hic, ut Epiphanius in Vitis Prophetarum tradit, pridie, quam David cum Berſabee, uxore Uriae, peccaret, II. Reg. 11. 4.
flagitium illud praeſcivit, ſtatimque Hieroſolymam verſus iter arripuit, regem ab ea foeditate abſtracturus: ſed, cum in via hominem nuper exanimatum offendiſſet, neque pati poſſet inhumatum cadaver beſtiis dilaniandum relinquere, effoſſa humo illud ſepeliit: in quo pio officio, cum dies jam adveſperaſcens, illum oppreſſiſſet, nocte eadem David ardorem conceptae libidinis explevit: Prophetа autem, re agnita, moerens ac dolens, unde venerat, rediit: ubi vero David Uriam, Berſabeae maritum, dolo malo peremit, iterum juſſu Dei Hieroſolymam contendit; ibique confecto eleganti apologo de divite, agnam vicini pauperis rapiente, regem in agnitionem admiſſi piaculi deduxit, graviter objurgavit, & ad II. Reg. 11. 17.
poenitentiam convertit: nec multo poſt in patriam ſuam reverſus, ibi diu vixit; ibique tandem longo ſenio confectus deceſſit, relictis ad poſteros duobus hiſtoriae voluminibus: quorum priore Davidis regis Hieroſolymitani geſta, poſteriore vero Salomonis Hieroſolymorum regis acta conſcripſerat. Meminit horum voluminum primus liber Paralipomenon, capite ultimo, & 2. Paralipomen. capite 9.

NECHEMIA CHECALEIA נחמיה הכליה ſive Nehemias, Neceliae filius, genere Judaeus, Artaxerxis, Perſarum ac Medorum regis, pincerna, praeter eum 2. Mac. 2.
librum, qui inter divina ſcripta recenſetur ſub titulo SECUNDI ESDRAE, ſcripſit Commentariorum ac deſcriptionum librum unum: in quo diligentiſſime ea omnia complexus eſt, quae Judaeis, ex captivitate Chaldaica redeuntibus, contigere; praecipue vero inventionem ignis ſacri, quem ſacerdotes, exciſa urbe ſancta, in profundiſſimum puteum defoderant, & bibliothecae a ſe extructae apparatum, ac librorum omnium, tam ſacrorum, quam profanorum locupletiſſimam copiam in ea congregatam. Meminit horum Commentariorum liber ſecundus Maccabaeorum capite ſecundo.

NICODEMUS Phariſaeus, & in Israël magiſter, qui ad audiendum Chriſtum noctu accedebat, dicitur ſcripſiſſe Evangelium de Paſſione & Reſurrectione Joan. 7. g
Domini; quod a ſancta Eccleſia reprobatur: ejus initium eſt, ANNAS, ET CALPHAS.

NICOLAITAE, Sectatores Nicolai Anthiocheni diaconi Apoſtolici (a), quorum facta peſſima Joannes in Apocalypſi deteſtatur, libros quoſdam per- Apocal. 2. b
ni-

(a) Nicolaitae ab Authore N. dicuntur Nicolai Sectatores, ſed fortaſſe ex ſolo nomine laudati Antiocheni Diaconi. Num autem ad rem vereque, an perperam, & per fucum talem ſibi adſcripſerint Coriphaeum & primipilum iniquitatis Magiſtrum? dubium nimis eſt inter Criticos, & praecipue inter Veteres Eccleſiae Patres: Ex quibus Irenaeus *lib. I. adverſ. haereſ.* cap. 27. Epiphanius *lib. 1. Haereſ. XXV.* Hilarius in Cap. XXV. *Matth.* Hieronymus *epiſt. I. XLVIII.*, *& in Dialog. contra Luciferianos*, Tertullianus *de Praeſcript. cap. 46.* Philaſtrius *de Haereſib. cap. 5.* Caſſianus *Collat. 18.* & alii Nicolaum Authorem infamis ſectae conſtituunt, quibus Recentiores nonulli Critici adhaerent. Probabile tamen eſt, & veroſimile nimis per fucum & fraudem nebulones ſibi adſciviſſe in ducem ſpurciſſimae ſectae Nicolaum Diaconum advenam Antiochenum, quem Scriptura Actorum VI. adnumerat „ viris boni teſtimonii, & „ plenis Spiritu Sancto, & Sapientia „ aliis nempe ſex Diaconibus, quos Apoſtoli orantes, imponenteſque eis manus, inaugurarunt; idque praecipue oſtendit Eminentiſſimus Annalium Parens ex S. Ignatio Martyre in *Epiſtola ad Trallianos* dicente: „ Fugiamus quoque impuros Nicolaitas falſum ſibi nomen ſumentes, voluptatum amatores, & Sycophantas „. Clemens Alexandrinus itidem ab hac injuria purgat vindicatque Nicolaum Diaconum Antiochenum *lib. 2. Stromat. pag. 301. & lib. 3. p. 318.* Propendunt quoque in hanc ſententiam Euſebius *Lib. III. Hiſt. Eccleſ. cap. 29.* Theodoretus *Lib. III. Haeret. Fabular. cap. 23.* Vulgatus Victorinus Petabionenſis *Comment. in Apocalyp.* quibus univerſim ce-

Digitized by Google

niciosae superstitionis scripserunt, sub nomine JALDABOTH, efformantes in ipsis nomenclaturas infinitas & barbaras principum, & potestatum in unoquoque coelo habitantium. Epiphanius libro 1. Panarii haeresi 25. ac Gelasius distinctione 15. ipsius Nicolai scripta cum damnatis scripturis annumerant.

NOMEN DEI, frontibus sanctorum inscriptum, commemoratur a Joanne in Apocalypsi his verbis: QUI vicerit, scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei, novae Hierusalem, & nomen meum novum: & rursum alio in loco, ET vidi, & ecce agnus stabat in monte Sion, & cum eo numerus centum quadraginta quatuor millium, habentium nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis: & iterum in eodem volumine, THRONUS Dei, & agni in illa erit; & servi ejus servient illi; & videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus ipsorum. Nomen Dei, electorum frontibus inscriptum, juxta Arethae Caesarienſis explanationem duplex est: unum, quod cordibus sanctorum in praesenti vita imprimitur, significans cognitionem, & imitationem eorum, quae Dei nomine significantur, hoc est, notitiam divinae bonitatis, ac justitiae, meditationem quoque eorum, quae Deus in coelesti Hierusalem praeparavit diligentibus se: illi igitur, qui in hoc saeculo Dei, ac supernae Hierusalem immortalia bona indelebili memoria retinent, nomen Dei & Hierusalem, cordi & animo insculptum, gestant, & futurae gloriae pignus possident. Alterum nomen est, quod etiam novum appellatur, sanctorum frontibus in alia vita superadditum, hoc est, divinae visionis merces, & lumen divini splendoris, a beata & glorioſa trium personarum essentia in animis, & ex animis in corpora sanctorum diffusum, afferens secum incorruptibilem felicitatem, omnium delectationum affluentia redundantem. Illi igitur nomen agni, & nomen patris ejus in frontibus descriptum gerunt, qui beata luce ipsius divini vultus in coelesti patria obsignantur.

Apocal. 3. 12.

Apocal. 14. 1.

Apocal. 22. 3.

NOMEN, & Numerus nominis bestiae: de hoc Joannes in Apocalypsi capite 13. ET FACIT, inquit, ut nemo possit emere, aut vendere, nisi habeat characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est: qui habet intellectum, computet numerum bestiae: numerus enim hominis est, & numerus ejus sexaginta sex. Character bestiae, Nomen bestiae, & Numerus nominis ejus, unum & idem sunt: quicunque autem bestiae, hoc est, diaboli, vel Antichristi operibus communicat characterem, notam, nomen, & numerum nominis ejus in se ipso gestat impressa. Ut autem scias, quid significet Numerus nominis bestiae, quae Antichristum hoc loco denotat; animadvertendum est, quod Graeci ex literis alphabeti numerum suum conficiunt, unde quaelibet Graeca dictio totidem numeris, quot literis constat: cognitis igitur numeris alicujus Graecae vocis, literas quoque, ex quibus ipsa vox componitur, facile cognoscitur: cum itaque numerus nominis Antichristi sit 666. literae, includentes hunc numerum, continebunt in se numerum Antichristi. Quales autem hae literae sint, & quae ex ipsis resultent nomina, pro comperto haberi non potest: veteres tamen auctores exercitii gratia varia ex his nomina collegerunt; quae huc adscribere non intempestivum est.

Apoc. 13. 17.

Ex recentioribus consule Lindanum lib. 3. Dubitantii. Sanderum lib. 8. de visibil. Monarch Eccles. cap. 8 Genebrardum lib. ult. Chronolog & Bellarminum de Rom. Pontif. lib. 3. c. 10.

NOMEN Antichristi secundum Irenaeum, & Hippolytum, est TEITAN, id est, Gigas; cujus literae hunc numerum reddunt: T, 300. E, 5. I, 10. T, 300. A, 1. N. 50. summa vero erit 666.

SECUNDUM Ticonium, nomen Antichristi est, ΑΛΜΠΕΤΙΣ, id est, Illustris: literae vero numerales, quae nomen conficiunt, hae sunt; Λ, 30. Α, 1. Μ, 40. Π, 80. Ε, 5. Τ, 300. Ι, 10. Σ, 200. summa 666.

JUXTA Aretham, nomen ejus est, ΛΑΤΕΙΝΟΣ, id est, Lateinus: cujus literae hos habent numeros: Λ, 30. Α, 1. Τ, 300. Ε, 5. Ι, 10. Ν, 50. Ο, 70. Σ, 200. summa 666.

EX sententia Primasii Nomen ejusdem Antichristi est, ANTEMOS: elementa

celebriores Critici in praesentiarum subscribunt. Videsis praecipue ex Catholicis N. Natalem ita sentientem *T. I. Hist. Eccles. Dissert. 9.* & ex Acatholicis Basnagium *in Annal. Polit. Ecclesiast. ad Ann. Dom. 83.* Vide etiam quae scribit N. Card. Gotti *Veritas Relig. Christ. T. VII. P. I. c. 3.* qui tamen dubius haeret, sed plura in medium profert. Dubitant itidem alii, ut Augustinus Calmetus, Cornelius a Lapide, aliique, quos consulas.

Digitized by Google

ta vero numerorum haec : A, 1. N, 50. T, 300. E, 5. M, 40. O, 70. S, 200. summa 666.

O

OCTAVIUS AUGUSTUS, a quo tradit Lucas Evangeliſta in capite ſecundo exiiſſe edictum, ut deſcriberetur univerſus orbis, multa varii generis opuſcula compoſuit : ex quibus ſunt : Luc. 2. 1

RESCRIPTA Bruti de Catone.

HORTATIONES ad philoſophiam.

DE vita ſua, vel de rebus Cantabricotenus bello a ſe geſtis, libri tredecim.

HEROICI carminis, cujus argumentum & titulus eſt, SICILIA.

EPIGRAMMATON extemporalium, liber unus.

TRAGOEDIA, cui titulus eſt, AJAX ; quam cum magno impetu incepiſſet, poſtea, non ſuccedente ſtylo, abolevit : quaerentibuſque amicis, quidnam ageret Ajax ? reſpondit, Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.

RELIQUIT item familiarium epiſtolarum volumen.

SED & librorum, qui ad Romanam religionem pertinebant, ita fuit diligens indagator, & conſervator, ut fatidicorum librorum Graeci Latinique generis, qui nullis, vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebantur, ſupra duo millia undique contracta cremaverit, ſolis Sibyllarum libris ab incendio reſervatis ; ex his quoque delectu habito, & iis, qui nothi videbantur, exuſtis : reſiduos condidit duobus forulis auratis ſub palatini Apollinis baſi. Haec Suetonius in Auguſto.

CELEBRATUR quoque apud Chriſtianos auctores Inſcriptio, & titulus ab eodem Auguſto in ara Capitolina inſculptus ; quam ipſe, primus omnium, Servatori noſtro Chriſto, quamvis eum ignorans, erexit : cujus rei mentionem facit Nicephorus libro 1. hiſtoriae Eccleſiaſticae capite 17. in haec verba : CAESAR AUGUSTUS, quamplurimis praeclare feliciterque geſtis rebus clarus, primuſque ipſe Monarcha renunciatus, provectiore jam aetate ad oraculum Pythii Apollinis venit : &, ſacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur, daemoni oblato, quaeſivit, Quiſnam poſt ſe Romanum adminiſtraturus eſſet imperium ? At cum nullum redderetur reſponſum ; alterum quoque adjecit ſacrificium, denuoque rogavit, Quid ita oraculum, pluribus verbis uti ſolitum, nunc tandem obticuiſſet ? Tum illud, parva interpoſita mora, ad hunc modum reſpondit :

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με, θεὸς μακάρεσσιν ἀνάξων
Τὸν δὲ δόμον προλιπεῖντε, καὶ αὖθις αἶδος ἰκέσθαι.
Ἀσπὸν ἀπιδὲ σιγῶν ἐκ βωμῶν νηκερίων.

hoc eſt,

Me puer Hebraeus, divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

TALI reſponſo accepto, Caeſar Romam eſt reverſus, atque ibi in Capitolio aram maximam extruxit cum ejuſmodi Latina inſcriptione, ARA PRIMOGENITI DEI. Refert hoc idem Suidas in Auguſto. (a)

OG

(a) Quod N. Sixtus de Apollinaei Oraculi ſilentio tradit, multorum certe animos pervaſit, qui proinde illud velut indubium monumentum poſterorum memoriae commendarunt ; id ipſum prae ceteris Cl. Annalium Parens Baronius tradidit *in Apparatu n.* 25. ex teſtimonio Nicephori *Lib. I. Hiſtor. c.* 17. & Suidae in Hiſt. *V. Auguſtus*, Cedreno *in Compendio*, aliorumque, quibus fidem adhibuerunt nonnulli veteres Theologi. Verum hanc eſſe puram putamque gerram à Graeculo quodam fabulas venditante primitus adinventam, nemo, qui Criticus audit, ignorat ; idque propterea ad commenta forè amandandum ex validis variiſque momentis, ac monumentis luce meridiana clarius illuceſcit. Sive enim ante Chriſti natalem Oraculorum defectum, ſive poſt ejus mortem illorum pretium, & voces animadvertas, utrumque acu tanges longe ire ab eo, quod graecae fidei Scriptores primum tradiderunt, & deinde aliqui plus aequo creduli exceperunt. Delphicum namque Oraculum Ciceronis aetate, ſexaginta nimirum ante Chriſti ortum annis, quinimo & longe prius in minori pretio haberi coepiſſe, ex eo quod falſa reſponſa daret ; Cicero ipſe tradit *Lib. I. de Divinatione* : „ Nunquam illud Oraculum delphis tam „ celebre, & tam clarum fuiſſet ; niſi omnis aetas „ Oraculorum illorum veritatem fuiſſet experta. „ Jam diu idem non facit. Ut igitur nunc minore „ gloria eſt, quia minus Oraculorum veritas excel- „ lit ; ſic tunc, niſi ſumma veritate, in tanta glo- „ ria non fuiſſet : „ Et *lib.* 2. dum refellens ſententiam Quinti exiſtimantis fatidicam vim eo in Oraculo languiſſe ex loci vetuſtate, cauſſam itidem aſſignat cur contemtui foret, nempe quia carmine reſponſa non daret. „ Pyrrhi temporibus jam Apollo „ verſus facere deſierat. . . . . Cur iſto modo jam „ oracula delphis non eduntur, non modo noſtra „ aetate, ſed jamdiu, ut nihil poſſit eſſe contemtius ? „ Pyrrhus autem 270. annos ante Chriſti nativitatem denatus eſt. De ſuo tempore non ſolum, ſed & de ipſum antecedentibus teſtatur quoque Plutar-

Digitized by Google

OG regis Basan Liber, cujus Moses meminit in voluminibus Numerorum, capite 11. & Deuteronomii capite 3. enumeratur a Gelasio distinctione 15. inter damnatas scripturas.

ONIAS, Lacedaemoniorum rex, scripsit epistolas duas de amicitia & societate cum Judaeis ineunda; unam ad Jonathan, Summum Pontificem Judaeorum; cujus exemplum extat primo Maccabaeorum capite undecimo: alteram ad Simonem, Summum Sacerdotem Judaeorum, quae habetur primo Maccabaeorum capite decimoquarto.

P

PALAESTINAE Chorographiam, sive Descriptionem terrae Sanctae citra Jordanem, cujus meminit historia Josue, capite decimo octavo, conscripserunt unus ac viginti viri Judaei; quos Josue quartodecimo anno post ingressum filiorum Israël in terram promissionis misit ex singulis septem tribubus, quae sine possessione remanserant, tres ad perambulandum & describendum omnes regiones Chananaeorum, quae sunt citra Jordanem a monte Libano usque ad terminos AEgypti, quae nondum divisae fuerunt: (nam usque ad id tempus solae quinque tribus possessiones suas acceperant, nempe, Tribus Ruben, Tribus Gad, & dimidia Tribus Manasse trans Jordanem; Juda vero, & Ephraim, & dimidia Tribus Manasse citra Jordanem) illi igitur unus & viginti viri, cum essent agri mensores, & terrarum aestimatores peritissimi, descripserunt omnem provinciam cum suis

tarchus (qui Trajano imperante floruit, annis centum & amplius post Christi natalem) nimirum, adhuc suo tempore Apollinis Oraculum Delphis sua responsa dare: ita enim in *Lib. de Oraculorum Defectu* ait: „ Postquam Dei voluntati Graecia urbibus crevit, „ & locus Apollinis frequentari hominum copia „ coepit, duabus usi sunt Vatibus, quae per vices „ ad cortinas sederent; eratque etiam tertia desi„ gnata, tanquam assidens iis. Nunc unica est An„ tistita: neque incusamus, cum ejus opera Con„ sultoribus sufficiat. Non igitur incusandus est „ Apollo: divinatio enim, quae reliqua est, omni„ bus sufficit, & unumquemque adeptum, quod „ voluit, dimittit „ Et Tractatu sequenti, ubi peculiariter egit de inscriptione Templi Delphici foribus adscripta, ita habet: „ Apollo noster, cum dif„ ficultates vitae incidentes sublevet, atque dissol„ vat, edendis Oraculorum responsis; eas tamen, „ quae circa doctrinam sunt, relinquit, & propo„ nit excutiendas ei animi facultati, quae studio „ sapientiam sectatur. „ Quum ergo & post Christi mortem non siluerit Delphicum Apollinis Oraculum, & diu ante illius Nativitatem, carmine responsa dare cessaverit, quis unquam, vel mica rationis pollens, sibi persuadebit ad genuina monumenta fore revocandum oraculum illud, quod strepente tuba a Graecis fuit editum in vulgus? Quis emunctae naris homo illud extentis ulnis excipiet, quod nullus veterum Patrum, ex iis praesertim, qui adversus Gentes scripserunt, memoriae tradidit, quando & rei gravitas exigebat, nec omiserunt Evangelistae adnotare, quod e multis exeuntes doemones adclamarint Christo inferorum debellatori? Adcedit quoque historiolae falsitas ad exclusionem conficti oraculi, quod Augustus ita fuit Romanorum Diis addictus, & Quiritum superstitioni deditus, ut omnino fuerit aversatus externarum Religionum Sacra, praesertim vero Judaïcos ritus, Judaeorumque cultum. De eo quidem ita scribit Suetonius in *Augusto c. 93.* „ Peregrinarum coeremoniarum, sicut & ve„ teres, ac praeceptas, reverentissime coluit, ita „ & ceteras contemptui habuit.... At non modo „ in Aegypto paulo deflectere ad videndum Apim „ supersedit: Sed & Cajum nepotem, quod Judaeam „ praetervehens apud Hierosolymam non supplicas„ set, collaudavit: „ qui ergo fieri potuit, ut vero Deo, quem Judaea colebat, & quem Judaeorum Oracula Primogenitum Dei undique resonabant, quemque Apollo Delphicus dicit *Puerum haebreum Deum divos ipsos gubernantem* coluisset erecta Romae in Capitolio *Ara Primogeniti Dei*? Dum etiam a Graecia redux Romam permeabat Augustus non solum ab Asiaticis urbibus sibi ut Templa erigerentur ac sacrarentur permisit, sed ut & ludi Sacri celebrarentur, indulsit, ut legere est apud Tacitum, & Dionem Cassium *Lib. XV.* quinimo Romam reversus, ut ob ejus felicem reditum *Fortunae reduci* consacraretur ara, permisit; nec non ipsemet *Marti Ultori* Templum, quod in itinere suo decreverat, perfecit in Capitolio, ubi & *Jovi Tonanti* Templum exstruxerat. Quis ergo tam levis est corde, ut credat superstitiosissimum Caesarem oraculum ab Pythia excepisse Delphis de Primogenito Dei in carne venturo, cui aram erexit, quando etiam post illud sibi litandum indulsit, & Diis Gentium Aras, & Templa in Capitolio extruxit? Dubio procul nullam merentur fidem haec, & similia, quae obscuriori aetate fuerunt jactata in vulgus, spuria monumenta.

Quid insuper si adtendas tempus, quo confictum Apollinis Oraculum laudatur? Acu procul dubio tanges a capite ad calcem fabulis narratiunculam scatere. Non quidem id evenit, dum primo Augustum Graeciam petiisse adseverant ejusdem Patroni; quia tunc Romam redux sibi litandum est passus, & Quiritum diis nova religiosae superstitionis obsequia impendit: non iterum diu post, ut comminiscuntur Graeculi; quia devexa tunc erat aetate; quandoquidem Senex etiam erat dum primo (ex eorum placito) rediit Romam; XIX. nimirum, ante Christi natalem Anno, & XXXIV. ante ejusdem Caesaris mortem; quomodo igitur Graeciam iterum petere poterat Augustus? quaenam itidem causa Delphos iterato adeundi urgebat, ut secundam profectionem hanc adstruamus? Ethnici Scriptores omnino silent, nullus eam memorat. Semel igitur Graeciam peragravit Augustus, atque inde redux Quiritum Diis aras & Templa extruxit: nullum ergo ex Apolline oraculum excepit de puero hebraeo Divos Deo ipso regente, nec proinde eidem Primogenito Dei in Capitolio aram exstruxit. Consule clariores Criticos de hac re fusius agentes praesertim ex Catholicis N. Hyacinthum Serry *Exercit. XXXII. de Christo, & Deipara*, ex Acatholicis vero Antonium Vandale *de Oraculis Ethnicorum Dissert. II. Cap. 3.*

Digitized by Google

ſuis urbibus, oppidis, montibus, vallibus, caeteriſque planis locis in volumine geographico ſatis amplo, quod juxta numerum ſeptem Tribuum diviſere in ſeptem tabulas, ſive portiones magnitudine quidem inaequales, ſed fructuum ac proventuum ſumma, & pretii aeſtimatione pares: unde & Beniaminia Tribus, quae regionem obtinuit omnium anguſtiſſimam, pulchritudine tamen, & ſoli ubertate, atque urbium nobilitate potiorem habuit, ut Joſephus teſtis eſt, caeteris aequalem. Reverſi igitur aeſtimatores terrae poſt ſeptimum menſem, librum deſcriptionis ad Jesum attulerunt: qui, eo diligenter inſpecto, univerſam illam provinciam inter ſeptem illas Tribus ſorte diſtribuit, anno ab orbe condito, bis milleſimo octingenteſimo trigeſimo quarto.

PATRIARCHARUM duodecim filiorum Jacob teſtamentum eſt liber pervetuſtus, quem, ex Hebraeo in Graecum translatum, Latine vertit Robertus, Lincolinenſis epiſcopus. Narrantur in eo plurima, tum prophetica oracula, tum adhortamenta ad virtutem, ac Dei cultum, quae ſinguli Patriarcharum in extremo vitae die, advocatis ad ſe filiis ſuis, ac nepotibus, elocuti ſunt; multa quoque ex libro Henoch inſeruntur in ipſo vaticinia, De his, quae eventura fuerant filiis, ac nepotibus duodecim Patriarcharum: De futuris Hebraeorum ſceleribus, & poenis: De mundi Salvatore ab Hebraeis occidendo: De Hebraeorum everſione, captivitate, ac diſperſione inter gentes perpetua. Meminit hujus Operis Origenes Homilia 15. in Joſue, & Procopius Gazaeus in Commentariis 38. capituli Geneſeos.

PAULUS APOSTOLUS praeter quatuordecim epiſtolas, in Sacro canone receptas, & a nobis in ſuperiori volumine enumeratas, dicitur etiam reliquiſſe infra notatas Scripturas, videlicet.

EVANGELIUM.

AD Laodicenſes epiſtolam unam.

AD Corinthios epiſtolam tertiam.

AD Theſſalonicenſes epiſtolam tertiam.

AD Lucium Annaeum Senecam epiſtolas ſex.

APOCALYPSEOS, hoc eſt, Revelationis, vel Anavaſeos, id eſt, Aſcenſionis, vel, De ſuo ipſius raptu, librum unum.

DE ſuis actibus librum unum.

PAULI & Teclae actus librum unum.

DE quibus quidem Scripturis, quae apud vetuſtos auctores inveni, haec ſunt.

PAULI Evangelium: de hoc ipſe Paulus in poſteriore epiſtola ad Timotheum ſcribit: MEMOR eſto, Dominum Jesum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum, in quo laboro: quae verba plerique veterum ſic exponunt, ut putent Paulum, quotieſcunque in epiſtolis ſuis dixerit, Juxta Evangelium meum, de Lucae ſignificare Evangelio, quod ipſum Lucas, Paulo docente, didicerit. Exiſtimant alii, Paulum evangelium appellaſſe ſuum, ut ipſum diſcerneret a multis falſis evangeliis pſeudo-Apoſtolorum, quae ſine ulla certa auctoritate circunferebantur: a quibus non immerito ſuum diſcernit verum, indubitatum, & in Concilio Hieroſolymitano ab Apoſtolis approbatum: nec deſunt, qui dicant, Apoſtolum per Evangelium ſuum nihil aliud intellexiſſe, quam Evangelicam doctrinam, a ſe vivae vocis oraculo praedicatam. 2. ad Tim. 2. 8. *

PAULI ad Laodicenſes epiſtola: hanc Apoſtolus Coloſſenſibus commendat, ita ſcribens in calce epiſtolae, quam ad ipſos dedit: SALUTATE fratres, qui ſunt Laodiceae: & cum lecta fuerit apud vos epiſtola haec, facite, ut & in Laodicenſium eccleſia legatur; & ea, quae Laodicenſium eſt, vobis legatur. Divus Thomas affirmat auctorem hujus epiſtolae fuiſſe Paulum, qui eam ad Laodicenſes miſerit; & hanc non fuiſſe ab Eccleſia in Canone divinarum Scripturarum receptam vel quod de ejus auctoritate non plane conſtaret, vel quod ea eſſet ab haereticis depravata, vel, quod temporis injuria periiſſet, vel, quod ipſa eadem contineret, quae in aliis Pauli epiſtolis haberentur. Chryſoſtomus arbitratur hanc non eſſe epiſtolam, quam Paulus Laodicenſibus miſerit, ſed quam Laodicenſes Paulo miſerint, eo quod non dixerit Apoſtolus: Ea, quae ad Laodicenſes, vobis legatur, ſed καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, hoc eſt, Et illam, quae ex Laodicea ſcripta eſt, legatur. Theophylactus putat hanc eſſe priorem epiſtolam Pauli ad Timotheum, quae, ut Grae- Coloſ. 4. d

Digitized by Google

ea exemplaria teſtantur, miſſa eſt per Tychicum Diaconum, ex Laodicea, metropoli Phrygiae Pacatianae. Epiphanius, Salaminae epiſcopus, libro primo adverſus haereſes, aſſerit hanc epiſtolam non eſſe Pauli; producitque teſtimonium, a Marcione haeretico ex epiſtola ad Laodicenſes citatum, in haec verba: UNUS
Epheſ. 4. 5. Deus, una fides, unum baptiſma: unus Deus, & pater omnium; qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus. Quod quidem teſtimonium iiſdem ac totidem verbis apud nos habetur in epiſtola ad Epheſios capite quarto. Tertullianus in libro adverſus Marcionem quinto, indicat: Marcionem ipſum fuiſſe in hac ſententia, ut crederet epiſtolam, quae juxta nos inſcribitur AD EPHESIOS, fuiſſe a Paulo non Epheſiis, ſed Laodicenſibus ſcriptam, & inſcriptam. Philaſtrius in Catalogo haereſeon, capite octogeſimo nono, tradit epiſtolam a quibuſdam, ut Pauli, receptam, ſed in Eccleſiis non fuiſſe conſuetudinem, ut apud populum publice legeretur, propter ſententias quaſdam ambiguas temere a quibuſdam inſertas. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, LEGUNT, inquit, quidam & ad Laodicenſes epiſtolam, ſed ab omnibus exploditur. Extat, ut audivimus, epiſtola haec Lutetiae in pervetuſto codice Bibliothecae Sorbonicae: ipſe quoque eam vidi Patavii in Bibliotheca D. Joannis a Viridario: ex qua etiam ſubjectum exemplar deſcripſi.

PAULUS Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jesum Chriſtum, fratribus, qui eſtis Laodiceae, gratia vobis, & pax a Deo patre noſtro, & Domino Jesu Chriſto. GRATIAS ago Chriſto per omnem orationem meam, quod permanentes eſtis & perſeverantes in operibus bonis, promiſſionem expectantes in die judicii: neque diſturbent vos quorundam vaniloquia inſimulantium veritatem, ut vos avertant a veritate Evangelii, quod a me praedicatur: & nunc faciet Deus, ut qui ſunt ex me, ad perfectum veritatis Evangelii ſint deſervientes, & benignitatem operum facientes, quae ſunt Salutis vitae aeternae: & nunc palam ſunt vincula mea, quae patior in Chriſto, in quibus laetor & gaudeo: & hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuam, quod factum eſt orationibus veſtris, adminiſtrante Spiritu Sancto, ſive per vitam, ſive per mortem: eſt mihi vivere vita in Chriſto, & mori gaudium: & ipſe in nobis faciet miſericordiam ſuam, ut eandem dilectionem habeatis, & ſitis unanimes. Ergo dilectiſſimi, ut audiſtis praeſentiam Domini, ita ſentite, & facite in timore: & erit vobis vita in aeternum (eſt enim Deus, qui operatur in vobis) & facite ſine peccato quaecunque facitis: &, quod optimum eſt, dilectiſſimi, gaudete in Domino Jesu Chriſto; & cavete omnes ſordes in omni lucro: omnes petitiones veſtrae ſint palam apud Deum: eſtote firmi in ſenſu Chriſti; &, quae integra, & vera; & pudica, & caſta, & juſta, & amabilia ſunt, facite; &, quae audiſtis, & accepiſtis, in corde retinete: & erit vobis pax. Salutant vos omnes Sancti. Gratia Domini noſtri Jesu Chriſti cum Spirito veſtro. Amen. Hanc facite legi Coloſſenſibus, & eam, quae eſt Coloſſenſium, vobis.

HOC igitur eſt epiſtolae ad Laodicenſes exemplar: quod an ipſius Pauli ſit, dubitare me facit, tum praedictum teſtimonium ab Epiphanio ex libro Marcionis citatum, quod in hac epiſtola non habetur; tum etiam, quod quicquid eſt in hac Laodicenſium epiſtola, idem in epiſtola ad Coloſſenſes habetur, & copioſius: quare non oportebat Paulum praecipere Coloſſenſibus, ut haec quoque apud illos legeretur. Suſpicor hoc exemplar illud idem eſſe, de quo Theodoretus in Commentariis epiſtolae ad Coloſſenſes ita ſcripſit: QUIDAM exiſtimant Paulum etiam ſcripſiſſe ad Laodicenſes epiſtolam: itaque fictam etiam epiſtolam proferunt: divinus autem Apoſtolus non dixit, Eam, quae eſt ad Laodicenſes; ſed, Eam, quae eſt ex Laodicea: illi enim de aliquibus rebus ad eum ſcripſerant. Veriſimile eſt autem, eos vel accuſaſſe, quae fiebant Coloſſis; vel eodem morbo etiam laboraſſe: & ideo dixit, hanc quoque epiſtolam eis eſſe legendam. (a)

PAU-

(a) Epiſtolam Pauli ad Laodicenſes olim circumlatam, & ab aliquibus ex ſeculi obſcuritate receptam; rejiciunt univerſim Critici, ne dum quia in Canone Eccleſiae deſcripta non invenitur: quum in eo dumtaxat XIV. receptae, & noviſſime a Tridentino definitae legantur; verum etiam quia nullus Veterum PP. ejus meminit: quinimo omnes, qui de illa verbum habuerunt, ſuppoſititiam declaraſſunt. S. Epiphanius *Haereſ.* 42. dum redarguit Marcionitas ex eadem Epiſtola ſibi patrocinium quaeritan-

PAULI ad Corinthios epiſtola tertia: ſunt qui exiſtiment, Paulum praeter duas epiſtolas ad Corinthios, quae in Canone habentur, aliam quoque ad eoſdem ſcripſiſſe epiſtolam, inter Canonicas non enumeratam; argumento ſumpto ex eo, quod Paulus in quinto capite prioris ad Corinthios dicit: SCRIPSI vobis in epiſtola, Ne commiſceamini fornicariis: non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis jam ex hoc mundo exiſſe: nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri, &c. Chryſoſtomus arbitratur Paulum hìc non aliam quandam epiſtolam ab hac diverſam, ſed hanc ipſam nominaſſe epiſtolam, volens his verbis corrigere, quod paulo ante in ea ſcripſerat, cum dixiſſet: OMNINO auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita, ut uxorem patris ſui aliquis habeat; & vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtri, qui hoc opus fecit: & deinde, NESCITIS, quod modicum fermentum totam maſſam corrumpit: expurgate vetus fermentum, &c. Credibile igitur erat, Corinthios ſuſpicari, vitandos eſſe omnes fornicarios, non ſolum eos, qui corporeae libidinis foeditate contaminantur, ſed illos etiam, qui ſpiritualem fornicationem ſectantur, quae fit, quotieſcunque anima recedit a Deo per qualecunque peccatum, ſive illud infidelitas ſit, ſive avaritia, ſive ebrietas. Hanc igitur vanam eorum ſuſpicionem excludens Paulus, ait: SCRIPSI vobis in epiſtola, Ne commiſceamini fornicariis, &c. ac ſi diceret, Ne quid erretis in eo, quod hìc paulo ſupra jufſerim, a vobis fugere conſuetudinem infami libidine contaminatorum: non hoc ſentio, quod poſtulavi, ut univerſos mundi hujus, tam corporales, quam ſpirituales fornicarios vitetis; neque cum ullo ſpiritualiter fornicante, hoc eſt, idololatriae, aut avaritiae, quae eſt idolorum cultus, ſervienti, conſuetudinem habeatis: nec enim, ſi conemini, tota vobis Graecia, imo totus orbis, relinquendus fuerit; cum iſtiuſmodi fornicarii nuſquam non occurrant; quanquam id quoque cupiam, ſi liceat: nunc, quod fieri non poteſt, non exigo: illud autem nunc ſcripſi, & in hac epiſtola vobis ſcribo; ut, ſi quis Chriſtianus palam hujuſmodi vitiis infectus ſit, quae plurimum abſunt ab inſtituto Chriſtiano, ut puta ſcortatione, avaritia, ſimulacrorum cultu, maledicentia, temulentia, rapacitate, adeo vitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec reſipiſcat. (a) 1. Cor. 5. a

PAULI ad Theſſalonicenſes epiſtola tertia. Origenes in epiſtola, quam, teſte Rufino, ad amicos ſuos in Alexandria ſcripſit, ſic loquitur: NIHIL mirum mihi videtur, ſi adulteratur doctrina mea ab inimicis meis, & tali adulterio corrumpatur, quali adulterio corrupta eſt epiſtola Pauli Apoſtoli: quidam enim ſub nomine Pauli Apoſtoli falſam epiſtolam ſcripſerunt, ut conturbarent Theſſalonicenſes, quaſi inſtaret dies Domini, & ſeducerent eos: propter hanc epiſtolam in ſecunda epiſtola, quam ad Theſſalonicenſes ſcripſit, haec dixit: ROGAMUS autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per veſtram congregationem in ipſum, ut non moveamini cito a ſenſu veſtro, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per verbum, neque per epiſtolam, tanquam 2. Theſſ. 1. 2.

tantes aperte dicit, quod ea „ nuſquam apud Apo„ ſtolum legitur. „ S. Hieronymus *Catalog. Script. Illuſtr.* quem etiam Xyſtus laudat, ait: „ Legunt „ quidam, & ad Laodicenſes, ſed ab omnibus ex„ ploditur. „ Epiphanius Diaconus in Nicaeno II. *Tom. V. Act. 6.* Gregorium pro Iconomachis agentem ex teſtimonio praefatae ad Laodicenſes epiſtolae ita redarguit: „ D. Apoſtoli ad Laodicenſes fertur „ ficta epiſtola in quibuſdam libris Apoſtoli jacere, „ quam Patres noſtri reprobavere ut alienam ab „ ipſo. „ Stylus itidem adſertae epiſtolae Paulinae longe diſtat ab Apoſtoli ſtylo; tam brevis eſt, & praecepta quaedam ſine ullo ordine congeſta ex aliis genuinis Apoſtoli Epiſtolis collecta, praeſertim ex ea, quae eſt ad Philippenſes data, exhibet, ut primo intuitu adpareat conficta, & Apoſtolo ſuppoſita. Quare optime N. Xyſtus de ea nimium dubitat; ſed longe cautius prudentiuſque alii rejiciunt illam. Quod vero de Angelico dicit Idem Author, ulterius expendendum eſt ex Cl. N. Johanne Nicolai *not. margin. in Comment. S. Thom. in Epiſt. I. ad Corinth. Cap. V. Lect. 3.* nimirum S. Thomam dubium haeſiſſe de praefata Epiſtola, & aliquantulum in eam inclinaſſe ex teſtimonio Haymonis, adſcititii Commentarii S. Ambroſii, & Gloſſae apud M. Sententiarum Petrum Lombardum, cui fidem praeſtitit S. Doctor: ſed quia fraudem, vel commenta in ea ſubodoratus fuit Angelicus, momenta dubitandi expoſuit: quia vero eadem ad Laodicenſes Pſeudo-Paulina epiſtola in Canonem non erat redacta, Angelicus Doctor non adnumeravit eam agiographis.

(a) Qui adſtruunt Tertiam ab Apoſtolo ſcriptam fuiſſe ad Corinthios Epiſtolam, & ſuppreſſo nomine a N. Sixto laudantur, ii procul dubio ſunt, quos nuper retuli, ex quorum teſtimonio aliqui inter genuinas Pauli Epiſtolas, etſi non inter Canonicas ſcripturas, eam adnumerarunt. Ceterum ſuppoſititiam eam eſſe, nemo qui Criticus, nemo qui Sapiens audit, inficiatur.

Digitized by Google

per nos missam, quasi instet dies Domini, Nemo vos seducat ullo modo. Hucusque Origenes. (a)

PAULI ad Senecam, & Senecae ad Paulum epistolae: de his apud varios probatae fidei auctores scriptum inveni, quod Lucius Annaeus Seneca Cordubensis, Stoïcae sectae philosophus, Photini Stoïci discipulus, patruus Lucani poëtae, vir vitae continentissimae, quem Hieronymus in catalogo sanctorum enumerat, scripsit epistolas octo ad Paulum Apostolum, sibi amicissimum; ante cujus martyrium biennio fere ipse quoque a Nerone crudelissimo discipulo suo occisus est. Huic Paulus rescripsit sermone, ut creditur, latino epistolas sex parvas ac familiares, scribens ad eum non ut ad regeneratum, & ut plane fidelem, sed ut amicum, & qui Christianos non odio, sed benevolentia prosequeretur, & qui disciplinam probaret eorum. Videtur autem Seneca stylum suum aliquantulum in his epistolis obumbrasse de industria, & dissimulasse; ut, si forte in alienas manus epistolae venissent, etsi inscriptae nomine Senecae, potuissent nihilominus in periculo non videri Senecae: periculum enim erat, & contra Imperatoris tunc edictum, Christiani, aut Judaei familiaritate uti. Attestantur his epistolis nonnulli ex vetustissimis patribus; in primis vero Linus, secundus post Petrum Pontifex, qui in principio libri De passione Pauli, loquens de amicitia Pauli, & Senecae sic ait: CONCURSUS de domo Caesaris fiebant ad eum: sed & institutor Imperatoris adeo fuit illi amicitia copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se a colloquio illius temperare vix posset, quo minus, si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis epistolis, ipsius dulcedine, & amicabili colloquio, atque consilio frueretur: & divus Hieronymus in libro De viris illustribus Senecam inter Ecclesiasticos scriptores enumerans, inquit: SENECAM non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illae epistolae provocarent, quae leguntur a plurimis Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum, in quibus cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos: & Augustinus in epistola ad Macedonium 53. harum epistolarum mentionem faciens, ait: MERITO ait Seneca, (qui temporibus Apostolorum fuit, cujus etiam quaedam ad Paulum Apostolum leguntur epistolae) OMNES ODIT QUI MALOS ODIT. Haec illi de Senecae, & Pauli epistolis; quae quoniam breves admodum sunt, & paucis cognitae; non abs re futurum arbitror, si eas hoc loco ascribam.

Paulo Annaeus Seneca salutem.

CREDO tibi, Paule, nunciatum, quod heri cum Lucillo nostro de apocrisi, & aliis rebus habuimus: erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum: nam in hortos Salustianos secesseramus; quo in loco occasione nostra alio tendentes, hi, de quibus dixi, nobis adjuncti sunt. Certe quod tui praesentiam optamus: & hoc scias volo; libello tuo lecto, id est de plurimis literis aliquas epistolas, quas ad aliquam civitatem, seu caput provinciae direxisti, mira exhortatione vitam moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos, sed per te, certe aliquando ex te, & per te: tanta enim majestas earum est rerum, tantaque generositate clarent, ut vix suffecturas putem aetates ho-

(a) Quae ex Origene adseritur Paulo III. ad Thessalonicenses Epistola, futili stramineoque argumento munitur. Non ergo quod Gentium Doctor *II. ad Thessalonicenses Cap. 2.* scribit, nimirum, haud fore adhibendam fidem Pseudo-Apostolis quibusdam, qui obtentu cujusdam prophetiae, seu divinae revelationis, aut quasi a Paulo conscriptae Epistolae, imminentem jam Domini adventum, extremique judicii diem praedicabant, fas est inferre aliam fuisse ab Apostolo scriptam ad Thessalonicenses epistolam; quin potius ex adverso concludendum est hanc tertiam omnino subditam, & commentitiam esse: quum ibidem Paulus obtestetur eos, ut nullo pacto conturbentur ex momento venditatae a nebulonibus revelationis prafatae, seu epistolae a se conscriptae, in qua ea adserebatur prophetia: ideoque nedum phanaticorum commentum exsibilat de in vulgus edita revelatione conficta, sed etiam ventilat sub ejus nomine epistolam ab impostoribus confictam, aut indigitatam. Id ergo solummodo ibidem Apostolus insinuavit ut certum teneretur, & fide crederetur, quod, nimirum, traditum erat Ecclesiae, & per Ecclesiam erat concreditum fidelibus, idque Galatis repetiit *Cap. I.* „ Sed licet nos aut Angelus de Coelo evangelizet „ vobis, praeterquam quod Evangelizamus vobis, „ anathema sit: „ Erravit ergo Origenes dum hanc III. ad Thessalonicenses datam Paulinam epistolam adseruit, & errarunt etiam quotquot Origeni adstipulati sunt, ut observarunt Cl. Theologi, Criticique adcuratiores Estius, Baronius, Calmetus, Simonius, N. Graveson, aliique plures saepius laudati.

Digitized by Google

hominum, quibus inſtitui perficique poſſint. Bene te valere frater cupio, Vale.

Paulus Senecae ſalutem.

LITERAS tuas hilaris heri accepi: ad quas reſcribere ſtatim potui, ſi praeſentiam juvenis, quem ad te miſſurus eram, habuiſſem; ſcis enim, quando, & per quem, & quo tempore, & cui quid dari committique debeat. Rogo ergo ne te putes neglectum, dum perſonae qualitatem inſpicio: ſed quod literis meis vos refectos ſcribis; felicem me arbitror tanti viri judicio: neque enim diceris Cenſor, Sophiſta, ac magiſter tanti principis, & etiam omnium, niſi quia vera dicis. Opto te diu bene Valere.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

QUAEDAM volumina ordinavi, & diviſionibus ſuis ſtatum eis dedi: ea quoque legere Caeſari ſum deſtinatus: & ſi modo ſors proſpere annuerit, eris forſitan & tu praeſens: ſin alias, reddam tibi diem; ut invicem hoc opus inſpiciamus. Decreveram non prius edere ei hanc ſcripturam, niſi prius tecum conferrem, ſi modo impune hoc fieri potuiſſet: ut ſcires & te non praeteriri. Vale Paule chariſſime.

Paulus Senecae ſalutem.

QUOTIESCUNQUE literas tuas audio, praeſentiam tui cogito; nec aliud exiſtimo, quam omni tempore te nobiſcum eſſe: cum primum itaque venire coeperis, invicem nos & de proximo videbimus. Bene te valere opto.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

NIMIO tuo angimur receſſu: quid eſt, vel quae res te remoratum faciunt? ſi indignatio Domini, quod a ritu & ſecta veteri receſſeris, & alios rurſus converteris: erit poſtulandi locus, ut ratione factum, non levitate, hoc exiſtimet. Vale.

Paulus Senecae, & Lucillo ſalutem.

DE his, quibus, vel quae mihi ſcripſiſtis, non licet harundine, & atramento eloqui: quarum altera res notat, & deſignat aliquid; altera evidenter oſtendit, praecipue cum ſciam inter vos eſſe, ſicut apud nos, & in nobis, qui me intelligunt. Honor habendus eſt omnibus, & tanto magis his, qui indignandi occaſionem captant: quibus ſi patientiam oſtendemus; omni modo eos ex quacunque parte vincemus: ſi modo hi ſunt, qui poenitentiam ſui gerant. Bene valete.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

PROFITEOR bene me acceptum in lectione literarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, & Achaeis miſiſti: Spiritus enim Sanctus in te, & ſupra te excelſos, ſublimiores, valdeque venerabiles ſenſus exprimit: vellem itaque, cum res eximias proferas, ut majeſtati earum cultus ſermonis non deſit: &, ne quid tibi, frater, ſurripiam, aut conſcientiae meae debeam, confiteor Auguſtum ſenſibus tuis permotum: cui; lecto literarum tuarum exordio, haec vox fuit: Mirari eum poſſe, ut qui non legitime imbutus ſit, taliter ſentiat. Cui ego reſpondi, Solere deos ore innocentium effari; addens ei exemplum Vaticani hominis ruſticuli: cui cum duo viri apparuiſſent in agro Reatino, qui Caſtor, & Pollux ſunt nominati, divinitus inſtructus fuit. Vale.

Paulus Senecae ſalutem.

LICET non ignorem Caeſarem noſtrarum rerum admiratorem & amatorem eſſe: permittes tamen te non laedi, ſed admoneri: puto enim te graviter feciſſe, quod in notitiam proferre voluiſti, quod ritui & diſciplinae ejus ſit contrarium: cum & ille gentium deos colat. Quid tibi viſum ſit, ut hoc eum ſcire velles, non video: ſed nimio amore meo facere te hoc exiſtimo: rogo te de futuro, ne id agas: cavendum eſt enim, ne, dum me diligis, offenſam domino facias: cujus quidem offenſa, nec oberit, ſi perſeveraverit; neque, ſi non ſit, proderit: ſi eſt regina; non indignabitur: ſi mulier eſt; offendetur. Bene Vale.

Pau-

Digitized by Google

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

SCITO te non tam mei cauſa commotum literis, quas ad te de editione epiſtolarum tuarum Caeſari feci, quam natura rerum, quae ita mentes hominum ab omnibus artibus & moribus revocat, ut non hodie admirer: quippe ut is, qui multis documentis hoc jam notiſſimum habeam: igitur nove agamus: tu, ſiquid facile in praeteritum actum eſt, veniam irrogabis. Miſi tibi librum de verborum copia. Vale Paule chariſſime.

Paulus Senecae ſalutem.

QUOTIES tibi ſcribo, & nomen meum tibi praefero, gravem & ſectae meae incongruam rem facio: debeo enim, ut ſaepe profeſſus ſum, cum omnibus omnia eſſe; & idem obſervare in tuam perſonam, quod lex Romana honori ſenatus conceſſerit, ſcilicet in epiſtola ultimum locum eligere, ne cum aporia & dedecore cupiam efficere, quod mei arbitrii fuerit. Vale devotiſſime Magiſter. Data quinto Kal. Julii Nerone quarto, & Meſſala Conſulibus.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

AVE MI Paule chariſſime: ſi mihi, nominique meo vir tantus & dilectus omnibus modis, non dico fueris junctus, ſed neceſſario mixtus, apte actum erit de Seneca tuo: cum ſis igitur vertex & altiſſimorum omnium montium cacumen, haud te indignum in prima facie epiſtolarum nominandum cenſeas, ne tam tentare me, quam ludere, videaris; quippe cum ſcias civem eſſe te Romanum: nam qui meus, tuus apud te locus; qui tuus, velim ut meus. Vale Paule chariſſime. Data x. Kal. Aprilis, Apriano & Capitone Conſulibus.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

AVE MI Paule chariſſime. Putas ne me haud contriſtari, & non luctuoſum eſſe, quod de innocentia veſtra ſubinde ſumatur ſupplicium? de hinc, quod tam obnoxios vos reatui omnis populus judicet, putans a vobis effici, quod in urbe contrarium fit? ſed feramus aequo animo, & utamur foro, quod ſors conceſſit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit & priſcorum aetas Macedonem Philippi filium, & Dionyſium; noſtra quoque Cajum Caeſarem: quibus quicquid libuit, licuit: incendium urbs Romana unde ſaepe patiatur manifeſte conſtat: ſed ſi effari humilitas humana potuiſſet, & impune his tenebris loqui liceret, jam omnes omnia viderent. Chriſtiani, & Judaei quaſi machinatores incendii ſupplicio affici ſolent. Graſſator iſte, quiſquis eſt, cui voluptas carnificina eſt, & mendacium velamentum, tempori ſuo deſtinatus eſt: & ſicut optimi cujuſque caput pro uno donatur capite; ita unum pro multis dabitur caput, & hic devotus pro omnibus igni cremabitur: centum triginta duae domus, Inſulae quatuor ſex diebus arſere: ſeptimus pauſam dedit. Bene te valere opto. Data quinto Kal. Aprilis, Frigio, & Baſſo Conſulibus.

Paulo Annaeus Seneca ſalutem.

AVE MI Paule chariſſime. Allegorice, & aenigmatice multa a te uſquequaque opera conduntur: & ideo rerum tanta vis & muneris tibi tributa, non ornamento verborum, ſed cultu quodam decoranda eſt: ſaepius te dixiſſe retineo, multos, qui talia affectent, ſenſus corrumpere, & rerum virtutes evirare: caeterum hoc mihi concedas velim: latinitati morem gere, honeſtis vocibus ſpeciem adhibe, ut generoſi muneris conceſſio digne a te poſſit expediri. Bene Vale. Data V. nonas Julii, Leone, & Savino Conſulibus.

Paulus Senecae ſalutem.

PERPENDENTI tibi ea ſunt revelata, quae paucis divinitas conceſſit: certus igitur ego in agro jam fertili ſemen fortiſſimum ſero, non quidem materiam, quae corrumpi videtur, ſed verbum ſtabile Dei, derivamentum creſcentis, & manentis in aeternum. Quod prudentia tua aſſecuta eſt, indeficiens fore debebit: Ethnicorum, Israëlitarumque obſervationes cenſeto vitandas. Quae propemodum ade-

Digitized by Google

adeptus es, regi temporali, ejusque domesticis, atque fidis amicis insinuabis: quibus etsi aspera & incaptibilis erit persuasio tua, cum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis: sermo tamen Dei illis instillatus, novum in his hominem pariet ad Deum hinc properantem. Vale Seneca charissime nobis. Data Kal. Augusti, Leone, & Savino Consulibus. (a)

SCRIPSIT in has epistolas breves commentariolos Jacobus Faber, Viennensis episcopus.

PAULI Raptus sive Apocalypsis. Epiphanius in primo libro Panarii Cajanorum

(a) Pauli ad Senecam, & Senecae vicissim ad Paulum Epistolae, quae apud N. Xystum prostant, quasque post eum vindicarunt Alphonsus Salmeronius in *Cap. IV. Epistol. ad Philippenses*, Margarinus Bignaeus *Tom. VII. Biblioth. Vet. PP.* aliique, spuriae supposititiaeque mox dignoscuntur, dum recta lance librantur. Non quidem stylum aut Pauli, aut Senecae respective proferunt, nec Apostoli sanctitatem redolent, nec insuper, qui ex industria retentus ab Seneca humilior stylus adseritur, ullo potest argumento monstrari; praesertim quum nullus Veterum PP. eas vel digito monstrarit. Plura itidem in eis extant, quae anachronismum continent, & eas spurias plene evincunt. In eisdem quippe adnotatur ab Apostolo tempus, quo ad Senecam scribit, nimirum: „ IV. Kalend. Jul. Nerone IV. & Messala Coss. „ quum tamen juxta Consulares Fastos indubium sit Neronem non IV. sed III. dumtaxat Consulatum gessisse. Alienum quoque ab omni fide, omnique prudenti judicio est Paulum in eadem Urbe commorantem Consulum Epocham adnotare voluisse. In Senecae itidem Epistolis non leve sphalma notandum occurrit: Scribit ille sub Nerone Consules Frigium, Leonem, & Savinum, quum tamen nulli sub Nerone hujus nominis Consules in laudatis Consularibus Fastis legantur. Similiter ab vero longe nimium abit haec temporis adnotatio, quae occurrit in VI. Senecae Epistola „ X. Kalend. Aprilis Apronio, & „ Capitone Coss. „ Fontejus Capito enim una cum Julio Rufo, secus vero cum Apronio Consul fuit creatus Anno Domini LXVII. biennio post Senecae mortem. Pariformiter Senecam fuisse Christianum, I. Paulinae Epistolae salutatio indigitat: „ Bene te „ valere Frater cupio: „ quod falsissimum esse ex Tacito constat, qui *Lib. Annal. XV.* de Seneca extremum ducente spiritum loquens, idololatram eum diserte enunciat: quandoquidem adserit, quod Seneca „ ubi stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce, ait, libare „ se liquorem illum Jovi Liberatori. „ Et quamvis aliquibus visum fuerit Tertullianum Patronum fuisse Christianismi Senecae, quia *Lib. de Anima* inquit: „ Seneca saepe noster: „ tamen & falluntur qui ita existimant, & nullum nobis facessit negotium Quinti Florentis monumentum; quinimo vel ex eodem oppositum directe evincitur. Si quidem absolute Tertullianus dixisset *Seneca noster*, apertum de Senecae fide testimonium perhibuisset, at quia *saepe noster* inquit, Ethnicum eum pronunciavit, esto in pluribus Christianae fidei articulis, iis nimirum, quae naturali lumine ostendi possunt, Dei videlicet existentia, Providentia, et ceteris id genus nobiscum sensisse, quod etiam nos ex aliis Ethnicorum dictis adversus Atheos, Polytheos, vel quomodocumque errantes idololatras, blasphemos &c. demonstramus ad ventilandam insaniam delirantium. At quis unquam vel aliquem ex praefatis Paganis aut Hebraeum, aut Christianum fuisse censet? Neque unquam Hieronymus, qui in Catalogo Virorum inlustrium, & inter Ecclesiasticos Scriptores Senecam adnumeravit, baptismate lustratum eum adseruit. Et quamvis S. Doctor eundem Senecam Christianis Scriptoribus adcenseat ex momento praefatarum epistolarum, non tamen eas idcirco Lucio Annaeo vindicat ut indubias, ab eoque certo scriptas, sed quia de eo ita sentiunt aliqui, in Syllabo Scriptorum Ecclesiasticorum Senecae nomen depingit „ quem non po„ nerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illae episto„ lae provocarent, quae leguntur a plurimis ad Pau„ lum. „ Quare Erasmus in *Scholiis ad Hieronym.* dum ea verba S. Doctoris, *quae leguntur a plurimis*, expendit, ita ad rem loquitur. „ Tacite indicat eru„ dito Lectori quid sentiat. Nempe eas epistolas „ falso inscribit Paulo, & Senecae, cum nihil illic „ sit neque Paulo dignum, neque Seneca; quem„ admodum admonuimus in Senecae operibus a no„ bis utcumque emendatis „ &c.

Neque iterum Augustinus loco ab Authore laudato pro Senecae genuinis ad Paulum Epistolis decertat dum ait: *quaedam leguntur*, seu a quibusdam in medium proferuntur, quia vulgi testimonium solummodo protulit, nullo efformato criterio ex proprio sensu: propriam autem sententiam Augustinus adversam huicce vulgari opinioni expressit *Lib. VI. de Civitate Dei Cap. II.* Et tandem, quae deprompta Xystus refert ex Lino *Lib. de Passione Pauli*, spuria omnino esse supra ubertim ostendimus, ubi de Lino verbum fecimus. Quapropter ad commentitia monumenta fore amandandas Epistolas hasce sentiunt universim Eruditi Catholici, & Protestantes, praecipue C. Baronius ad *An. Christ. LXVI. n.* 12. Johannes Saresberiensis *Lib. VIII. Policrat. c.* 13. Justus Lipsius in *Vit. L. Annaei Senecae*, Antonius Possevinus *Apparat. Sacr. in Seneca*, Ludovicus Vives in *Cap. XI. Lib. VI. de Civitate Dei*. Dahiel Huetius *Demonstrat. Evangel. Prop. I.* Augustinus Calmet *Praefat. in Pauli Epistolas*, Ludovicus E. Dupin *Biblioth. nov. p.* 36. & alii: videsis praecipue *Bibliothec. Ecclesiast.* Johannis Alberti Fabricii. Ex nostris autem praesertim ita sentiunt Natalis Alexander *Hist. Eccles. I. Sec. Cap. XII. Art.* 5. Hyacinthus Amat de Graveson *De Sac. Scriptur.* & Card. Gotti *T. I. Verit. Christ. Religionis*.

An autem reapse aliquando Paulus ad Senecam, & hic vicissim ad illum epistolas dederit, etsi subditis adgregemus eas, quas N. Sixtus laudat? Dubitant aliqui. NN. Natalis, & Gotti adfirmant, & videtur ad hoc facere dictum Senecae, quod Augustinus commendat. Verum Ceteri universim Critici adstruunt nullimode Paulum ad Senecam e vinculis epistolas dedisse, nec credibile fore Senecam ad Paulum in carcere detentum tunc scripsisse, qui certo certius se magno commisisset periculo in tali circumstantia scribendo ad Apostolum sub Nerone in vinculis detentum. Suaderetque insuper a vero longe abire conjecturam de praefatis epistolis silentium omnium Veterum Patrum, quos certe non latuissent monumenta praefata. Silent autem Ignatius, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Tertullianus, Origenes, aliique omnes ad V. Seculum usque Patres, qui res sub Apostolis gestas memoriae tradiderunt: quomodo ergo fidem id genus epistolis praestare possumus quarum nec vestigium adparet in iis, qui dubio procul & eas laudare debebant, & certo certius commendassent? Eodem igitur argumento, quo adspurias amandamus a Sixto laudatas Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum Epistolas, subditis adcensemus quascumque alias sub horumce nomine adfertas.

Digitized by Google

rum haereſin refellens, RURSUS, inquit, Cajani alium libellum finxerunt ex nomine Pauli, nefariis actionibus refertum; quo etiam Gnoſtici appellati utuntur; quem ASCENSUM PAULI vocant, occaſione inventa ab eo, quod Apoſtolus di-
2. Cor. 12. 2 cit, ſe aſcendiſſe uſque ad tertium coelum, & audiviſſe arcana verba, quae non licet homini loqui: & haec inquiunt ſunt arcana verba. Auguſtinus tractatu nonageſimo octavo in Joannem confutans horum inſaniam, haec addit: QUIDAM ſpiritualium ad ea pervenerunt, quae non licet homini loqui, qua occaſione vani quidam Apocalypſin Pauli, quam ſana non recipit Eccleſia, neſcio quibus fabulis plenam, ſtultiſſima praeſumptione finxerunt, dicentes hanc eſſe, unde dixerat raptum ſe fuiſſe in tertium coelum, & illic audiſſe ineffabilia verba, quae non licet homini loqui. Utcunque illorum tolerabilis eſſet audacia, ſi ſe audiſſe dixiſſet, QUAE adhuc non licet homini loqui: cum vero dixerit, QUAE non licet homini loqui; iſti, qui ſunt, qui haec audeant impudentes, & infeliciter loqui? Nicephorus libro duodecimo eccleſiaſticae hiſtoriae, mentionem intulit hujus Apocalypſeos hunc in modum. Rurſum eam, quae Pauli Apoſtoli dicta eſt Apocalypſis, quam ex priſcis hominibus nemo vidit, monachi plures cum veneratione admirantur. Fama quidem increbuit hoc ipſo imperantis Theodoſii tempore, revelatione divina repertum eſſe librum eum in patria, paternaque domo Pauli Tarſi Ciliciae in arca marmorea repoſitum, & in terra defoſſum, quod ſane falſum eſſe presbyter quidam eccleſiae Tarſenſis grandevus admodum: nam id canities teſtabatur, confeſſus eſt, nihil in ejuſmodi ſuo tempore eveniſſe confirmavit. Quod cum aſſeveraret, admiratus eſt, ſi non ab haereticis fama ea conficta eſſet; id quod in multis etiam aliis libris factum eſſe antea diximus.

PAULI Actuum recordatur Euſebius in tertio hiſtoriae Eccleſiaſticae capite vigeſimo quinto. POST HAEC, ait, canonica volumina ſcriptura eſt, quae dicitur ACTUS PAULI; & libellus, qui appellatur PASTORIS; de quibus quammaxime dubitatur. Clemens Alexandrinus in ſexto volumine Stromatum, ex ignota quadam Pauli ſcriptura tale profert teſtimonium: HOC Paulus Apoſtolus declarat, dicens, Libros quoque Graecos ſumite, agnoſcite Sibyllas, quomodo unum Deum ſignificent, & ea, quae ſunt futura; & Hyſtapen ſumite, & legite, & invenietis Dei filium, multo clarius & apertius ſcriptum, & quemadmodum adverſus Chriſtum multi reges inſtruent aciem, qui habent odio, &c. (a)

PAULI, & Teclae Actus. Gelaſius diſtinctione 15. recenſet inter reprobas ſcripturas Actus Pauli, & Teclae: ſuſpicor hanc eſſe ſcripturam, de qua Hieronymus in catalogo ſcriptorum ſub titulo LUCAE haec habet: IGITUR periodos Pauli, & Teclae, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas ſcripturas computamus: quale enim eſt, ut Lucas, individuus comes Apoſtoli, inter caeteras ejus res hoc ſolum ignoraverit? Sed & Tertullianus, vicinus Apoſtolorum temporibus, refert presbyterum quendam in Aſia πτωσασὴν Apoſtoli Pauli convictum apud Joannem, quod auctor eſſet libri; & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id excidiſſe. Fuit hujus libri argumentum, ut ex tertio libro Epiphanii adverſus haereſes, ex libro ſecundo Ambroſii de virginibus, & ex octavo libro hiſtoriarum Vincentii, epiſcopi Belvacenſis, conjicitur hujuſmodi. Paulo apud Iconium praedicante, virgo Tecla, audita ejus de Virginitate concione, repente nuptiis exolvitur; & ſponſum ſuum, juvenem, urbis primarium, forma & divitiis inclytum, relinquit: & Paulo adhaerens, ei ſe comitem peregrinationis dedit: in qua cum a perſecutoribus gravia mortis diſcrimina ſubire cogeretur; nunc aquis immerſa, nunc in ignes dejecta; nunc feris objecta, tandem his omnibus, Paulo protegente, liberata, ſimul cum ipſo Romam incolumis pervenit. (b)

PE-

(a) De hac re infra redibit ſermo, ubi ex profeſſo ſibyllinis oraculis agetur.

(b) Acta Theclae, & Pauli conficta apocrypha & commentitia eſſe iterum, iterumque adfirmamus cum Euſebio *Lib. III. Hiſtor. Eccleſ. Cap. 3.* Gelaſio R. P. in Concilio Romano, Hieronymo in *Catal. Script. Eccleſ. in Luca*; quinimo cum Tertulliano *Lib. de Baptiſmo* dicimus a Vitilitigatore quodam ea fuiſſe edita ad fucum veritati faciendum. Nihilo ſecius dum ita ſentimus, dum ita teſtamur, haud fabulis adcenſemur quae de eadem feminarum Protomartyre enunciant Acta ſyncera, nimirum ab Apoſtolo Paulo Theclam ad fidem fuiſſe vocatam, virginitatem martyrii laurea decoraſſe, multiplicique poena fortiter tolerata victoriae palmam coelo retuliſſe; quinimo illam eiſdem extollimus encomiis, quibus eam decorarunt Graeci, & Latini Patres, nimirum, S. Gregorius Nyſſenus *Orat. XIV. in Cantic.*

& ad

Digitized by Google

PETRUS APOSTOLUS praeter duas catholicas epistolas, in sacro canone receptas, scripsisse fertur Christianae doctrinae libros quinque ex his ut ex Hieronymo refert Sophronius.

PRIMUS Κήρυγμα, hoc est PRAEDICATIO inscribitur.
SECUNDUS Εὐαγγέλιον, EVANGELIUM.
TERTIUS Πράξεις, id est ACTUS.
QUARTUS Ἀποκάλυψις, id est REVELATIO.
QUINTUS Κρίσις, id est JUDICIUM.

EX his primum duntaxat, & quintum apud veteres in auctoritate fuisse reperi: quippe quorum testimoniis usi sunt vetustissimi patres, praesertim Clemens Alexandrinus, & Origenes; quorum ille in 6. Stromaton fragmentum citat, ex quo habere possis aliquod specimen hujus libri in his verbis: PETRUS IN PRAEDICATIONE dicit, Cognoscite unum esse Deum, qui fecit omnium principium, & finis habet potestatem, & qui non cadit sub aspectum; qui omnia videt; qui cum capi non possit, omnia capit; nullius indigens, ipsius indigent omnia, & per quem sunt omnia; qui comprehendi non potest, aeternus, ab interitu alienus, non factus; qui omnia fecit verbo virtutis suae, hoc est filio: hunc Deum colite, non ut Graeci, ut pote quod eundem, quem nos, colunt Deum; qui sunt viri probi apud Graecos, sed non perfecta & absoluta agnitione, ut qui a filio datam non didicerunt: quoniam dum feruntur ignorantia, & Deum nesciunt, ut nos perfecta cognitione, cum potestate, quam dedit eis ad usum, forment ligna, & lapides, & ferrum, & aurum, & argentum: & ex ipsorum materia factos deos colunt: &, quae eis dedit in cibum, volucres aëris, & maris natatilia, & terrae serpentes, & feras, cum agri pecoribus, & quadrupedibus, hominibus sacrificant, & mortua mortuis afferentes, tanquam diis, in Deum sunt ingrati: neque colite, ut Judaei: etenim illi soli se Deum nosse putantes, nesciunt se adorare Angelos, & Archangelos, menses & Lunam; & nisi Luna apparuerit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque neomeniam, neque azima, neque magnum diem: Quare vos quoque sancte & juste quae vobis tradimus, discentes, servate, nove Deum per Christum colentes: invenimus enim in scripturis, sicut dicit Dominus, Ecce facio vobis testamentum novum, non ut feci patribus vestris in monte Horeb: nobis enim dedit novum testamentum: quae enim Judaeorum & Graecorum, sunt vetera, nos vero, qui nove ipsum tertio genere colimus, sumus Christiani. Hactenus Petri verba: quae quidem Origenes tomo decimo tertio in Joannem, per epilogum resumens, apertius exponit: inquirendum tamen esse dicit de libro hoc, verus ne sit, an suppositicius, an mistus. (a)

& *ad Virgin. exhort.* S. Epiphanius *Haeresi LXXVII.* S. Johannes Chrysostomus *Homil. XXV. in Act. Apostol.* & *Homil. XXII. ad Popul. Antioch.* S. Cyprianus *Orat. pro Martyr.* S. Ambrosius *Lib. II. de Virgin.* S. Augustinus *Lib. XXX. contra Faust. c.* 4. S. Hieronymus *Epist. XXII. ad Eustochium*, Sulpitius Severus in Vita *S. Martini*, aliique non pauci. Quapropter ex Actis S. Theclae eradimus fabulam Leonis baptizati: commentum de Thecla virili habitu induta sequente Paulum peregrinantem: quisquilias de ejusdem virginis praedicatione, ac de liberatione Falconillae infidelis e gehennalibus flammis; & tandem quod de eadem comminiscitur Graeculus quidam consarcinator, videlicet, quod Thecla mortua non sit, sed viva subsidens in terram fuerit ingressa, quae, Deo ita volente, se illi aperuit eo in loco, quo sacrae Liturgiae mensa aperta est, aliaque id genus, quae ibidem leguntur. Haec, inquam, solum, & dumtaxat rejicimus, cetera vero, quae apud laudatos Patres, & emunctae naris Scriptores extant, extentis ulnis recipimus; praesertim quia haec eadem, quae illi laudant, Romana Ecclesia Ecclesiarum omnium Mater & Magistra in Breviario Romano reformato adprobat, & in sacris precibus commemorat. Neque ullum faceſſit negotium, quod haec eadem quae probamus, in eisdem Apocryphis Actis legantur: notum quidem est Eruditis omnibus non semel in commentitiis spuriisque Actis ea laudari, quae genuina sunt, indubiaeque fidei, praesertim quum haec fuerit ars & fraus impostorum, ut ad fidem commentis adsciscendam vera falsis admiscuerint. Ad rem hanc plene rimandam videsis praesertim Theodorici Ruinat *Acta Syncera Martyrum*, Francisci Florentinii *Martyrologium Ecclesiae Occidentalis*, & N. Natalem *Sec. I. Histor. Eccles. Cap.* 22. sed praecipue Card. Baronium in *notis ad Martyrolog. Rom. ad diem* 23. *Septembris*, nec non *Acta Sanctorum Pauli & Theclae*, quae Johannes Ernestus Grabe Graece, & Latine edenda curavit in *Spicileg. SS. PP. & Hereticor. Sec. I. II. & III. Eccles.*

(a) Etsi Veteres aliqui meminerint hujusce operis, cui titulus *Praedicatio Petri*, nimirum Clemens Alexandrinus (apud quem etiam prostat fragmentum ejus, quod N. Xystus laudat) & Origenes ab eodem N. Authore relatus, Gregorius Nanzianzenus *Orat. XVI.* & epist. priori *ad Caesarium*, Damascenus *in Parallellis Sacris*, Maximus Taurinensis *Serm.* 62. *de consuetudine*, necnon vetustus Author *Lib. de rebaptizandis haereticis* Cypriano coaevus, qui inter opera Cyprianica extat. (Quare cum Henrico Valesio, & Guillelmo Cave nimium mirari subit quomodo Eusebius *Lib. VI. Hist. Eccles. Cap.* 12. ubi librum *de Praedicatione Petri* ut suppositicium rejicit, adserat a nemine Veterum fuisse laudatum) & nonnulli

DE opere autem, cui titulus est JUDICIUM PETRI, Rufinus in explanatione Symboli ad Laurentium sic scribit: IN NOVO vero testamento libellus, qui dicitur PASTORIS, sive HERMATIS, & JUDICIUM SECUNDUM PETRUM, omnia quidem patres legi in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam.

DE Evangelio Petri Serapion, qui anno Domini ducentesimo Antiochiae fuit episcopus, particularem librum conscripsit ad fratres Rhosi Ciliciae, per occasionem hujus scripturae in haeresin declinantes: in quo arguens quaedam falsa in ipso contenta, sic loquitur: NOS ENIM fratres & Petrum, & alios Apostolos recipimus, sicut & Christum: quae autem sub eorum nomine falsa ab aliis conscripta sunt, velut gnari eorum sensus ac sententiae declinamus, scientes, quod talia nobis non sunt tradita: ego enim, cum essem apud vos, putabam omnes rectae fidei esse inter vos; & nondum decurso libello, qui mihi offerebatur, in quo nomine Petri conscriptum Evangelium ferebatur, dixi: Si hoc est solum, quod inter vos inimicitiam, simultatemque videtur inferre, legatur codex: nunc autem comperto, quod hi, qui codicem illum legi debere asserunt, prospectu cujusdam occultae haereseos hoc fieri popposcerunt, sicut mihi dictum est; festinabo iterum venire ad vos: horum enim cujus haereseos fuit Martianus, qui etiam sibi ipsi contrarius extitit, non intelligens quae loqueretur, quae etiam vos intelligetis, ab his, qui hoc ipsum Evangelium secundum illius traditionem didicerunt, & successores extiterunt sententiae ejus, quos nos δοκητὰς, hoc est Opinatores, vocamus. Haec Serapionis verba ex Eusebio collecta.

DE ACTIBUS Petri, & caeteris ejus libris Eusebius in tertio historiae Ecclesiasticae, capite tertio sic habet: ILLE vero libellus, qui dicitur ACTUS PETRI, & quod nominis ejus EVANGELIUM nuncupatur, sed & quae dicitur ejus PRAEDICATIO, & ejus APOCALYPSIS, in scripturis canonicis non habentur; sed nec aliquis quidem veterum uti eorum testimoniis invenitur: & libro tertio capite vigesimo quinto. POST HAEC, inquit, divina volumina scriptura est, quae dicitur Actus Pauli, & libellus, qui appellatur Pastoris, & Petri Apocalypsis: de quibus maxime dubitatur. Nicephorus item in libro 12. referens apocalypsim Petri in ecclesiis Palestinae consuevisse legi: eam (inquit) quae dicitur Petri Apocalypsim, ut subditiam, & illegitimam a veteribus judicatam apud Palestinos in ecclesiis quibusdam semel quotannis in die parasceves aliquandiu legi solitam fuisse invenimus, qua die populus magna cum religione & contritione ob salutiferae passionis Christi memoriam jejunat.

CAETERUM Origenes, a quo citatur testimonium ex Actibus Petri Tomo vigesimo in Joannem, idem in libro primo Periarchon meminit alterius libri, qui DOCTRINA PETRI inscribitur, hunc in modum: si quis velit nobis proferre ex illo libello, qui Petri doctrina appellatur, quod Salvator videtur ad discipulos dicere, NON SIT DAEMONIUM INCORPOREUM: respondendum est ei, quod liber ille inter Ecclesiasticos non habetur; & ostendendum, quia neque Petri est ipsa scriptura, neque alterius cujusdam, qui Spiritu Dei fuerit inspiratus.

PETRI ITINERARIUM, sub nomine Clementis editum, Gelasius distinctione 15. inter libros suspectae fidei collocat.

PETRI, ET PAULI martyrium Linus Papa duobus voluminibus conscripsit. (a)

PHY-

nulli etiam illum adjudicent S. Clementi I. Rom. Pontifici; suppositicium tamen, ac spurium opus esse, atque ad haereticorum commenta fore demandandum nemo, qui Sapiens Criticus audit, inficiatur: quare illum rejecerunt cum Veteres, praesertim Eusebius ubi supra, & apud eum Serapion, S. Hieronymus *Catal. Script. Ecclesiast. in Petro*, aliique: tum recentiores, praecipue Franciscus Turrianus *Tom. I. Concil. edit. Rom. f. 33.* Henricus Valesius *in Euseb.* NN. Natalis Alexand. *Sec. I. Hist. Eccles.* Graveson *de Sac. Script.* & Card. Gotti *Tom. I. Verit. Relig.* Ex Acatholicis autem Jacobus Usserius *Not. in epist. S. Ignat. ad Smyrnaeos*, Johannes Pearson *P. II. Vindic. Ignat.* Guillelmus Cave *Hist. Litterar.* Sec. I. Johannes Albertus Fabricius *Bibliot. Ecclesiast. f. 2.* aliique plures.

(a) Mirari sane definet eruditus quisque dum conspiciens ab Authore N. laudatum sub nomine Lini spurium opus, cui titulus praefigitur: *Petri & Pauli martyrium*, simul mente revolvet ab Veteribus, iisque haud ignobilibus Scriptoribus (quibus fidem praestitit Xystus) eodem modo fuisse laudatum, praesertim ab Odorico Vitali Monacho Uticensi O. B. Seculo XII. Claro, Segeberto Gemblacensi, & Johanne Tritemio *de Script. Ecclesiasticis* (Quamvis autem Franciscus Florentinius *in Indic. Apostol. pag.* 111.

Digitized by Google

PHYLACTERIA Angelorum inter damnatas numerantur ſcripturas a Gelaſio diſtinctione quinta decima his verbis: PHYLACTERIA omnia, quae non ab Angelis, ut haeretici confingunt, ſed magis ſunt a daemone conſcripta, Apocrypha ſunt: quae ſane verba intelligi poſſunt de magicis amuletis; quae adverſus excantationes, hoſtium incurſus, fulminum caſus, & alia hujuſmodi diſcrimina ſuperſtitioſi quidam collo appenſa geſtant: haec enim veteres aliquando Phylacteria nuncupaſſe teſtis eſt Epiphanius libro primo adverſus haereſes: de his extat decretum Gregorii Papae apud Burchardum, epiſcopum Vormacienſem, libro decimo capite 23. in haec verba: SI QUIS HARIOLOS, HARUSPICES, VEL INCANTATORES OBSERVAVERIT, AUT PHYLACTERIIS USUS FUERIT, ANATHEMA SIT.

PHYLACTERIA Scribarum, & Phariſaeorum, quae in Hebraico Matthaei Evangelio vocantur טוטפות Totaphot, Rabbini Hebraeorum תפילין Thephilin appellant, Graeci φυλακτήρια, hoc eſt Conſervatoria, ſic dicta ἀπὸ τῦ φυλάττω, eo quod memoriam ab oblivione ſervarent; Hieronymus vero Pictatiola, id eſt albas tabellulas, breviſſimis ſententiolis inſcribendis accommodatas nuncupat. Erant autem Phylacteria haec, de quibus Chriſtus ambitioſam phariſaeorum, & ſcribarum Phylacteria dilatantium hypocriſim taxat, chartulae, ſeu membranae, ſeu libelli quidam perexigui, verbis divinae legis conſcripti, quos phariſaei, & ſcribae in fronte geſtabant. Cum enim, ut inquit Chryſoſtomus, Judaei facile oblivi-ſcerentur mandatorum Dei, juſſit Deus ea in tabellis deſcribi, & fronti manibusque appendi, inquiens, Ligate ea in ſignum in manu veſtra, & ſint ut frontalia ante oculos veſtros: nam quemadmodum matres obliviosis pueris filo digitum alligantes, reducunt eos in memoriam eorum, quae illis mandata ſunt: ſic Deus Judaeis, tanquam infantulis, juſſit haec manibus & fronti alligari; volens hoc modo admonere, ut in lege Domini diu noctuque meditarentur, & mandata ejus opere complerent. Caeterum Phariſaei, hoc perperam interpretantes putabant, ſicut & nunc putant, ſatis eſſe ad aſſiduam legis obſervationem, ſi capiti & brachiis hoſce Thephilin alligarent: ſic enim de continua obſervantia totius legis ſcribit Rabbi David Kimki in Pſalmum primum, exponens ſententiam illam, ET IN LEGE DOMINI MEDITABITUR DIE, AC NOCTE, inquiens, MEDITABITUR die ac nocte, id eſt occupatus ſemper erit in ſtudio legis. Quod ſi objicias, Qui fieri poteſt, ut quis dies & noctes totus ſit in meditanda lege; quod cum fiat, non ſupereſt locus, quando quis reliqua opera, quae ſunt curae domeſticae, procuret? Reſpondent ſapientes Hebraeorum in hunc modum: Quicunque ſervat praeceptum de applicandis Thephilin, huic ſcriptura tantum tribuit, ac ſi diſceret dies ac noctes. Hieronymus in commentariis in Matthaeum ſcribit, hunc morem geſtandi Thephilin etiam temporibus ſuis viguiſſe apud Babylonios, Perſas, & Indos: in quorum locum refert Chryſoſtomus homilia ſeptuageſima tertia in Matthaeum, multas ex Chriſtianis foeminis ſuo ſaeculo conſueviſſe Evangelium, ex collo dependens, praeferre, quo facilius Evangelica praecepta ſibi in memoriam revocarent. Porro, quidnam in hiſce phylacteriis ſcribi ſoleret, diverſa eſt Chriſtianorum, & Hebraeorum ſententia. Hieronymus, Chryſoſtomus, & Theophylactus aſſerunt decalogum legis, ſive decem duarum tabularum praecepta in his conſcribi conſueviſſe. Lyranus ex ſententia Rabbinorum teſtatur eſſe Judaeorum ſanctionem, ut in Thephilin exarentur duodecim paſuch, id eſt verſus, ſive ſententiae ex libro Deuteronomii; quinque videlicet ex ſexto capite, & ſeptem

Matth. 23.

Deut. 11. 18. Noſtra, Vulgata habet: ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate.

Pſalm. 1.

xii. adſerat ab Segeberto & Tritemio opus hoc adjudicari Marcello Simonis Magi diſcipulo, & non Lino, re vera tamen hac in re erravit Vir Praeclariſſimus) nec non pro certo habebit ſpurium hoc opus haud fuiſſe a N. Xyſto luſtratum. Procul dubio quidem ſi talis tantuſque vir eo non fuiſſet praejudicio detentus, & librum hunc quiſquiliarum propriis oculis luſtraſſet, in tam craſſum non deſcendiſſet errorem, ſed protinus ad ſpuria & commentitia id genus opera demandaſſet. Narrat quidem illius Martyrii author (ſive Marcellus is ſit, ſive alius de grege nebulonum) S. Petrum ab Agrippa Urbis Praefecto, inſcio invitoque Nerone, fuiſſe morti addictum, & cruci ſuffixum, qua de cauſſa adſerit Praefectum in ordinem fuiſſe redactum. Refert itidem a Petro Xandippen Albini uxorem & viri ſui conſortio, & thoro contra fas & jus fuiſſe avulſam, aliaque id genus commenta profert, quae vel digito monſtrare pudet. Quare rejiciunt ventilantque praefatum opus Critici omnes, praecipue C. Baronius *ad An. 69.* qui etiam advertit Manichaeorum erroris fuligine opus illud eſſe adſperſum, Franciſcus Florentinius *ubi ſupra*, Gerardus Voſſius *Lib. 2. de Hiſtoricis Graecis cap. 9.* aliique Critici ſaepius laudati, cum qui Orthodoxi, tum qui extra Romanam communionem docti audiunt.

Digitized by Google

ex undecimo ejuſdem voluminis capite ; quae ſunt hae.

Ex Deuteronomii capite ſexto.

1 AUDI Israël, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt: & diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & tota anima tua, & tota fortitudine tua.
2 Et erunt verba iſta, quae ego praecipio tibi hodie, in corde tuo.
3 ET repetes ea filiis tuis, & loqueris cum eis, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando accumbes; & quando ſurges.
4 ET ligabis ea in ſignum in manu tua; & erunt: ut frontalia in oculis tuis.
5 ET ſcribes ea in poſtibus domus tuae, & in portis tuis.

Conſule Vulgatam noſtrã, in qua varia eſt editio, eſto idem omnino ſenſus verborum utriuſq; capitis.

Ex Deuteronomii capite undecimo.

1 ET erit, ſi obediendo obedieritis praeceptis meis, quae praecipio vobis, ut diligatis Dominum Deum veſtrum in toto corde veſtro, & tota anima veſtra.
2 DABO pluviam veſtram tempore ſuo temporaneam, & ſerotinam: & colliges frumentum tuum, & vinum tuum, & oleum tuum.
3 ET dabo herbam in agro tuo pro jumentis tuis: & comedes, & ſaturaberis.
4 CAVETE vobis, ne forte ſeducatur cor veſtrum, & recedatis, & colatis deos alienos, & incurvetis vos eis.
5 ET iraſcatur furor Domini in vos, & reſtringat coelos, & non ſit pluvia, & terra non det fructum ſuum: & pereatis cito de terra bona, quam Dominus dat vobis.
6 ET ponite verba mea iſta in corde veſtro, & ligate ea, tanquam ſignum in manu veſtra: & ſint, ut frontalia, in oculis veſtris.
7 ET docete ea filiis veſtris, ut loquantur de eis, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando accumbes, & quando ſurges: & ſcribes ea in poſtibus domus tuae, & in portis tuis.

HAEC de ſcriptura Thephilin. De modo autem & ritu, quo haec ſcribi debeant, Rabbini multa praecipiunt: de quibus, ne quid legentium curioſitati deſit, pauca quaedam adducam, quae olim in ordine Thalmudicorum voluminum legi in tractatu ראשה שנה Roſcha ſciana: ex quibus ſi nihil aliud boni lector hauriet, ſaltem ridiculas Judaeorum ineptias diſcet prorſus contemnere: ſunt autem haec. Tutaphoth, ſive Thephilin, hoc eſt Phylacteria, vel Conſervatoria, ſunt membranulae, in quibus ſcribuntur ſententiae quaedam Biblicae: & neceſſe eſt, ut fiant de jumento, aut fera munda: ſicut dicit Scriptura, ut ſit lex Domini in ore tuo: oportet etiam ſcribere manu ſua dextera, etiam ſi poſſit uti utraque manu ſua. Quod ſi manu ſiniſtra tantum uti poſſit, illi erit loco dexterae, & qui non valet rectam facere lineam abſque tracta linea, licitum eſt, ut lineam trahat, ſuper quam ſcribat. Debet autem membranula eſſe integra ſine foramine, ne atramentum fluat per eam: & ſi aboleatur una literarum, & puer indoctus, qui non eſt ſtolidus, poſſit legere ipſam; idonea erit: ſi non; inepta fuerit. Nec oportet, quod ſpacium relinquatur ſurſum, niſi quod ſufficiat pro erectione ל lamed, infra vero fiat juxta menſuram longitudinis ך kof, & ן nun. Porro ſcripturam ipſam non ſcribant niſi ex eo latere membranae, ubi carnem tetigit. Oportet etiam includere ſcripturas quatuor lineis per circuitum ſchedae: at non eſt opus, ut inter ſcriptas lineas fiant lineae, & non debet homo ire per coemeterium, quando habet Thephilin in capite ſuo, neque ad illud accedere per ſpacium quatuor cubitorum. Locus in quo ſunt Thephilin, aut etiam liber legis, prohibitum eſt in eo dare operam Veneri, niſi prius ea exportaverit, aut repoſuerit ea intra vas aliquod, & rurſum vas illud repoſuerit intra vas aliud: & cum ſic vas repoſuerit intra vas, licebit ea quoque reponere ſub cervicali inter ſtratum & pulvinar. Haec Judaei juxta mortuam literam interpretantes, tali ſuperſtitione praeceptum Domini obſervant: cum potior & ve-

Ritus Hebraeorum in conficiendis Phylacteriis.

rior

Digitized by Google

rior ejus ſenſus ſit, ut legem Dei corde & animo ſervent, eamque manibus & opere compleant. Epiphanius libro primo Panarii haereſi 15. aſſerit Phylacteria Phariſaeorum, de quibus in Evangelio loquitur Chriſtus, nullum eſſe ſcripturae genus, ſed latas quaſdam purpurae notas, conſpicuis palliorum locis praetextas, quod & ipſa Evangelii phraſis indicat, dicens: DILATANT enim phylacteria ſua, & fimbrias palliorum magnificant: per fimbrias intelligens oras & margines palliorum; per phylacteria vero ipſorum purpureas notas, quales & in pectore, & a tergo Dalmaticarum apponuntur. Matth. 23.

PHILIPPUS Apoſtolus Evangelium ſortitus eſt a Gnoſticis haereticis, appellatione ſua confictum: de quo Epiphanius in primo Panarii haec habet: PROFERUNT autem Gnoſtici in nomine Philippi Sancti Apoſtoli confictum Evangelium, in quo ſcriptum eſt, Quoniam revelavit mihi Dominus, quid oporteat animam dicere, in eo, quod aſcendit ad coelum, & quomodo ſingulis ſupernis virtutibus reſpondere; nam cognovi me ipſam, & collegi me ipſam undequaque, & non ſeminavi liberos principi, ſed radicavi radices ipſius, & collegi membra diſperſa, & novi te, qui es: ego enim ex ſupernis ſum, &c. Gelaſius diſtinctione 15. Actus Philippi refert in catalogo Apocryphorum.

POPULORUM ſcriptura; de hac juxta ſeptuaginta editionem in pſalmo 86. legitur: DOMINUS narrabit ἐν γραφῇ, id eſt in ſcriptura populorum, & principum horum, qui generati ſunt in ea. Euthymius, hunc locum exponens, Ex PROPHETARUM, inquit, ſcripturis Chriſtus docebit, quae ad ſe pertinent: ait enim Lucas, Et traditus eſt ei liber Eſaiae Prophetae, &, explicato libro, invenit locum, ubi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me, & caetera: hujuſmodi igitur prophetarum ſcripturam populorum ſcripturam appellat, & ſcripturam principum eorum, veluti quae & Judaeorum populis, & eorum principibus data erat, & illorum propria erat poſſeſſio, qui in ea generati ſunt, hoc eſt nati in Syon. Haec ille. Juxta Hebraicam veritatem ſic legitur: DOMINUS numeravit ſcribens populos, ipſe natus eſt in ea ſemper: quod Judaei ſic exponunt. Tanta erit populorum multitudo in futura Hieruſalem, ut ſolus Meſſias, in cujus ſcientia ſcriptus eſt omnium Judaeorum numerus, eam dinumerare poſſit; utpote qui in ea urbe natus eſt ad regnandum in ipſa ſemper, & ſine fine. Luc. 4. 27. Eſai. 61. 1.

PONTIFICALIS Veſtimenti inſcriptio triplex erat, ſcilicet in capite, in humeris, & in pectore. Prima ſpectabatur in lamina aurea, mitrae ſive diademati Pontificis ſuper frontem praefixa; cui erat inſcriptum nomen Dei quatuor Hebraicis literis י jod, ה he, ו vau, ה he; quod Hebraeis ineffabile reputatur. Secundam ſcripturam continebant duo ingentes ſmaragdi, quos Pontifex in utroque humero ſingulos geſtabat auro incluſos & aſtrictos: in quorum dextro erant inſculpta ſena majorum Patriarcharum nomina, hoc eſt Juda, Ruben, Gad, Aſer, Nephthalim, Dan. In ſiniſtro vero alia ſena poſteriorum Patriarcharum nomina, videlicet Simeon, Iſachar, Zabulon, Manaſſe, Ephrain, Beniamin. Tertiam ſcripturam prae ſe ferebat Pontifex ante pectus in quadrato quodam monili, ex auro & quatuor coloribus intertexto; quod Rationale vocabatur: cui inſerti erant duodecim diverſi coloris lapides mirae magnitudinis ac precii per quatuor ordines; ita ut in ſingulis verſiculis terni collocarentur lapides, & in ſingulis lapidibus ſingula duodecim patriarcharum nomina, ſecundum aetates ipſorum ſcripta erant. Harum inſcriptionum cauſas & myſticas ſignificationes auctor libri Sapientiae pauciſſimis verbis perſtringens, IN VESTE, inquit, poderis, quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum; & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta: & magnificentia Dei in diademate capitis illius ſcripta erat. Philo in tertio libro De vita Moſis, & in libro De monarchia ſecundo, Joſephus Antiquitatum libro tertio, & Hieronymus in epiſtola ad Fabiolam paulo altius exordientes, & rem latius explicantes, tradunt harum inſcriptionum occaſiones, & ſignificata eſſe hujuſmodi. Exod. 28. Sap. 18. 24.

UNIVERSUS Pontificis veſtitus ſex conſtabat ornamentis; hoc eſt duabus tunicis, thorace, monili, zona, & diademate: porro ex duabus Tunicis interior erat linea ex candidiſſimo byſſo, exterior tota hyacinthina, tintinnabulis, & malogranatis aureis circa infimam ipſius oram appenſis. Thorax, ſive ſuperhume-

rale

Digitized by Google

rale ex quatuor coloribus, scilicet hyacintho, byssо, cocco, purpura, & auro fuit intextus. Monile, quod & Rationale dictum est, duodecim gemmis distinctum de collo Pontificis ante pectus pendebat. Diadema, sive Thiara, aurea lamina ornatum, & nomine Dei inscriptum, imponebatur capiti Pontificis: cujus thoracem Zona circa pectus usque ad talos demissa stringebat. Hic fuit Pontificis amictus. Quod autem significat, tam integer, quam per partes, hoc est. Totum indumentum, totius refert mundi similitudinem: ut Pontifex, totius universi orbis imaginem portans in vestibus, sciat se esse totius mundi mediatorem apud Deum; & non tantum pro familiaribus amicis, civibusque suis rem divinam faciat; sed pro toto humano genere, & pro omnibus naturae partibus, coelo, atque elementis; aut gratiarum agat actiones, aut supplicationes offerat Deo omnium conditori: praeterea ut studeat vita, doctrina, & virtutibus mundi totius ordinem, ornatum, atque concentum nulla ratione carentem exprimere: fiatque quodammodo microcosmos, hoc est, parvus mundus, ita majoris mundi speciem repraesentans in moribus, sicut ipsam gestat in vestibus. At partes singulae vestimenti singulas orbis partes repraesentant. Byssina Tunica, quia byssus ex terra gignitur, terram ostendit. Hyacinthina Tunica aërem, a lunari orbe usque ad terras protensum, propter coloris similitudinem demonstrat. Tintinnabulorum ex ipsa pendentium sonitus, & aureus fulgor indicant fulgura, & tonitrua in aëre progenita. Thoracis ornatus, gemmis refulgens, coeli syderei pulchritudinem figurat: nam duo orbiculares smaragdi in singulis humeris singuli Solis Lunaeque, alterius diurni, alterius nocturni syderis typum gerunt. In Rationali duodecim gemmae discolores, ternae distributae in quatuor ordines, signiferum circulum nobis innuunt, in quatuor partes ternis signis constantes, divisum. Zona exemplar habet aequinoctialis circuli, quem mundi cingulum astronomi nuncupant. Diadema vero, quod regium insigne est, in summo totius corporis fastigio positum, & Dei nomen in lamina aurea continens, coelum empyreum, ac Dei sedem subindicat, omni creaturarum ambitu sublimiorem; ex qua rex regum, omnibus praesidens, cuncta, quae infra sunt, sapientissime moderatur. Significat etiam Diadema omnem Pontificis ornatum supereminens, quod summi sacerdotii potestas & honor non solum privatis hominibus est eminentior, verum etiam cunctis regibus & mundi Imperatoribus. Haec sunt, quae sub Pontificali veste latent, aenigmata: nunc, quid sibi velint ipsius inscriptiones, videamus.

Quare nomen יהוה ineffabile dicatur.

NOMEN DEI, aureae laminae insculptum (quod Graeci τετραγράμματον, hoc est, Quadriliterum vocant, quia his quatuor literis scribatur, י, ה, ו, ה) apud Hebraeos existimatur ineffabile, vel quod literae, quae nomen componunt, insonae sint, & nullam per se ipsae articulatam vocem possint exprimere; vel propter divinae majestatis reverentiam, cujus propriissimum nomen neque audire, neque nominare fas putant: unde quoties in Sacris literis illud legere contigerit, per aliud nomen, hoc est, Adonai, quod Dominus interpretatur, pronunciant. Clemens Alexandrinus libro quinto Stromaton Hebraicam hujus nominis יהוה prolationem esse dicit JEHOVA; quod etiam secundum ipsum exponitur, Qui est, & qui futurus est. Theodoretus quaestione 15. in Exodum ejusdem nominis expressionem esse dicit apud Samaritanos Jave, apud Judaeos vero Ja. Hieronymus in expositione Psalmi 8. hoc ipsum nomen explicat per dictionem Jaho. Philo autem asserit hoc ipsum nomen Jehova, quod Ens, vel, Qui est, significat, Deo justissime tribui; quia nulla vox rationabilius ac verius Deo conveniat, quam Esse: sic enim se ipsum ipsemet appellavit, quando interroganti Mosi, Quod est nomen tuum? respondit, Ego sum, qui sum; vel, ut Hebraeus habet אני אהיה אשר אהיה Ani eheieh, ascer eheieh: id est, Ego ero, qui ero: quod idem est apud Hebraeos, quibus proprium est futura pro praesentibus usurpare. Atque ex hoc loco natum censet Augustinus, Chisamensis episcopus, nomen Tetragrammaton, quo se Divinitas ipsa ab essendo nominavit, quia primam vocem verbi substantivi, Est, Hebraei sic scribunt, היה haia; hoc est, Fuit; cui in futuro tertiae personae additur jod, fitque יהיה iheieh, id est, Erit: atque hoc ipsum est nomen quadriliterum, duntaxat protracta jod, ut fiat vau: putatque idem episcopus loco ejus, quod nunc est vau, fuisse jod; quia facilis sit a jod ad vau transitus, propter maximam

simi-

Digitized by Google

ſimilium literarum affinitatem. Indicat igitur Entis nomen, in aurea lamina ſculptum, ſupremum illud maximumque omnium Ens, principium eſſe & vinculum rerum omnium, quarum Pontifex imagines induit, continens & conſtringens partes omnes univerſi, nec ſinens eas diſſolui, dilabique; nihilque eſſe in mundo, quod ſine auxilio ejus poſſit eſſe, qui eſt omnis eſſentiae, omnisque vitae plenitudo; a quo omnia vivunt, moventur, & ſunt ab eo profecta; quique totum in ſe eſſe complectitur, quaſi quoddam eſſentiae pelagus infinitum & immenſum; quod fuit quidem ſemper, eſtque, & erit ſemper, imo vero ſemper eſt: nam Fuit, aut Erit, diviſiones ſunt fluxae naturae, & temporis; Deus vero & naturae, & temporis rationem tranſcendit: quod & veteres illi AEgyptii, quanquam Ethnici, agnoſcentes, his verbis, ut Euſebius in 11. libro de Praeparatione evangelica teſtis eſt, Deum in templis ſuis deſcripſerunt: EGO SUM QUOD FUIT, QUOD EST, QUODQUE FUTURUM EST: VELUM MEUM NEMO UNQUAM REVELAVIT: hoc itaque Dei nomen laminae impreſſum ſignificabat. Caeterum, nomina duodecim filiorum Israël, duodecim gemmis ante pectus in rationali, & iterum duobus ſmaragdis ſuper humeros Pontificis erant inſculpta, ut Moſes inquit, ob recordationem; hoc eſt, ut ſummus Sacerdos, ingrediens Sancta ſanctorum, recordetur ſe peccata praeſertim populi ſui ferre in humeris; & pro ipſo primum, deinde pro aliis nationibus expiationes, & ſacrificia faciat. Rurſus haec eadem nomina, ſcripta in anteriori parte Thoracis, qui coelum deſignat, myſtice demonſtrant ſola filiorum Israël nomina, & eorum, qui ab illis non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, promiſſionem, & fidei haereditatem deſcendunt, ſcripta eſſe in coelis, & ad ipſos tantum pertinere gratiſſimam illam Salvatoris annunciationem, GAUDETE, ET EXULTATE, QUIA NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN COELIS: & hoc eſt, quod Salomon dixit, MAGNALIA parentum fuiſſe in Rationali deſcripta: hoc eſt magnifica & illuſtria Patriarcharum, & ipſorum ſpiritualis poſteritatis facta fuiſſe ſcripta in coelis, quorum Rationale erat exemplar, non atramento, neque ut homines ſcribere ſolent, ſed apud ſempiternam Dei memoriam, eo modo, quo Deus conſuevit eos ſcribere in libro Vitae, quos voluit eſſe cives conſcriptos aeternae civitatis. Sed nomina ſena Patriarcharum, exarata in ſingulis utriuſque humeri ſmaragdis, Solem, & Lunam ſignificantibus, aeternitatem indicant Israëlitici ſeminis tam diu duraturi, quam diu Solis, ac Lunae ſempiterna ſydera permanebunt. Vide, quae de Pontificali veſtitu annotavimus libro tertio in Methodo divinae ſcripturae ſciographica, ubi & picturam poſuimus ſingularum pontificii ornatus partium.

Quomodo ab AEgyptiis deſcriptus ſit Deus.

Luc. 10. 20.

Sap. 18. 24.

PONTIUS PILATUS, Judaeae praeſes, cum Salvatorem noſtrum, indicta cauſa, in gratiam Judaeorum damnaſſet, cupiens oſtendere, ſe id pro magna cauſa, & extra ordinem juris juſtiſſime feciſſe, titulum & cauſam damnationis Chriſti cervici ejus appoſuit, quatuor verbis Hebraice, Graece, & Latine quam breviſſime expreſſam, ad hunc modum:

יהושע הנצרי מלך היהודים:

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

JESUS NAZARAENUS REX JUDAEORUM. Joan. 19. 19.

HUNC titulum Pilatus, ſuo quidem judicio ignominioſiſſimum, re autem vera glorioſiſſimum, in excuſationem ac defenſionem deteſtandae ſententiae in Jesum a ſe prolatae excogitavit, veluti apologiam injuſtitiae ſuae ad omnes totius orbis nationes tribus linguis conſcriptam; confidens ſe apud omnes tueri poſſe, quaſi ſeditioſum regnique affectatorem, ac Romani imperii hoſtem occidiſſet. Caeterum longe aliud intendebat Spiritus Sanctus, qui Pilatum ad hanc ſcriptionem adegerat, nempe ſignificare per hunc titulum nomen & regni titulum, quod Chriſtus per crucem ſuam mox erat accepturus ſuper omnes Judaeos; hoc eſt juxta nominis Judaïci interpretationem, ſuper omnes confitentes, qui Deum ve-

Digitized by Google

verum toto terrarum orbe confitentur, & colunt; & quod illae potissimum gentes sub imperio Christi essent iturae, quarum linguae in titulo regni ipsius includerentur: unde & annitentibus Judaeis immutare titulum, Pilatus inquiens, QUOD SCRIPSI, SCRIPSI, fortiter restitit; ita volente Deo, qui titulum regni Christi decreverat immutabilem & incorruptum permanere in perpetuum. Hunc titulum post trecentos & triginta annos adhuc integrum, una cum dominica cruce ab Helena Constantini matre in ruinis Hierosolymitanae urbis inventum, scribit Rufinus in decimo libro Ecclesiasticae historiae capite octavo.

Joan. 19. 22.

Crux Christi, quando fuit reperta.

FERUNTUR & alia quaedam sub nomine Pilati scripta, in quibus primum locum tenent ACTA PILATI: quae, ut Eusebius in nono libro historiae Ecclesiasticae c. 4. narrat, ab inimicis Christiani nominis conficta sunt, studio & opera Maximini Imperatoris, qui cum vellet videri justis de causis persequi Christianos, evulgari jussit Acta quaedam veluti ad Pilatum de Salvatore nostro habita; in quibus adversus Christum omne blasphemiarum genus congestum esset: quae acta per omnes regni sui provincias, praelato edicto, mitti praecepit, & per urbes singulas, per vicos, per agros etiam proponi, praeceptoribus quoque puerorum tradi jussit, ut pro his, quae ad meditandum, vel ediscendum dictare solent, haec traderent pueris memoriae commendanda, & per totam diem in scholis recitanda, & in triviis decantanda. Hoc tam impudens figmentum Eusebius in primo ejusdem historiae cap. 9. facile confutat ex temporum ratione: quarto nanque consulatu Tyberii, qui consulatus septimo anno imperii ejus fuit, piaculi in Salvatorem commissi tempus, falsa haec Pilati Acta perscribunt: quo in tempore evidenter ostendit, ne missum quidem ad Judaeae procurationem fuisse Pilatum; testante id Josepho, probatissimo historico, qui planissime designat duodecimo anno Tyberii Caesaris Judaeae procurationem suscepisse Pilatum: quod & cum Evangelio Lucae consonat.

Acta Pilati quaenam sint, & a quo confecta.

Luc. 3. 2.

FUISSE etiam Actus quosdam Pilati, docet Epiphanius in secundo Panarii; quibus Quartadecimani haeretici usi sunt, astruentes ex his Pascha semper celebrandum esse quartadecima die Lunae mensis Martii: quia in iisdem Actibus scriptum sit Salvatorem nostrum passum esse die vigesimo quarto Martii. Eusebius in secundo historiae Ecclesiasticae tradit Pilatum post resurrectionem Domini scripsisse ad Tyberium Imperatorem, quae de resurrectione Christi, deque ejus miraculis, atque ejus divinitatis opinione felix fama per omnem Syriam divulgabat: cujus epistolae exemplum, ab Eusebio praetermissum, & a nobis in vetustis bibliothecae Vaticanae monumentis repertum, hoc est.

Pontius Pilatus Cl. Tyberio Neroni Imp. S.

NUPER contigit, cujus rei ipse testis esse possum, Judaeos sese ipsos, posterioresque suos universos per invidiam crudeli damnatione perdidisse. Cum enim ex oraculorum promissis, majorum ipsorum auctoritate receptis, hoc expectarent, ut Deus illorum per virginem juvenculam mitteret, qui jure rex eorum diceretur; hunc me praesente misit in Judaeam. Is, quod omnibus notum est, coecis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos nervis curabat: viderunt quoque ipsum daemonia abegisse, atque obsessos spiritibus immundis liberasse: mortuos item ex sepulcris ipsis resuscitavit: obediebant ipsi ventorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat: fecit alia quoque permulta miracula, ut vulgo etiam inter Judaeos, & plebem, Dei filius diceretur. Principes vero sacerdotum, aemulatione & livore instincti, adversabantur illi; captumque illum mihi tradiderunt, ementitis sceleribus eum reum facientes: magum appellabant, atque legis eorum desertorem, & contradictorem. Quibus persuasionibus seductus ipse, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Crucifixerunt igitur illum, & sepulcro, quo conditus erat, custodes adhibuerunt; inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipsum a mortuis resurgentem viderunt. Nequitia autem Judaeorum magis hoc facto exarsit: numeraruntque magnam pecuniarum vim ipsis militibus, quatenus discipulos ipsius noctu corpus rapuisse praedicarent: acceperuntque hi quidem pecunias: nihilominus tamen publice ubique professi sunt, atque testantur se visiones

An-

Digitized by Google

Angelorum vidiſſe, ac Jesum illum a mortuis vere reſurrexiſſe. Haec autem ideo ſcripſi, ne quis nugis, ac mendaciis Judaeorum, ſi de re geſta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale. (a)

TERTULLIANUS in Apologetico ſcribit Tyberium Imperatorem, cum haec de Chriſti miraculis ex Syria audiviſſet, detuliſſe ad Senatum cum praerogativa ſuffragii ſui, ut Chriſtus inter deos Romanorum reciperetur: quod cum Se-

(a) Epiſtolam Pilati ad Tiberium a Pſeudo-Hegeſippo *Anacephalaeos. de excid. Urb. Jeroſolym.* (ſive a Marcello) prius relatam, & paulo variam ab ea, quam e Vaticanis pluteis erutam N. Sixtus publici juris fecit, uti genuinam commendarunt aliqui, praeſertim Antonius Poſſevinus *in Appar. Sac. in Pontio Pilat.* veluti ab Tertulliano *in Apologetico* enunciatam, nec non Marianus Victorius *in Indic. Catal. S. Hieron.* aliique: ſuſpectam tamen jure merito eam dixit Annalium Parens ad *Annum Chriſti XXXIV.*, dubiuſque de eadem haeſit Franciſcus Florentinius *ubi ſup.* ſed citra omnem dubietatis aleam rectius adcuratiuſque ſpuriam eam declararunt emunctae naris Critici, praeſertim Elias Du-Pin in *Biblioth. nov. T. I.* Auguſtinus Calmet in *Dictionar. Bibl. V. Pilatus*, Honoratus a S. Maria *T. 3. animad. Critic.* Antonius Sandinus *Hiſt. Sac. Famil. p. 457.* aliique. Ex NN. autem praecipue Serry *Exercit. LXIV.* & Card. Gotti *Tom. IV. P. II. Religion. Chriſt.* aliique. Ex Acatholicis vero Joh. Albertus Fabricius *P. III. Cod. Apocryph. N. T. pag. 457.* Guillelmus Cave *Hiſt. Litter. Sec. Apoſtol.* Antonius Vandale *de Actis Pilati*, Samuel Baſnagius *T. I. Annal. Polit. Eccleſ.* & alii. Ratio autem cur utraque epiſtola, praeſertim Sixtina (de qua nunc ago) ad ſpuria monumenta ſit demandanda, multiplex quippe eſt. I. Quia nimirum Pilatus vir Romanus a Romano Imperatore conſtitutus Judaeae Praeſes ad Caeſarem ſcribens nunquam poterat dicere, quod Jeſus *Judaeorum Rex jure ac merito diceretur*, quum alium Judaeis Regem Tiberius conſtituiſſet, &, Tetrarchia jam ſtatuta, alienum erat a viro Ethnico, & Romano ſimile effatum. II. Quia Sixtina Pilati epiſtola vernat floribus, quos Pilati aevo Latinitas non afferebat. III. Epigraphe illius epiſtolae ex eo commentitia dignoſcitur: *Tiberius Claudius* fuit hic Caeſar, ad quem Pilatus epiſtolam dedit, & ab infantia ſic dictus; quinimo & *Tiberius Claudius Nero*, unde & vulgatum ſcomma a Svetonio fertur pro *Tiberio Biberius*, pro *Claudio Caldius*, pro *Nerone Mero*: Sixtina vero Epiſtola inverſam habet inſcriptionem *Claudio Tiberio Imperatori*, quae res nunquam fuit conſueta tempore, quo Pilatus ſcribebat: & multo minus inſcriptio epiſtolae, quae extat in Chronico Martini Poloni, ubi ſimpliciter Claudii nomen exprimitur: *Pontius Pilatus Claudio Imperatori*. IV. Quia in commentitia ea Epiſtola Pilatus enunciat Jeſum fuiſſe Meſſiam ex Virgine natum, quem juxta Prophetarum Oracula a Deo mittendum Judaei praeſtolabantur. At quaeſo: unde nam hoc poterat Pilato viro Ethnico innoteſcere, qui nec Scripturas legerat, nec documenta Scribarum exceperat, nec a Chriſti Parentibus fuerat tanti myſterii, etiam tenebrarum Principi occultati, certior factus: Nec de Chriſto Jeſu hoc unquam in Judaea reboaverat, quem itidem Judaei filium Fabri concrepabant, ut ex Evangelio conſtant. V. Pilatus detegit ibidem fraudes Judeorum, & mendacia militum ad ſepulchri Chriſti cuſtodiam delectorum, qui pecunia accepta a Judaeis dixerunt quod, dormientibus ipſis, diſcipuli venerunt, & ſubripuerunt corpus Jeſu: at dum haec enunciat, fatetur itidem milites ſuos ad meliorem frugem reverſos ingenue fuiſſe rei veritatem confeſſos, nimirum se vidiſſe Angelorum viſionem, & redivivum e ſepulchro Chriſtum. Confeſſio autem iſta militum e diametro adverſatur Evangelio, in quo & Judaeorum fraus, & malitia cuſtodum aperte denunciatur; ſed ea perſiſtens adhuc nec dum detecta in tota Judaea dum Matthaeus ſcripſit, Anno nimirum Chriſti circiter XLVIII. & poſt Tiberii necem anno circiter VII. ſi dumtaxat Chriſti diſcipulos excipias, qui & redivivum & triumphantem viderunt Redemtorem, a quo itidem plene fuerunt inſtructi. Sic enim Matthaeus Cap. XXVIII. ait: „ Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in Civitatem & enunciaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quae facta fuerant, & congregati cum Senioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus: & ſi hoc auditum fuerit a Preſide, nos ſuadebimus eum, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti; & divulgatum eſt verbum iſtud apud Judaeos uſque in hodiernum diem. „

Alia itidem extant in pervulgata a Martino Polono Pilati epiſtola, quam taedet expungere, quum ex jam dictis impoſtoris fraus dignoſcatur, & commentum peraperte clareſcat, praeſertim quum in ea Pilatus inducatur ad Tiberium ſcribens IV. Nonas Aprilis longe ante Spiritus Paracleti in diſcipulos adventum, & tamen horumce miracula indigitet, quae certe Apoſtoli nonniſi poſt adventum Spiritus Sancti in Judaea patrarunt, & tunc ſolum potuerunt Pilato innoteſcere. Sicut etiam otium non ſupereſt referendi, aut exſufflandi duplex aliud exemplar Pilati epiſtolae ad Tiberium quoque datae: unum, nempe, quod proſtat apud laudatum Florentinium, & alterum, quod refert Cardinalis Xevier.

At dum diris commentiſque devoveo confictam epiſtolam, cujuſcumque illa ſit editionis, nec non ea refello Acta Pilati, quae N. Xyſtus pariter refellit, ea tamen Acta non repudio, quae a PP. percenſentur, & nunc perierunt. Fuiſſe enim a Pilato Caeſarem monitum de mirabilibus & innocentia Chriſti, ex quibus obſequium & apotheoſin promerebatur mundi Salvator, pro comperto eſt apud omnes; & quamvis haec omnia in dubium vertat Tinaquillus Faber Salmurienſis Miniſter, ex quo rem totam mutuatus eſt Samuel Baſnagius ex eodem coetu ariſtarchus, & noviſſime Johannes Clericus, qui dubitat an aliquando genuina extiterint Acta Pilati, tamen infelicem adſumſiſſe ſpartam aſperioris intemperantioriſque Critices viros univerſim, qui veri Critici & ſapientes audiunt, aperte fatentur; ventilantque itidem audaciam vitilitigatorum ii met, qui non ſunt de Romana communione doctiores Critici, Iſaac Caſaubonus *Exercit. XVI. in Baron.* Guillelmus Cave *ubi ſupra*, Joh. Pearſon *left. IV. in Act. Apoſtol.* Hugo Grotius *de Verit. Chriſt. Relig. Lib. 2. §. 2.* Iſaac Voſſius *Tract. de Sibyllis pag. 54.* Antonius Vandale *ubi ſupra, & de Orac. Ethnic.* aliique. Ex Catholicis autem, iiſque certo certius doctiſſimis & adcurationibus Criticis, nemo eſt (ſi dumtaxat unum Dupinium caeſpitantem demas) qui eandem veritatem aperte non fateatur, & invicte demonſtret ex PP. Tertulliano *in Apologetico cap. 5. & 21.* Juſtino in *Apolog. II. ad Antonin.* Euſebio Caeſarienſe *Lib. II. Hiſt. Eccleſ. Cap. 2.* Chryſoſtomo *Homil. XXVI. in II. ad Corinth.* Paulo Oroſio *Lib. VII. Hiſt. Cap. 4.* Gregorio Turonenſe *Lib. I. Hiſt. Cap. 24.* aliiſque: ex quibus itidem conſtat, quod Chriſtiani non ſemel idcirco ad Pilati acta adpellabant, eaque Gentilibus objiciebant, ut adverſus eos Chriſti Servatoris divinitatem comprobarent. Videſis laudatos Scriptores, praeſertim N. Serry, & Honoratum a S. Maria.

Digitized by Google

natus non probaret; Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. (a)

PETRUS COMESTOR in historia scholastica refert Pilatum de injusta Judaeorum caede, & sacri Hierosolymitani thesauri, qui Corban dicitur, accusatum apud Caesarem, & ab eo relegatum Lugduni, quae urbs ei natalis erat: ut ibi in odium & ignominiam generis sui inglorius moreretur.

Act. 6. b PROCHORUS, unus de septem diaconis, quos Lucas in actibus refert ab Apostolis electos, scripsisse dicitur Joannis Evangelium in insula Pathmos: testatur hoc Simon Metaphrastes in vita Joannis his verbis: JOANNES unum quendam è septem diaconis se sequi jubet, Prochorus hic erat: & montis verticem capessit; & more Samuelis rectus erigitur; & sicut Moses manibus elevatis effiguratur, & mentem a sensibus abstrahit: tunc horrenda tonitrua, terrores, & ful-
Joan. 1. a gura his similia, quae antea Mosi legem recipienti contigerant, facta sunt: ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, & dilucide resonant, In principio erat verbum, &c. Quae Prochorus, qui prius quidem, veluti exanimis, prae timore ceciderat, represso paululum metu, subtremula manu ex ore & voce Joannis Theologi, quae ipsum erat tonitru, verba ejus coepit scribere, sic prosequens, donec totum compleret Evangelium. Caeterum Athanasius in Synopsi Joannis Evangelium Ephesi a Gajo scriptum putat. (b)

PTO-

(a) Quod Tertullianus ibidem tradit, Eusebius, & ceteri Patres nuper laudati una voce fatentur, sicut & ceteri sequioris Epochae Scriptores, praesertim Graeci Zonaras, Nicephorus, & alii. At nuper relati duo Acatholici Tinaquillus Faber, & Samuel Basnagius, ut rem hanc indubiam exsuffient, etiam in simplo fluctus movent, & nodum in scirpo quaerunt, vario tamen ex momento. Tanaquillus Faber namque praesertim ex eo inficiatur Tiberium optasse Christo Apotheosim, quia in Actis Pilati, quae Epiphanius carpit, & universim ceteri PP. ac recentiores Critici fabulis adcensent, Tiberii votum percensetur. Samuel Basnagius vero commentitiam hanc apotheosim ab Tiberio praemeditatam dicit, quia ex Svetonio in *Tiberio cap. 36.* & Josepho *Lib. XVIII. c. 15.* Tiberius infensus nimium erat Judaeis, quapropter omnem fidem excedit desiderium Apotheosis Christo sacrandae, quod eidem Tiberio adjudicatur, idque etiam Tanaquillus observarat. Verum ab ostio errasse utrumque Scriptorem apertissime convincitur ex monumentis nuper laudatis, & ex calculo insignium Criticorum, ne dum N. Sixti, Baronii, aliorumque ejusdem aetatis, aut supparum non ignobilium Scriptorum; sed etiam recentiorum, & qui emunctae naris Critici audiunt, praecipue Honorati, & Serry *ubi nuper*, Danielis Huetii *Demonstr. Evangel. Propos. III.* N. Hyacinthi Amat de Graveson *de Myster. & Ann. Christi Dissert. XIV.* aliorumque plurium: quinimo adversus eosdem Fabrum, & Basnagium iidem stant Acatholici, quos paulo ante retulimus. Et quidem Fabri scrupulus vel ex eo evanescit, & in fumum abscedit, quia, ut notum est cunctis, qui vel a limine Historiam Ecclesiasticam salutarunt, non omnia, quae in spuriis operibus prostant ad fabulas sunt amandanda, ne eo ex momento etiam Evangelicam historiam apologis adnumeremus, quum in eisdem suppositiciis libris, & Evangelica Historia non semel, & cetera id genus divina monumenta sint inserta. Quid ergo mirum quod in commentitiis illis Pilati Actis Tiberii votum percensetur? elumbe nimis ficulneumque proculdubio conspicitur Fabri momentum.

Ad reliqua momenta Tanaquilli, quae recoxit Basnagius, facillima est responsio. Quandoquidem nullum facessit negotium, quod ex Flavio Josepho opponit; quum hic de Tiberio verbum faciens solummodo percenseat hunc Caesarem deliciis ac genetliacis deditum, saevum, atque in regimine morosum: Verum de ejus ingenio alieno ab Judaeis Christianisque, aut de illius odio in hosce, horumque Religionem, nec vel obiter verbum facit. Quod itidem ex Svetonio reponunt ad elevandam a Tiberio praeconceptam Christi apotheosim nil certe ad fides. Fuerit Tiberius exoticarum Religionum apertissimus hostis, quum tamen fuerit Ethnicus & Romanus, majorum suorum vestigia proterens, non fuit retardatus certe ab eodem more, adcensendi, nimirum, ceteris numinibus, quos veneratione dignos existimabat. Certe nec Christo, nec ejus Religioni fuit addictus Adrianus Caesar, & tamen teste Aelio Lampridio *in ejus vita* „ Templa fine simulacris jusserat fieri, „ quae ille ad hoc parasse dicebatur, ut Christo Je„ su consecraret, nisi Sacrorum consultores deter„ ruissent „ Alexander Severus etiam nec Christo unquam nomen dedit, aut animum sacravit, sed nihilosecius idem Lampridius scribit „ Christo tem„ plum facere, eumque inter Deos recipere voluis„ se „. Quid ergo simile quidpiam pertentasse Tiberium a veritate procul abire dicendum erit? Quod tandem adserunt ad veri speciem objiciendam, videlicet, nunquam fuisse Senatum eidem Caesari saevo refragatum, si forte sse Christi apotheosim proposuisset, tam dissonum est, ut pudeat vel in eis simile argumentum offendere. Ea quippe animi moderatione Tiberius erat, ut nec quidem aegre tulerit Senatus repulsam. Sic enim de eo Svetonius scribit: „ Quaedam adversus sententiam suam decerni, ne „ questus quidem sit „ : facillime igitur Senatus Romanus a Christi fide & persona nimium aversus hujusce Apotheosim potuit Tiberio denegare: nisi forte cum Vossio dicas gratanter Tiberium excepisse Senatus repulsam, quippe quae in ejusdem Caesaris gloriam resultans ab eodem Senatu non fine ostentatione adhibita fuit. Quum enim Tiberius suimet Apotheosim a Senatu oblatam recusasset, ut eidem adsentaretur Senatus, nec Christum inter Divos adgregandum existimavit. In quodcumque ergo latus se vertant oppositores se impingere in montem experientur dum nova meditantes veritatem obfuscare pertentant. Legesis tamen laudatos a nobis hujusce adsertionis Patronos ad quemcumque alium scrupulum averruncandum, legesis itidem ad pleniorem notitiam Carolum Daubuz *Pro Testimonio Flavii Josephi de Christo Jesu*.

(b) Quae de Prochoro (qui S. Stephani Protomartyris dicitur consobrinus) scribit Simeon Metaphrastes, commentitia sunt, quum nullus Veterum ea percenseat. Et quam Cajo adjudicat Pseudo-Athanasius Evangelii, & Apocalypseos conscriptionem falsam & fabulosam esse universim Critici adfirmant: quum nunquam inveniamus in Ecclesiastica Historia eum fuisse Johannis Evangelistae amanuensem. Quis insuper fuerit iste Cajus, prorsus ignotum.

Digitized by Google

PTOLEMAEUS PHILOPATER, AEgypti rex quartus ſcripſit ad regni ſui praefectos epiſtolas duas, alteram adverſus Judaeos, alteram pro Judaeis: quarum exempla extant in tertio Maccabaeorum cap. 3. & 7.

PUGILLAR Zachariae, hujus mentionem faciens Lucas, dixit: ET poſtulans Pugillarem ſcripſit, dicens, Joannes eſt nomen ejus: eſt autem Pugillar, quem Graeci πινακίδιον appellant, tabella caera illita, in qua ſtylo ſcribitur. Prudentius in Periſtephanon deſcribens martyrium Caſſiani, qui pugillaribus & ſtylis diſcipulorum ſuorum minutatim excarnificatus interiit, pugillaris & ſtyli, quo pugillares annotabantur, formam uſumque his verſibus expreſſit: Luc. 1. c

Innumeri circum pueri, miſerabile viſu,
Confoſſa parvis membra figebant ſtylis.
Unde pugillares, ſoliti praecurrere caeras,
Scholare murmur adnotantes ſcripſerant.
Conjiciunt alii lapides, inque ora tabellas
Frangunt: reciſa fronte lignum diſſilit.
Buxa crepant caerata, genis impactu cruentis,
Rubetque ab ictu curta tumens pagina.
Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis caera ſulcis ſcribitur,
Et qua ſecti apices abolentur, & aequoris hirti
Rurſus niteſcens innovatur area.

SUNT qui Pugillarem hunc a Zacharia poſtulatum, fuiſſe putent codicem publicum a ſcribis & ſacerdotibus in Synagoga diligenter aſſervatum: in quo nomina, tribus, & parentes infantium circunciſorum una cum anno, menſe, & die circunciſionis annotabantur, ad certitudinem & fidem originis & aetatis cujuſque retinendam: qui mos adhuc in multis Italiae urbibus ſervatur, ut nomina & tempora baptizatorum infantium a Parochis, qui eos baptizarunt, in volumine pareciae authentico ſcribantur. Nec ab horum ſententia multum abeſt, quod ex Julio Africano refert Euſebius in primo Eccleſiaſticae hiſtoriae c. 7. hoc eſt, conſueviſſe Hebraeos publice in archivis templi ſecretioribus habere libros quoſdam; in quibus quoruncunque Judaeorum, etiam ex alienigenis deſcendentium, continebantur origines, & familiarum omnium proſapiae, & genealogiae: quos Herodes, ratus ex his generis ſui ignobilitatem coargui, flammis exuſſit: ſed eos prorſus abolere non potuit; cum multi, & praecipue illi, quos demiſſa a proavis nobilitas commonebat, hujuſmodi libros domi deſcriptos conſervarent: in quibus & Servatoris noſtri Jesu genealogia his, quae in Evangelio habentur, conſimilis inventa eſt.

R

REGUM Liber, ספר המלכים Sepher hamelachim, citatur in ſecundo Paralipomenon capite 24. hunc non eſſe opus illud, quod ſub nomine Quatuor librorum Regum in ſacris Bibliis continetur, ſatis aperte oſtendit ultima ejuſdem capitis periodus, ſic habens. PORRO filii Joas, & ſumma pecuniae, quae adunata fuerat ſub eo, & inſtauratio domus Dei ſcripta ſunt diligentius in libro Regum. Quae certe verba referri nequeunt ad hiſtoriam Regum, canonicis ſcripturis inſertam, in qua tantum abeſt, ut ea, quae praeſenti Paralipomenon capite narrantur, fuſius & exactius referantur, ut nonnulla etiam in ipſa praetermiſſa ſint ex his, quae in hoc capite vel commemorantur, vel ſaltem indicantur. Eſt igitur, ut arbitror, liber hic a canonicis Regum libris plane diverſus: quod & ſentire videtur auctor tertii voluminis Eſdrae, qui hunc ab illis manifeſto diſcrimine diſtinguens, ita in primo capite operis ſui ſcribit. HAEC autem praeſcripta ſunt in libro hiſtoriarum regum Judae; & ſingula geſta actuſque Joſiae, & ejus gloria, & intellectus ejus in lege Domini; quaeque geſta ſunt ab eo, & quae non ſunt ſcripta in libro Regum Judae, & Israël. Citatur autem liber hic tam in duobus poſterioribus Regum voluminibus, quam in poſteriore Paralipomenon libro, in ſingulis pene capitibus, ſemel atque iterum, & variatis aliquantulum inſcriptionis vocibus; aliquando Liber verborum, ſive ſermonum, ſive dierum regum Juda appellatur: aliquando Liber ſermonum dierum Regum Israël: interdum quoque, II. Par. 24. 27.

Digitized by Google

conjuncta ſimul utriuſque inſcriptionis appellatione, vocatur Liber Regum Juda & Israël: in quo latiori narratione luculentius univerſa ac ſingula geſta Regum Judae, & Israël digeſta fuerant a diligentiſſimo auctore; cujus tam nomen, quam opus tempus edax rerum abſumpſit, relictis tantum ad poſteritatis memoriam, quae in ſecundo Paralipomenon, & in ſecundo & tertio Regum libris ab incerto abbreviatore, quem alii Jeremiam, alii Eſdram eſſe putant, brevi compendio collecta ſunt.

REPUDII Liber, matri Judaeorum a Deo traditus, eſt divinae reprobationis adverſus Judaïcam Synagogam executio, de qua olim Judaei cum propter ſcelera nefanda eſſent a Deo repudiati, & in ſervitutem barbararum gentium dati, ſolebant populari quodam querelae genere ſub parabola libri repudii, Deum, ut varium, mutabilem, & ſibi ipſi minime conſtantem, accuſare, quod matrem & Synagogam Judaïcam, ſibi matrimonio junctam, & longo tempore ardentiſſime adamatam, repente mutata animi ſententia repudiaſſet, atque abjeciſſet; idque nulla ipſius culpa laceſſitus, aut provocatus; ſed ex ſolo ac mero novae voluntatis arbitrio, inſtar carnalis viri, qui uxorem ardenti deſiderio expetitam, & diu retentam ultro dimittit, nulla alia de cauſa, quam quod diuturna & aſſidua ejus conſuetudo & copia ſatietatem ſibi & faſtidium conjugalis vitae induxerit.

Eſai. 50. a A quibus tam iniquis accuſationibus Deus ſeſe per Eſaiam expurgans, QUIS eſt, inquit, liber repudii matris veſtrae, quo dimiſi eam? Ecce enim in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram, & in iniquitatibus veſtris venundati eſtis: quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat qui reſponderet: nimirum his verbis oſtendens, occaſiones & cauſas Hebraicae reprobationis ac repudii non eſſe referendas in ipſum divinae voluntatis beneplacitum, ſed in perfidam potius adulterae Synagogae ingratitudinem; quae violata fide maritalis thori, abjectoque cultu Dei ſponſi ſui, proſtituiſſet ſe diis adulterinis omnium gentium, ac Deum pene invitum, ſuarum fornicationum turpitudine, ad librum repudii protraxiſſet: quod

Jer. 3. c * etiam per Jeremiam Deus confirmans ait: PRO EO quod moechata eſt adverſatrix Israël, dimiſi eam, & dedi ei libellum repudii, & non timuit uxor ejus Juda:

Oſ. 2. a & abiit, & fornicata eſt: & iterum per Oſeam itidem repetens, inquit: JUDICATE matrem veſtram, judicate, quoniam ipſa non uxor mea eſt; ideo & ego non

* non vir ejus ſum: & rurſum apud Eſaiam, exprobans filiis Israël impudicae matris

Eſa. 57. a & b adulteria, inquit: ACCEDITE huc filii auguratricis, ſemen adulterae, & fornicariae, audite: & paulo poſt eodem capite, ad matrem ipſorum converſo ſermone, ſubdit: SUPER montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti, ut immolares hoſtias: & poſt hoſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum: & juxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulteros, dilataſti cubile tuum, & pepegiſti cum eis foedus: dilexiſti ſtratum eorum manu aperta, & ornaſti te regio unguento, & multiplicaſti pigmenta tua, miſiſti legatos tuos procul, & mei oblita es. Quibus verbis aperte demonſtrat Deus, ſe non ſine cauſa, nec ex ſola ſui animi ſententia, ſed ex Judaïcae turpitudinis ignominia Synagogam, male de ſe meritam, abjeciſſe. Deus enim neminem prorſus reprobat, niſi prius in eo culpa praeceſſerit: neque prius ipſe eſt ultor, quam aliquis ſit peccator.

In Noſtra Vulgata loco mei oblita es, legitur: & humiliata es uſque ad inferos.

SED his, quae ab iſtis Prophetis de occaſione & cauſa Judaïcae repudiationis ac reprobationis dicuntur, Paulus Apoſtolus non parum repugnare videtur, qui in epiſtola ad Romanos de hac ipſa reprobatione nationis Judaïcae differens, cauſam hujus abjectionis refert non in ſcelera ac mala Judaeorum merita, ſed in ipſum divinae voluntatis ita volentis beneplacitum; quae, nullis inſpectis humanae juſtitiae aut injuſtitiae meritis, ut illi magis collibitum fuerit, citra ullum diſcrimen alios eligit, alios repudiat, alios diligit, alios odit: quod & Apoſtolus dilucide manifeſtat exemplo Eſau: de quo, cum nondum ipſe natus eſſet, neque aliquid mali egiſſet, non ex malis operibus ejus, ſed ex propoſito & perſona Dei

Rom. 9. 13. pronunciatum fuit illud, ESAU ODIO HABUI; ac ſubinde ſtatutum, ut ipſe

Ibid. 21. Eſau, natu prior ſerviret Jacob, minori fratri, contra leges primogenituras. Hoc idem Paulus exemplo figuli aſtruit; qui ex eadem maſſa luti, nulla habita partium ipſius ratione, aut ullo conſiderato merito, fingit aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam: ſic & Deus ex eadem hominum multitudine, nulla habita me-

Digitized by Google

meritorum ratione, citra ullam vitiorum, aut virtutum inſpectionem, quos vult, & ut vult, in gratiam recipit; & quos vult, & ut vult, odit, rejicit, ac repudiat, etiam immeritos. Quae quidem ſententia cum ſupra poſitis Prophetarum dictis ex diametro pugnat.

RURSUS idem Paulus in alio loco ejuſdem epiſtolae non ſolum ipſam cauſam Judaïcae reprobationis, ſed & ipſam Judaïcae gentis reprobationem penitus ſuſtuliſſe videtur, dum ita locutus eſt: DICO ergo, nunquid Deus repulit populum ſuum? abſit: nam & ego Israëlita ſum de Tribu Beniamin: non enim repulit Deus plebem ſuam, quam praeſcivit: quaſi diceret, Immutabilis eſt Deus, nec amplius retractat, quod ſemel decrevit. Rom. 11. a

CUM igitur ſecundum aeternam praeſcientiam elegerit ſibi Hebraeorum nationem in peculium, fieri non poteſt, ut illam Deus repudiet & abjiciat: quod & ipſe Deus apud Jeremiam, ſumpto argumento ex impoſſibilibus, conſtantiſſime confirmat his verbis: HAEC dicit Dominus, Si menſurari potuerint coeli ſurſum, & inveſtigari fundamenta terrae deorſum; & ego abjiciam univerſum ſemen Israël propter omnia, quae fecerunt. Haec dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, & ordinem Lunae, & ſtellarum in lumine noctis: Si defecerint leges iſtae coram me; tunc & ſemen Israël deficiet, ut non ſit gens coram me cunctis diebus. Et quod etiam multo admirabilius eſt, Deus ipſe per Oſeam affirmat, ſe tantum abeſſe ab hac Judaïcae nationis repudiatione, ut etiam ſpondeat ſe illam ſibi in perpetuam conjugem aſciturum, dicens: DESPONSABO te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in fide, & in juſtitia, & judicio, & in miſericordia, & miſerationibus. Quae ſane verba firmiſſime aſtruere videntur Hebraeorum gentem, nec ullo unquam tempore fuiſſe repudiatam, nec deinceps quoque repudiandam fore. Jer. 31. 37. Oſe. 2. d

AD HUJUS controverſiae ſolutionem opus eſt, ut ſciatur, duplicem eſſe divinam reprobationem, ſive repudium; aeternum ſcilicet, & temporale. A Eternum repudium eſt ordo ac diſpoſitio divinae providentiae circa eos, quos Deus praeſcivit, a nuptiis coeleſtis agni, & a conſortio & ſempiterna fruitione divini ſponſi fore in perpetuum excludendos. Temporale repudium eſt rejectio, qua Deus aliquos tam de numero ſalvandorum, quam de numero damnandorum ad tempus repudiat, & a participatione bonorum ſuorum ſive ſpiritualium, ſive corporalium temporaliter excludit, & ejicit. De temporali ſpiritualium bonorum ejectione conquerebatur Jonas, cum diceret: ABJECTUS ſum a conſpectu oculorum tuorum: & David, eandem abjectionem reformidans, dicebat: NE PROJICIAS me a facie tua; & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me: & in alio Pſalmo, EGO dixi in exceſſu mentis meae: Projectus ſum a facie oculorum tuorum. De repudio a temporalibus bonis, idem David ait: QUARE me repuliſti? & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus? & Jeremias in Threnis utrunque repudium tam aeternum, quam temporale unica ſententia complectens, ait: NON repellet in ſempiternum Dominus: & ſi abjecit, etiam miſerebitur. Joan. 2. b Pſalm. 50. 13. Pſalm. 30. 23. Pſalm. 42. 2. Thr. 3. 31. 32.

CUM igitur geminum ſit repudium, de unoquoque ipſorum duo particulariter inveſtigari poſſunt, videlicet an ad omne Judaeorum genus utriuſque repudii poena pervenerit; & quaenam fuerint utriuſque repudii cauſae.

PRIMO loco ſi quaerimus, utrum univerſa Judaïca natio ſempiterno repudio abjecta ſit: reſpondet Paulus: abſit: quaſi dicat, quanquam ex Judaeis innumerabilis multitudo, ut Prophetae paſſim teſtantur, ſempiterna reprobatione repudiata ſit a Deo: abſit tamen, ut credam univerſum ſemen Israël ſempiterni repudii poena damnatum: nam & ego Israëlita ſum de Tribu Beniamin: non enim repulit Deus plebem ſuam, quam praeſcivit. Si vero quis interroget, an temporale repudium omnem prorſus Judaïcam multitudinem a Deo excludat, aut aliquando excluſerit: reſpondendum eſt, temporale repudium, quantum ad ejectionem a temporalibus bonis, quae Deus, veluti dotem, Synagogae conceſſerat, univerſam Judaeorum gentem comprehendere: omnes enim tam bonos, quam malos, tam electos, quam reprobos temporaliter Deus abjecit; & de Synagoga, de templo, de regno, & terrae promiſſae poſſeſſione, in captivitatem & ſervitutem ejecit. Quantum autem ad ſpiritualia bona, & ad gratiam praeſentis juſtitiae, non omnes repudiati ſunt. Rom. 11. 1.

SE-

Digitized by Google

SECUNDO loco si desideramus scire, quid fuerit in causa, cur major Judaeorum pars perpetuo repudio abjecta sit: considerare nos oportet, quod in toto Judaïcae repudiationis progressu gradus quidam sunt priores, & aeterni: quidam vero posteriores, & temporales: sive quod idem est, in toto ejusdem repudii opere initium & complementum spectanda sunt. Si consideremus initium, sive priores & sempiternos gradus, qui sunt odium, rejectio, & repudiatio, dilectioni, electioni, & praedestinationi privativo modo oppositi: respondet Paulus causam, cur Judaei sint in sempiternum abjecti, nullam esse, praeter divinae voluntatis placitum: probatque id exemplo reprobationis Esau, de quo ante, quam nasceretur, aut quicquam mali egisset, non ex malis operibus praevisis, sed ex suae
Rom. 9. 13. voluntatis arbitrio dixit Deus: ESAU odio habui: & ipse natu major fratri minori serviet. Si autem inspicimus ad posteriores temporales gradus, & ultimum sempiternae repudiationis complementum, quod in aeterna damnatione concluditur; hujus postremi exitus causa in Judaeis est, nempe ipsorum incredulitas, arrogantia, ingratitudo, & obstinatio; ex quibus in damnationem perpetuae perditio-
Ose. 13. 9. nis ceciderunt, dicente ad eos Deo per Oseam Prophetam, PERDITIO TUA EX TE ISRAËL, TANTUMMODO EX ME AUXILIUM TUUM: quod idem Paulus demonstravit, cum proponens illam quaestionem, Cur Israël justificari non
Rom. 9. 30. meruisset, inquit: QUID ergo dicemus? quod Israël, sectando legem justitiae, in legem justitiae non pervenit. Quare? *& respondens adjecit*: Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis, & petram scandali, quia non crediderunt justificari posse per Christum, qui est petra offensionis; in quam illi ob suam incredulitatem impegerunt: & ob id repudiati sunt in æternum.

DENIQUE si quaeratur, unde sit causa temporalis repudii Judæorum, hoc est, cur Deus dimiserit a se Judaicum genus, & abjecerit in in furore suo universum semen Israël, dederitque illud in prædam & in direptionem cunctis gentiJer. 3. c bus: respondet ipsemet Deus per Jeremiam: Pro eo quod moechata est adversatrix Israël, dimisi eam: & dedi ei libellum repudii: & rursum per Esaiam, IN
Isa. 50. a sceleribus vestris dimisi matrem vestram; & in iniquitatibus vestris venundati estis quia veni, & non erat vir; & vocavi, & non fuit qui responderet. Venit utique sponsus ipse, & vocavit adulteram Synagogam, beneficiis provocavit, blanditiis invitavit, precibus exoravit, minis deterruit, flagellis exstimulavit, ut, relicto adultero, reverteretur ad se. Preces praemisit, cum ex ore Jeremiae, &
Jer. 3. 1. Oseae loquens dixit: VULGO dicitur in proverbium, Si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid revertetur ad eum ultra? tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus; & desponsabo te mihi in sempiternum, & in misericordia, & miserationibus. Comminationes addidit, quando ad ipsam per Oseam ad filios ejus
Ose. 2. d locutus est, dicens: JUDICATE matrem vestram, quoniam ipsa non uxor mea,
Ose. 2. a & ego non vir ejus: auferat fornicationes a facie sua, & adulterium de medio uberum suorum, ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis suae, & ponam eam, quasi solitudinem; & statuam eam velut terram inviam, & interficiam siti: & filiorum ejus non miserebor, quoniam filii fornicationis sunt; quoniam fornicata est mater eorum. Flagella denique apposuit, cum eam variis captivitatibus afflixit, sed cum nec dulcibus, nec amaris adduci potuerit unquam, ut, relictis omnino adulteris, Deo sponso suo perseveranter adhaereret, tandem merito ingratitudinis suae, temporali repudio a sponso suo in perpetuum tempus abjecta est.

REPUDII Humani Libellus, Hebraice ספר כריתת Sepher cherithuth, Graece vero juxta septuaginta interpretes, *βιβλίον ἀποστασίου*, liber est, quem maritus uxori, mox dimittendae, porrigere tenebatur ex lege, quam Moses in vigesimo quarto capite Deuteronomii promulgavit his verbis: SI ACCEPERIT homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem; scribet libellum, & dabit ei in manu, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit eam de domo sua, vel mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta est, & abomina-

bilis

Digitized by Google

bilis facta est coram Domino. Haec Moses. Hunc libellum Rabbini Hebraeorum vocant גט ghet, quia sit veluti testis repudii, in quo maritus resignat omne jus, quod habuit in uxorem. Utuntur autem Hebraei nostrorum temporum in conscribendis hujusmodi libellis formula quadam, desumpta ex libro praeceptorum Rabbi Mosis de Cozi his ferme verbis:

Ritus Hebraeorum in conscribendis libellis repudii.

IN SEXTA SABBATI, in duodecima mensis Adar, anno a creatione mundi quinquies millesimo tercentesimo sexto, in urbe Cremona, juxta fluvium Padum, in Italia. Ego Samuel Carmin, filius Rabbi Daniel Sapharadi, sponte mea, & ex animo, ac citra ullam coactionem dimitto a me Rachel, filiam Rabbi Ezra Parizol; & concedo ei licentiam & potestatem, ut ad arbitrium suum abeat, quo ei visum fuerit; ducique possit ab omni viro: nec eam quisquam prohibere praesumat. In cujus rei testimonium dedi ei hunc librum repudii, & schedam dimissionis, atque signaculum divortii, juxta constitutionem Mosi, & Israël, praesentibus testibus infrascriptis.

MARDOCHAI Gabirol,
HELIA Chaphet,
MANUEL Pandin,

SIC IGITUR Judaei legem de libello repudii se recte intelligere, & pie servare credunt, existimantes Mosem praecepisse maritis, ut quacunque de causa uxores infensas dimittant, & alteram ducant: sed Christus non sic intelligendam esse legem hanc ostendit, cum apud Matthaeum decimonono capite interrogantibus Pharisaeis, utrum liceret homini quacunque de causa dimittere uxorem suam, respondit, non licere homini separare eos, quos Deus in unam carnem conjunxisset: & rursum objicientibus Pharisaeis, quod Moses jussisset dare libellum, & dimittere uxorem, protinus addidit: MOSES propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic: dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, moechatur; & qui dimissam duxerit, moechatur: volens, ut inquit Augustinus, his verbis declarare non totam hanc legem esse praeceptum, sed alteram ejus partem, nimirum eam, quae ad repudium pertinet, esse permissionem: alteram vero, quae de libello repudii loquitur, esse jussionem & mandatum: non enim dixit Moses, Quicunque voluerit, dimittat uxorem: quod contrarium legi Dei erat: sed inquit, si quis dimiserit, non dimittat, nisi prius dato libello repudii; ut scilicet, interposita mora, animus, in dissidium & separationem praeceps, libelli conscriptione refractus, absisteret; &, quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret; praesertim quia, ut perhibent, apud Hebraeos scribere sanctas literas, hoc est Hebraeas, nulli fas erat, nisi scribis solis, cum excellentiorem profiterentur sapientiam. Ad hos igitur scribas & judices, sapientia & justitia praeditos, lex mittebat; ut ipsorum persuasionibus maritus ad conjugalem concordiam revocaretur: quod si tantum intercederet odium; ut extingui emendarique non posset; tunc permisit fieri divortium, & aliam ducere, non tanquam aliquod licitum, sed tanquam remedium ad evitationem majoris mali paratum; ne maritus, taedio ac desperatione inseparabilis conjugii, ad caedem uxoris verteretur: semper enim malum fuit ob quamcumque causam repudiare uxorem, & alteram accipere, immo contra ipsam inseparabilem matrimonii naturam ab initio generis humani conditam; cujus lex est, PROPTER hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhaerebit uxori suae: & erunt duo in carne una. Non igitur praeceptum fuit Judaeis uxorem dimittere, & aliam ducere, sed tantummodo permissum: nobis Christianis neque praeceptum, neque id ulla ex parte permissum, dicente Paulo: HIS, qui in conjugio sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: tametsi libellum repudii & divortii a toro & cohabitatione solum, & in sola fornicationis causa, & his tantum, qui fornicationis expertes sunt, dare permissum sit, atque etiam aliquando justum; cum scilicet adultera incorrigibilis est, ne in illam sententiam Proverbiorum incidamus, QUI TENET ADULTERAM STULTUS, ET IMPIUS EST. Tractat hoc argumentum divus Augustinus libro primo de sermone Domini in monte, libro primo Retracta-

Doctrina Christi de permissione repudii.

Matth. 19. 8.

Deut. 24.

Gen. 2. d

1. Cor. 7.

Prov. 18. d

*Nostra Vulgata habet: & insipiens.

Digitized by Google

ſtationum capite decimo nono, & libro decimo nono contra Fauſtum capite vigeſimo ſexto; copioſiſſime vero in duobus libris De adulterinis conjugiis ad Pollentium, religioſiſſimum virum; qui, magis humana quadam maritorum commiſeratione adductus, quam ſolidis rationibus, putabat non eſſe illicitum Chriſtiano viro in cauſa fornicationis dare libellum repudii adulterae uxori, & aliam ducere, ne maritus infelix, qui continenter vivere nequeat, aut explendae humanae fragilitatis, & habendae prolis neceſſitate cum adultera cubare cogeretur: aut ad interficiendam adulteram ſine ulla miſeratione compelleretur, ſi, ea vivente, non liceret ei juxta Romanorum leges alteram ducere uxorem. Permiſerunt autem veteres Romani uxorum repudia tanta libertate, ut, florente adhuc Republica, liceret cuique, & quacunque de cauſa etiam occulta, uxorem miſſo libello ejicere: unde cum Paulus AEmylius repudiaſſet uxorem ſuam Papyriam, Muſonis viri conſularis filiam, qua cum longo tempore vixerat, & ex qua nobiliſſimam ſobolem ſuſtulerat, inclytum illum ac maximum Scipionem AEmilianum, nullam divortii cauſam indicare voluit; ſed abunde ſe ſatisfacere percontantibus exiſtimavit, ſi, porrecto pede, reſponderet, Hic calceus novus eſt, & pulcher: at nemo veſtrum novit, qua pedem meum torqueat. Hanc tam effraenem repudiorum licentiam, poſteriores Romanorum Imperatores, ut in quinto libro Codicis, titulo decimo ſeptimo apparet, nonnullis fraenis inhibuerunt, editis legibus ne ſine apertis ac deſignatis cauſis cuique fas eſſet propriam repudiare conjugem, neque ullo modo expellere, niſi adulteram, aut homicidam, aut plagiariam, aut veneficam, aut ſepulcrorum diſſolutricem, aut ſacrilegam, aut laeſae majeſtatis ream, aut alio his ſimilibus ſcelere obnoxiam. Formula vero libelli repudii, quam Romani breviſſimis admodum verbis concludebant, haec fuit: PAPYRIA, MUSONIS FILIA, RES TUAS CURATO, RES TIBI TUAS HABETO.

Apud Veteres Romanos permiſſa uxorum repudia.

Formula repudii apud Romanos.

TEMPORIBUS noſtris Thomas, epiſcopus Cajetanus, idemque presbyter cardinalis, in commentariis ſuper Matthaeum, & Ambroſius, archiepiſcopus Compſae, libro de hac re ſeparatim edito, conati ſunt multis aſtruere argumentis, licere marito uxorem adulterii ream ejicere, & aliam ſibi uxorem accipere: quorum ſententiam in ſexto hujus operis libro diſcutiendam relinquo.

RHEUM BEELTHEEM, quem Joſephus Rathymum vocat, ſcripſit ad Cambyſem, Perſarum regem, epiſtolam unam; qua inſtaurationem templi Hieroſolymitani prohiberi petebat. Vide primum librum Eſdrae capite quarto.

ROMANORUM ſenatus populuſque varia in gratiam Judaeorum ſcripta emiſerunt: de quibus in ſacris literis haec habentur.

SENATUSCONSULTUM de amicitia & ſocietate cum Juda Maccabaeo, & Judaeis inita, aereis tabulis in capitolio conſcriptum: cujus exemplar in Judaeam miſſum habetur primo Maccabaeorum capite octavo, & apud Joſephum libro duodecimo Antiquit. capite decimo ſeptimo.

EPISTOLA ad Demetrium, Syriae regem, ne Judaeos bello laceſſat primo Maccabaeorum octavo.

EPISTOLA per T. Manlium, & Q. Memium ad ſenatum Judaeorum ſcripta; qua eis ſecundum patrias leges libere vivere conceditur. 2. Maccabaeorum 11.

EPISTOLAE commendaticiae ad reges Europae & Aſiae, ut tutum reditum in patriam Judaeorum legatis, ab Jonatha Romam miſſis, concedant primo Maccabaeorum duodecimo.

SENATUSCONSULTUM de foedere & ſocietate cum Simone Maccabaeo Judaeorum duce inſtauratis, aeneis tabulis inſculptum, & in monumentis Romanorum ſervatum; cujus exemplar Simon in tabulis aereis in veſtibulo templi collocavit; ejuſque autographum in aerario Hieroſolymitano repoſuit. 1. Maccabaeorum 14.

EPISTOLAE commendaticiae ad reges, & liberos populos, ut legatos Simonis Maccabaei ex Roma in Paleſtinam tuto reverti permittant. 1. Maccab. 14.

S

SALOMON, Hieroſolymitanus rex, praeter tres illos libros, qui in primo ſacri canonis ordine ponuntur, videlicet Proverbia, Eccleſiaſten, librum Canti-

Digitized by Google

ticorum, & duos Pſalmos, id eſt ſeptuageſimum ſecundum, & centeſimum vigeſimum ſeptimum, ac praeter librum Sapientiae, qui inter volumina canonica ſecundi ordinis numeratur, infinitum pene librorum numerum edidit: de quibus in ſacris literis infraſcripti citantur.

משלי MISCLE, hoc eſt Parabolarum libri tria millia; de quibus in calce libri Eccleſiaſtis Salomon ipſe ſic loquitur: CUMQUE eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit populum, & enarravit quae fecerat; & inveſtigans compoſuit parabolas multas: quaeſivit verba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veritate plenos: quod in tertio Regum volumine latius explicatur his verbis: DEDIT Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam, quae eſt in litore maris: & praecedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium, & AEgyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus: & locutus eſt tria millia parabolas, &c. quae verba explicans auctor libri Hebraicarum quaeſtionum, ſive ille Hieronymus, ſive alius quiſpiam fuerit, ait: hoc Opus trium millium parabolarum eſſe librum Proverbiorum, in quo ſunt peſuchim, ſeu verſus nongenti & quindecim; in quibus tria millia parabolarum continentur. At Joſephus in octavo Antiquitatum, aliter hunc locum enarrans, ſcribit Salomonem parabolarum atque ſimilitudinum feciſſe libros tria millia; quos Rabbini Judaeorum tradunt in devaſtatione urbis Sanctae, una cum libris legis combuſtos fuiſſe a Nabuzardan, militiae Chaldaeorum praefecto, nec poſtea potuiſſe ab Eſdra reparari. Eccl. 12. c

SCRIPSIT item Salomon השרים Haſcirim, hoc eſt, Canticorum, vel Carminum quinque millia; quemadmodum idem tertius Regum teſtatur; ſive, ut Joſephus exponit, Carminum libros quinque millia: ex quibus unus tantum liber, qui שירהשרים Scir Haſcirim, hoc eſt, CANTICUM CANTICORUM inſcribitur, remanſit, caeteris incendio Hieroſolymorum abſumptis. 3. Reg. 4. 32.

EDIDIT etiam דברי הטבע diure hateva, hoc eſt, Verborum naturae, ſive, Naturalium diſputationum Opus ingens, admirabili rerum omnium ſapientia refertum: cujus recordatur tertius liber Regum, jam citato loco, in hunc modum: DISPUTAVIT Salomon ſuper lignis, a cedro, quae eſt in Libano, uſque ad Hyſopum, quae egreditur de pariete: & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus: hoc eſt, ut Hieronymus ait, de vi, naturis, & moribus illorum, & quo tempore naſcuntur, & cur non omnia in unaquaque terra naſcantur: quod Opus eodem cum caeteris libris incendio deflagravit. Georgius Cedraenus in compendio hiſtoriarum, narrat Graecos jatro ſophiſtas ſuffuratos eſſe materiam, & argumenta artis medices ex hoc opere, quod quidem Ezechias Hieroſolymitanus Rex de medio ſubſtulit offenſus, ut idem ſcribit auctor, negligentia judaïci populi, quae morborum remedia ex his ſcriptis petens ſanationem eorum a Deo flagitare negligeret. 3. Reg. 4. 33.

SCRIPSIT quoque מכתב היכל Micethau Ecal, hoc eſt, Scripturam templi, ſive, Deſcriptionem templi Hieroſolymitani; in qua ad imitationem patris ſui Davidis, aedificandi templi exemplar copioſiſſime expreſſit; oſtendens formam, ſitum, menſuram, ac pretium ſingularum templi partium; itemque explicans diſpoſitiones, atque officia ſingula Sacerdotum, Levitarum, Janitorum, Cantorum, aliorumque miniſtrorum, quae in templo peragenda eſſent. Meminit hujus Operis liber ſecundus ſacrorum Annalium. Rabanus arbitratur hunc librum eundem eſſe cum eo, quem Davidem de eodem argumento ſcripſiſſe, primus Annalium commemorat: ſed ſecundus liber Annalium reclamat, alterum ab altero diſtinguens, his verbis: PRAEPARATE vos per domos, & cognationes veſtras in diviſionibus ſingulorum; ſicut eſt ב כתב bi Cethau, hoc eſt, in ſcripto David, regis Israël; & ב מכתב be Micetthau, hoc eſt, in ſcriptura Salomonis, filii ejus, uterque autem in excidio urbis interiit. 2. Par. 35. 14. 1. Par. 28. 11. 2. Par. 35. 4.

EDITA eſt etiam ab eo Oratio ad Deum pro dedicatione templi; quam ipſe flexis genibus coram altari, & manibus in coelum ſublatis obtulit Deo, inquiens: DOMINE Deus Israël, &c. quae toto ſexto capite ſecundi Paralipomenon ſcripta ſunt.

CITATUR etiam in 3. libro Regum capite 11. ספר דברי שלמה Sepher diure

Digitized by Google

Scelemo, hoc est, Liber verborum Salomonis: in quo ipsemet, vel, ut alii putant, Ozai Propheta conscripsit vitam, atque omnia gesta Salomonis: quem librum Chaldaei una cum aliis sanctis Scripturis combusserunt.

ATQUE haec sunt Salomonis scripta; quorum mentio fit in Sacris literis, ultra quae, etiam alia quaedam fertur scripsisse, de quibus haec sunt:

Alii libri supposiri Salomoni.

PRECATIONUM, sive Praecantationum ad leniendas aegritudines liber unus: cujus recordatur Josephus in octavo Antiquitatum libro.

EXORCISMORUM, sive Conjurationum, ad effugandos malos daemones, liber unus. De his Josephus libro octavo Antiquitatum haec scribit: PRAESTITIT etiam Deus Salomoni, ut contra daemones artem ad utilitatem hominum, & eorum curam ediscceret: unde & incantationes instituit, quibus aegritudines soleant mitigari: modum etiam conjunctionum, quibus obstricti daemones ne denuo redeant, postquam effugati sunt, invenit: & haec cura hactenus apud nos multum praevalere dignoscitur: vidi ete nim quendam Eleazarum de gente nostra, praesente Vespasiano, & ejus filiis, & Tribunis, alioque simul exercitu, curantem eos, qui a daemonibus vexabantur: modus autem medicinae fuit hujusmodi. Intulit naribus ejus, qui a daemonio vexabatur, anulum habentem sub signaculo radicem a Salomone monstratam: deinde daemonium per nares odorantis abstraxit: & repente cecidit homo: postea conjuravit eum, adjurationes objiciens Salomonis, ne ad eum denuo remearet, id est, Cantica, quae ille composuit super eum dicenda. Volens autem satisfacere, atque probare praesentibus Eleazarus hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem, aut pelvim aqua plenum; & daemonio imperabat, ut haec egressus ab homine everteret, & videntibus praeberet indicium, quod hominem reliquisset: quo facto, sapientia Salomonis cunctis innotuit. Haec Josephus. Origenes tractatu in Matthaeum 35. indicans aetate sua non defuisse, qui ex his libris adjurarent daemonia, sic scribit: ADJURARE daemonia Judaïcum est: quod si aliquando a nostris tale aliquid fit: simile est ei, quod a Salomone scriptis adjurationibus solent daemones adjurari. Sed ipsi, qui utuntur adjurationibus illis, aliquoties nec idoneis constitutis libris utuntur: quibusdam autem & de Hebraeo acceptis, adjurant daemonia.

COMMEMORANTUR quoque apud vetustos probatae fidei auctores Epistolae aenigmaticae Salomonis ad Hyramum, Tyriorum regem, & Hyrami ad Salomonem; de quibus Josephus in primo contra Apionem volumine, scribit in hunc modum: HYRAMUS, Tyriorum rex, amicus erat regi nostro Salomoni; amicitiam vero praecipue amor sapientiae conciliaverat. Problemata enim solvenda alterutris dirigebant; & melior in his Salomon erat, & sapientior apparebat. Hactenus vero servantur apud Tyrios epistolae multae, quas illi scripsere ad invicem. Quod autem non fingam de Tyriorum literis; testem producam Dium, qui in Phoenicum historiis integerrimus approbatus est. Is igitur in Phoenicum historiis hoc modo scribit: REGEM Salomonem misisse dicunt ad Hyramum regem aenigmata, & popposcisse ab eo, adjecto, ut, qui non posset discernere, pecuniam solventi persolveret; confessumque Hyramum, se non posse solvere propositas quaestiones, multis pecuniis mulctatum: deinde Abdemonum quendam, virum Tyrium, propositas solvisse quaestiones; ipsumque alias proposuisse, quas si non solveret Salomon, multas rursus pecunias Hyramo regi conferret. Haec Josephus: cui Theophilus, Sextus Antiochiae Episcopus, in tertio ad Autolycum libro, iisdem pene verbis subscribit. (a)

FER-

(a) Quae ex Flavio Josepho, & Theophilo. N. Xystus refert, apud eosdem vere prostant, sed quomodo reapse vocetur Tyriorum Rex, ad quem Salomon scripsisse dicitur, non leve est dissidium. *Hyramum* dixit N. Author, qui Josephi Latinam versionem fortasse legit non lustrato originali Graeco textu, de qua re pauca subdere lubet. In Græco-Latina versione Basileensi Josephi edita Anno 1633. quae, ut praefertur, concordat cum editione Graecorum Palatinae manuscriptorum Codicum, in textu Graeco habetur Ειρωμος, sed in Latina versione legitur *Hiramus*, fortasse ex oscitantia Typographorum, qui ω commutarunt in α, & loco *Hiromi* posuerunt *Hiramum*. At in purgatissima, eaque optima, Flavii Josephi editione Graeco-Latina Segeberti Havercampi Amstelodami 1726. Graece legitur. Ειρωμος, & Latine *Hiromus* recte cum Greco concordans. Similiter in textu Originali graeco Theophyli ad Autolycum ex editione Parisina 1636., & Colonensi 1686. legitur Ιερωμος, & ibidem Latina versio, cum Graeco textu concordans habet *Hieromus*. Fortasse sicut Salomon dictus est etiam Solomon, aliique innumeri variationem in nomine vario ex momento subjerunt, ita pariter *Hyramus*, *Hiramus*, *Hiromus*, & *Hiero-*

Digitized by Google

FERTUR & liber alius Salomonis, SAPIENTIA inſcriptus, ab eo diverſus, quem in Canone habemus: de quo Joannes Picus in Praefatione ſuae Eptapli ſic ſcriptum reliquit: EXTAT apud Hebraeos Salomonis illius cognomento ſapientiſſimi liber, cui SAPIENTIA titulus; non qui nunc in manibus eſt Philonis Opus, ſed alter Hieroſolyma, quam vocant, ſecretiore lingua compoſitus: in quo vir naturae rerum, ſicuti putatur, interpres, omnem ſe ejus libri diſciplinam fatetur de Moſaicae legis penetralibus accepiſſe.

RECENSETUR etiam in Decreto Gelaſii Pontificis inter damnata ſcripta liber quidam, falſiſſime Salomoni aſcriptus, qui CLAVICULA Salomonis praenotatur; quem olim a quibuſdam impoſtoribus vidimus circumferri, continentem genus ſuperſtitionis prodigioſae, atque maleficae.

ITEM & liber alius, SALOMONIS CONTRADICTIO nuncupatus, in eodem Gelaſii Decreto enumeratur; quem mihi nondum videre contigit.

ALLEGAT ſaepenumero Ciccus Aſculanus in commentariis ſphaerae librum quendam Salomonis de umbris idearum, in quo nomine appellationes ſignificationes ac definitiones axium polorum, circulorum atque aliarum aſtronomicae ſphaerae partium ad explicanda magicae impietatis myſteria transferuntur.

SAMARITANORUM Pentateuchus, qui olim Samaritanis in uſu fuit, quinque libros Moſi Hebraica lingua conſcriptos continebat, ſed literarum figuris, & apicibus plane diverſis ab his characteribus, quibus nunc Judaei utuntur, ab Eſdra inventis poſt captam Hieroſolymam: quanquam ante ejus excidium Samaritanorum atque Hebraeorum characteres, ut Hieronymus in Praefatione Regum teſtatur, iidem erant. Meminit hujus Pentateuchi frequenter Hieronymus, admonens aliqua ex eo in noſtram vulgatam editionem irrepſiſſe: quale illud eſt in libro Geneſeos, EGREDIAMUR FORAS; quod in Hebraeo non habetur. Geneſ. 4. 18.

SAMUEL Ephraïtes Propheta ſcripſit ספר משפט המלוכה Sepher Miſcphat Hammeluca, pro quo Septuaginta tranſtulerunt, *βιβλίον τῶ δικαιώματος τῆς βασιλείας*, hoc eſt, Libri juſtificationis, ſive Judaïci regni, vel, Legis regni: in quo Propheta poſtquam conſtituit Saulem primum regem Hebraeorum, ſcripſit inſtitutionem regiae politiae, ac certas leges, quibus ea moderatione regni gubernacula tractarentur: ut neque rex tyrannidem in populum exerceret, neque populus pro ſua libidine regis imperia contemneret: recondiditque volumen ipſum in arca foederis ad perpetuam regni inſtructionem. Mentio fit hujus libri in primo Regum volumine capite decimo in haec verba: LOCUTUS eſt autem Samuel ad populum legem Regni: & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino. Scripſit item de prioribus geſtis Davidis, regis Hieroſolymitani, librum unum; de quo in fine prioris libri Paralipomenon ſic legitur: GESTA autem David regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetae, & in volumine Gad Videntis. Hunc librum Rabbi Moſes Kimki, dicit eſſe priorem partem voluminis, quod a nobis ſub nomine PRIMI REGUM, ab Hebraeis vero ſub titulo SAMUELIS inter ſcripturas veteris Teſtamenti recenſetur: aſſeritque eundem Samuelem fuiſſe ſcriptorem libri Judicum, & Ruth. 1. Par. ult.

SCEMAHEJA Hannechelami שמעיה הנחלמי, ſive Semejas Nehelamites, falſus vates, & a ſe ipſo injuſſu Dei miſſus, de numero eorum, qui una cum impio rege Joakim abducti ſunt in Babylonem, ſcripſit ceu ex Dei nomine ad Sophoniam Pontificem, & ad omnem ſenatum populumque Hieroſolymitanum, accuſatorium librum adverſus Jeremiam Prophetam, inſimulans eum, quod arrepticio ac maligno ſpiritu correptus, omnem tranſmigratorum multitudinem deſperatione compleſſet, miſſa ad illos epiſtola, qua diuturnam fore ipſorum in Babylone captivitatem, tanquam ex Dei verbis praedixerat. Proinde efflagitabat, ut in carcerem conjiceretur, & more majorum puniretur. Mortuus eſt autem mendax Jer. 29. f

romus dictus eſt hic Tyriorum Rex, ad quem epiſtolas dediſſe Salomon adſeritur; At, quae Salomoni abſcribuntur carmina incantatoria, ſpuria & commentitia ſunt, confiſta ab impoſtoribus quibuſdam, vel ab ariolis & magicae arti addictis, ut fucum facerent ſimplicioribus, & crimen facilius ſuaderent ineptis, quae omnia ab Eccleſia nigro fuerunt theta ſignata, & inter ſuperſtitioſa adnumerata, eaque diris devota: quae inter praecipua eſt *clavicula Salomonis* ab circulatoribus quibuſdam Rabbinis, aliiſque ejuſdem furfuris nebulonibus venditata. Similiter quae vulgo circumferuntur Problemata, & aenigmata Salomonis, feſtiva nimium ſunt, & riſu excipienda, quaeque nonniſi ad nugivendos poſſunt amandari. Videſis Criticos & eruditos Scriptores.

Digitized by Google

dax hic Semejas non longe poſt, una cum omni familia ſua in Babylone captivus; ita volente Deo, qui hanc ipſi poenam ob temere uſurpatum prophetiae munus, per os Jeremiae Prophetae denunciaverat.

SCEMAHEJA שמעיה ſive Semejas, Propheta Domini ſanctiſſimus, genere Judaeus (qui juſſu Dei Roboam, regem Juda, in Hieruſalem anno quinto regni ejus adjens, vaticinatus eſt ei direptionem templi, & urbis a Seſaco, rege AEgypti, mox fiendam) edidit de vita & geſtis Roboam, regis Juda, librum unum, de quo in ſecundo volumine ſacrorum Annalium capite duodecimo, ita ſcriptum
2. Par. 12. 15. eſt: OPERA vero Roboam prima & noviſſima ſcripta ſunt in libris Semejae Prophetae, & Addo Videntis, & diligenter expoſita.

SCRIBARUM nomine, quod toties in Evangelio inculcatur, putant nonnulli ſignificari genus hominum, cui ſoli apud Judaeos poteſtas eſſet conſcribendi Sacros divinae legis libros; ne pro cujuſque arbitrio ac libidine ſcripti depravarentur: nam & Auguſtinus in libro primo de ſermone Domini in monte, refert, nulli fas fuiſſe literas Sanctas apud Hebraeos ſcribere, niſi Scribis ſolis; quod excellentiorem prae caeteris profiterentur ſapientiam. Sunt qui tradant, Scribas fuiſſe primarios, ſummaeque auctoritatis viros ac ſapientiſſimos, quorum officium eſſet: ut quemadmodum olim apud Romanos in rebus dubiis ex Sibyllarum voluminibus per haruſpices reſponſa petebantur; ita hi de rebus arduis ac perplexis conſulti, ex ſanctis libris, & Prophetarum oraculis reſponderent: quos & Hero-
Matth. 2. dem in adventu magorum de ortu Meſſiae conſuluiſſe refert Matthaeus. Epiphanius libro primo Panarii narrat, eos fuiſſe expoſitores divinae Scripturae, indeque Scribarum nomen ſortitos; conſueviſſe autem interpretari Scripturas juxta quatuor expoſitiones: quarum prior Moſis Prophetae diceretur; altera Achibae; tertia Ammani, ſive Idae; quarta filiorum Aſamonaei.

SENNACHERIB, ſive Sancherib, Aſſyriorum rex, cum Ezechiam, Judaeorum regem, intra Hieroſolymitanae urbis moenia validiſſimo obſediſſet exercitu, miſit ad eum epiſtolam; in qua ſtultum eum dicebat, quod fretus inani ſpe Dei ſui putaret ſe poſſe ſervitutem effugere ejus, qui tam multas gentes perdomuiſſet; minabaturque internecionem omnibus, niſi ſponte, patefactis portis, exercitum in urbem reciperet: hac epiſtola Ezechias occulte lecta, aſcendit in templum; & expandens eam ante Dominum, ſuam atque urbis ſalutem multis ſupplicationibus illi commendavit. Obſervanda eſt hoc loco regis prudentia; qui blaſphemias epiſtolarum nemini legit, ne fidem promiſſis divinis apud ſuos pavore conſternatos imminueret: ſed ſoli Deo expoſuit; quem ſciebat eſſe populi protectorem. Eodem conſilio idem rex per legatos ſuos rogavit Rabſacen, ducem Syriaci exercitus, ne loqueretur Judaïce; veritus ne tumultum populi oratione ſua excitaret: populus enim audiens Rabſacen de induſtria exprobrantem regi, quod excelſa & altaria, quae majores in honorem Dei erexerant, deſtruxiſſet, parvo momento vacillare poterat. Sed cum Rabſaces ſatis intelligens, quid Ezechias metueret, majore etiam voce, multoque vehementius Hebraice loqui pergeret, praeceptum eſt, ut nemo reſponderet. Quo exemplo monemur haereticorum libros, ſcripta, ſermones, & colloquia non eſſe audienda: & ſi cogamur, ipſorum blaſphemias etiam invitis auribus audire; non oportet illis dare reſponſum, neque cum eis diſputare: porci enim ſunt, & canes, ante quos non oportet projicere margaritas: & hoc contra eos eſt, qui dicunt libros omnes indiſcriminatim eſſe legendos, ja-
1. Theſ. 5. d ctantes illud Pauli, OMNIA probate: quod bonum eſt, tenete: & item dictum illud Dionyſii Alexandrini ex ſexto hiſtoriae Eccleſiaſticae, & Hieronymi in epiſtola ad Minerium, & Alexandrum: quibus abunde reſpondimus libro 6. in cenſuris primae epiſtolae ad Corinthios capite 15.

SETH, filii Adam, libri ſeptem: hos, ut in primo Panarii teſtatur Epiphanius, Gnoſtici haeretici, & qui Sethiani dicti ſunt, & qui Archontici, efformarunt ſub nomine ipſius Seth, addentes ad eos etiam ſeptem alios libros, quos ALIENIGENAS appellarunt ex nomine ſeptem filiorum Seth; qui apud eos alienigenae dicti ſunt: acceperunt autem, ut arbitror, hujus figmenti occaſionem ex eo, quod Joſephus in primo libro Antiquitatum refert, ſcilicet, quod filii Seth ſyderalem ſcientiam ad coeleſtium rerum cognitionem excogitarunt: & cum ſci-

rent

Digitized by Google

rent Adamum praedixiſſe duos univerſales rerum interitus, alterum incendio, alterum diluvio; veriti ne inventa ſua prius perirent, quam pernoſcerentur, excitatis duabus columnis, utrique ſua inventa inſcripſerunt; ut, ſi latericiam diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes, hominibus diſcendi copiam faceret: & illam, quae ex lapide fuerat extructa, refert Joſephus temporibus ſuis adhuc in Aſia extitiſſe. Auctor Operis imperfecti in Matthaeum exponens illud Matth. capite 2. VIDIMUS STELLAM EJUS IN ORIENTE, meminit cujuſdam ſcripturae Seth de ſtella apparitura in ortu Meſſiae, his verbis. AUDIVI aliquos referentes de quadam ſcriptura, etſi non certa, tamen non deſtruente fidem, ſed potius delectante; quoniam erat quaedam gens ſita in ipſo principio Orientis, juxta Oceanum, apud quos ferebatur quaedam ſcriptura, inſcripta nomine SETH, De apparitura hac ſtella, & muneribus hujuſmodi Chriſto offerendis; quae per generationes ſtudioſorum hominum, patribus referentibus filiis ſuis, habebatur deducta, &c.

Columnae duae a filiis Seth extructae.

SIBYLLARUM Oracula. Paulus Apoſtolus, quemadmodum in 6. libro Stromatum teſtis eſt Clemens, hortatur ſuos ad lectionem Sibyllinorum voluminum, ſic in recondita quadam ſcriptura, inquiens: LIBROS GRAECOS SUMITE, ET SIBYLLAS AGNOSCITE, QUOMODO UNUM DEUM SIGNIFICENT, ET EA, QUAE FUTURA SUNT; ET INVENIETIS IN EIS FILIUM DEI CLARIUS ET APERTIUS SCRIPTUM. Hac ego Pauli, qualiſcunque ea ſit, adhortatione incitatus, nonnulla de Sibyllarum nominibus, patria & ſcriptis, a variis praeſertim Chriſtianis auctoribus accepi; quae hoc loco inſeram. Sibyllae omnes foeminae fuerunt, vates Deo plenae, perpetua virginitate florentes, futurarum rerum praeſciae, & interpretes; a veteribus ſic nuncupatae, quod deorum conſilia denunciarent: βίος enim Deum, & βυλὴ conſilium AEolico ſermonis genere ſignificant: quae cum oracula futurorum diverſis carminum generibus proderent, multa quoque de Servatore noſtro Chriſto, & humani generis redemptione praenunciarunt, & literis quoque mandarunt, tanta praenotionis certitudine & claritate, ut praeterita magis, quam futura videantur ſcripſiſſe. Has ex ſententia M. Varronis, qui in libro rerum divinarum ad C. Caeſ. Pont. Max. de Sibyllis copioſe differuit. Decem fuiſſe perhibent Lactantius in primo libro adverſus gentes, & Hieronymus in primo adverſus Jovinianum: quarum cognomina patria, haec ſunt, Cumaea, Cumana, Perſica, Helleſpontica, Lybica, Samia, Delphica, Phrygia, Tyburtina, Erythraea. Quae autem de ſingulis ſeparatim juxta ordinem myſteriorum humanae Salutis ab eiſdem praenunciata collegi, hìc ſequuntur.

SIBYLLA CUMAEA, a Cumis, in Campania Italiae urbe, in qua oracula edidit, cognomen accepit: cujus inter ethnicos Naevius in libris belli Punici, & Piſo in Annalibus meminere; inter noſtros Lactantius libro paulo ante citato, & Juſtinus Martyr in admonitorio gentium: in quo de Sibyllae hujus genere, patria, & oraculis verba faciens, ita gentes alloquitur: UT CULTUM Dei ex parte condiſcatis, facile vobis praeſtabitur ex antiqua Sibylla Cumaea, inſpiratione quapiam per oracula vos edocente: quae nimirum Prophetarum doctrinae proxima videntur. Hanc autem ex Babylone profectam, & Beroſi illius, qui Chaldaïcam ſcripſit hiſtoriam, filiam fuiſſe aſſeverant: quae dum in quandam partem Campaniae conceſſiſſet, ibi in urbe, cui nomen Cumis, oracula cecinit, quae ſex paſſuum millibus diſtat a Bajis: quo in loco calidae balneae frequentantur. Vidimus ipſi, cum in urbe fuiſſemus, locum, ubi maxima conſtructa erat baſilica, ex uno lapide perpolita, opus quidem maximum, & omni dignum admiratione: illic eam oracula fudiſſe affirmant, qui haec a majoribus ſuis, veluti patria ſuſceperunt. Oſtendebant autem nobis in medio baſilicae vaſa tria, ex eodem lapide fabrefacta; quibus aqua repletis lavaretur; & accepta ſtola, in penitiſſimam ejuſdem baſilicae partem eodem perpolito lapide aedificatam procederet: cujus in meditullio tribunal altum, thronumque conſcenderet, & inde redderet oracula. Hujus autem Sibyllae, veluti fatidicae, cum multi alii, tum Plato meminit in Phaedone: qui mihi videtur, cum in hujus incidiſſet oracula, fatidicos divinos exiſtimaſſe: quippe qui ea viderit impleta, quae ipſa longe antea praedixiſſet;

qua-

Digitized by Google

quapropter in dialogo, qui MEMNON inſcribitur, admiratus oraculorum cantores, hiſce verbis eos laudavit: RECTE itaque eos, quos fatidicos nunc dicimus, divinos vocaverimus: neque enim hos fruſtra divinos appellamus, & divina re inſpiratos, & Deo poſſeſſos, cum & magna & multa vere praenunciant, ignari eorum, quae proferunt; clare manifeſteque ad Sibyllae reſpexit oracula: neque enim illa, veluti poëtae faciunt, caſtigandi & poliendi, quae ſcripſiſſet, poteſtatem habuit metricae diligentiae; ſed afflationis tempore, quae ad praedictionem ſpectabant, edebat: qua ceſſante, eorum pariter memoria ceſſabat: & hoc fuit in cauſa, ut Sibyllinorum verſuum menſura cuſtodita non fuerit: ipſi enim, dum Cumis eſſemus, id ipſum didicimus ab his, qui haec enarraverant; qui & oſtenderunt, ubi oracula ceciniſſet, & lenticulam pariter ex aere fabrefactam, ubi reliquiae ejus aſſervarentur: inter alia vero plura hoc retulerunt, quod a majoribus ſuis audierant, eos, qui oracula excipiebant, plurimum ineruditos, a metri ratione multis in locis exorbitaſſe: hancque aſſignant cauſam, cur multi illius verſus menſura debita careant: tum videlicet, quod ipſo afflatu deſtituta non recordaretur Sibylla, quae prius effuderat; tum quod notarii ob inſcitiam ruditatemque a metri ratione exciderent: itaque gentiles viri aſſentimini vetuſtae huic antiquiſſimaeque Sibyllae, cujus volumina toto terrarum orbe aſſervari contingit, quae ſuperne afflata oraculis vos erudiet, quod qui dicuntur, dii non ſunt. De Salvatoris autem noſtri Jesu Chriſti adventu, & de his omnibus, quae is facturus erat, manifeſte pronunciat: quorum notitia vobis neceſſaria quaedam praeexercitatio futura eſt ad ſacrorum prophetias virorum. Hactenus Juſtinus de Sibylla Cumaea: cujus ſigillatim oraculorum mentionem facit Auguſtinus in expoſitione inchoata epiſtolae ad Romanos his verbis: FUERUNT & inter gentiles prophetae, in quibus etiam aliqua inveniuntur, quae de Chriſto cecinerunt, ſicut etiam de Sibylla dicitur: quod non facile crederem, niſi quod poëtarum quidam, in Romana lingua nobiliſſimus, ante, quam diceret ea de innovatione ſaeculi, quae in Domini noſtri regnum ſatis concinere & convenire videntur, praepoſuit verbum, dicens:

Ultima Cumaei jam venit carminis aetas:

Cumaeum autem carmen Sibyllinum eſſe nemo dubitaverit. Haec Auguſtinus: ante quem Euſebius in quarto libro de vita Conſtantini id ipſum Virgilii carmen eodem modo expoſuit. Extant in collectaneis Stratonici, epiſcopi Cumani, ex quibus omnia fere ſubjecta oracula collegimus, Graeca hujus Sibyllae carmina de ſumma temporum tranquillitate in adventu Chriſti futura, ab his, quae Maro ex Cumaeis oraculis tranſtulit, non prorſus diſſimilia, maxime vero ſimilia his, quae de pacifero Meſſiae adventu vaticinatus eſt Eſaias: ea autem haec ſunt:

Ὅταν ἀπ' ὐράνοῦ Θεὸς πέμψει βασιλῆα,	*Cum Deus ab alto regem demittet olympo,*
Τῇ γὰρ παγγενέτειρα βροτοῖς δώσει ὧν ἀρίστων	*Tunc terra omniparens fruges mortalibus aegris*
Καρπὸν ἀπειρέσιον, σίτου, οἴνου, ἐλαίου.	*Reddet inexhauſtas frumenti, vini, oleique:*
Αὐτὰρ ἀπ' ὐρανόθεν μέλιτος γλυκερῆ πόσιν ἡδύ,	*Dulcia tunc mellis diffundent pocula coeli,*
Νάμασι καὶ ῥήξει γλυκερὸν λευκοῖο γάλακτος.	*Et niveo latices erumpent lacte ſuaves:*
Πλήρεις δ' αὐτὶ πόλεις ἀγαθῶν, καὶ πίονες ἄγροι	*Oppida plena bonis, & pinguia culta vigebunt:*
Ἔσσονται, οὐδὲ μάχαιρα κατὰ χθονὸς, οὐδὲ πολῖται.	*Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus:*
Ἀλλὰ μὲν εἰρήνη μεγάλη κατὰ γαῖαν ἅπασαν.	*Verum pax terris florebit omnibus alta:*
Ἔνθ' λύκοις σὺ καὶ ἀρνεὺς ἐν ὄρεσιν ἄμμιν ἴδονται	*Cumque lupis agni per montes gramina carpent:*
Χόρτον, παρδάλεις τε ἐρίφοις ἅμα βασκήσονται.	*Permiſtique ſimul pardi paſcentur & hoedi:*
Ἄρκτοι σὺ μόσχοις τομάδες αὐλισθήσονται,	*Cum vitulis urſi degent, armenta ſequentes.*
Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγετ' ἐν φάτνῃ ὡς βοῦς.	*Carnivoruſque leo praeſepia carpet, uti bos:*
Καὶ βρέφεσσι δράκοντες ἅμα σφίσι κοιμήσονται.	*Cum pueris capient ſomnos in nocte dracones;*
Καὶ οὐκ ἀδικήσουσιν, χεὶρ γὰρ κυρίου ἔσται' ἐπ' αὐτούς.	*Nec laedent: quoniam domini manus obteget illos.*

Quae ſic verti poſſunt:

AMMIANUS Marcellinus in hiſtoria ſua refert hujus Sibyllae carmina apud AEnam civitatem ab Imperatore Juliano Apoſtata ignibus tradita.

SIBYLLA CUMANA, Cumis, quae Joniae provinciae urbs eſt, genita educataque, Amalthaea, & Erophyle, & Demophile nominatur: haec multos divinationum libros ſcripſiſſe dicitur: de quibus Lactantius ex teſtimonio Varronis eam refert novem attuliſſe ad regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Phi-

Digitized by Google

Philippeos poſtulaſſe; regemque aſpernatum pretii magnitudinem, & deriſiſſe mulieris inſaniam; illam vero in conſpectu regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe; Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe: quae, denuo tribus aliis exuſtis, quum in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Solinus hujus ſepulcrum in Sicilia ſpectari dixit. Fertur ejus de filii Dei incarnatione, atque ejus ſanctiſſimo nomine Graecum in his verſibus vaticinium:

Δὴ τότε καὶ μεδάλοιο Διὸς παῖς ἀνδρώτοισι	*Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis*	Summa nominis JESU.
Ἥξει σαρκοφόρος Δηνοῖς ὁμοίμενος ἐν γῇ,	*In terris ſimilis natus patris omnipotentis*	I 10
Τέσσαρα φωνήεντα φέρη, τὰ δ' ἄφωνα ἐν αὐτῷ	*Corpore veſtitus: vocales quatuor autem*	H 8
Διωῶν ἀγγέλων· ἀριθμὰ δ' ὅλον ἐξονομλώω.	*Fert, non vocaleſque duas binum geniorum:*	Σ 200
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας, τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις,	*Sed, quae ſit numeri totius ſumma, docebo.*	O 70
Ἠδὲ ἑκατοντάδας ὀκτὼ, ἀτιμοχόροις ἀνδρώποις	*Namque octo monades, totidem decadas ſuper iſta,*	T 400
Οὔνομα δηλώσει, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νόησον.	*Atque hecatondadas octo infidis ſignificabit*	Σ 200
hoc eſt,	*Hominibus nomen: tu vero mente teneto.*	

SUPPUTATIONEM literarum nominis Jesu, a Sibylla his carminibus collectam, Beda in primo libro Commentariorum in Lucam clarius explicat, adjecto numero ſeptuagenario, qui in Sibyllino carmine deeſt. Loquitur autem hunc in modum: HUJUS ſacroſancti nominis JESU non tantum etymologia, ſed & ipſe, qui literis comprehenditur, numerus perpetuae Salutis noſtrae myſteria redolet: ſex quippe literis apud Graecos ſcripſit, ΙΗΣΟΥΣ, videlicet, I, & H, & Σ, & O, & Υ, & Σ; quarum numeri ſunt, X, & VIII, & CC, & LXX, & CCCC, & CC; qui fiunt ſimul DCCCLXXXVIII. qui profecto numerus figurae reſurrectionis adgaudet. Octavus enim numerus in Sacris literis reſurrectionis gloriae convenit: quia Dominus octava die, hoc eſt, poſt ſeptimam ſabbati reſurrexit; & ipſi poſt ſex hujus ſaeculi aetates, & ſeptimam ſabbati animarum, quae nunc interim in alia vita geritur, quaſi octavo tempore ſurgemus.

Duae conſonantes, SS, ſunt duo elemēta, a quib. incipiūt nomina duorum principalium angelorum, boni ſcilicet, quem pleriq; veterum Sathaēlem dixere, & mali, qui Sathan appellatur.

SIBYLLA PERSICA ex Perſis fuit: cujus, teſte Lactantio, mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Magni conſcripſit: ejus habetur de praedicatione, & baptiſmate praecurſoris Chriſti oraculum hujuſmodi:

Ἀλλ' ὁπόταν φωνὴ τὶς ἐρημαίης διὰ χώρης	*Tunc quoq; vox quaedā veniet per deſerta locorū*	
Ἥξει, ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς, καὶ πᾶσι βοήσει	*Nuncia, mortales miſeros quae clamet ad omnes,*	
Εὐθείας ἀτραπὸς ποιησόμεν· ἠδ' ἀποείλαι	*Ut rectos faciant calles, animoſque repurgent*	
Ἐκκαθίης κακίας, καὶ ὕδασι φωτίζεσθε, id eſt,	*A vitiis, & aquis perluſtrent corpora mundis.*	

SIBYLLA HELLESPONTICA, in agro Trojano nata, vico Marmiſſa, prope oppidum Gergeticum, quam ſcribit Heraclides Ponticus Cyri fuiſſe temporibus, inter alia multa oracula hanc de doctrina Chriſti reliquit divinationem:

Αὐτὸς πληρώσει δὲ Διὸς νόμον, οὐ καταλύσει	*Ille Dei legem complebit, non violabit,*	
Ἀντίτυπον μίμημα φέρων, καὶ πάντα διδάξει. hoc eſt,	*Perſimilem formam referens, & cuncta docebit.*	

SIBYLLA LIBYCA, cujus recordatur Euripides in Lamiae Prologo, tale protulit de Chriſti miraculis vaticinium:

Καὶ τότε δὴ νοσεροῖς ἰήσεται, οὐδ' ἐτιμήσει	*Ille quidem morbis preſſos ſanabit, & omnes*	
Πάντας, ὅσοι τοῦτῳ πίστιν ἐνὶ ποιήσονται.	*Laeſos, quot quot ei fident: coecique videbunt:*	
Βλίψουσιν δὲ τύφλοι, ἀταρ βαδιοῦσι χωλοί,	*Incedent claudi: ſurdis audire licebit:*	
Κωφοί τ' ἀσαώσουσι λαλήσουσ' ἀλαλήτους.	*Inſolitas mutis dabitur formare loquelas:*	
Δαίμονας ἐξελάσει, νεκρῶν δὲ ἀναστάσεις ἔσαι,	*Expelles furias: oppreſſi morte reſurgent.*	
id eſt,		

SIBYLLA SAMIA, de qua Eratoſthenes ſcribit, ſe in antiquis Samiorum Annalibus reperiſſe memoriam, dicta eſt nomine Pitho, cujus in his verſibus habetur de Chriſto ingrediente in Hieruſalem, inſcenſo aſello, oraculum:

Χαῖρε ἁγνὴ θύγατερ Σιών, καὶ πολλὰ παθοῦσα.	*Salve caſta Syon, permultaque paſſa puella,*	
Αὐτὸς σοὶ βασιλεὺς ἐπιβὰς ἐπὶ πῶλον ἐσάξει.	*Ipſe tibi inſcenſo Rex en tuus intrat aſello,*	
Πρᾶος πᾶσι φανείς, ἵνα τοι ζυγὸν ὃν περ ὑπῆμον,	*Exga omnes mitis, juga quo tibi, quo juga demat*	
Δοῦλον δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κεῖμενον, ἀρῇ.	*Intoleranda tibi, quae fers cervice ſubacta.*	
hoc eſt,		

SIBYLLA DELPHICA, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem De divinatione compoſuit, Delphis nata putatur, nomine Anthemis: vixit ante Trojanum excidium: cujus plures verſus Operi ſuo Homerum inſeruiſſe quidam crediderunt. Extat ejus prophetia de Paſſione Chriſti in hunc modum:

Καὶ

Digitized by Google

Καὶ τότε δὴ κολάφους καὶ πτύσματα φαρμακόεντα
Ἰσραὴλ δώσει μυσαροῖς ἐνὶ χείλεσι πίτυ
Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς πόσιν ὄξος ἄκρατον.
id est,

Impinget illi colaphos, & sputa sceleſtis
Israël labiis: neque non & fellis amari
Apponet eſcam, potumque immitis aceti.

SIBYLLA PHRYGIA, quae Ancyrae vaticinata eſt, mortem Chriſti his cecinit carminibus:

Νὺξ χιδὴν τὸ καταπέτασμα, καὶ ἤματι μέσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα τελούμενος ἐν τρισὶν ὥραις.
Καὶ θανάτῳ μοῖραν πολέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας.
hoc eſt,

Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis,
Et tridui ſomno peraget mortalia fata.

SIBYLLA TIBURTINA ex Tybure Italica urbe, nomine Albunaea, quam Tyburtini olim, ut deam, coluere, juxta ripas fluvii Anienis, in cujus gurgitibus ſimulacrum ejus invenerant librum in manu tenens, Chriſti reſurrectionem, & aſſumptionem in hunc modum praedixit:

Αὐτὰρ ἐπὴν ἐλθῃ τριὸν ἦμασιν εἰς φάος αὖδις,
Καὶ δείξῃ ἀνιστᾶσιν ὕπνον, καὶ πάντα διδάξῃ,
Ἐν νεφέλαις ἐπιβὰς εἰς οὐρανὸν οἶκον ὀδεύσῃ.
hoc eſt,

Sed poſtquam triduo lucem repetiverit, atque
Monſtrarit ſomnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illuſtrarit: coeleſtia tecta ſubibit
Nubibus inveſtus.

SIBYLLA ERYTHRAEA, cujus meminit B. Clemens Papa primus in epiſtola ad Corinthios, ex Erythra Joniae urbe fuit: hanc Apollodorus Erythraeus affirmat ſuam fuiſſe civem; eamque Grajis, Ilium petentibus, vaticinatam & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. Feneſtella, diligentiſſimus auctor, ſcribit C. Gurionem Conſulem reſtituto capitolio retuliſſe ad Senatum, ut legati Erythras mitterentur, qui carmina hujus Sibyllae conquiſita Romam deportarent: itaque miſſos eſſe P. Gabinium, M. Octacilium, L. Valerium; qui deſcriptos a privatis verſus circa mille Romam deportarunt. Conſtantinus Magnus Auguſtus in oratione, quam Euſebius libris de vita Conſtantini a ſe editis adjunxit, recitat oraculum hujus Sibyllae de adventu Chriſti ad Judicium, acroſtichis carminibus ita concinnatum, ut in literis verſuum initialibus legantur haec verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΤΙΟΣ ΣΩΤΗΡ: hoc eſt, JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR. Idemque aſſerit Imperator M. T. Ciceronem, cum in haec incidiſſet Sibyllina acroſticha, permotum poëmatis artificio, id ipſum Latinis auribus donaſſe, & inter caeteras lucubrationes ſuas annumeraſſe. Auguſtinus libro decimo octavo de civitate Dei capite vigeſimo tertio aſſeverat eadem se acroſticha in Graeco Erythraeae Sibyllae codice legiſſe; quem ſibi Flaccianus Africae proconſul oſtendit. Sunt autem Graeca carmina ſeptem & viginti, videlicet,

ΙΑΡΩΣΕΙ δὲ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασίλευς αἰῶσιν ἁπάντων.
Σάρκα παρὼν πᾶσαν κρίνῃ, καὶ κόσμον ἅπαντα
Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
Τ' ἄμισον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο.
Σαρκοφόρων ἀνθρώπων ψυχὰς βέβαπτι κρίνων.
ΧΕΡΣΟΣ ὅταν πότε κόσμος ὅλος, καὶ ἀκάνθαι γένηται.
Ῥίψουσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
Ἐκκαύσει δὲ πῦρ γῆν, οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν
Ἰχθύν· φλέξει δὲ πύλας ἀρρήτῳ εἴδει.
Σάρξ ὅτι πᾶσα βροτῶν ἐπελευθέριον φάος ἴξει
Τῶν ἁγίων· ἀνόμους δὲ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
Ὅσσα τις πράξας ἐλάθεν, πότε πάντα λαλήσει.
Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωτὶ ῥσιν ἀνοίξει.
ΘΡΗΝΟΣ δὲ ἐκ πάντων ἥξει, καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ἐκλείψει δὲ φάος σίλας ἠελίοιο καὶ ἄστρων.
Οὐρανὸν εἱλίξει, μείωσις δέ τε φίγγος ὀλεῖται.
Τ' ἰώσει δὲ φάραγγος, ὀλεῖ δ' ὑάμασι βυνῶν.
ΤΨΟΣ δ' ἐκεῖτι λυγρὸν ἐν ἀντρώποισι φανήται.
Γ' ωσατ' ὄρη πεδίοις ἶσα, καὶ πᾶσα θαλάσσα
Οὐκέτι πλὼν ἔξει· γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Σωὶ πηγαῖς, ποσμοὶ δὲ κλάζοντες λείψουσιν.
ΣΑΛΠΙΓΧ δὲ οὐρανόθεν φωνὴ πολύδρομον ἀφήσει.
Ὠρύσει μύσος μελίων, καὶ πήματα κόσμῳ,
Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα
Ἥξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες
Ῥύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πῦρ, ἠδέ τε θεῖον.

Quae apud Auguſtinum male verſa, iterum reſtitutis capitalibus literis, ſic verti poſſunt.

JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR.

JUDICII in ſignum tellus ſudore madeſcet,
Et rex aeternus ſummo deſcendet Olympo:
Scilicet ut carnem, mundumque ut vindicet omnem,
Unde Deum fidi, diffidenteſque videbunt
Summum cum ſanctis in ſaecli fine ſedentem.
CORPOREUM, animas hominum quo judicet, olim.
Horrebit totis cum denſis vepribus orbis.
Rejicient ſimulacra viri, gazaſque repoſtas:
Exuretque ignis terras, coelumque ſalumque:
Incendetque fores anguſti carceris arci:
Sanctorumque omnis caro libera reddita, lucem
Tunc repetet: ſemper cruciabit flamma ſceleſtos:
Utque quis occulte peccaverit, omnia dicet:
Sub lucemque Deus reſerabit pectora clauſa.

DEN-

Digitized by Google

DENTES ſtridebunt, crebreſcent undique luctus:
Et lux deficiet, ſolemque nitentiaque aſtra
Involvent tenebrae, tum Lunae ſplendor obibit.
FOSSAS attollet, juga deprimet ardua, montes:
Impedietque nihil mortales amplius altum.
Longa carina fretum non ſcindet, montibus arva
Ipſa aequabuntur: nam fulmine torrida tellus,
Unaque & ſicci fontes, & flumina hiabunt:
Sidereiſque ſono triſti tuba clanget ab oris.
STULTORUM facinus moerens, mundique dolores
Et chaos oſtendet, & tartara terra debiſcent:
Regeſque ad ſolium ſiſtentur numinis omnes:
Undaque de coelo fluens ignea ſulphure miſto:
Atque omnes homines ſignum praeſigne notabit
Tempore eo lignum, cornu peramabile fidis
Oppoſitus mundo caſus, ſed vita piorum
Reſpergendo lavans duodeno fonte necatos.

FERTUR & hujus divinatoria ad Graecos, Ilium petentes, Epiſtola Latine verſa, cujus initium eſt, EXQUIRITIS A ME O ILLUSTRISSIMA TURBA DANAUM.

NOMINANTUR praeter has & multae Sibyllae, Sardica, Rhodia, Siculae, & aliae plurimae, quas Ambroſius in Commentariis primae ad Corinthios autumat malo & improbo ſpiritu arreptas. Ariſtoteles vero in 30. ſectione Problematum eaſdem atrae bilis aeſtu circa mentis ſedem ſuccenſo exagitatas demonſtrat. Cornelius Tacitus ſcribit Auguſtum, cum ſuis temporibus multa vana ſub nomine Sibyllarum oſtenderentur, juſſiſſe, conquiſita Samo, Erythra, Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad praefectum urbis afferri, & judicium, cenſuramque quindecim virorum adhiberi, ne haberi privatim liceret, quod jam a majoribus erat cautum. Haec poſt quadringentos annos carmina Stilico, Honorii Caeſaris ſocer, concitaturus in generum ſub hujuſmodi occaſione ſeditionem, prorſus curavit aboleri: quod facinus Rutilius Claudius non tacuit, dicens,

Nec tantum Geticis craſſatus proditor armis
Ante Sibyllinae fata cremavit opis.

PRODIERUNT tamen proximis annis ex Germania Sibyllinorum carminum libri octo, Graece & Latine excuſi; in quibus ferme omnia jam praemiſſa oracula habentur: operis initium eſt,

Εἷς Θεὸς μόνος ὢς ἀρχὴ ὑπερμεγέθης, ἀγέννητος.
Unus Deus ſolus, qui regnat, maximus, ingenitus.

Theophilus, ſextus Antiochiae epiſcopus, in ſecundo libro ad Autolicum recitat ex innominata Sibylla verſus fere octoginta; quorum nonnulli in his libris extant aliquantulum diverſi, alii vero non extant. (a)

(a) Uberem eruditionis ſegetem huc adſportandi occaſionem praebet N. Senenſis; verum ne mei muneris tranſgrediar metas, meſſem in manipulos redigam, ſed veritate luſtrata; abacto fuco, ut quid reſpuendum, quid tenendum ſit non ignoret Theodidactes.

Quod ad Authorem Noſtrum facit, indubium eſt eum, quae de Sibyllis in medium profert, non e propria penu deprompſiſſe, aut primitus docuiſſe. Quae univerſim ſui temporis Theologi, velut a Patribus tradita, propugnabant, & ipſe recenſuit: quod pariter & non pauci primi Ordinis Scriptores eo poſteriores adfirmarunt, eaque ad Catholica dogmata firmius luculentiuſque firmanda; etſi eo non adhibito criterio, quod recentioris aetatis adcuratiores Theologi ſervarunt: qua de cauſſa, nec levis in eo carpendus eſt naevus, niſi ille, qui temporis, non authoris, eſt error; praecipue cum nobiliori detentus opere (quod in Veterum Patrum vindiciam clarius infra expendetur) hanc ſpartam ſibi adſumere nequiverit Vir alioquin adcuratiſſimus.

Quod vero ſpectat ad rei veritatem, ut ea plene dilucida fiat, quum plura enuncientur in textu, ea omnia diſtincte ad trutinam revocare operae pretium eſt, ut omnis confuſio eliminetur, ea praeſertim in re, in qua dubio procul quot capita, tot ſententiae: quare, ne lolium cum tritico, & vitrum cum margarito miſceatur, cuncta, etſi quantum fieri poteſt ſtrictim, explanare oportet.

Sibyllae igitur nomen pervulgatum fuiſſe apud Veteres, nemo eſt qui in dubium vertat, niſi qui utroque oculo caligat, ut certe fuit Socinus ad fabulas & apologos eas amandans *contra Wiekum refut. claſſ. 8. cap. 9.* quem propterea non ſine cauſſa, nec minus viriliter flagellat Gallaeus. Quid enim apud Veteres probatoſque Scriptores aut ſolemnius, aut communius, quam Sibyllae nomen? Quid certius apud poſterioris aetatis Criticos, Theologos, omnigenaeve eruditionis homines magis uſurpatum, quam feminarum harumce conditio & ſtatus? Sat eſt legere Veteres, cum Graecos, tum Latinos ſcriptores, ut ineptus Vitilitigator coecis adgregetur. Earundem quippe meminerunt Nicanor, Euripides, Pauſanias, Chryſippus, Ariſtoteles, Plato, Diodorus Siculus, Livius, Cicero, Valerius Maximus, Plinius, Solinus, innumerique cum Graeci, tum Latini Veteres, quos univerſim refellere quid eſt niſi aperte fucum facere veritati? Quapropter ea veritate firmata examinandum in praeſentiarum occurrit unde nam Sibylla etymon trahat, ex quo deinde quot fuerint, & tandem num fatidicae reapſe fuerint, & qua virtute oracula fuderint?

Nec quidem ea in re una eſt Eruditorum ſententia, eſto concors ſit eorum opinio de genere Sibyllarum. Johannes Albertus Fabricius in *Bibliot. Graec. L.I. c.7. p. 46. & ſeq.* cum aliis Sibyllas nomen trahere exiſtimat a vocabulo Σύβη (Aeolice pro σίδη *malum punicum*) perinde ut ab Ηφη Ηφυλλα, a σηκὸς σήκυλλα, quae eſt etiam opinio Salmaſii *ad Solinum*. Alii deducunt a ſolo σὸς, ut Sibyllae dicantur Lacedemonio idiomate veluti Θεόβυλλαι, *parvae quaedam Deae*, & ita placuit Ludovico de la Cerda *ad*

Vir-

Digitized by Google

Virgil. Aeneid. p. 333. Alii deducunt ab *ἰβύειν clamare*, ut placuit Iſaaco Voſſio parentis ſui etymologicum cuſtodienti, ſive a *σίνειν τὴν βυλὴν*, quod etiam ſuſpicatur Perrus Petitus *Lib. I. de Sibylla cap. 6.* ſive a *σίβω*, & *σίβομαι colo, veneror*, uſitatiſſimo in derivationibus, litterae *s* in *ι* mutatione facta, de qua Perizonius *ad Aelianum p. 222.* qui propterea putat Pauſaniam *in Phocicis p. 825.* ſcripſiſſe ἀπὸ non ὑπὸ τῶν λιβυῶν Sibyllam dictam, ut ſit quaſi λίβυλλα, quod nimirum ex Lybia Graeciam venerit. Vel denique a *σεύω agito*, & *βυλὸς* plenus, quod nempe agitante & concitante ſpiritu plena eſſet, ut Matthaeo Martinio placuit, & poſt ipſum Hottingero *p. 58. pentadis diſſert. add. Baſnagium Annalium T. I. An. IV. & Sixtum Senenſ. Biblioth. Sanct. Lib. II. p. 111.* Samuel Baſnagius vero eam deducit ab hebraico סבל *Sebal*, *portare* „ quae vox radicales Sibyllae litteras omnes complectitur, & a re „ ſignificata non abhorret. Etenim qui aguntur a „ numine Θεοφόροι *Deiferi* vocantur „ quod ex illo Virgil. Aeneid. VI. confirmat. Peucerus *de Divinatione p. 263.* Martinus del Rio *diſquiſit. Magic. Lib. IV. Cap. II. qu. VI. Sect. I.* & Michaël Neander *p. mihi 517.* Aliique itidem ex Hebraeo eam ſuam trahere Etymologiam putant, ſed quomodo? peregrinum eſt & omnino alienum a vero, etiam Hebraica radice penſata, Hebraiciſque litteris adtentis. Laudatus enim Neander ingenioſe magis, quam vere eam deducit ex radice סבל *Chibel* ex qua קבלה *Cabbala*; qua de cauſſa opinatur S. Paulum I. *ad Timoth. I.* ſcribentem dixiſſe: „ Fidelis Sermo, & omni acceptione (*quaſi Chabbala*) dignus, quod Chriſtus Jeſus „ venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. „ Ita ut ex ſententia Neandri haec ſit Paulini textus interpretatio: Si ullum ſit Cabbaliſticum dogma fide dignum, ac indubitatum, hoc eſt, quod ex Patrum traditione, quin ex Dei oraculo accepimus. Verum quam inepta haec ſint, vel ex eo acu tangitur, quia nonniſi per vim, & non ſine machina ad Neandri placitum laudatum pertrahitur קבל: praecipue quia ק mutari debet in ס vel ך, unum ב elidendum foret, & ל duplicandum omnino foret, quod certe longe abit a vero, nec vel mediocriter Hebraice doctus adſerere poteſt. Baſnagii autem etymologia etſi ad rem propius adcedere videatur, vel ex eo pariter eſt ableganda, quia nulla apud Hebraeos Sibylla (quicquid dicat Suidas V. Σίβυλλα) fuit, nulla apud eoſdem harumce Mulierum aut notitia aut adprobatio.

Ab his omnibus longiſſime diſceſſit Vir doctiſſimus Thomas Hyde, novamque nominis & rei originem nobis tradidit in eo, quod *De Veteri Perſarum Religione* edidit admirandae potius, quam imitandae eruditionis opere. Ejus igitur *cap. 32.* haec habet. „ Cum tota vetuſtiſſimorum hominum foelicitas & „ vivendi ratio in agricultura & paſtorali vita conſiſteret, & ſtellae ad id multum conducere crederentur, harum multae a pecoribus & rebus ruralibus nomen ſortitae ſunt, & praecipue duodecim „ Zodiaci ſigna. Cum igitur ſecundum Phoenices „ & Chaldaeos autumnali tempore, quando fruges „ ad meſſem aptae ſunt, praeeſt ſignum Virginis, ſeu „ Puellae ſpicas in agro legentis, dictum tale ſignum fuit per ſynecdochen *Spica* apud Arabes & „ Perſas, quibus patria lingua *Sumbal*, ſeu *Sumbula*, „ ſpica dicitur. A Phoenicibus itaque & Chaldaeis „ in Zodiacalium animalium ſeriem, inſerta eſt „ Virginis ſpicilegae ſpica erecta, eis dicta שבולת „ ſive שבולא. Σίβυλλα melius reſcribendum Σίββυλα. „ Hinc Sibyllinae fabulae origo: Nam cum eſſet „ Virgo Coeleſtis, *Sibylla* ſeu *Spica* nomine ſignata, „ viſum eſt ei, neſcio quid tribuere, unde abſcondita & accluſa revelans & referans audiret, ut „ erat Soeculi genius talia aſtris tribuere unde futura portenderentur: & ſic quod ante erat Virginis „ ſpicilegae tantummodo ſignum, factum poſthac „ eſt Virginis Vatis & Prophetiſſae nomen, a qua „ rerum futurarum indicationes & revelationes „ quamplurimae fictae poſtmodum ſunt, ad deluſionem vulgi. His poſitis mirum eſſe minime „ debet, ſi deinde ad fictae hujus Virgineae vatis „ exemplum, tot emerſerint aliae, quae ad inſaniam „ ſeductae & prophetandi furore percitae, aut vere crediderint, aut ſaltem viſa ſibi ſunt prophetare. „ Id interea certum eſt ejuſmodi foeminas Sibyllas „ paſſim apud Veteres, non peculiari, ſed generali „ nomine dictas. *Sibylla eſt appellativum nomen „ omnium vaticinantium* inquit Servius pluries, „ quin & Lactantius. „ Hucuſque Vir rerum linguarumque Orientalium callentiſſimus.

Circa Sibyllarum numerum, decem enumerat Lactantius Firmianus *Lib. I. de falſa Religione cap. 6.* ex quo etiam Hieronymus infra laudandus decem id genus fatidicas mulieres enumerat, etymonque profert, cujus integrum textum tranſcribere lubet, ut vel N. Authoris ſincera fides conſpiciatur. Ait enim „ M. Varro, quo nemo unquam doctior ne „ apud Graecos quidem, ne dum apud Latinos, in „ libris rerum divinarum, quos ad C. Caeſarem „ Pontificem maximum ſcripſit, cum de quindecim vitis loqueretur, Sibyllinos libros ait non „ fuiſſe unius Sibyllae, ſed appellari uno nomine „ ſibyllinos, quod omnes foeminae vates Sibyllae „ ſunt a veteribus nuncupatae, vel ab unius Delphidis nomine, vel a conſiliis Deorum denunciandis. Σίβας enim Deos, non Θεὰς, & conſilium non „ βυλὴν, ſed βυλὴν appellabant Aeolico ſermonis „ genere. Itaque Sibyllam dictam eſſe, quaſi θεοβύλην. Ceterum Sibyllas decem numero fuiſſe: „ eaſque omnes enumeravit ſub auctoribus, qui de „ ſingulis ſcriptitarunt. Primam fuiſſe de Perſis, „ cujus mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas „ Alexandri Macedonis ſcripſit. Secundam Libicam, cujus meminit Euripides in Lamiae prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chryſippus loquitur in eo libro, quem de divinatione compoſuit: Quartam Cumanam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piſo in annalibus nominat. Quintam Erythraeam, quam Apollodorus Erythraeus affirmat ſuam fuiſſe civem; eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & peritiram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. Sextam Samiam, de qua ſcribit Eratoſthenes in antiquis Annalibus Samiorum reperiſſe ſe „ ſcriptum. Septimam Cumanam nomine Amalthaeam, quae ab aliis Demophile, vel Herophile „ nominatur, eamque novem libros attuliſſe ad „ Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos philippeos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum „ precii magnitudinem, derifiſſe mulieris inſaniam: „ illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro „ reliquis idem pretium popoſciſſe, Tarquinium „ multo magis inſanire mulierem putaſſe. Quae „ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio „ perſeveraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos „ trecentis aureis emiſſe: quorum poſtea numerus „ ſit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus „ Civitatibus, & Italicis, & Graecis, & praecipue Erythraeis coactis, allatique ſunt Romam, „ cujuſcumque Sibyllae nomine fuerunt. Octavam „ Helleſponticam in agro Trojano natam, vico „ Marpeſſo circa oppidum Gergithium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis, & Cyri temporibus fuiſſe. Nonam Phrygiam, quae vaticinata ſit Anſcyrae. Decimam Tiburtem, nomine „ Albuneam, quae Tiburi colitur ut Dea juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite ſimulacrum „ ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu lib[…]brum, cujus ſacra Senatus in Capitolio „ &c. (Ad cujus intelligentiam lege commentarios Georgii Valchii.) Author *Chronici Paſchalis*, qui VII. ineunte Seculo floruit, duodecim enumerat Sibyllas hoc modo

Digitized by Google

modo nimirum: „ Hoc Anno, ſcilicet Olympiade „ V. Sibylla Erythraea in Aegypto claruit. Fuere, „ & aliae XI. Sibillae. Sibylla Hebraea, Sibylla „ Perſica, Sibylla Delphica, Sibylla Adaëna, ſeu „ Cimeria, Sibylla Samia, Sibylla Rhodia, Sibyl„ la Cumana, Sibylla Lybica, Sibylla Trojana, „ Sibylla Phrygia, Sibylla Tiburtina. Erythraea „ oriunda erat ex oppidulo Erythra dicto e regione „ Chii. Heroicum carmen edebat, cujus monu„ mentum Erythra hodie e regione Chii juxta Ste„ ream conſpicitur.„ Alii novem adſerunt, quibus Suidas adhaeret. Quatuor admittunt Pauſanias, & Aelianus *Lib. XII. V. H. c.* 35. Duas Marcianus Capella *Lib. II.* Tres Auſonius, & Scholiaſtes Ariſtophanes *ad aves p.* 406. Unam tandem dumtaxat fuiſſe adfirmant Plinius, Aulus Gellius, Diodorus Siculus (qui poſtremus eam dictam fuiſſe Daphem, vel Tireſiam adfirmat) eiſque noviſſime auxiliares porrexit manus Petrus Petitus Medicus Pariſienſis, qui ex vario loco, ubi carmina, & oracula fudit haec unica Sibylla, eam multinominem fuiſſe dictam, ſeu multiplicem exiſtimatam fuiſſe autumat; Verum modus, quo haec mulier vaticinia fudiſſe dicitur a Petito, feſtivus certe nimium eſt (licet ab aliquibus non reprobetur, utpote ex Ariſtotele, Hyppocrate, Cardano, aliiſque mutuatus) & riſu excipiendus, nimirum, quod ex vario terrae halitu, & per arcta foramina flante in ſpecubus, quas vates iſta adibat ad atrium in tripode ſedens, facilius excitabatur illa, & ex ſolitudine ac tenebris ad furorem mota, phantaſmatibus adplicita, & conturbata ex melancholico exaltato humore pronior fiebat ad praedicenda futura, & oracula fundenda. Verum quia Petitus Philoſophum ibi ſolum agit, & expreſſe proteſtatur se nec eminus ſalutare Theologiae fores, idque in fatidica foemina penſat, quod in dormientibus non ſemel adtenditur, & ex furore vaticinia librat, nullimode haereticis eum adcenſere lubet, etſi delirantibus jure merito ſit adnumerandus; niſi forte, vel ex eo velis ipſum vindicatum, quia ex Angelico Magiſtro idcirco melancholici divinantes ab Ariſtotele adſeruntur, quia ipſi ſemper infauſta meditantes ex terreo praedominante humore, facillime verum praedicunt, quia univerſim infauſta prae fauſtis accidere ſolent. Et haec ſatis ad Petiti opinionem: cetera quae huc ſpectant, infra ediſſeram.

Ut rem igitur magni momenti, & quae totius fortaſſe exercitationis eſt cardo, expendamus, quae de Sibyllis Clariores viri dixerunt in medium producere lubet. Divino actas ſpiritu eas dixerunt Ethnici Paganiſmi errore detenti: altiori autem ex momento earum vaticinia librantes Eccleſiae Patres, quibus religio fuit earundem carmina loco certi monumenti objicere Paganis ad eorum commenta exſufflanda, & Chriſti fidem ſanctam tectam cuſtodiendam, eas coeleſti flamine inluſtratas dixerunt, & Prophetiſſas adſeruerunt, Juſtinus Maryr *cohort. ad Gentes*, Theophylus Antiochenus *ad Autolycum*, Lactantius *ubi ſupra*, Origenes *contra Celſum*, Conſtantinus Imperator *Orat. ad Coet.* SS. Hieronymus ubi *infra*, S. Auguſtinus in *Libris de Civit. Dei*, & Iſidorus Hiſpalenſis *lib. Origin.* quibus adhaeſerunt quotquot infra laudabimus Sibyllinorum carminum propugnatores, cum ex Orthodoxis, tum ex Acatholicis, non ignobiles viri: verum longe aliter de eiſdem diſſeruere nobilioris notae Veteres Pagani; alia itidem fuit de eiſdem ſententia aliorum Patrum, & noviſſime re penitius perſpecta alienum nimium eſt recentium Eruditorum judicium. Cicero namque veſano furore bacchantes eas dicit *Lib. II. de Divinatione Cap. CX.* „ Quid vero habet autoritatis furor iſte, „ quem divinum vocatis, ut quae ſapiens non vi„ deat, ea videat inſanus, & is, qui humanos ſenſus „ amiſerit, Divinos aſſecutus ſit? „ Virgilius Aeneidam VI. Sibyllam vocat inſanam, & lib. IV. baccantem eam adſerit

„ At Phoebi non dum patiens immanis in antro
„ Bacchatur Vates: magnum ſi pectore poſſit,
„ Excuſiſſ. Deum, tanto magis illa fatigat
„ Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Ariſtoteles *Lib. Problemat. Sect. XXX.* atrabile correptas Sibyllas oracula inſana fudiſſe ſcribit: „ Multi etiam propterea, quod ille calor ſedi „ mentis in vicino eſt, morbis veſaniae implican„ tur, aut inſtinctu lymphatico inferveſcant, ex quo „„ Sibyllae efficiuntur, & Bachae, & omnes, qui „ Divino ſpiraculo inſtigari creduntur, cum ſcilicet „ id non morbo, ſed naturali intemperie accidit. „ Maracus autem, poëta praeſtantior erat dum men„ te alienaretur „. Idipſum pariter adſeruere Seneca *in Agamennone*, Lucanus *Lib. V. p. m.* 72. Claudianus de quarto Honorii Conſulatu *p. m.* 157. & ne prolixior ſim ex reliquis, aut monumentis, quae poſſem in medium proferre, aut ex ſyllabo Authorum, quos poſſem laudare, hoc unum ad eam firmitatem dixiſſe ſufficiat, quod Pagani univerſim Sibyllae nomen tribuentes foeminae alicui eo ipſo inſanam deſignabant. Σιβυλλαίνειν enim, vel Σίβυλλαν εἶναι, ut alii legunt, apud Diodorum Siculum *Lib. VI. Cap. 6.* ſignificat ἐνθουζᾶν *arreptum eſſe*, vel *more ſexum delirare*, & juxta Suidam Σιβυλλιᾷν, cum de aliquo dicitur idem ſignificat, quod ἀπατᾶται *ſeducitur*. Quod vel ex eo certo certius innoteſcit, quia in Sibyllinis, quae circumferuntur, carminibus commenta, mendacia, falſaque tot occurrunt, ut vel ex eis ſit dignoſcere quo ſpiritu locutae ſint Vatides iſtae, quae omnia praeſertim apud Servatum Gallaeum legi poſſunt, ne longum protraham funem, apud quem etiam eſt legere ſelecta e Sibyllinis libris carmina, in quibus se fanaticam, & furioſam Sibyllam dicat enthuſiaſmi flamma, rabiei ac furoris igne correptam.

Ex eiſdem pariter libris, qui dubio procul Hieronymi tempore circumvolabant, colligere eſt numquam omnes, quae jactantur Sibyllae, virgines fuiſſe, quibus in Virginitatis praemium fuit prophetiae donum a Deo conceſſum, ut laudatus Hieronymus non ex exacto, quod omiſit, criterio, ſed ex vulgi fama, vir alioquin emunctae naris conſcripſit in *libro contra Jovinianum* „ Quid referam Sibyllas „ Erythraeam atque Cumanam, & octo reliquas? „ (nam Varro decem fuiſſe autumat) quarum inſi„ gne Virginitas eſt, & Virginitatis praemium di„ vinatio. Quod Aeolici genere ſermonis Sibylla „ θεοβύλη appellatur: recte conſilium Dei ſola ſcri„ bitur noſſe Virginitas „. Quandoquidem Cumana Sibylla *Lib. I.* ſe cum Noacho in Arca fuiſſe commemorat; Deinde *Lib. VIII.* Se Chriſtianam nominat, & alibi se inceſtus crimine pollutam dicit, & Lothi filiam se facit, tandem Iſidis se filiam adſerit. Quot commenta, quot fabulas, bone Deus! mendax adunat?

Itidem *Lib. III.* quaecumque ſit ea, quae se Sibyllam dicit, nonne se ipſam conjugatam profitetur? Ait enim:

„ O aevi ſexti ſtirps prima, o gaudia magna
„ Quod ſortita fui, poſtquam diſcrimina mortis
„ Effugi, jactata meo cum conjunge multum,
„ Nec non cum leviris gloſſis, ſoceroque ſocruque,

Pariter *Lib. VIII.* altera Sibylla se proſtituti fuiſſe pudoris aperte declarat.

„ .... Nam quae ſcelera ante patravi
„ Prudens, & ſtudio peccandi perdita feci.
„ Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt,
„ Jureque jurando quoſvis perjura ligavi,
„ Excluſi tenues, & per molliſſima rura
„ Quoslibet admiſi, magni ſecura Tonantis,
„ Propterea igni ſum conſumta, aevoque nec ipſa
„ Vivam,

Digitized by Google

„ Vivam, ſed perdet durum me tempus, &c.

Alia & innumera id genus extant apud Eruditos monumenta, quibus vulgaris illa traditio exſufflatur, extant & valida momenta, quibus enodantur, quae ex adverſo objiciuntur ab oppoſitoribus in vindiciam Prophetidum harumce.

Reliqui itidem Patres, qui de eiſdem Sibyllis ſcripſerunt aliter judicarunt, nullimode eaſdem Θεορεύσους exaequantes. S. Gregorius Nanzianzenus namque in *Carmine ad Nemeſium* Orphaeum, Triſmegiſtum, & Sibyllam, quaecumque de Deo praedixerunt, vult non divinitus afflatos praedixiſſe, ſed ex Sacris Hebraeorum libris excerpſiſſe, Author *Commentariorum in 1. ad Corinth. XI. v. 12.* qui nomine S. Ambroſii Mediolanenſis circumfertur, eſtque revera Hilarii Sardi Rom. Eccleſiae Diaconi ſub dimidio IV. Seculi clari, autumat doemoniaco ſpiritu actas fuiſſe Sibyllas, eoque movente linguam fuiſſe locutas, dum adſerit „ Spiritum mundi, per quem „ arripiuntur fanatici „ & addit eſſe „ pythonem, „ qui per Sibyllam locutus eſt, ſenſum noſtrorum „ ſecutas, locum volens inter coeleſtes habere. „ Juſtinus Martyr itidem, qui Sibyllas Paganis ad evertendam idololatriam objicit, a Prophetis eaſdem diſtinguit. Et M. P. Auguſtinus re penitius perſpecta, etſi adſeruerit objicienda fore Paganis Sibyllae, Orphaei, & Hermetis monumenta, dixit arguendo ad hominem ſtultitiam Ethnicorum, tamen cujus revera ea ſint ponderis adpendens, & comparans teſtimoniis Prophetarum ita concludit *Lib. XIV. contra Fauſtum Cap. XV.* „ Quamobrem quantum diſtat de Chriſti adventu inter praedicationem Angelorum, „ & confeſſionem doemoniorum, tantum inter au„ ctoritatem Prophetarum, & curioſitatem Sacrile„ gorum „.

Ex quibus omnibus, ut luce meridiana clarius eſt, evidenter colligitur cujus ponderis, cujuſve momenti ſint, & quae nunc extant Carmina Sibyllarum, & quae a Patribus harumce Vatidum Oracula laudantur, dum illi ea Paganis objiciunt, vel alio ex momento commendant; ex eiſque cum laude depromunt qui poſteriori aetate ſcripſerunt. Verum quia ea etiam in re iterum criterium eſt adhibendum, & diſtinctio ſervanda, ne ex confuſione aut veritas deliteſcat, aut ſuboriatur error, diligentius examinandum eſt, & operoſius inquirendum eſt I. cujus conditionis ſint qui nunc in Bibliotheca Patrum proſtant Sibyllini libri? II. num revera Sibyllae aliqua fuderint Oracula ad Chriſtianam Religionem ſpectantia? III. Quid ſit dicendum de peculiaribus illis Oraculis Sibyllinis, quae N. Xyſtus ex Patribus commendat?

Et quidem, ut primum dubium diſcutiatur, obſervandum eſt, quod non omnes, qui pro Sibyllinis Oraculis decertant, pariter eos vindicant libros, qui in praeſentiarum ſub nomine Sibyllarum proſtant: quapropter etſi Prophetides adſtruant eas, quas reliqui ex adverſo fanaticas arreptitiaſque declarant, mulieres, tamen eis abjudicant quos nunc habemus libros Sibyllarum nomine inſignitos, ſed ſpurios, & ſuppoſititios eos dicunt. Praeceteris Cl. N. Natalis Alexander, eſto libros praefatos admittat, non eſſe tamen eos prorſus genuinos, & incorruptos adſtruit. *T. I. Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. Diſſert. I. Propoſit. II.* Idque probat ex innumeris fere mendaciis commentiſque in laudatis VIII. Sibyllarum libris extantibus I. quia ibi Sibylla antiquiorem se Moyſe facit, & praedicit liberationem populi Iſraëlitici. II. quia Erythraea Sibylla se Noë nuram facit. III. quia Vates, quae VII. conſcripſit librum vile se ſcortum fecit. IV. quia Lib. IV. Sibylla alia teſtatur se vidiſſe incendium templi Veſtae, quod poſt Chriſtum natum accidit imperante Commodo. V. quia Pentateuchum ita bene Carminibus expendit, ut potius hiſtorica videatur narratio, quam vaticinium, & Adae nomen ex graeco derivaſſe adfirmat, ac Tetragrammaton eſſe adſtruit. VI. quia montem Ararath in Phrygia collocat. VII. quia Noë dumtaxat XLI. diebus in area manſiſſe adfirmat. VIII. Titanum fabulas converas hiſtorias obtrudit IX. quia Og, & Magog Scythiae populos in Aethiopia conſtituit. X. Vaticinatur Italos Aſiaticis ſervituros. XI. Joſue ſuſcitandum comminiſcitur, ut Judaeorum inſtauret Rempublicam. XII. Tiberium Perſidem & Babyloniam expugnaturum vaticinatur. XIII. Romam perituram minatur anno a conditione ſua 948. Chriſti nimirum 195. Severi Imperatoris Tertio. Tandem ut brevius enarrem, quae laudatus Natalis enumerat, commenta, Trajanum Imperatorem vocat Gallum Montivagum: Haereſim Chiliaſtarum ſupponit, & Hieruſalem aedificandam fore ominatur, eamque futuram ſedem imperii Filii Dei, ubi cum Sanctis regnet omnium corporearum delectationum genere eis in praemium conceſſo, & Chriſtianum se profitens eorum Carminum Author. Quot non adunat fabellas? quot non vendicat mendacia, quae ad riſum, & ſtomachum quemlibet, vel rationis mica pollentem excitant?

At bona venia tam inſignis viri de litteraria Republica, & de Ordine Noſtro optime merito, quem non ſine veneratione ſuſpicio, quomodo genuini ex parte erunt Sibyllini libri tot ſcatentes fabulis totque commmentis, ſceleribuſque referti, eodemque ſtylo compoſiti, fraudem authoris a capite ad calcem uſque manifeſtantes? Debuiſſet utique Cl. Natalis adſignare tempus interpolationis, vel indigitare a quonam nebulone primitus fuerint corrupti genuini illi, qui ſub nomine Sibyllarum laudantur libri. Ab ortu quidem ſuo ad haec uſque tempora ita ſemper eiſdemque onuſti gerris vendicati fuerunt, nec unum eſt reperire hominem, qui vel primis Eccleſiae ſeculis hanc fraudem, vel in interprete, vel in editore notarit: extant Graece, & Latine conſcripti, & eiſdem ſcatent fabulis. Quanam itidem rectae Critices arte ex eiſdem aliqua probari poſſunt, quae tot ſunt admixta commenta? Rectius ergo certiuſque adſtruendum eſt eoſdem ab inepto quodam Poëta fuiſſe compoſitos ad venditanda Sibyllarum oracula, eaque omnia nonniſi heroico Carmine ſcripta, ut majorem fabellis aucuparetur fidem otioſus editor. An autem hic Chriſtianus fuerit, vel Judaeus? Et num II. Eccleſiae Seculo, an primo fuerint ea carmina procuſa? dubium non leve eſt, variantque Eruditi diverſimode ſentientes; hocque dumtaxat adſtrui pro certo poteſt, nimirum poſt publicatum Evangelium, ſive pia fraude a ſimplici quodam Chriſtiano, ſive ab Hebraeo per impoſturam manifeſtam fuiſſe conſcripta, adhibita arte quadam in rapſodia cum ex Veteri, tum ex Novo Foedere, aliiſque Gentilium libris, adjectis itidem proprio marte, vel ex ignorantia, vel ex malitia, fabellis atque commentis. Etſi non deſint qui adſtruant etiam ex pia fraude ab Hebraeo quodam Helleniſta exſpectante Meſſiae adventum aliqua fuiſſe Carmina ſub nomine Sibyllarum edita, in eiſque plura ex Prophetis, & Pſalmis adpoſita, quibus alia poſtmodum id genus Carmina fuerunt addita non modica in prioribus variatione adjecta.

Neque mirum, aut novum eſt, quod etiam primis illis feliciſſimis Eccleſiae Seculis, aut ſimpliciores quidam Chriſtiani, ut magnificarent fidem, ediderint fabulas ſub ſpecie pietatis: aut impoſtores Judaei, ut ſucum facerent veritati, in deriſionem Chriſtianae Religionis ſceleſta, & commentitia ſparſerint opera, ut ſilentio praeteream, quae venditarunt tunc temporis Haeterodoxi. Ut de Judaeis, vel unum proferam, ſat eſt indigitare Acta Pilati ab eiſdem in contumeliam ipſius Servatoris conſcripta. Ut de ſimplicioribus fanaticis Chriſtianis, vel leve indicium proferam, ſufficit commemorare, quod Pauli, & Theclae περίοδοι, ſeu Acta, fabulis referta, a Presbytero quodam Aſiano Pauli σπουδάσαντι fuerint conficta, qui fraudem S. Johanni Apoſtolo confeſſus eſt, & ab eo id-

Digitized by Google

idcirco Presbyterii gradu dejectus, ut ex Tertulliano *lib. de Baptismo* refert S.Hieronymus *De Scriptoribus Ecclesiasticis cap.* 7. Cetera Heterodoxorum commenta, ut vel digito monstrem, sat est vel nominare Proto-Evangelium Jacobi, aliaque id genus Evangelia, librum de *Infantia Salvatoris*, aliaque nefanda commentitia opera ab eisdem elucubrata, quae diris devovent Eruditi, & emunctae naris homines ne dum Romanae Communionis, sed ipsimet Acatholici, ut praecipue videre est apud Guillelmum Cave *Histor. Litterar. Prologom. Sect. IV. & sequ.* Et quod ad rem hanc facit, ut rectum de impostore hoc Sibyllinorum Carminum authore judicium feratur, consuli possunt, qui de eodem argumento plene tractarunt adnotantes conditionem nebulonis, & tempus, quo fabellam hanc heroico Carmine scripsit, nimirum ultra Natalem N. uterque Vossius, Isaac, nimirum, de *Sibyllinis Oraculis*, & Gerardus *De Veterum Poëtarum Graecorum temporibus*, Samuel Basnagius, aliique infra laudandi, sed novissime Carolus Witasse.

Quod vero spectat ad alterius dubii decisionem, quum N. Xystus pro Sibyllinis oraculis decerret, quis unquam poterit, vel per jocum, inficiari fuisse primitus a Theologis Historicisque omnibus in hanc veluti certam sententiam itum? Quia nimirum ea ut solida monumenta Theologiae existimabant & Hebraeis objicere, & Gentilibus ea opponere consueverunt, Primipili Theologiae Magistri ea commendarunt: Veteribus laudatis Authoribus adstipulati sunt deinde innumeri de litteraria Republica benemeriti Scriptores, li etiam, qui Criticen adhibere studuerunt, & ne dum e Romana Communione, verum & exegreges, sive qui Protestantes audiunt, sive qui se Reformatos adpellant, iique haud infimae notae: quare vel ex eo nefas est recentioribus Acatholicis criminari nostros Theologos velut imperitos, qui nimirum Critices arte destituti spurios a genuinis libris secernere aut nescierunt, aut neglexerunt. Quamvis autem innumeri sint ex utraque classe, qui possent in medium proferri pro laudatis Sibyllinis libris, sufficiet tamen paucos ex utroque coetu in syllabum redigere, ut innotescant ejusdem sententiae Patroni, iique vel ex eo commendandi, quia Patrum vestigiis inhaerentes eosdem propugnarunt. Pro aris enim & focis, ut dici solet, & Sibyllas divinitus actas & earum oracula genuina (esto non omnia, quae in praesentiarum circumferuntur) adseruerunt ex Orthodoxis Cll.VV. Card. Baronius *in Apparat. ad Annal. n. XVIII.* Ejusdem abbreviator Henricus Spondanus *ibidem*. Antonius Possevinus *Tom. III. Appar. Sacr.* Cardinalis Bellarminus *in Controv. Fidei de Christo &c.* Ludovicus Vives, & Leonardus Coquaeus in *Lib. I. S. Augustin. de Civit. Dei*. Julius Caesar Bulengerus *Diatrib. III. in Exercitat. Casaubon.* Genebrardus in *Chronograph.* Margarinus Bignaeus in *Biblioth. PP.* Onuphrius Panvinus, innumerique alii, praesertim novissime Joh. Graffet *adversf. Blondell.* Honoratus a Sancta Maria *Animadv. Critic. Dissert. II.* N. Natalis ubi supra, aliique. Ex Acatholicis autem Hugo Grotius *de verit. Christ. Relig. lib. I. §. XXII.* Erasmus Schmidius *triplici orat. sub calc. N. Test. a se editi*, Guillelmus Beveregius *de Oracul. Sibyllin. in Collectione Cotelerian.* Philippus Mornaeus *de verit. Relig. Christ.* aliique; nec certe aliud eis praesidium ea in re est, quam supra laudatorum Patrum testimonium.

Verum recentiores alii Theologi, Criticique adcuratiores, qui rem hanc adcento studio ad incudem revocarunt, ne dum vulgo jactata carmina Sibyllina veluti Prophetidum oracula refellunt, & confictis spuriisque libris adcensent, verum & Sibyllas prophetico actas spiritu acriter inficiantur, nullumque insuper ab id genus feminis fuisse oraculum ad sanctam nostram Religionem pertinens editum remis velisque contendunt. Honore quidem servato priscis Ecclesiae Patribus, quae ab eis de Sibyllis, veluti ex alieno teste recepta prostant, ad fabulas fore amandanda, & quidem veritatis ac Religionis ergo, existimant, variisque momentis ostendunt; nec quidem Acatholici dumtaxat, ut inepte aliqui adserunt, in eam sententiam manibus pedibusque descendunt, sed & Orthodoxi, iique de litteraria Republica, & de S.R.E. optime meriti, qui propterea in re ad meram eruditionem, ac Criticam notitiam pertinente non ambigunt exegreges a Romana communione laudare: quare & horumce, & Acatholicorum distincte syllabum contexere lubet. E nostra communione primitus laudandus occurrit Card. Bona, qui in *Indice Authorum* Carmina Sibyllina rejicit, deinde quamplures alii Eruditi, Henricus Valesius *in notis ad Euseb.* Daniel Huetius Episcopus Abrincensis in *demonstrat. Evangel.* Helias Du-Pin *Prolegom. S. Script. & Tom. I. Bibl. Eccl.* nec non Monachus Benedictinus in *notis* ad eandem Bibliothecam Latinam, Richardus Simonius *castigat. ad opus Vossii de Orac. Sibyll.* Johannes Baptista Cotelerius *PP. Apostol. Tom. I. ad Epist. II. S. Clem. R. P.* Petrus Peritii *de Sibylla*, Carolus Witasse Doctor Sorbonicus *Theolog. Tom. III. Qu. III. Sect. 2. Art. 3.* Matthaeus Petitdidierus M.B. *Animadvers. Tom. I. §. 4. pag. 106.* Sebastianus Tillemontius *Vit. Imperat. in Tit. Antonin. Art. XIII.* Hadrianus Baillet *Tom. III. judic. sapient.* aliique plures; quinimo universim, qui emunctae naris Critici audiunt, ita sentiunt, ita docent nemine reclamante. Ex Acatholicis autem aliquot selectiores dabo, ceteros autem apud eosdem consulendos reperiet qui plura petit. Sunt autem ii Isaac Casaubonus *Exercit. in Baron.* David Blondellus *de Sibyllis*, Guillelmus Cave *ubi sup.* Servatus Gallaeus *de Sibyll. earumque oraculis*, Antonius Vandale *de Oracul. Veter. Ethnicor.* Samuel Basnagius *Annal. Polit. Eccles. Tom. I.* Casimirus Oudin *De Script. Et Scriptis Eccles. Tom. I. fol. 142. & sequ.* Johannes Clericus pluribus in locis, aliique pene innumeri.

Plurima itidem nobis argumenta suppeditant laudati Critici ad rem praesentem firmandam, ex quibus pauca, sed solida, in medium proferam qui non ex professo ea de re agendum tractandumve duxi, sed occasione data & ad notitiam veritatis, & quae possunt ulterius ad pleniorem cognitionem optari facile sit apud laudatos viros consulere. Et primum momentum, quod meo judicio veritatem hanc dilucidat, firmat, corroborat, illud praeceteris est, quia Divinae Scripturae directe adversatur adsertio de Sibyllinis oraculis ad Religionis mysteria firmanda. Quandoquidem si ita foret, ut eorundem Patroni contendunt, certo certius Ethnicis D. O. M. divina mysteria luculenter distincte omnique detecto velamine, allegoria omni sublata, patefecissent, quae tamen non ita manifestavit Hebraeis, ut iis notum est, qui vel a limine Theosophiae fores salutarunt: ea propter mysteria ipsa Trinitatis, & Incarnationis, quae primora sunt nostrae Religionis, nonnisi majoribus credita ab eisdem Populo poterant enunciari. Atqui id falsum omnino est, & e diametro oppositum verbo Dei scripto, quo nobis adseritur, quod D. O. M. Populum hunc Sanctum sibi elegerit, ut dicitur *Deuteronomii VII.* cui incerta, & occulta sapientiae suae manifestaret, cuique ea nota fecit, quae ceteris quibuscumque nationibus abscondidit: Heinc Regius Vates inquit Psalm. LXXVII. „ Notus in Judaea Deus „ & Psalm. CXLVII. „ Qui annunciat verbum suum „ Jacob: justitias, & judicia sua Israel. Non fecit „ taliter omni nationi, & judicia sua non manifesta„ vit eis „ Et Gentium Doctor Paulus saepe idipsum repetit; quinimo ea Apostolis dumtaxat clare revelata dicit, quae nec Angelis referata fuerunt. *Ad Rom. III. v. 2.* ubi de Judaeis agit: „ Multum per omnem „ modum, primum quidem, quia crediti sunt illis elo„ quia Dei „ *Ad Ephesios II. v. 5. & 6.* „ Quod aliis „ generationibus non est agnitum filiis hominum, si„ cut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & „ Prophetis in Spiritu Gentes esse cohaeredes, & „ com-

„ comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per „ Evangelium. „ *Ad Coloſſenſes I. v. 26.* „ Myſte„ rium, quod abſconditum fuit a ſeculis, & gene„ rationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis „ ejus. „ Et iterum *ad Epheſios III. v. 8. & 10.* „ Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia „ haec in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divi„ tias Chriſti .... Ut innoteſcat Principatibus, & „ Poteſtatibus in Coeleſtibus per Eccleſiam multifor„ mis ſapientia Dei. „ Quid quod nec ipſe Gentium Doctor unquam Sibyllina, aut carmina, aut oracula Ethnicis objecit, qui ad veritatem ediſſerendam non reticuit aut Arati, aut Moenandri, aut Epimenidis monumenta. Dubio procul haec oracula memoraſſet ad converſionem Ethnicorum. Sed quid Apoſtolus dixerit Athenienſibus in Areopago verba faciens, dum etiam eis Poëtarum carmina objecit, adtente ſcrutemur. Gentilium ſecula obſcura dixit, nullaque veritatis luce perfuſa, ſed ſuperſtitione referta, quae propterea repulit Deus, & dumtaxat tunc primum per eum eiſdem lumen veritatis oſtendit *Actor. XVII.* „ Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens „ Deus, NUNC annunciat hominibus, ut omnes „ ubique poenitentiam agant, eo quod ſtatuit diem, „ in quo judicaturus eſt orbem in aequitate, in Vi„ ro, in quo ſtatuit fidem, praebens omnibus, ſu„ ſcitans eum a mortuis „ Quum ergo nec Graeci, nec vel ipſi Athenienſes ullam unquam de Meſſiae adventu, aliiſque fidei myſteriis notitiam habuerint, nec unquam ad eos per ſuos vates, ſuaſque Prophetides horumce notitia pervolarit, ut Apoſtolus inquit, qui fieri poteſt, ut genuina ſint, aut Sibyllina, quae nunc extant carmina, aut quae aliter indigitantur earum oracula hucuſque nobis ignota, vel etiam acroſtichis illa, quam Conſtantinus Imperator laudavit, & de qua infra redibit ſermo? Certe, qui vel mica rationis pollet, dum haec recte librat, ut ad apochrypha Sibyllina oracula amandet jure ſummo tenetur.

Alterum, quod me urget, momentum id eſt, quia laudata Sibyllarum oracula, ad quae illorum Patroni confugiunt, citra omnem dubietatis aleam in eis recondita erant codicibus, qui ſumma cuſtodia ſervabantur a Duum viris primum, deinde a Decem viris, & tandem a Quindecim viris, neque aliter, quam ex Senatus Conſulto (poſtea autem & Caeſarum juſſu) per hoſce XV. Viros, neque ullos alios, praeter eos, ſub capitis poena inſpiciebantur: neque etiam aliter quam difficillimis Reipublicae temporibus, cafibuſve maximi momenti id ipſum a Senatu, Imperatoribuſve injugebatur; ac capitale erat aliquid de iis apud alios enunciare, eorumve inſpectionem aliis hominibus permittere, ut prae ceteris Dionyſius Halicarnaſſaeus memoriae tradidit *lib. IV. Roman. Antiquit.* At quaeſo: quomodo ea Patribus Chriſtianis innotuere, quando tanta ſedulitate a Cuſtodibus hiſce ſervata, aliis haud innoteſcebant? Verum dato, quod vel ex loquacitate cuſtodum, vel revelatione transfugae alicujus Ethnici, aut etiam ex Paganis ad fidem venientibus fuerint Patribus concredita, quid ad fidei Chriſtianae monimentum praeſtabant pura putaque bacchantium deliria, quae dumtaxat ad Civilem Rempublicam illiuſque ſtatum faciebant, heinc nonniſi ad regimen & oeconomiam conſulebantur? Nil certe: quum nullum aliud de eiſdem teſtimonium praeſtiterint qui hujuſce rei authentici teſtes poſſunt laudari. Nec quidem adſeri poteſt ea inter vaticinia ad ſecularem reipublicae ſtatum ſpectantia fuiſſe pariter ea admixta oracula, quae ad veram Religionem faciebant: quum hoc ſit plene divinare, & Sibyllinis fabulis propria adjungere commenta. Laudatus namque Halicarnaſſaeus ex teſtimonio Terentii Varronis id unum in eiſdem contineri, nimirum ad ſecularem rempublicam faciens Oraculum aperte declarat. Cicero, qui Reipublicae contra Caeſarem favebat, ita de Sibyllinis oraculis loquitur, earumque conditionem ediſſerit *lib. II. de divinatione*: „ Sibyllae verſus obſervamus, quos illa „ furens fudiſſe dicitur. Quorum interpres nuper „ falſa quaedam hominum fama dicturus in Senatu „ putabatur, eum, quem revera Regem habebamus, „ appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vel„ lemus. Hoc ſi eſt in libris, in quem hominum, „ & in quod tempus eſt? Callide enim qui illa com„ poſuit, ut quodcumque accidiſſet praedictum vi„ deretur, hominum & temporum definitione ſu„ blata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut „ iidem verſus alias in aliam rem poſſe accomodari „ viderentur. Non eſſe autem illud carmen furentis, „ cum ipſum Poëma declarat (eſt enim magis artis, & „ diligentiae, quam incitationis, & motus) tum „ vero ea quae ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps in „ quibuſdam ex primis verſus literis aliquid conne„ ctitur, ut in quibuſdam Ennianis, quae Ennius „ fecit. Id certe magis eſt attenti animi, quam fu„ rentis. Atque in Sibyllinis ex primo verſu cujuſ„ que ſententiae primis litteris illius ſententiae car„ men omne pertexitur. Hoc Scriptoris eſt, non fu„ rentis: adhibentis diligentiam, non inſani, &c. „ In quibus verbis nonne M. Tullius tria diſerte adſerit, quae funditus evertunt ſententiam nobis adverſam? Et quidem apertiſſime.

Impoſtorem declarat & nebulonem peſſimum praefatorum carminum authorem. Furentem & inſanam Sibyllam adpellat: Ad Romanae Reipublicae felicitatem & regimen ea ſpectare declarat. Nullum ergo ex eis erit expiſcari oraculum ad Chriſtianam Religionem pertinens, nullumve ex eis ſuppetit patrocinium ea vindicandi vaticinia, quae nobis objiciuntur. Idipſum, quod Cicero de omine acroſtico Regis futuri, Regiſque nomine ſalutandi in Reipublicae deſtructionem a furente Sibylla prodito enunciat, Dio Caſſius refert, idque etiam ex Plutarcho & Svetonio habetur. Valerius Maximus itidem ex momento Reipublicae ſoſpitatis Romanos conſuluiſſe Vatides iſtas memoriae tradidit, & Tacitus itidem *Lib. IV. Hiſtor.* eodem ex momento alibi factum a Quiritibus adſerit. Neque lubet horumce Authorum, aliorumque Gentilium monumenta in medium proferre, ne legentibus taedium ingeram. Unius tamen Vopiſci in *Aureliano* teſtimonium haud praetereundum cenſeo, ut res haec ab omnibus acu tangatur. Dum enim refert Aureliani Epiſtolam ad Senatum datam in publica neceſſitate Imperii, ita eum ſcribentem inducit: „ Miror Vos, Patres Sancti, tandem de ape„ riendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi „ in Chriſtianorum Eccleſia, non in templo Deo„ rum omnium, tractaretis. Agite igitur, & ca„ ſtimonia Pontificum, coeremoniiſque ſolennibus „ adjuvate Principem neceſſitate publica laboran„ tem, &c. „ At quaenam, amabo, in hiſce libris Sanctitas, quaenam veri Numinis dulia inibi reperiebatur in Sibyllinis verſibus, dum tanta cura luſtrabantur a Romanis? Nulla certe niſi idololatria maxima. Id quum laudatus Aurelianus expreſſiſſet, & ſuo tempore, & pridem factum ex conſilio Sibyllarum certis monumentis traditur. Haec nimirum erant ex Sibyllinis oraculis deprompta conſilia. De Cerere placanda juxta cum Apolline, Latona, Diana, Mercurio, Neptuno: de lectiſternio faciendo; de Aeſculapio ab Epidauro accerſendo; de Saturnalibus celebrandis: de voto Marti renovando: de ludis magnis fori, & aedibus Veneri Erycinae vovendis: de Matre Idea Perſinunte Romam advehenda: de dono Junoni ferendo, & carmine a ter novenis Virginibus canendo: de oppido luſtrando: de offerendis majoribus victimis; aliiſque id genus ſceleribus, quae innumeris pene in locis a Varrone, Floro, Plutarcho, Valerio & Livio memoruntur. Pape! & haec poſſunt divinis oraculis adcenſeri, ex eiſdemque Prophetiſſis expiſcari? Quaenam, bone Deus! conventio lucis ad tenebras, & Chriſti ad Belial?

Ne-

Digitized by Google

Neque ullum nobis faceſſit negotium venerandum nomen primorum Eccleſiae Luminum, quod opponitur, quove ex momento haud ignobiles Theologi vindicandi Sibyllis laudata carmina ſibi ſpartam adſumſere, improboque labore inſudarunt. Laudati, inquam, Patres, quos omni veneratione proſequor, vel ut ad hominem arguerent Ethnicos, eoſque convincerent, ex eiſdem met monumentis, quae illi venditabant, Sibyllina ea carmina non ſemel in medium protulerunt, quae ad everſionem idololatriae faciebant, etſi ſpuria & ſuppoſititia forent: Sicut non ſemel phoenicis ſimilitudinem uſurparunt ad reſurrectionis myſterium firmandum, quamvis fabella confictae avis innoteſceret eis. Et Paulus ea Poëtarum monumenta laudavit, quae ad veritatem firmandam contra Paganos faciebant, etſi cetera eorum ſphalmata nec procul ſalutaverit unquam. Vel etiam nobilioribus detenti curis Primores illi Theoſophiae Magiſtri ab eo abſtinuerunt criterio, quod & temporis moram, & non leve ſtudium exigebat, ut conſtat ex eiſdem met Criticis, qui ut rem hanc ad umbilicum perducerent innumera luſtrarunt volumina, mentem diu adplicuerunt in veritate inquirenda, immanemque in examine ſubierunt laborem.

Ut autem praejudicium penitus abigatur, non ita certe adſtruendum eſt Patres univerſim ita ſenſiſſe, ut oppoſiti Authores contendunt: diſſidium namque inter eos exortum, & varia de inſtinctu, quo vatides iſtae prophetarunt, aliis nempe divino actas flamine oracula fudiſſe, aliis adſerentibus ex diabolico afflatu in Divina Scriptura expreſſa Prophetarum vaticinia protuliſſe, non obſcure ii indicant nobis se non plene adhaeſiſſe praefatis Sibyllarum oraculis. Suboleviſſe autem Auguſtino de fraude jam ſupra oſtendimus, qui propterea ad Prophetarum Oracula in Divino eloquio recenſita, & ad ceteros Scripturae libros adpellavit; ideoque haec in Eccleſia legi conſueviſſe adfirmat, ſecus vero Sibyllinos libros ſedulo adnotavit. Quinimo Angelicus ipſe Doctor, etſi Theologum, non Criticum egerit, idcirco nunc Divino afflatui (2. 2. *qu.* 2. *art.* 7. *ad* 3.) nunc cacodaemonis operi (*ibid. qu.* 172. *art.* 6. *ad* 1.) adſcripſit vaticinia Sibyllarum, quia, ut erudite adnotavit N. C. Cajetanus, res nimium dubia erat. „ Cum haec „ materia ſit incerta, quia eſt de individuis non „ pertinentibus ad fidem, ideo modo in hanc, mo„ do in illam partem declinare permittitur: „ quod etiam obſervavit N. Cl. Johannes Nicolai *ibidem*. Quid inſuper ſi addas ſilentium ceterorum Patrum, qui adverſus Ethnicos ſcripſerunt, nimirum Hermiae, Tertulliani, Cypriani, M. Athanaſii, Julii Firmici Materni, Minutii Felicis, Aurelii Prudentii, Pauli Oroſii, Claudiani Mamerti, aliorumque? Nonne, inquam, ex praefato ſilentio in eadem cauſſa, eodemque urgente motivo, colligitur non fuiſſe univerſim Patribus comperta probataque oracula Sibyllarum? Sed quod magis ad rem facit, vel ex eo non urget authoritas Juſtini, Clementis, Origenis, Lactantii, Euſebii, Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, & Conſtantini M., quia eodem Caeſare teſtante adhuc ſuo tempore nonnulli e Chriſtianis Sibyllina haec carmina reſpuebant. Sic enim ait laudatus Imperator in *Orat. ad Coet. Sanctor.* „ Multi tamen huic „ praedicationi fidem derogant „; Nec certe hiſce verbis infideles indigitavit, quos dubio procul pupugiſſet utpote adverſos concordi Eccleſiae traditioni: Num vero laudati Patres rem certam ex inconcuſſo teſtimonio tradiderint omni ſcrutinio ſervato? ex ſupra dictis conſtat, & ex paulo poſt dicendis obſervabitur, ex quo pariter res noſtra firma ſubſiſtet.

Neque hic inficias eo poſſe Deum per Ethnicos vera oracula fundere, ſicut & Balaamum novimus prophetaſſe, & libenter etiam adſerimus peccatores poſſe praedicere futura libera ex divina revelatione, ſicut ex Evangelio Caiphas, cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit. Donum prophetiae namque cum ſit gratia gratis data, quae in aliorum, non in recipientis, beneficium confertur, poteſt & peccatoribus & infidelibus a Deo concedi, de qua re luculenter erudite & ex profeſſo tractat Angelicus *ubi ſupra*. At quod inde fas ſit inferre pariformiter datam fuiſſe Sibyllis gratia haec prophetandi quis, vel modicum eruditus, ſuum praeſtabit calculum, quum neque ex Scriptura id habeatur, quinimo Dei Verbo ſcripto ſit adverſum: ex Patribus nulla habeatur traditio; totque obſint momenta ac monumenta huc uſque laudata, ut ex iis plene probetur commentitia eſſe? Ut igitur recte loquamur, & conformiter ad veritatem ſentiamus, operae pretium eſt ut argutiunculis hiſce, quae multorum animos occuparunt, laeti lubenteſque nuntium mittamus. Quid enim ſunt divinationes iſtae ex praefato judicio promanantes niſi quod Poëta inquit. „ Pergula pictoris, veri nihil, „ omnia ficta „?

Supereſt modo, ut ad lydium lapidem peculiares Primorum aliquas revelationes ex Sibyllis depromtas, & Patrum monumenta recta lance libremus. Primus, qui nobis objicitur, eſt Juſtinus Martyr, iſque ne dum patrocinii Sibyllinorum carminum ergo ab Orthodoxis ſupra laudatis commendatur, ſed etiam ab aliquibus Acatholicis, qui se Naſutiores jactant, a Mornaeo, nimirum, Iſaaco Voſſio, Sebaſtiano Caſtalione, aliiſque. At erraſſe laudatum Martyrem, qui non ſine gloria ſub initium Eccleſiae floruit, & in re mere hiſtorica fuiſſe a nugivendis quibuſdam deceptum, ne dum ex jam dictis liquet, verum etiam ex eo, quod vel obiter in eo obſervare lubet, ceteris itidem, quae poſſent notari, omiſſis. Nonne laudatus Pater antiquam Sibyllam adſerit filiam „ Beroſi, qui Chaldaicam hiſtoriam conſcripſit „, ejuſque meminiſſe „ Platonem in Phaedro „ adſeverat? citra dubitationis aleam. At in eo anachroniſmum eſt deprehendere, eumque non levem, quum Plato longe ante Beroſum floruerit, qui propterea Beroſi meminiſſe nequivit. Plato enim diu ante Alexandrum vixit Beroſus vero ſub Alexandro, & ſucceſſoribus ejus, centum circiter annis poſt Platonem, uti ex Tatiano Eruditi omnes obſervant. Similiter nonne S. Martyr adſerit Simoni Mago dicatam Romae ſub Claudio Caeſare inter duos Pontes in amne Tiberis cum hac inſcriptione SIMONI DEO SANCTO? Id quidem in duobus locis ſuae Apologiae S. Juſtinus memorat. Verum aliter res se habet, quandoquidem, ut ex Eruditis omnibus conſtat, ea in Inſula erecta fuit ſtatua non *Simoni*, ſed alii Deo minorum Gentium inter Sabinos, nec cum tali, qualem perhibet Juſtinus, inſcriptione, ſed alia, quam Gruterus in *Theſauro pag.* 91. refert, nempe, SEMONI SANCO DEO. FIDIO SACRUM SEX. POMPEJUS. SP. F. COL. MUSSIANUS QUINQUENNALIS DECUR. BIDENTALIS DONUM. DEDIT. (De qua re infra redibit ſermo) Error utique pietatis & facti ſubrepſit Juſtinum virum de Litteraria, & Chriſtiana Republica optime meritum, cui altiori operi incumbenti naevi iſti non ſunt cenſoria virga notandi: ex hiſce autem non eſt nobis objiciendus in patrocinium carminum Sibyllinorum.

Alter, qui opponitur, & a N. Sixto Senenſi laudatur, eſt Clemens Alexandrinus Origenis Magiſter, iſque vel ex eo magis obnoxius, quia Paulino monumento ſententiam noſtram evertit. At, pace oppoſitorum dicam, ex eo utique rejicienda eſt laudati Clementis ſententia, honore ſemper debito Authori ſervato, quia apocrypha ſunt, & commentitia, quae laudat. Ubinam, quaeſo, Doctor Gentium ea habet, qui, ut vidimus, ea penitus exſufflat? Scripſiſſe alia praeter Canonicas, quas veneramur, extentiſque ulnis excipimus, epiſtolas, contendit nedum Poſſevinus cum aliis Orthodoxis, verum etiam & Iſaac Voſſius ex Acatholicis. At quaenam haec ſint,

Digitized by Google

sint, & num genuina? nunquam vel digito monstrare potuerunt. Fuisse etiam & Clementem, non subodorata fraude vitilitigatorum, deceptum, & ex dictis constat, & ex iis, quae alibi repetit idem Cl. Pater. Et nonne idem Clemens Alexandrinus alia ex Evangelio Aegyptiorum refert, quae spongia Eruditorum, ne dum, sed & Christianorum omnium egent? *Lib. III. Stromatum* refert verba Christi ex eodem Evangelio „ Veni solvere opera feminae „ hoc est, ut ibi interpretatur, cupiditatis, quam *feminam* appellat. „ Opera autem cupiditatis sunt generatio & „ & corruptio „ Post quae verba inducit colloquium cum Salome, cui quum Dominus dixisset „ veni sol- „ vere opera foeminae „ respondentem & interrogantem eandem hoc modo inducit „ Quousque mo- „ rientur homines? „ cui Redemtor: „ Quamdiu pa- „ rient mulieres „ hoc est cupiditates operabuntur. Rursus Salome non intelligens allegoriam subdit: „ Recte ergo feci, quae non peperi „ Cui item Dominus: „ Omni herba vescere, ea autem, quae ha- „ bet amaritudinem, ne vescaris „ quo innuit liberum esse unicuique aut matrimonio uti, aut continentiam servare, si cui alterum amarum molestumque videatur. At, quaeso, sunt ne gerrae istae, quae possunt doctrinae Christi aptari? Sicut ergo ex Pseudo-Evangelio ista depromsit Clemens, ita quae de Sibyllis refert, ex Pseudo-Paulinis operibus recitavit: in utroque autem deceptus a circulatoribus horum operum editoribus; at nonnisi ex pietate vir dignissimus errori obnoxius fuit, ut illud Maronis ei possit aptari „ Fallit te incautum pietas tua „ Quod cum adnotarint emunctae naris Critici, iique de S. R. E. & de litteraria Republica bene meriti, praesertim in laudato Clementis monumento notarunt etiam Histaspem ex Clementis sententia a Paulo commendatum. Cujus enim furfuris sint Hystaspis, Hermetis, & Trismegisti opera jam supra ex M. P. Augustino fuit observatum; Et Lactantius Firmianus *Lib. V. Divinar. Instit. Cap. XVII.* ex Flacco *lib. 1. Ode 22.* fabulosum dicit Hydaspem, seu Hystaspem (qui Hystaspes prius dicebatur ex Lactantio *Lib. VII. Divin. Institut.* Hydaspes modo dicitur) Similiter admisisse Clementem Alexandrinum quamplura indiscussim apocrypha, nimirum Prophetias Enochi, Chami, Esdrae, librum assumptionis Moysis, Praedicationes S. Petri, & S. Pauli, Traditiones S. Matthiae &c. constat ex ejusmet libris. Nil mirum ergo, quod etiam ex subditis hisce monumentis admiserit Sibyllina oracula vir alioquin doctissimus, cui non detrahimus dum haec in ipso notamus ad veritatis triumphum.

Tertius, quem N. Sixtus commendat, & ab aliis objicitur nobis, est Constantinus M. Imperator, qui in *Oratione ad Sanctorum Coetum*, quam etiam Eusebius in ejus vita laudat, Acrostichidem e Sibyllinis libris depromtam in medium protulit hoc nimirum modo expressam: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ Σταυρός, quod est idem Latinae: *Jesus Christus Dei Filius Salvator Crux*, eandemque acrostichidem Augustinus *Lib. XVIII. de Civitate Dei cap. 23.* a Flacciano Proconsule viro doctissimo sibi ostensam legendam in Graeco codice, sub nomine Sibyllae Erythraeae, commemorat cum hac dumtaxat variatione, quod in eo, ut Augustinus scribit, σταυρὸς *crux* tantum deficiebat, & quidem rectius, ut ἀκροστιχὶς perfecta foret: ex singulis namque ejusdem litteris, ex quibus simul collectis formabatur ἰχθὺς latine *pisciculus* (ex quo adseritur adjudicatum fuisse hoc nomen primis Christianis aliqui autumant) sic dispositis veluti per radices, seu per capitales, integra postea ἀκροστιχὶς illa resultat. Et quod magis urget est, quia laudatus Caesar Ciceronis monumento rem firmant.

Verum, & Constantinum M. fuisse deceptum ex spuriis subditisque monumentis, quae tunc temporis circumferebantur, & M. P. Augustinum haud exacto adhibito criterio fidem praestitisse Africae Proconsuli, qui eidem Aquilino Doctori apocryphum ostendit codicem, ex variatione praefata, ceterisque jam dictis aperte clarescit. Quid si addas in Nicaena Synodo laudatam acrostichidem non fuisse objectam Arianis, ut occasio & causa exigebant, nec unquam fuisse a Patribus oppositam, aut Judaeis, aut ceteris quibuscumque vitilitigatoribus? Clarius certe prae cunctis, aut Isaiae, aut alterius cujuslibet Prophetae de Christo vaticiniis monumentum erat, quod poterat produci ad firmandam fidem Jesu Christi Nazareni veri Dei Flii, verique Redemtoris per crucem. Cur itidem Johannes Evangelista acrostichidem hanc non protulit adversus Cerinthum, & Ebionem effutientes Christum esse purum hominem, contra quos propterea suum Evangelium scripsit? Dubio procul ex praefato silentio in re tam gravi, & causa urgente supposititia existimanda est laudata ἀκροστιχὶς, & vel ex eo praeceteris non admittenda, quia idem Constantinus, dum eam commendavit, sincere confessus est eam a pluribus ad fabellas amandari, iisque indubitanter Christianis, cum eos suppresso nomine referens non castiget non vellicet, quod certe peregisset, si Ethnici, Judaei, aut Acatholici fuissent. En M. Caesaris verba „ Multi „ tamen huic praedictioni fidem derogant, quamvis „ Sibyllam Erythraeam revera ejus vatem fuisse fa- „ teantur. Suspicantur autem a quodam ex nostrae „ Religionis hominibus, poëticae artis non ignaro, „ eos versus esse confictos, & falso, ac suppositicio „ titulo Sibyllae adscribi „.

Ut autem ad sanctuarii lancem adpendamus Ciceronis monumentum, omnique adhibita industria illum recte libremus, gravitas, & conditio rei nos urget. Ab eo quidem fuisse praefatam acrostichidem e Graeco in Latinum versam piissimus juxta, ac doctissimus Caesar ibidem *cap. 29.* adnotavit: „ Quip- „ pe inter omnes constat Ciceronem, cum hoc car- „ men legisset, Latino sermone id interpretatum es- „ se, ac suis operibus inseruisse „. At ubi nam in M. Tullii operibus haec latina versio acrostichidis extat? Nec γρῦ quidem est in ejus operibus adinvenire etiam si Diogenis laterna adhibeatur. Adseruit quidem Cicero circumferri acrostichidem Sibyllinam quandam generatim expressam, & eam idcirco subditiciam esse affirmavit, quia haec non furentis, non bacchantis, non enthusiastae oraculum, sed vigilis adtentique Poëtae opus erat, quod in Ennio est observare. „ Non esse autem illud carmen furentis, „ cum ipsum poëma declarat: est enim magis artis, „ quam inclinationis, & motus; tum vero ea, „ quae ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis „ versus litteris aliquid connectitur, ut in quibus- „ dam Ennianis, quae Ennius fecit. Id certe ma- „ gis est attenti animi, quam furentis. „ Nec insuper unam Acrostichidem in Sibyllinis versibus extitisse, sed plures, Terentius Varro (qui decem post Ciceronem annis floruit, ante Christum nempe an. 68.) memoriae tradidit, ex eisque plura falsa, commentitia plura fuisse adfirmat; quod pariter adseruit Dionysius Halicarnassaeus (ante Christi Natalem an. 26. clarus) *Lib. IV. cap. 4.* Et tandem vel ex eo constat Ciceronem non meminisse acrostichidis a Constantino M. laudatae, quia ut supra vidimus, Cicero Sibyllinos versus dumtaxat ad Reipublicae Civilem statum facere adseveravit.

Quod postremum ad commentarii, & dissertationis coronidem exacto criterio examinandum occurrit, illud est, quod Virgilius *Egloga IV.* scribit.

„ Ultima Cumaei venit jam carminis aetas,
„ Magnus ab integro Seclorum nascitur ordo
„ Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,
„ Jam nova progenies Coelo dimittitur alto.
„ Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
„ Desinet, & tota surget gens aurea Mundo,
„ Casta

Digitized by Google

„ Casta Lucina fave, &c.

Hoc, inquam, monumentum, veluti propheticum vaticinium nostrae redemtionis, quum sua paraphrasi enucleasset Constantinus M., ceteri itidem Sibyllinorum carminum patroni eandem M. Caesaris interpretationem adhibentes, ita totum facere ad Virginem Deiparam, divinamque ejus prolem pro nostra salute Coelo delapsam expenderunt, ut clarius a Cumana Sibylla, Virgilio narrante, traditum dicant mysterium nostrae salutis, ac unquam de eo, vel David, vel Isaias, vel quilibet alius Propheta divino afflante numine fecerit verbum. Quinimo non pauci, Cl. C. Baronio duce, opinati sunt „ Genitricem „ Dei Mariam infantem in ulnis gestantem sublimem „ in aëre ab Augusto Caesare fuisse conspectam mo„ nente Sibylla „. Sed bona venia Purpurati Annalium Parentis, aliorumque Theologorum dixerim, opinio haec nullo veritatis fundamento munita falsa est, & ad falsas amandanda una cum Octaviani visione, & Sibyllae monito; quandoquidem Augusti tempore nulla erat Sibylla superstes; quum vel ipsa Cumaea omnium novissima vixerit, si quae fides sit Solino Polyhistori, a quo bene plures recedunt, ex annorum exacto computo ostendentes Cumaeam Sibyllam obiisse anno mundi 3079, plusquam trecentis annis ante Augustum (de qua re vide Galaeum *Cap.* 8. *f.* 147.) tempore Tarquinii superbi, quando Romam venit, annis circiter supra quincentis septuaginta ante Christi Nativitatem. Tarquinius enim regnabat Olympiade quinquagesima, Christus vero mundo inluxit Olympiade centesima nonagesima tertia imperante Octaviano Augusto: de qua re consuli possunt Eruditi Critici, praesertim NN. Hyacinthus Amat de Graveson *de Myster. & An. Christi Dissertat. VIII.* & Jacobus Hyacinthus Serry *De Christo, & Deipara Exercit. XXXIII.* De hac ergo fabella, nec verbum ultra habens, ad vaticinium Cumanae Sibyllae ex Virgilii relatione ventilandum nunc est adcedendum, ut acu tangatur extraneam esse paraphrasim, quam ei Constantinus Caesar adhibuit.

Et quidem vel ex discrimine magno, quod inter Virgilianum genuinum Carmen, & illud a Constantino M. recitatum versatur, ad rem non facere Maronis omen clarissime patet: quapropter, ut Augustissimus aeque, ac doctissimus piissimusque Caesar rectam in omnibus conformem adhiberet paraphrasim, vel ex graeco rem aliter expressit. Virgilius namque ita inquit „ Jam venit, & Virgo redeunt Saturnia „ Secla „ Constantinus M. autem „ Venit rursum „ Virgo ducens amabilem ducem „ Verum etiam ex hoc capite haud propheticum esse omen illud ostendere lubet, sed ex eadem Egloga, ejusque editionis Epocha, & scopo, quibus bene libratis luce meridiana clarius eluceseet, nec Virgilium ad nostrae Redemtionis mysterium intendisse animum, nec a Cumana Sibylla fuisse unquam praedictum.

Virgilius quippe, nemine, aut renuente, aut dubitante, Eglogam suam Asinio Pollioni sacravit, occasione cum Consulatus, ad quem cum Domitio Calvino evehebatur, tum nati eodem anno filii, quem a Casta Dalmatiae Civitate Saloninum vocavit; cumque Virgilius in communi Mantuanorum miseria faventem sibi patronum habuisset Asinium Pollionem, ne dum ejus nomen *Egloga III.* commendandum suscepit, atque in grati animi obsequium ejusdem patrocium laudavit.

„ Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, musam,
„ Pierides vitulam lectori pascite vestro.
„ Pollio & ipse facit nova carmina, pascite taurum &c.

Verum & in laudata *Egloga IV.* prolixius commendare conatus est personam ejusdem, simulque blandiri Caesari Augusto, quem *Egloga I.* Deum adpellavit otii sui auctorem, quem insuper juvenem Romae viderat, & qui primus responsum petenti dederat „ scite ut ante boves pueri, submittite tauros. „ Ut igitur Virgilius Pollioni velificaretur Auream eo tempore advenisse aetatem, seu κατάστασιν illam, quae ex annorum revolutione in eandem redit periodum, ac stationem, qua primum Coeli & astra in primaeva rerum creatione dispositа fuerunt a Deo: de qua primaeva aetate, & quae a Marone dicitur *aurea*, ita Ovidius *lib. I. Metamor. fab. 3.*

„ Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo
„ Sponte sua sine Lege fidem rectumque colebat.

Et Virgilius ipse *lib. I. Georgic.* 125.

„ Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:
„ Nec signare quidem, aut partiri limite campum
„ Fas erat: in medium quaerebant: ipsaque tellus
„ Omnia liberius, nullo poscente ferebat.

Et notanter Mantuanus Poëta inquit, „ Ultima „ Cumaei venit jam carminis aetas „ ut denotaret eum, qui primus aetates per metalla divisit, aurumque non immerito primae Mundi aetati tribuit; hic autem fuit Hesiodus, *Cumaeus* etiam dictus, esto revera fuerit Ascraeus, quia ejus Pater Cumis natus, indeque pulsus Ascram Boeotii vicum fuit exilio relegatus, floruitque Hesiodus ante Homerum anno videlicet praecedente Christi natalem DCCCCXLIV. Hunc dubio procul Virgilius designavit, non vero Cumaeam Sibyllam, de qua *Aeneidum III.* loquens, insanam eam dicit, & *lib. VI. Aeneidum* ita fatur de ea:

„ Ventum erat ad limen, cum Virgo poscere fata
„ Tempus, ait Deus, ecce Deus, cui talia fanti
„ Ante fores, subito non vultus, non color unus,
„ Non comptae mansere comae, sed pectus anhelum,
„ Et rabie fera corda tument, majorque videri
„ Nec mortale sonans, afflata est numine quando
„ Jam propiore Dei. . . . &c.

Et paulo post non prophetantem, sed bacchantem dicit eandem, quod supra etiam indigitavit:

„ At Phoebi non dum patiens immanis in antro
„ Bacchatur Vates: magnum si pectore possit
„ Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
„ Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

Nec unquam eam vera dixisse, sed falsa quaedam involucro verborum obtecta, obscuraque cuncta, sicut & cetera id genus Doemonum oracula, quibus non semel decepti fuerunt Ethnici ad ea confugientes; quapropter paulo post Virgilius ait:

„ Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
„ Horrendas canit ambages, antroque remugit
„ Obscuris vera involvens, ea frena furenti
„ Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.
„ Ut primum cessit furor, & rabida ora quiescant
„ Incipit Aeneas.

Cumaei igitur Hesiodi sententiam secutus Maro circa variam aetatum conditionem, ut gratificaretur Pollioni, ejusque prolem commendaret, catastasim advenisse dixit, & quidem juxta placitum Heraclidi, de quo Plutarchus *de Placitis Philosophorum lib. 2. cap. 32.* „ Heraclitus magnum annum definiebat annorum „ Solarium millibus octodecim „ Saturnia tunc Secula rediisse commemoravit, quia toto Orbe in pace composito justitia & felicitas regnabant in eo, Hesiodus de hoc regno loquens ait *in Oper. & dieb. pag. XI.*

„ Coelorum imperium dum Rex Saturnus habebat,

Digitized by Google

Apoc. 5. a SIGILLORUM ſeptem librum Joannes in Revelationibus myſtice deſcripſit in hunc modum: ET VIDI in dextera ſedentis ſupra thronum librum ſcriptum, intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem: & vidi angelum fortem, & praedicantem voce magna, Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? & nemo poterat neque in coelo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum: & ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, neque videre eum. Et unus de ſenioribus dixit mihi, Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum: & cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno „ dicentes, Dignus es Domine aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus, &c. Atque haec eſt Joannis de Libro ſeptem ſigillorum viſio, in qua ne per ſingula ejus verba lectorem diutius remorer, ſex tantum, quibus tota conſtat viſionis ſeries, breviter annotabo: videlicet. Quid ſit ſedens in throno, quid quatuor animalia, quid vigintiquatuor ſeniores, quid Leo, idemque Agnus librum aperiens, quid liber ſigillis obſignatus, quid ſeptem ſigilla.

1 SEDENS IN THRONO eſt Deus, pater Domini noſtri Jesu Chriſti, reſidens in throno regni ſui, quod eſt Eccleſia.

Apoc. 5. a 2 QUATUOR ANIMALIA non omnes auctores eodem modo exponunt. ORIGENES, ET GREGORIUS NANZIANZENUS putant eſſe quatuor rationalis animae vires, ſive affectiones: hoc eſt, Homo vis rationis eſt, Leo vis iraſcibilis, Vitulus vis concupiſcendi, Aquila conſcientia reliquis impoſita; quae a Paulo Spiritus hominis dicitur. AMBROSIUS in libro tertio De virginibus, quatuor dicit ſignificare morales virtutes, Leonem videlicet fortitudinem, Vitulum juſtitiam, Aquilam temperantiam, Hominem prudentiam. ARETHAS, Caeſareae epiſcopus, quatuor excellentes divinas virtutes, qualeſcunque illae ſunt, quae Dei potentiam deſignant, circa mundum ex quatuor elementis conſtitutum. THEODORETUS virtutes quatuor creatas, quas Deus praefecit quatuor elementis, ex quibus ſubſiſtit univerſum, & quae ipſum conſervant. POLYCHRONIUS quatuor Angelos, quatuor mundi partibus praepoſitos. HIERONYMUS quatuor Evangeliſtas, ex quibus Matthaeus per hominem, Marcus per Leonem, Lucas per Vitulum, Joannes per Aquilam deſignantur. AUGUSTINUS quatuor Evangeliſtas, ſed alia ratione; hoc eſt, Matthaeum in Leone, Marcum in Homine, Lucam in Vi-

„ Djs ſimiles ſumma degebant pace, nec ullus
„ His labor, aut aerumna fuit . . .

Idcirco etiam rediiſſe Virginem adſeruit, quia nonniſi Aſtraea regebat orbem, & juſtitiae legibus cuncta bene diſpoſita erant, omnibus jus ſervabatur indemne: Hanc ergo Virginem, non Deiparam, ſignavit Ethnicus Poëta, ut ex contextu patet, & ex phraſi Gentilium, qui haec effabantur: heinc Ovidius ait *Metam. lib. I. fab. 4.*

„ Et virgo caede madentes
„ Ultima coeleſtum terras Aſtraea reliquit „

Novam itidem prolem Coelo delapſam adſeruit, Saloninum ſcilicet, Aſinii Pollionis filium juxta Stoicorum ſyſtema, quod & idem Virgilius firmat:

„ Igneus eſt ollis vigor, & coeleſtis origo
„ Semitibus.

Quod expreſſe de eodem Pollionis filio iterum ex Stoicorum ſententia:

„ Ille Deûm vitam accipiet, Diviſque videbit
„ Permixtos Heroas, & ipſe videbitur illis.

Stoici namque teſte Laërtio *lib. 7. 317.* quoſdam obſervarunt eſſe Doemones, quibus inſit hominum miſeratio, inſpectores humanarum rerum. „ Heroas „ quoque, ſolutas corporibus ſapientum animas „ dixerunt; adeoque pariter viros hoſce inluſtres in Deorum numerum conferebant Ethnici, ut ex innumeris monumentis patet.

Tandem, ut quae hucuſque diximus, ex iis, quae Virgilius ſubdit, clare firmentur, ſatis ſuperque eſt ejuſmet verba laudare, quibus citra omnem dubietatis aleam se de Pollione loqui clareſcit, pro quo Lucinam interpellat, praeſertim Conſulem eo agente ſimul cum Auguſto, quem Apollinem dicit, quia hunc prae ceteris Deum Caeſares venerabantur. Et quamvis aliter in Graecum verſa eadem, quae ſequuntur, carmina Conſtantinus M. fuerit interpretatus, ejus tamen laborem non pertingere ad metam, & extraneam eſſe interpretationem ejuſdem, apertiſſime conſtat.

„ Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
„ Deſinet, ac toto ſurget Gens Aurea mundo
„ Caſta fave Lucina, tuus jam Regnat Apollo,
„ Teque adeo decus hoc aevi, te Conſule inibit,
„ Pollio, & incipient magni procedere menſes
„ Te Duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
„ Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Ex hiſce igitur ſic adnotatis facillime quis colliget quale ſit de Sibyllinis vulgo jactatis Oraculis judicium formandum. Cetera qui exoptat laudatos conſulat Authores.

Digitized by Google

Vitulo, Joannem in Aquila. ANDREAS item, Caesareae episcopus, quatuor Evangelistas, sed aliter. Leo ob eximiam supra caeteros fortitudinem Joannem significat, Vitulus Lucam, Aquila Marcum, Homo Matthaeum. CATINA Syrus in expositione primae visionis Ezechielis, ubi quatuor haec animalia ponuntur, Hominem refert ad totum Israël, Leonem ad regale sceptrum Judaeorum, Vitulum ad sacerdotalem & leviticam tribum, Aquilam ad vindictam, & ultionem Dei super Israël. RUPERTUS Abbas TUITIENSIS exponit per quatuor animalia quatuor principalia Christi sacramenta, quae Christiano ignorare non licet, id est Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem. GALFRIDUS omnes Ecclesiae Praelatos intelligit. Praelatus enim Leonem se exhibet terribiliter corrigendo delicta, Bovem strenue tractando terrena, Hominem benigne hominibus compatiendo, Aquilam sublimiter evolando, & subtiliter contemplando divina. LYRANUS quatuor patriarcales Ecclesias quatuor animalibus adaptat, videlicet Hierosolymitanae Leonem, Antiochenae Bovem, Alexandrinae Hominem, Constantinopolitanae Aquilam. RABBI DAVID quatuor Monarchias, Assyriorum, Persarum, Graecorum, & Romanorum, per quatuor animalia, ab Ezechiele conspecta, putat adumbrari. RABBI SALOMON tradit quatuor Angelos, quatuor monarchiis praepositos, per quatuor Ezechielis animalia significari. JUSTINUS Martyr in libro Quaestionum adversus gentes quaestione 44. refert quatuor animalia Ezechieli ostensa, unum duntaxat fuisse animal quadruplici facie praeditum, scilicet hominis, bovis, leonis, & aquilae; ipsumque designasse futuram mutationem potentiae regis Nabuchodonosor: quem Daniel narrat ita post ejus Dan. 4. c
superbiae elationem a Deo humiliatum, & quodammodo in bestiam transformatum, ut pili & capilli ejus creverint, ceu leonis crines, ungues ejus recurvati sint, ut aquilae ungues; ipse vero foenum comederit, ut bos; deinde post poenitentiam redditum ei a Deo mansuetum hominis cor, atque animum. Voluit etiam Deus, ut eidem Martyri videtur, hac visione erigere captivum populum in spem recuperandae libertatis, ostendens ei Babylonici regni mutationem ex conjunctione cicuris & feri animantis, itemque gravis & levis in uno eodemque animali. Cicur enim animans est Homo, ferum Leo, grave Bos, leve atque volatile est Aquila. Per illa ergo regnum ex fero Nabuchodonosor imperio in mansuetum Cyri imperium mutandum fore monstravit: per haec vero captivitatis gravitatem vertendam esse in levem & expeditam libertatem: jugum enim fert Bos, Aquila vero est jugi expers. Id ipsum rota in rota annunciabat: harum enim altera Judaeorum abductionem in captivitatem, altera reductionem in patriam adumbrabat.

3 VIGINTI QUATUOR SENIORES secundum AMBROSIUM sunt viginti-quatuor libri veteris testamenti: secundum AUGUSTINUM totum corpus, ac numerus Prophetarum: juxta RUPERTUM duodecim Judices priores, & posteriores Ecclesiae Dei. Priores sunt, qui ante regnum Hebraeorum praefuerunt populo Dei, videlicet ab Othoniel usque ad Samuel. Posteriores vero Judices, qui post Christum praefuere, duodecim sunt Apostoli. JUXTA GALFRIDUM sunt viginti quatuor Patriarchae Ecclesiae, videlicet Duodecim veteris Ecclesiae, hoc est duodecim filii Jacob, & duodecim Apostoli Patriarchae novae Ecclesiae Christi: secundum LYRANUM universi episcopi, ac Pastores particularium ecclesiarum: secundum AMBROSIUM omnes ecclesiae Doctores.

4 LEO, IDEMQUE AGNUS, quasi occisus, habens cornua septem, & oculos septem, Christus est: qui sicut in sua passione Agnus fuit coram tondente obmutescens, & non aperiens os suum; ita, consumata eadem passione, mox tanquam catulus Leonis, quem Jacob in filio suo praemonstravit, ad praedam ascendens, infernum spoliavit; atque in sepulcro requiescens & accubans, ut Leo, ipsam quoque mortem magno rugitu contrivit. Habet autem oculos septem, & cornua septem, hoc est omnem plenitudinem illuminantis & corroborantis Spiritus: oculi enim lumen, cornu robur significat, & est tanquam occisus: quia licet post resurrectionem suam a mortuis semper vivat non amplius moriturus; signa tamen mortis suae, hoc est loca clavorum in manibus, & pedibus, & lanceae locum in latere servat in memoriam sempiternam redemptionis nostrae.

5 LIBER SCRIPTUS INTUS ET FORIS, ut ait, ARETHAS, est incompre-

Digitized by Google

henſibilis Dei memoria, quam & Propheta David, & Moſes praeſignarunt: ille
Pſal. 138. 16. quidem cum diceret; IN libro tuo omnes ſcribentur: hic autem cum ait, AUT
Exod. 32. 32. parce populo, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti. Porro intus, & foris ſcriptum eſſe hoc eſt, ut intus quidem ſcripti dicantur qui ſunt ex Hieroſolymis tanquam Dei cultores; foris autem, ſive a tergo & a deteriori parte qui ex gentibus. THOMAS, Liber, inquit, eſt divina ſcientia, ſive Dei notitia de his, quae facere diſpoſuit Deus; unde & in dextera ponitur, quia per dexteram operamur. Scriptus eſt intus, quoad Dei notitiam, cui totus liber plene cognitus eſt: Foris, prout hominibus diſpoſitio divini ordinis ſtatuto tempore complenda revelatur. AUGUSTINUS, Liber, ait, eſt omnis divina ſcriptura duobus teſtamentis digeſta: Intus ſcriptus, in veteri teſtamento, in quo obſcura myſteria redemptionis noſtrae continentur. Foris, in novo aperte explicata: vel Foris, ſecundum hiſtoricam intelligentiam; Intus, ſecundum myſticum & ſpiritualem ſenſum.

6 SEPTEM SIGILLA, ut AUGUSTINUS teſtatur, ſignificant obſcuram myſteriorum in divina ſcriptura latentium obſcuriſſimam plenitudinem: numerus enim ſeptenarius in ſcripturis denotat ultimum ejus rei, de qua loquimur, complementum. ARETHAS inquit, ſeptem Sigilla demonſtrant dierum varietates ac ſucceſſiones temporum, quae in tranſitorio mundo contingunt, quarum articulos & momenta nemo praeter ſolum Deum exacte ſcire poteſt: vel, ut AUGUSTINUS iterum ad Maximinum ſcribens ait, ſeptem ſigilla ſeptem ſunt Spiritus Sancti dona, de quibus legitur apud Eſaiam capite undecimo, REQUIESCET ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiae & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiae & pietatis: & replebit eum Spiritu timoris. THOMAS dicit, ſeptenarius ſigillorum numerus eſt clauſio divinae ſcientiae, claudens in ſe ſeptem ſecreta, pertinentia ad ſtatum Eccleſiae; quae Joanni aperiuntur, & ſunt haec. Primum eſt de equo albo, qui coetum ſignificat praedicatorum, in primitiva eccleſia diſcurrentium. Secundum eſt de equo rufo, qui perſecutionem tyrannorum portendit. Tertium de equo nigro, qui haereticorum typus eſt. Quartum de equo pallido, in quo falſorum fratrum, & hypocritarum multitudo oſtenditur. Quintum de animabus martyrum ſub altari Dei quieſcentium; quod conſolationem deſignat electis in tribulatione adfuturam. Sextum de obſcuratione Lunae, quae perſecutionem Antichriſti figurat. Septimum de ſilentio dimidiae horae; quod innuit pacem Eccleſiae poſt mortem Antichriſti, ſed parvo tempore duraturam. PRIMASIUS ait, ſeptem ſigilla ſunt ſeptem ſalutares modi ſanctarum locutionum divinae ſcripturae, id eſt Indicativus, ut in Michaea, Indicabo
Mich. 6. 8. tibi, quid ſit bonum. Pronunciativus, ut apud Eſaiam, Ego primus, & noviſſi-
Eſa. 44. 6. mus; & abſque me non eſt Deus Imperativus, ut in eodem Propheta, Clama,
Idem 58. 1. ne ceſſes. Optativus, ut iterum in Eſaia, Utinam attendiſſes mandata mea. Con-
Idem 48. 18. junctivus, ut in Jeremia, ſi non audieritis vocem meam. Infinitus, ut apud eundem,
Jer. 26. 4. Jer. 9. 24. ſcire judicium, & intelligere dominum. Perſonalis in Pſalmo, Quis loquetur
Pſal. 105. 2. potentias Domini? TICONIUS inquit, Septem ſigilla ſignificant ſeptem regulares ſacrae intelligentiae formas. Prima eſt hiſtoriae textus. Secunda allegoria. Tertia utriuſque tam hiſtoriae, quam allegoriae commixtio. Quarta eſt de incommutabili divinae Trinitatis eſſentia, quando proprie: quando tropice ſacris inſinuetur oraculis. Quinta eſt parabolarum, in quibus, dum aliud dicitur, aliud ſpiritualiter ſignificatur. Sexta eſt de gemino Salvatoris adventu; ne primus pro ſecundo, & ſecundus inteſligatur pro primo. Septima eſt de geminis tum vitae agendae, tum ſignificandae praeceptis. GREGORIUS ait, Septem ſigilla ſunt ſeptem myſteria humanae redemptionis, videlicet incarnatio, nativitas, paſſio, deſcenſus ad inferos, reſurrectio, aſcenſio, adventus ad judicium. Iſidorus inquit, Septem ſigilla ſunt ſeptem modi loquendi in ſcripturis; hoc eſt hiſtoricus, tropicus, allegoricus, anagogicus, figurativus, abſolutus, parabolicus. RUPERTUS aſſerit, quod ſunt ſeptem Spiritus, quibus divina ſcriptura inſpirata eſt. LYRANUS ait, Septem ſigilla ſunt ſeptem ſtatus Eccleſiae a Chriſti aſcenſione ad judicium. Primus ſtatus, per equum album demonſtratus, ſignificat tempus ſub Cajo Imperatore. Secundus per equum rufum, perſecutionem Neronis. Tertius per equum nigrum, tempora Veſpaſiani & Titi. Quartus in equo pallido, perſecutionem

Digitized by Google

tionem Domitiani. Quintus perſecutionem ſub Trajano uſque ad Diocletianum. Sextus ſtatum Eccleſiae ſub Diocletiano. Septimus eccleſiae pugnas contra haereticos, quae tempora Conſtantini ſequuntur.

SIGNATUS LIBER, Hebraice ספר חתום ſepher hachatum, ſignificat volumen totius divinae ſcripturae, cujus intellectus infidelibus & Spiritu Dei carentibus obſignatus eſt, & omnino occultus, dicente Propheta, NISI CREDIDERITIS, NON INTELLIGETIS. De quo libro Eſaias ad Judaeos, futuris ſaeculis excaecandos, verba faciens, inquit; MISCUIT vobis Dominus Spiritum ſoporis; claudet oculos veſtros; Prophetas & Principes veſtros, qui vident viſiones, operiet: & erit vobis viſio omnium, ſicut verba Libri ſignati; quem cum dederit ſcienti literas, dicet, Lege iſtum: & reſpondebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas; diceturque ei, Lege: & reſpondebit, Neſcio literas. Quibus verbis praedixit Eſaias viſiones propheticas, & univerſam divinam ſcripturam claudendam fore Judaeis ob eorum perfidiam, & ingratitudinem; eosque penitus fore excaecandos, ut legentes non intelligerent quae legerent: unde recte de illis Paulus ad Corinthios ait: USQUE in hodiernum diem id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, quod in Chriſto evacuatur; ſed uſque in hodiernum diem cum legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum: cum autem converſus fuerit ad Deum, auferetur velamen: nemo enim poteſt, ut inquit Joannes, neque in coelo, neque in terra, neque ſubtus terram viribus ingenii ſui reſcindere velamen hujus libri, qui ſuapte natura ſignatus eſt, & inacceſſibilium myſteriorum ſigillis concluſus: neque ipſum quis poteſt aperire librum niſi ſepticornis, & ſeptioculus ille Agnus aperiat, cui quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores procidentes acclamant: DIGNUS es Domine aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus; quia occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo. Agnus iſte Chriſtus eſt, qui poſt reſurrectionem ſuam, ut ait Lucas, aperuit diſcipulis ſuis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas; & per ipſos doctoribus ſanctis & catholicis earum intelligentiam reſeravit. Voluit autem Deus ſcripturas ſuas, ut inquit Auguſtinus, tribus potiſſimum de cauſis ſignatas eſſe & clauſas: primo ad evitandum faſtidium: ea enim eſt hominum conditio, ut ſuapte natura aperta, paſſimque obvia, vel facile inveſtigata, faſtidiant & contemnant: operta vero & recondita magis deſiderent, & deſiderata ardentius inquirant, & inventa ſuavius guſtent. Sicut igitur Deus multa in divinis libris in apertiſſima luce poſuit, ut inde paſceremur, & famem pelleremus: ita multa utiliſſimis obſcuritatibus involuit, ut in his ſine ullo faſtidio, & ſatietate ingenii ſolertiam exerceamus. Secundo ut ad majorem veritatis elucidationem obſcuritas conducat, dum plures occultae ſententiae explanationes educuntur in lucem; & alius ſic, & alius iterum ſic veriſſime, quod obſcurum fuerat, veridice explicat; & occaſione inquirendi propoſitam difficultatem, aliarum quoque rerum, quas non quaerebat, veritatem aſſequitur. Tertio ad comprimendam humani ingenii temeritatem, ejuſque ſuperbiam labore domandam; ut, dum tumens ac turgens hominis animus abſtruſos divinarum literarum receſſus penetrare ſe poſſe praeſumit, demum deſperans cogatur una cum illo AEthiope Eunucho exclamare, Quomodo poſſum haec intelligere, niſi aliquis oſtenderit mihi?

Eſa. 7. c

Eſa. 29. d

2. Cor. 3. d

Apoc. 5. a

Apoc. 5. b

Luc. 24. f

Divinas ſcripturas Deus tribus de cauſis voluit eſſe difficiles.

Act. 8. c

SILVANUS, quem quidam a Luca in Actibus Apoſtolorum Silam dici tradunt (a), exiſtimatur, quod ſimul cum Paulo fuerit auctor duarum ad Theſſalonicenſes epiſtolarum; quia in praefationibus earum Silvani nomen cum Pauli nomine junctum ſit: caeterum Photius, epiſcopus Conſtantinopolitanus, utrunque aſſerit ab ipſo duntaxat Paulo elaboratam; ſed Silvano, tanquam comminiſtro, ex Apoſtolica modeſtia communicatam & aſcriptam. Comminiſcitur Silvani hu-

1. Theſ. 1. a & 2. Th. 1. a

Act. 16. d

(a) Non omittenda nobilis animadverſio N. Johannis Nicolai *in not. marginali S. Th. in 1. ad Theſſalon. 1.* rem hanc dilucide explicantis „ Silvanum „ porro eum eſſe, qui *Silas*, vitioſeque Silvanum „ legi, Hieronymus Damaſo ſcribit epiſt. 113. Sed „ utrumque diſtinguunt Graeci, nec uno & eodem „ die celebrant, ut ad 13. diem Julii notat in Mar„ tyrologio Baronius „ Addit etiam ibidem laudatus Cardinalis ab Pſeudo-Dorotheo Silvanum Theſſalonicae Epiſcopum conſtitui, ut etiam N. Sixtus refert, & Silam Corinthiorum Epiſcopum dici, eademque adſeri dicit ab Hippolito Martyre *libell. de 72. diſcipulis*. Verum hujuſce operis haud fuiſſe authorem Hippolytum Martyrem S. Irenaei diſcipulum, ſed potius Hippolytum Thebanum aetate juniorem (qui floruit Anno 933.) Simeoni Metaphraſti contemporaneum, advertunt univerſim Critici adcuratiores, quos conſulas.

Digitized by Google

hujus Petrus Apoſtolus in cálce prioris epiſtolae inquiens. Per Silvanum vobis fidélem fratrem paucis ſcripſi. Dorothaeus Martyr in Synopſi refert hunc Theſſalonicae fuiſſe epiſcopum.

Act. 8. c

SIMON Magus Samaritanus, patre Antonio, matre Rachele, ex vico, qui Triton dicebatur, a Philippo diacono baptizatus, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur (a), pecunia voluit emere a ſanctis Apoſtolis, ut etiam per impoſitionem manus ejus daretur Spiritus Sanctus: hic, cum Romam ſub Claudio Caeſare veniſſet, utens adminiculo adſiſtentis ſibi daemonis, ita magicis artibus Romanos dementavit, ut ab eis Deus decerneretur, & ſimulacri honore donaretur in inſula AEſculapii, inter duos Tyberis pontes collocati, habentis etiam titulum, latinis literis ſcriptum, SIMONI DEO SANCTO (b). Scripſit autem prodigioſae impie-

(a) Simonem Magum fuiſſe a Philippo Diacono Samariae baptiſmate luſtratum nemo eſt, qui poſſit inficias ire: quum id aperte conſtet ex Divino eloquio: dicitur enim *Actorum VII.*: „ Cum vero credidiſſent Philippo Evangelizanti de Regno Dei, „ in nomine Jeſu Chriſti, baptizabantur viri, & „ mulieres, tunc Simon & ipſe credidit, & cum „ baptizatus eſſet „ &c. Verum quo animo adceſſerit ad baptiſmum ſceleſtus nebulo, ex iis, quae eadem Apoſtolorum Acta tradunt, aperte colligitur: quum Spiritum Sanctum emere pertentaverit ad mirabilia ea patranda, quae doemonum ope & arte magica facere nequibat: quare S. P. Auguſtinus *Tract. VI. in Johan. n.* 18. ita de eo loquitur. „ Samaria coepit abundare fidelibus, ibi erat iſte Simon Magus; per magicas factiones ſuas ita dementaverat populum, ut eum virtutem Dei putarent: commorus tamen ſignis, quae a Philippo fiebant, etiam ipſe credidit; ſed quomodo ipſe crediderit, poſteriora ſequentia demonſtraverunt: „ baptizatus eſt autem & Simon .... Simon ille „ qui non erat in Eccleſia columba, ſed corvus: „ quia ea, quae ſua ſunt, quaerebat, non quae „ Jeſu Chriſti, unde in Chriſtianis potentiam magis amaverat, quam juſtitiam „. Clarius & longe ante S. Irenaeus *Lib. I. adverſ. Haer. Cap.* 23. „ Simon, qui fidem ſimulavit, putans Apoſtolos & „ & ipſos ſanitates per magicam, & non virtute „ Dei perficere; & per impoſitionem manuum ſpiritu Sancto adimplere credentes Deo per eum, „ qui ab ipſis evangelizatur Chriſtus Jeſus, per majorem quandam magicam ſcientiam, & hoc ſuſpicans fieri, & offerens pecuniam Apoſtolis, ut „ acciperet & ipſe hanc poteſtatem, quibuſcumque „ velit dandi Spiritum Sanctum.„ Id ipſum tradidit S. Epiphanius *Haereſ. XXI. Simonianorum*, tradiderunt & alii Patres, quos conſulas.

(b) Quae de ſtatua Simoni Mago erecta Romae N. Xyſtus tradit, mutuatus certe fuit ex veteribus, iiſque ſuſpiciendis, & ne dum ex hiſtoricis, aut Theologis infimae, aut mediae aetatis, ſed etiam ex priſcis Eccleſiae Patribus, Juſtino, nimirum, *Apologia II.* Irenaeo *Lib. I. cap.* 23. Tertulliano in *Apologetico*, Cyrillo Hieroſolymitano *Catecheſi IV.* Auguſtino, aliiſque, quorum ſententiam poſtea vindicandam ſuſceperunt innumeri, iique eruditi Recentiores, praeſertim Card. Baronius ad *An. Chriſti XLVIII.* Petrus Halloix *in Juſtino*, Sebaſtianus Tillemontius *not. in Simon. Mag.* Claudius Fleury *T. I. Hiſt. Eccleſ. lib.* 2. N. Natalis Alexander *Sec. I. Hiſt. Eccleſ.* Card. Gotti *Tom. V. de Verit. Chriſt. Religionis*, & ex extraneis a Romana communione Hugo Grotius *Op. lib.* 3. *p.* 488. Henricus Hammondus *Diſſert. de Epiſcopor. jure*, Guillelmus Spencerus *in Origenem lib.* 1. *contr. Celſum*, & Centuriatores Magdeburgenſes *Centur. I. lib.* 2. *cap.* 5. aliique. Verum quia ſupra de Sibyllis agens corrigendam fore epigraphen apud Juſtinum laudatam, & non *Simoni Sancto*, ſed *Semoni Sanco* legendum eſſe adnotavi, idipſum nunc adſero, & cum eo pariter N. Xyſtum eſſe corrigendum iterum adfirmo. Ex laudata namque inſcriptione, quam praeſertim Gruterus exhibet, nunquam fuiſſe *Simoni Mago*, ſed *Semoni Sanco* ſtatuam erectam manifeſtum eſt, & ita legendum fore innumeri, iique eruditi adcuratique Critici probant, nimirum, Petrus Ciacconius Opuſculo *ante expoſition. Columnae Trajani*, Dionyſius Petavius *animadv. in S. Epiphan. Haereſ. XXI.* Henricus Valeſius *not. in Euſeb. lib.* 2. *c.* 13. Antonius Pagi *Critic. Baron. T. I. ad an.* 42. Auguſtinus Calmet *Diſſert. de Simon. Mago*. Ex Acatholicis autem Nicolaus Rigaltius *in Tertullian.* David Blondellus *de Sibyllis*, Goffredus-Nicolaus Ittigius *Diſſert. de Haereſiarch.* Joh. Albertus Fabricius *not. in pſeudo-Abdiam p.* 419. *de Apocryph. N. T.* Samuel Baſnagius in *Annal. Politic. Eccleſ.* & *de rebus ſacris & Eccleſ.* Antonius Vandale *Diſſert. de ſtatua Simon. Magi*. Claudius Salmaſius, aliique. Et quamvis mihi obſiſtat venerabilis Patrum coetus, aliorumque inſignium ſcriptorum chorus, eiſdem tamen debita reverentia ſarta tecta cuſtodita, errorem detegere fas eſt, & rem mere hiſtoricam ad incudem revocare licet: qua bene perpenſa, debitoque adhibito criterio, facile quoque eſt aperte monſtrare rem aliter se habere ac illi exiſtimarunt. Juſtinus namque, ex quo, velut ex principe, foret hiſtoria petenda, dubio procul ab aliquo ex Samaritanis, eoque gentili ſuo & Simoniana labe infecto, potuit decipi: quum ipſe ſeculo poſt, & amplius, rem memoriae tradiderit; nec Romae ſuos habuerit natales, ut rem perſpectam exploratamque haberet. Et quamvis ſub Antonino Pio Romae fuerit, ſtatuamque Semonis cum praefata epigraphe conſpexerit, facillime ex ſimilitudine vocum *Semonis*, & *Simonis*: *Sanci*, & *Sancti* potuit in errorem prolabi vir Graecus non apprime Latine doctus, nec perfecte Latine legens: eo namque ex momento facillime fuiſſe hallucinatos viros alioquin doctos pro comperto eſt apud Eruditos. Momentum vero ita prudenter credendi, & ex adverſo ſentiendi non elumbe eſt, ſed quam maxime ſolidum, quod omnem fidem promeretur; idque multiplex. I. nimirum, quia mos fuit Romanis Diis ſacrare aras & ſimulacra, nullimode *Sancti* titulo *Deo* adjecto, quare nulla occurrit apud eos inſcriptio id genus: v. g. Jovi Deo Sancto, Marti Deo Sancto, &c. quomodo ergo Simoni, eique adhuc ſuperſtiti (quod nunquam legimus factum, niſi cum Cajo, & Domitiano, nec ſine vi & metu) cujus dogmata non probabant, ſtatuam ſacrare poterant, eique adjicere epithetum ab Juſtino commemoratum? II. Ex Irenaeo (quod etiam expreſſe tradidit Epiphanius *haereſ. XXI. Simonianor.* ex quo etiam Auguſtinus) Simon Magus, qui se Jovem dicebat, nec aliter quam ſub Jovis imagine se coli patiebatur, ſic pariformiter in ſuppedaneo ſtatuae epigraphen ſcribendam curaſſet, dum ex adverſariis ita Romanis erat venerabilis, ut ſtatuam promereretur ab eis, non ſecus ac impius Caligula egit, qui ſibi Jovis Olym-

pii

Digitized by Google

pietatis volumina, haereſum omnium ſeminaria: in quibus docuit ſe eſſe virtutem Dei magnam, quam Graeci Jovem dixerunt; conjugem vero ſuam eſſe Helenam illam antiquam, ob quam Troës, & Graeci ad pugnam devenerunt, & de hac allegorice ſcripſiſſe Homerum quaecunque in Iliade haberentur. Tradidit quoque uſum deteſtandae turpitudinis indifferenter utendi foeminis: negavit Deum feciſſe mundum, item, carnis reſurrectionem: dixit quoque ſe eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & in perſona patris apparuiſſe olim Moſi in monte Sina, legem adferens, in perſona filii apparuiſſe Tyberii tempore, & putative paſſum; poſtea ſe in linguis igneis ſuper Apoſtolos in perſona Spiritus Sancti deſcendiſſe; Chriſtum autem nec veniſſe, nec a Judaeis quicquam pertuliſſe. Obiit Romae, ex magna altitudine a Petro orante praecipitatus, cum ipſum Petrum in miraculorum certamen provocaſſet (a). Ejus ſcripta a Gelaſio, diſtinctione

pii ſimulacrum adportandum curavit, eique capite demto ſuum adponi juſſit, quare & aliquibus Jovis Latialis titulo conſalutabatur. III. Quia quum Romanis fuerit exoſa magia facile haud creditu eſt ob eam artem Romae ex Senatus conſulto (ſine cujus placito apotheoſis nulla fiebat) fuiſſe Simoni Mago, eique ut Sancto, ſtatuam ſacratam, quae Apollonio Thianaeo, majorum certe prae Simone mirabilium patratori, nunquam fuit erecta. Ex hiſce ergo momentis facillime deprehenditur Juſtini error, quem tamen facilius hauſerunt Tertullianus, Irenaeus, Euſebius, Epiphanius, Auguſtinus &c. quia ex unico Juſtini fonte latices elicientes, iis ſua irrigarunt prata poſteriores, iique inſignes ſcriptores, qui ex eo dumtaxat rem traditam habuerunt: quum nullus praeter Juſtinum, ſive ex ſacris, ſive ex ethnicis Scriptoribus hanc ſtatuam impoſtori Simoni dicatam memoriae commendaverint poſterorum; quod in ſexcentum id genus exemplis occurrit. Quare ad rectum ſervandum criterium ita ſentio.

Quod ſi forte aliquis in oppoſitam voluerit deſcendere ſententiam cum Eminentiſſimo Anna ium Parente duplicem ſtatuendo epigraphen duplici itidem ſimulacro adpoſitam, unam, nimirum, e raderibus Tiberinae inſulae erutam quam ſuperius retuli

Semoni Sanco Deo fidio Sacrum
Sext. Pompejus S. P. E. Col. Muſſianus
Quinquennalis Decurio Bidentalis
Donum dedit.

eamque reſtituere priori Deo, ſive Sabinorum is fuerit, ſive fuerit Hercules, ſive alterius conditionis Sangus (de quo ubertim Baſnagius) & alteram, quam Juſtinus commemorat, eamque ſupponere ſtatuae Simonis Magi, in ſuo ſenſu abundet: habebit profecto ſuos Patronos ſuperius laudatos Scriptores: verum rem hanc bene conlibret, & locum, ubi fuit praefata inſcriptio tempore Gregorii XIII. reperta obſervet, idque ſtatuat, quod adamuſſim exactae Critices veritati reſpondet. Satis mihi eſt haec adnotaſſe ad Criticam animadverſionem: cetera, quae poſſunt addi, potius ad exercitationem ſpectare videntur; haecque haud ita neceſſaria, ut me impraeſentiarum detineant, & a communi ſervato curſu retardent.

(a) Circa icaricum Simonis Magi volatum non levior eſt difficultas, & in re ſumus haud abſimili ab ea, quam nuper expendimus de Simoni ſtatua erecta. Dominicus Bernini, ut certiſſime tueretur N. Xyſti adſertum, veluti haereticis placitis adcenſet ſententiam eorum, qui illum volatum, caſumque Simonis inficiantur: quum adſtruat e Calvinianorum ſchola hoc prodiiſſe commentum, & ad marginem referat Johannem Calvinum *Lib. IV. Inſtitutionum Cap. VI. §. 13.* ſed re vera Berninum de more ſibi ſolito impegiſſe in montem certo certius vel ex eo dignoſcitur, quia nec verbum ea de re Calvinus habet loco ab eodem Bernino laudato, nec quidem alibi id adſerit in omnibus eiſdem Inſtitutionibus, quas ſedulo luſtravi: ex adverſo itidem Guillelmus Cave Anglo-Calvinianus homo in *Hiſt. Litter. Sec. Apoſtol.* eſto rem ut indubiam certamque non adſtruat icaricum Simonis Magi volatum, non refragatur tamen, ſed ſolum dicit praecipitem ex alto cecidiſſe Magum imperante Petro, ſi fides adhibeatur ſequioris epochae ſcriptoribus. Henricus Hammondus & ipſe Anglo-Calvinianus homo ſententiae N. Sixti utroque pollice ſubſcribit *Comment. in Epiſt. II. ad Theſſalonicenſes c. 2. n. 3.* Georgius Hornius & ipſe Calviniſta *Hiſtor. Eccleſ. pag.* 140. *& ſeq.* ex Svetonio *Cap. XIII.* (quem infra laudabimus) adſtruit magicum Simonis volatum, & infelicem ejuſdem ruinam coram Petro. Quid inſuper ſi ceteros addas ex reliquis a Romana communione ſegregibus cujuſcumque ii ſint partis? plures certe invenies haud inficiantes eandem hiſtoricam traditionem. Itaac Caſaubonus, qui omnem movit lapidem, ut Cardinalem Baronium vellicaret, & adverſus eum felle pollutum calamum ſtrinxit, ea tamen in re non refragatur Annalium Parenti. Johannes Pearſonius ſilet. Centuriatores Magdeburgenſes *Cent. I. Lib. II. Cap. X. de haereticis* ne dum non refragantur, ſed lubentiſſime id ex Philaſtrio docent. E contra vero viri doctiſſimi Romanae communionis ea de re nimium dubitarunt, aliique inſuper omnino reſpuerunt Petri cum Simone certamen Romae initum, Magique volantis lapſum; adſtruentes proinde non eſſe abſque exacto criterio fidem praeſtandam Patribus in re mere hiſtorica, in qua potuerunt facillime decipi, ut nuper vidimus agentes de ſtatua Simoni Mago Romae dicata: eo vel magis, quia primus, qui hanc hiſtoriam memoriae tradidit, fuit Pſeudo-Clemens, ex quo illam ceteri hauſerunt; quare Johannes Baptiſta Cotelerius *nat. in Lib. VI. Cap. 9. Recognit. Clem.* ſe dubium haerere hac in re profitetur ex momentis inluſtrium Criticorum, qui in praeſentiarum ſuſpectam eam narratiunculam dicunt; & certe eos inter Catholicos, etſi ſuppreſſo nomine, laudat; alioquin non ita commendaſſe eos: eidem utroque pollice ſubſcribit Auguſtinus Calmet *Diſſert. de Simone Mago*, &, ſicut ille, momenta utriuſque opinionis profert, ſuo non adpoſito calculo. Henricus Valeſius de S. R. & litteraria Republica optime meritus *adnot. in Euſeb. lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 13.* denegat hunc icaricum Simonis volatum, ejuſque ruinam, & ad hominem arguit eos qui Simoni ſic praecipiti ſtatuam pridem erectam ſubſiſtere adhuc tempore Juſtini adſerunt. Quum ergo ita res ſe habeat quomodo Berninus cenſoriam virgam extendit in eos, qui Simonis volatum & ruinam denegant, & haereticis eos adcenſet? Novitius plane in re Critica ita loquitur, qui viros magni nominis non conſuluit. Quid autem in re tam difficili agam? Ut meum munus exſequar ſatis erit in re tam ardua ſequi conſilium Cl. Cotelerii, & dumtaxat in medium proferre utriuſque ex adverſo oppoſitae ſententiae rationes, & vindicare N. Authorem. Ad vindiciam, inquam, ejus ſat eſt laudare Patres, quos ipſe ſecutus id tenuit, quod poſt eum viriliter pro-

pu-

Digitized by Google

ne 15. inter Opera haereticorum primo loco enumerata damnantur.

SOPHONIAE Prophetae Assumptionem Athanasii Synopsis inter impia scripta recenset.

Act. 18. 17. SOSTHENES unus ex septuaginta Salvatoris nostri discipulis, natione Judaeus, princeps Synagogae Corinthiorum, multa, ut Lucas in Actibus refert, coram Gallione proconsule Evangelii causa passus est. Hic una cum Paulo composuisse

1. Cor. 1. 1. fertur eam, quae prior est, ad Corinthios epistolam; quia Apostolus in salutatione ejusdem epistolae adjungat eum sibi non aliter, quam conscribentem & consalutantem: at Photius, Constantinopolitanus episcopus, existimat eam ab ipso Pauli spiritu ingenioque profectam & dictatam; Apostolum vero, quae sua erant, Sostheni facile tribuisse, ut epistolam suam firmiorem & acceptiorem faceret Corinthiis, apud quos erat Sosthenis archisynagogi celebre nomen & auctoritas magnopere venerabilis. Dorothei Synopsis ostendit hunc fuisse Colophoniadis episcopum.(a)

SPARTANORUM scriptura, in qua scriptum erat, Judaeos & Spartiatas fratres esse, & utrosque de genere Abraham descendere, citatur 1. Maccabaeorum 12. Meminit hujus scripturae Darius, Lacedaemoniorum rex, in epistola quadam ad Oniam, Judaeorum Pontificem; cujus exemplar, ex 12. lib. Antiquitatum Josephi, cap. 5. exceptum, habetur supra in Dario.

SPI-

pugnarunt haud ignobiles Scriptores, praesertim Card. Baronius, Antonius Possevinus, Sebastianus Tellemontius, Claudius Fleury, NN. Natalis Alexander, Hyacinthus Amat de Graveson, Card. Gotti, aliique plures. Pro illius, & horumce parte stant monumenta Patrum, ex quibus res tota firmatur, nimirum, & volatus Simonis doemonum vi elati, & illius praecipitium imperante Petro. Id quidem diserte adstruunt Author Recognitionum *Lib. VI. Cap. 9.* Arnobius *Lib. 2. adversus Gentes*, Ambrosius *Hexaemeron IV. 8.* Augustinus *Lib. de Haeres. Haer. 1.* Cyrillus Hierosolym. *Cateches. VI.* Philastrius *de Haeresibus*, Severus Sulpitius in *Hist. Sacra*, Gregorius Turonensis *Hist. lib. 1. c. 25.* Isidorus *in Chronico*, Prosper in libello, cui titulus *Dimidium temporis*, Maximus Taurinensis *Homil. V. in Natali Petri & Pauli*, aliique posteriores aetatis Scriptores, Cedrenus, Glycas, Zonaras, aliique. Addunt itidem testimonium altioris epochae Scriptorum Gentilium nimirum Dionis Chrysostomi *Orat. XXI.* qui refert, quod aliquis icaricum volatum se coram Nerone acturum promisit, quem tamen cecidisse refert Svetonius in *Nerone*, & prope cubiculum ejusdem Caesaris corruisse sanguine respersо pavimento domus. Hic autem, inquiunt, quis fuit, nisi Simon Magus, qui solus eo tempore magicae addictus arti ea portenta patrabat?

At e contra commentitium, aut saltem suspectum nimis esse adsertum Simonis Icaricum volatum, ejusque praecipitium orante Petro momenta ea evincunt, quae laudati Critici in medium proferunt. I. Silentium Veterum Patrum Justini, Athenagorae, Irenaei, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Origenis, Minutii Felicis, Julii Firmici Materni, Athanasii, Lactantii, aliorumque; quod certe non levis est momenti, nec ad merum negativum argumentum potest referri. Qui enim adcurate nimis, quae adversus Gentes faciebant ad firmandam Christi fidem commendarunt, quomodo tam celebre facinus reticuissent? Justinus, ex eoque Irenaeus, Tertullianus, Eusebius, aliique statuam Simoni Mago Romae erectam objecerunt Ethnicis, ut eorum deliria ventilarent, quomodo itidem ad commenta Paganorum exsufflanda reticuissent impostoris ruinam? Clemens Romanus itidem, qui in Epistola ad Corinthios data refert omnes persecutiones, & poenas, certamina cuncta, & agones, quibus fuit Apostolorum vertex oppressus, circa omnem dubietatis aleam non silusset certamen Petri cum Simone, de eoque reportatum triumphum, & pro eodem pariter, quod apud Neronem subiit odium, ut ii etiam contendunt, qui hunc Petrinum triumphum extollunt. II. Incohaerentia facti ex eo dignoscitur, quia dum laudati PP. statuam Simoni Mago Romae sacratam adstruunt, quomodo possunt illius ruinam, & miserabilem casum firmare, quum ex hoc non impostori Simoni, sed Victori Petro erat statua dicanda? quod certe argumentum, utpote firmissimum Valesius profert. III. Ex fonte, unde profluxit historia, illam non subsistere certo certius dignoscitur. Primus, qui eam in medium protulit est Pseudo-Clemens, ex quo eam posterioris Epochae Patres sunt mutuati: Verum quot commenta, quot fabulae in eodem castigentur ab Eruditis, is solum ignorat, qui nec a limine Ecclesiasticam historiam salutavit; quare, vel ex eo suspecta redditur, etsi ab aliis laudetur. IV. Discrepantia Scriptorum in ea statuenda illam infirmat: quidam ex Patribus Petrinum cum Simone certamen statuunt tempore Claudii: alii tempore Neronis: quidam solummodo victum Simonem a Petro dicunt: alii mortuum in contentione dicunt: alii diversimode in ruina fuisse confractum, nec constat ubi objerit: Quidam solum Petrum in certamine statuunt, alii comitem faciunt Paulum. Nec Pontificale Romanum, ubi de hac re est sermo, aliud indigitat, quam Simonem *divino nutu interemtum*. V. Quod ex Dione, & Svetonio laudant, alienum omnino esse a Simonis cum Petro certamine constat, quum illi historionem referant in Theatro volatum pertentasse, & ex volatu ruisse; haec enim non semel funambuli pertentarunt, sed infelicem eos subiisse exitum constat. Heinc qui ex adverso sentiunt, nullum firmum momentum ad rectam Criticen adsurgere ajunt. Haec, inquam, omnia bene libret, qui sapit, suumque de hac re judicium formet, quum mihi haec indicasse sufficiat.

(a) Quae de Sosthene tradit Photius levi fundamento nituntur, & Gentium Doctori plene sunt tribuendae XIV. sub ejusdem Pauli nomine conscriptae Epistolae, etiamsi Sosthenes salutator Corinthiorum inducatur: sicut non semel alii in aliis Paulinis Epistolis inducuntur, quibus proinde nec amanuensis munus adjudicatur. Quae vero de Episcopatu Sosthenis tradit Pseudo-Dorothaeus ex spurio Hippolithi libello *de LXXII. discipulis* sunt depromta, quae proinde apud Criticos nullam promerentur fidem. Sosthenis festum Latini die 28. Novembris celebrant, ut tradunt Beda, Usuardus, & Ado; Graeci vero VII. Idus Decembris, ut ex eorum Menologio constat. Videsis C. Baronium *not. ad Martyrolog. Rom.*

Digitized by Google

SPIRITUS PARACLETI nomine a Manichaeis inſcripta ſunt omnia Opera Manis Perſae, ſive Manichaei; quem ipſi ejus diſcipuli eſſe crediderunt & docuerunt ſpiritum illum paracletum a Chriſto in Evangelio promiſſum: fuerunt autem apud Manichaeos, ſub Paracleti Spiritus titulo, inſigniora volumina haec, quae ſequuntur.

EVANGELIORUM liber unus.

MYSTERIORUM libri duo & viginti, juxta numerum & ordinem Syrarum literarum Syriaca lingua editi.

THESAURI magni liber unus.

THESAURI parvi liber unus.

SUMMARUM liber unus.

DE fide liber unus; cujus initium eſt, *Erat Deus: & Materia, lux, & tenebrae, bonum & malum*, &c.

AD eccleſiam fidelium epiſtola una, quae dicitur Fundamenti; cujus initium eſt, *Manichaeus, Apoſtolus Jesu Chriſti, providentia Dei patris. Haec ſunt ſalubria verba ex perenni ac vivo fonte*, &c. & habetur apud Auguſtinum una cum ejus confutatione Tomo ſexto.

AD Marcellum, dilectum filium, epiſtola una; cujus initium eſt, *Manichaeus, Apoſtolus Jesu Chriſti, &, qui mecum ſunt, omnes ſancti, ac virgines Marcello filio dilecto gratia, & miſericordia, & pax a Deo patre, & Domino noſtro Jesu Chriſto*, &c. & habetur apud Epiphanium libro ſecundo adverſus haereſes, unde haec accepimus.

VICTOR, Epiſcopus Uticenſis, Africanae perſecutionis libro ſecundo, memoriae prodidit Manichaeos ob reverentiam praeceptoris ſui ſolitos fuiſſe geſtare hoc ſcriptum in femoris cute, MANICHAEUS, DISCIPULUS CHRISTI JESU.

STEPHANI Protomartyris, qui unus fuit de ſeptem Apoſtolorum diaconibus, Apocalypſin Manichaei haeretici, ut Serapion teſtis eſt, in pretio habuere. Hanc Gelaſius Papa ſub anathematis interminatione Chriſtianis interdixit, diſtinctione 15.

STILUS Mendax ſcribarum citatur apud Jeremiam, his verbis: VERE mendacium operatus eſt עט שקר סופרים Het ſceker ſophrim, hoc eſt, Stilus mendax ſcribarum: pro quo Septuaginta interpretes verterunt, εἰς μάτην ἐγενήθη κοῖνος ψευδὴς γραμματεῦσιν: id eſt, in vanum factus eſt juncus, ſive funiculus mentorius mendax Scribis. Origenes per Stilum hunc interpretatur mendaces traditiones ſcribarum, & legis doctorum, praeſertim eas, quae de oblationibus praeter divinum mandatum ſacerdotibus & templo offerendis propoſuerant, commutantes cujuſcunque graviſſimi ſceleris poenam in oblationes arbitrio ſuo conſtitutas: quod Jeremias paulo ſupra arguens dicebat: NOLITE confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Prochetus libro primo Victoriae adverſus Hebraeos, exiſtimat Jeremiam per Stilum mendacem ſcribarum, prophetice voluiſſe praedicere correctionem quandam voluminum Divinorum, quae in libris Thalmudicis frequentiſſime recolitur תיקון סופרים Thikun Sophrim, hoc eſt, Correctio Scribarum, appellatam, juxta quam Scribae non longe poſt reditum de Babylone quaedam in libris legis & prophetarum mutaverunt, nunc ſcripturam quibuſdam punctis diſtinguentes, nunc alia in marginibus apponentes, quae loco eorum, quae in contextu ſcripta erant, urbanitatis ac modeſtiae gratia honeſtius ac decentius legerentur: ut pro Coïre cum concubina, Jacere cum illa: & pro Stercore, Egeſtionem: cujus rei gratia interdum quoque id, quod erat ſcriptum a Propheta, eradentes, in locum illius, quod ipſi magis è ſcripturae decoro judicaſſent, reponebant: unde factum eſt, ut multis in locis ſenſus multo a Prophetae ſententia diverſus, atque etiam ſaepe contrarius, ac falſus emerſerit. Vide hoc latius infra, libro octavo haereſi ſecunda. Jerem. 8.

T

TABULAE COELI quod genus ſcripturae ſint, vide ſupra in Joſeph oratione. Jerem. 7. 4.

Digitized by Google

TERTIUS, Iconii episcopus, Pauli discipulus, & Amanuensis, scripsit dictante Apostolo eam, quae est ad Romanos, epistolam; in cujus fine salutationem quoque suam apponens, ait: SALUTO vos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc in Domino. Is cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quae propter multitudinem ac sublimitatem Quaestionum caeteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus & cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis, & inabsolutis sententiis, ac transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Diodorus, Tarsensis episcopus, in expositione epistolae ad Romanos hujus rei testis est. Theodolus, Coelesyriae presbyter, in expositione epistolae ad Romanos, pro Tertio, Terentium legit. (a)

Ad Rom. 16. 22.

THADDAEUS Apostolus, qui & Lebaeus, & Judas, appellatur, auctor Catholicae epistolae, quae inter septem Catholicas ultima numeratur, scripsisse dicitur Evangelium, quod Gelasius distinctione decimaquinta reprobavit.

THAU inscriptio, sive ת Thau litera, signum est vitale, faustum, ac maxime salutiferum; quo divina misericordia frontes eorum insignire spiritualiter consuevit, quos a furore divinae ultionis decrevit eripere. Meminit hujus mysterii Ezechiel in visione illa celebri, quam vidit anno 6. transmigrationis Babylonicae, mense 6. die 6. his verbis: ET GLORIA Domini Israël assumpta est de Cherub: & vocavit virum, qui indutus erat lineis, & atramentum scriptoris habebat in lumbis suis: & dixit Dominus ad eum, Transi per mediam Civitatem in medio Hierusalem; & signa Thau super frontem gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quae fiunt in medio ejus. Et dixit viris, in quorum manu erant vasa interitus, Transite per civitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini: senem, adolescentulum, & virginem, parvulum, & mulieres interficite usque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis. Haec Ezechiel de litera Thau, quam Deus idcirco voluit frontibus salvandorum inscribi, ut ostenderet se tales merito ex tanta totius populi clade eripere, quia soli in tota urbe Dei legem servassent, cujus primam literam in fronte prae se ferrent: est enim Thau litera, a qua incipit Hebraica dictio תורה thorha, quae divinam legem significat: est item Thau omnium Hebraicarum literarum ultima, complementum, finis, & consummatio totius Judaïci alphabeti: ex cujus nota voluit Deus eos discerni, qui totius legis voluntatem, quantum patitur humana fragilitas, consummassent, & a prima usque ad ultimam literam omnia divinae Scripturae praecepta complessent. Atque hinc arbitror, emanasse morem illum discernendi vivos a mortuis apud Ethnicos priscae militiae notarios; qui cum in breviculis, quibus militum nomina propria continebantur, demonstrare vellent quot ex militibus supereſſent, & quot in bello cecidissent; T Taf nota, in capite versiculi posita, superstitem designabant: Seu Thau ⊕ Thita vero, quod per medium telo, hoc est, mortis signo transfixum est, ad uniuscujusque defuncti nomen apponebant: & judices eandem literam ⊖ Thita praeponebant eorum nominibus, quos supplicio afficiebant: id ipsum quoque pictores & sculptores in epitaphiis sepulchrorum scribebant; propterea quod ipsa sit litera capitalis verbi Graeci Θνήσκω, quod significat Morior; vel, Θανάτος quod significat Mortem: ad quod Hetruscus poëta, Persius, non invenuste allusit, cum vitii caedem persuaderet eo versu,

Ezech. 9. b

Et potis est vitio nigrum praefigere Thita. & rursus alius poëta:
O multum ante alias infelix litera Thita.

SCIENDUM est etiam, ut Hieronymus in plerisque locis suorum operum testis est, Judaeos ante captivitatem Babylonicam alias, hoc est, alterius figurae, quam nunc, habuisse literas cum Samaritanis communes a Mose videlicet acceptas; quarum postea figuras Ezra, de captivitate reversus, mutavit; ut Judaei, qui literarum numero, ordine, sono, ac significatione cum Samaritanis infidelibus & Judaïci nominis hostibus conveniebant, saltem ab ipsis discreparent forma li-

(a) De Tertio idem esto judicium ac de Sosthene, quum omnes, quae sub nomine Pauli exstant Epistolae, eidem ab Ecclesia adjudicentur, quamvis Apostolus easdem per aliquot sibi familiares ad eos transmiserit, ad quos erant datae. Vide Interpretes, & Criticos.

Digitized by Google

literarum: quarum ultima communi utriusque gentis vocabulo Thau appellatur, & quae prius figuram crucis repraesentabat ✝, Esdras in hanc ת notam, qua nunc Judaei utuntur, transformavit. Fuit igitur, ni fallor, signum Thau scriptum in frontibus eorum, qui erepti sunt a civitatis devastatione, figura vivificae crucis, symbolum humanae Salutis, & signum Redemptionis totius mundi: cujus quidem signi inscriptione mystice significabatur, neminem effugere sempiternae mortis supplicium, qui non fuerit signaculo crucis insignitus: hoc est, qui non habuerit interius impressam fidem crucis, passionis, ac mortis Christi, quique exterius in fronte, quae interioris fiduciae, audaciae, & constantiae index est, non gestaverit crucem Christi; hoc est, nuda & aperta fronte Christi crucem intrepide praedicans, & omnem gloriam suam in ea reponens, atque una cum Paulo dicens: MIHI absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Galet. 6. c. In cruce inquam illius, qui milites suos his verbis compellat. QUI vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Matth. 16. a crucem suam quotidie, & sequatur me. Indicans hac voce, neminem posse ingredi in vitam aeternam cum Christo, nisi prius in hoc saeculo per viam tribulationum Christi praeeuntis vestigia sequatur, signum crucis Christi, corde, ore, manuque prae se ferens. Hoc est illud signum Dei vivi, de quo Angelus in Apocalypsi exclamat ad Angelos devastantes: NOLITE nocere terrae, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Apoc. 7. a Signum certae victoriae, ac triumphi; quo quicunque protectus fuerit, invisibilium ac visibilium omnium hostium conatus franget; neque peccatum, neque mors, neque mundus, neque Sathanas, neque portae inferi praevalebunt adversus eum. Non tamen praetereundum arbitror, nomen Thau, tam pro extrema litera Hebraici alphabeti accipi, quam pro quocunque signo: unde, cum apud Ezechielem non ipsius literae Thau sola figura ת separatim scripta sit, sed tota ipsa dictio תו, quam fere omnes Signum interpretantur; incertum sane est, an verba Prophetae, vel de ipsa litera Thau, vel de quopiam alio signo intelligenda sint. Theodotion per Thau extremam alphabeti literam intellexit; & pro eo, quod Septuaginta, Aquila, & Symmachus verterunt signum, posuit ipsum תו Hebraicum. Isidorus, Ispalensis episcopus, arbitratus est per Thau significari literam Graecam T Taf: quia figuram Dominicae crucis repraesentet. Chrysostomus vero in decimaoctava Homilia ad populum Antiochenum per Thau nihil aliud, quam indeterminatum signum exponit. Denique Origenes in Homilia de Epiphania Thau literam fuisse ipsam crucis figuram concludit.

THOMAS Apostolus Evangelium, quod Manichaeis sub nomine ejusdem Apostoli, teste Gelasio, familiare fuit, scripsisse creditur: cujus recordatur Origenes Homilia prima in Lucam, inquiens: SCIO quoddam Evangelium, quod appellatur SECUNDUM THOMAM, & JUXTA MATTHIAM, & alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos, qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint: sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod ecclesia, id est, quatuor tantum Evangelia. Cyrillus, Hierosolymae episcopus, in sexta oratione catechistica tradit auctorem Evangelii hujus fuisse Thomam quendam, Manis Persae discipulum. Athanasius in Synopsi, & Gelasius distinct. 15. inter damnatas scripturas rejiciunt. Epiphanius libro secundo Panarii refert Encratitas haereticos habuisse in usu librum quendam, cui titulus est ACTIONES THOMAE; quem Innocentius Papa primus in epistola ad Exuperium reprobat. Augustinus libro primo de sermone Domini in monte, & in libro contra Adimantum, & libro 22. contra Faustum, Manichaeos testatur hujusmodi habuisse scripturas; in quibus legebatur, Apostolum Thomam, cum esset in quodam nuptiarum convivio peregrinus, & prorsus incognitus, a quodam ministro palma percussum, imprecatum fuisse homini continuam saevamque vindictam: hunc, cum egressus fuisset ad fontem, unde aquam convivantibus ministraret, leo irruens interemit; manumque ejus, qua caput Apostoli levi ictu percussit, a corpore avulsam (secundum verbum Apostoli id optantis, atque imprecantis) canis attulit mensae, in qua Apostolus discumbebat. Enumerantur ab Athanasio in Synopsi una cum libris repudiatis Circuitiones, sive Itinerarium Thomae Apostoli, &

Digitized by Google

a Gelasio distinct. 15. Apocalypsis ejusdem repudiatur. DICITUR etiam scripsisse hic Apostolus ad Clementem, qui post Petrum Pontifex fuit, epistolam de rebus, a se in Parthia, Media, Persida, & India visis, cujus ipse Clemens mentionem facit in nono Recognitionum volumine. (a)

Luc. 3. c TIBERIUS CAESAR, cujus anno quinto decimo Joannem praedicasse scribit Lucas, edidit varii generis scripta stylo affectato & duro, ad imitationem Messallae Corvini; quem senem adolescens observaverat. Composuit & carmen lyricum, cui est titulus, CONQUESTIO DE JULII CAESARIS MORTE: fecit & Graeca poëmata, imitatus Euphorionem, & Arianum, & Parthenium; quibus poëtis ita delectatus est, ut scripta eorum, atque imagines, publicis Bibliothecis inter veteres & praecipuos auctores dedicaverit. Suetonius in Tiberio.

TIMOTHEUS Lystrensis, patre gentili, matre Hebraea natus, primus Ephesi Episcopus, a Paulo admodum adolescens, ob eximias virtutes ejus creatur: hunc Apostolus in salutationibus literarum suarum subindicare videtur fuisse sibi coadjutorem in conscribendis & componendis epistolis aliquot, quae Pauli & Timothei nominibus simul junctis inscribuntur: hae autem sunt,

2. Cor. 1. a AD Corinthios secunda.
Ad Colos. 1. a AD Colossenses una.
Ad Phil. 1. a AD Philippenses una.
1. Ad Th. 1. 1. 2. Ad Th. 1. 2. AD Thessalonicenses duae.
2. Ad Ph. 1. 1. AD Philemonem una.

HAS tamen Photius, Constantinopolitanus episcopus, censet a solo Paulo primum compositas, deinde vero Timotheo discipulo unice dilecto, ex ingenita Apostoli modestia & charitate communicatas, & ascriptas.

FERUNTUR item sub nomine Timothei episcopi Libri quatuor ad ecclesiam Catholicam; quos Salvianus, Massiliensis episcopus, apposita iis Praefatione, ostendit non esse hujus Timothei, sed a quodam suorum temporum scriptore editos; qui, fugiens humanae laudis auram, occultato proprio nomine, Timothei vocabulum finxit, quo divinitatis honor exprimitur: ut non ad honorem hominum captandum, sed pro solo Dei honore se scripsisse significaret; imitatus Luc. 1. in hoc Lucae Evangelistae exemplum, qui in utroque suorum Operum exordio Actor. 1. Theophili nomen finxit; simulans se ad hominem scribere, cum ad amorem Dei scripta dirigeret, a quo ad scribendum impulsus erat. Huius operis character, nisi me fallit gustus, redolet ejusdem Salviani phrasin ac stylum. (b)

TL.

(a) Libros X. *Recognitionum* Clementi I. Romano Pontifici N. Sixtus adjudicat, nec quidem procul a Veterum sententia, qui pro Clemente Lectorum genuino Authore fecerunt. Verum accuratiores Critici alteri a Clemente, eoque posteriori adjudicant laudatos *Recognitionum* libros; quamvis hic longe prioris sit aetatis Authore *Apostolicarum Constitutionum*, quae etiam sub nomine Clementis non semel sunt editae, & a veteribus Theologis laudatae. Citantur namque Recognitiones ab Origene *T. III. Comment. in Genes. &* alibi, ab Eusebio *Lib. III. Histor. Eccles. c. 3. & cap. 38.* Videsis Eruditos Dupinium, Bellarminum, Cavium, & Natalem, &c. sed praesertim Corelerium *PP. Apostolici.* Recole itidem, quae supra adnotavi *in Clemente*.

(b) Quod modeste nimis N. Sixtus judicium tulit de Authore *IV. Librorum de Ecclesia*, sub epigraphe *Theotimi*, reddunt quotquot eruditi Critici audiunt. Card. Bellarminus namque *Lib. de Script. Eccles.* de Salviano loquens dum ei praefatos libros adjudicat sic loquitur: „ Ita exaggerat vitia Chri„ stianorum, & maxime Clericorum sui temporis, „ ut nimius videri posset, nisi ex vero zelo: gloriae „ Dei, & salutis animarum oratio ejus proficisceretur. „ Ita etiam sentiunt ceteri, ex quibus mox plures laudabo. Verum quia primitus praefatis libris titulus fuit adjectus *adversus avaritiam*, quo pacto eidem Salviano fuerunt adjudicati ab Gennadio Massiliense, Honorio Augustodunense, & Johanne Trithemio, deinde prodierunt cum inscriptione *Antidotum*, & etiam cum nomine *Theotimi*, dubitarunt aliqui cuinam forent ii libri adjudicandi; & ex levi alio scrupulo, quem Baluzius exsufflat, dubitavit Petrus Pithoevus. Verum eosdem omnino esse libros, diversimode licet Inscriptos, eosque Salviano Massiliensi Presbytero fore restituendos universim accuratiores Critici cum Orthodoxi, tum Acatholici adfirmant: nimirum ex prioribus Aubertus Miraeus, Lucas Dacherius, Stephanus Baluzius, aliique: ex posterioribus autem Centuriatores Magdeburgenses, Guillelmus Cave, Samuel Basnagius, Joseph Binghamus, aliique. Inscribuntur autem titulo *Theotimi* praefati libri, quia suo nomine suppresso Salvianus adscititio nomine *Theotimi* adversus crimina declamat ex zelo, ut Deo verum praestet honorem (Graece enim Θεότιμοι, latine *Deum honorans*) ex charitate, nimirum, qua fertur in Deum proximorum saluti incumbens: quo pacto S. Franciscus Salesius libros de *amore Dei* titulo *Theotimi* insignivit. Verum quod N. Sixtus tradit de Episcopatu Salviani, & alii itidem tradiderunt, praesertim Card. Bellarminus *loc. cit.* haud facile admiserim; quandoquidem solum Massiliensis Presbyter, nunquam vero Episcopus adseritur a veteribus Gennadio, Honorio Augustodunense, Hilario Arelatense, & Adone Viennense; quapropter insulas ei addere est a veritate procul abire: & fortasse in eum aliqui prolapsi sunt errorem, quia ad Ecclesiam scribentem, &

de-

Digitized by Google

TITULUS in sacris literis aliquando significat ἐπιγραφὴν, hoc est inscriptionem, quae rebus superscribitur, ut statim primo conspectu noscatur, quid super scripta res sit: sic referunt Evangelistae titulum dominicae cruci a Pilato superpositum, Graecis, Latinis, & Hebraicis literis scriptum, ut ex eo causa mortis Christi pateret. Nonnunquam significat marmoreas columnas, pyramides, pilas, vel fornices, nominibus & elogiis illustrium virorum inscriptas, ad servandam rerum ab eis praeclare gestarum memoriam: sic in primo Regum volumine legimus Saulem, devicta Amalechitarum gente, sibi erexisse titulum, sive ut nostra editio habet, fornicem triumphalem in monte Carmelo, sic in secundo ejusdem operis libro scriptum legimus: PORRO Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in Valle regis: dixerat enim, Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo: & appellatur MANUS ABSALON usque ad hanc diem. Quae verba Josephus in libro Antiquitatum septimo exponens, PORRO Absalomus, inquit, erexerat sibi in Valle regis columnam marmoream cum inscriptione, duobus stadiis ab Hierosolymis distitam, quam voluit vocari Manum Absalomi, dicens, quod si liberos ejus perire contingat, in hac tamen nomen ipsius esset mansurum. Interdum Titulus in Sacris literis idem est, quod statua, simulacrum, & imago ob venerationem & cultum alicujus hominis posita, quam Tituli positionem Deus in tertio legis volumine prohibens, NE facietis, ait, vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis. Quandoque etiam Titulus denotat lapidem informem sine ulla inscriptione, & absque ulla artis politura stantem & in terrae superficie erectum; qualem in Genesi fuisse legimus lapidem, quem Jacob, in Bethel Luzae dormiens, capiti suo suppositi, & excitatus a somno erexit in titulum, fundens oleum desuper, & inquiens, ERIT mihi Dominus in Deum, & lapis iste in titulum. Ex his verbis liquet Titulum illum non fuisse columnam, vel piramydem, sed rudem lapidem prius in solo jacentem, deinde in sublime erectum, ad perpetuam recordationem eorum, quae eo in loco Patriarchae Jacobo contigerant. Hunc Moses מצבה mazeva, hoc est Lapidem stantem appellavit; & septuaginta interpretes λίθον, hoc est Lapidem aliquando transtulere. 1. Reg 15. 12. 2. Reg. 18. d Levit. 26. e Gen. 28. d

TITULUS, sive inscriptio crucis Jesu Christi: vide supra ea, quae a nobis sunt scripta in Pontio Pilato. Joan. 19. c

TOBIAE Junioris Liber, a maleficis hominibus confictus, continet excantationes, & imagines quasdam magicas, quibus Tobias, Tobiae filius, daemones a sponsa sua Sara abegisse fingitur. Sacrosanctae Romanae Inquisitionis Senatus librum, inter opera magicae impietatis rejectum, damnavit.

TRADITIONES Judaeorum quasdam sine auctoris nomine frequentissime citat Epiphanius: ex quarum auctoritate affert ipse contra Hieracitas Genealogiam Melchisedech ex gente Sidoniorum; & adversus Melchisedechianos genealogiam Heliae, & Danielis Prophetarum. Item adversus Antidicomarianitas ex iisdem traditionibus ostendit Josephum, sponsum Mariae Virginis, aliam conjugem ante Mariam habuisse, & ex ea suscepisse filios quatuor; qui apud Marcum & Joannem nominantur, Jacob, Joseph, Judam, & Simeonem; & duas filias, Mariam, & Salome: qua defuncta, cum viduus esset, & octogenarius, Mariam Virginem accepisse in uxorem: item contra Collyridianos refert, Mariae Virginis parentes fuisse Joachim, & Annam. Rursus contra Manichaeos disputans, ex iisdem probat Lazarum, cum a Christo suscitaretur, fuisse annorum triginta: & post resurrectionem triginta alios supervixisse. Citat & D. Hieronymus alias Hebraicas traditiones in libro Hebraicarum Traditionum quam saepissime (a). Euthymius in

declamantem veluti Pastorem verum animarum curam habentem existimarunt ex libris quos edidit, fere ac piaculum foret, si Presbyter id facere attentaret: quod certe intolerabile est sphalma, & fat est lustrare opera Hieronymi, Bedae, aliorumque. Videsis editionem Salviani ab Stephano Baluzio peractam Parisiis An. 1634.

(a) Traditiones Hebraeorum, etsi aliquando a Patribus laudatae, haud indubiam faciunt fidem, quum res sint ad historiam pertinentes, quam ad lydium lapidem probandi jus est cujusque Critici; & reapse, ut emunctae naris Scriptores observant, plura id genus monumenta, quae apud Patres, praesertim Graecos, non semel occurrunt, spongia eruditorum egent; nec quidem eo in criterio Patribus irrogatur injuria, quum ad incudem revocatur quod non refertur ab eis uti testibus oculatis, sed ut ab aliis traditum laudatur: de qua re non semel hic, & alibi, ut cuique legenti clarescit.

Digitized by Google

in capite 23. Matthaei allegat genus quoddam Judaïcarum traditionum; quae quia ſcriptae non ſunt, ἄγραφα, nuncupantur.

TRADITIONES Seniorum (quas Matthaeus Hebraice nuncupavit גזירות חוקנים Ghezerot azzekenim, hoc eſt Conſtitutiones Seniorum, Graecus vero codex ſingulari numero τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, id eſt Traditionem Seniorum appellat) compluribus in locis divina ſcriptura commemorat, praeſertim in Matthaei capite quintodecimo, ubi Phariſaei, accuſantes Apoſtolos, Chriſtum interrogant, dicentes: QUARE diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditiones Seniorum? Matth. 15. a non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant. Quos Chriſtus de majori crimine redarguens, ac vice verſa interrogans, ait: QUARE & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? & paulo poſt addit, FRUSTRA colitis Deum, docentes mandata, & doctrinas hominum. Harum Traditionum obſervatoribus iratus Deus minatur per Prophetas ſuos, inquiens apud Eſaiam: Eſ. 29. 13. 14. Eo quod timuerunt me mandato, & doctrinis hominum, peribit ſapientia a ſa- Jer. 8. 9. pientibus eorum. Et apud Jeremiam, VERE mentitus eſt ſtylus mendax ſcribarum: confuſi ſunt ſapientes... verbum Domini projecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis. Eaſdem Traditiones Paulus Apoſtolus ubique irridens, & nunc Judaïcas fabulas, nunc aniles nugas, nunc ſtultas quaeſtiones, & prophanas vanitates appellans, Timotheum ab ipſarum tractatione deterret: his verbis. NE intendas, 1. Tim. 1. & 2. 2. & 2. 4 inquit, fabulis Judaïcis, & genealogiis interminatis; quae quaeſtiones magis praeſtant, quam aedificationem, quae eſt in fide. Sicut quidam volentes eſſe legis doctores: & rurſus ad eundem ait, STULTAS, & ſine diſciplina quaeſtiones de- 2. Tim. 2. d vita: & iterum, Prophanas & aniles fabulas devita: & ad Titum eadem repetens, 1. Tim. 4. b Quaeſtiones, inquit, & genealogias, & pugnas devita: ſunt enim inutiles, & va- Tit. 3. 9. nae. Neque id fruſtra monet, expertus in ſemetipſo, quantum ſibi, atque aliis nocuerit harum traditionum obſervantia: propter has enim (ut epiſtola, ad Ga- Ad Gal. 1. 13. 14. latas ſcripta, teſtatur) ipſe perſecutus eſt ſupra modum Eccleſiam Dei, & oppugnavit illam, aemulator exiſtens paternarum in Judaïſmo traditionum. Cum igitur & Chriſtus, & Paulus tam acriter inſectentur hujuſmodi Traditiones; ideo, ne quis forte exiſtimet qualeſcumque hominum Traditiones in univerſum damnari, non ab re fuerit breviter indicare, quaenam ſint doctrinae, & mandata hominum a Deo reprobata.

MANICHAEI impie affirmarunt, per Traditiones Seniorum, eſſe intelligendas omnes ſcripturas veteris Teſtamenti: & has a Paulo dicebant appellatas fuiſ- 1. Tim. 4. d ſe Judaïcas fabulas, & prophanas vanitates: ſed adverſus iſtorum inſaniam ipſe- Rom. 7. 12. met Paulus, ad Romanos ſcribens, exclamat. LEX quidem ſancta eſt, & prae- 2. Tim. 3. 14. 15. 16. 17. ceptum ſanctum, juſtum, & bonum: & ad Timotheum ait: TU vero permane in his, quae didiciſti; qui ab infantia ſacras literas noſti, quae te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quae eſt in Chriſto: omnis enim ſcriptura, divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

PTOLEMAEITAE Haeretici, ut Epiphanius in primo adverſus haereſes tradit, per Traditiones a Chriſto damnatas, intelligebant non omnes, ſed aliquas ſcripturas veteris teſtamenti, quod in tres partes dividebant: quarum unam dicebant a Deo conditam, alteram a Moſe, tertiam a Senioribus Judaeorum con- Ma. 15. 3. 4. 5. ſcriptam, & poſtea rejectam a Chriſto, dicente; QUARE & vos tranſgredimini Exod. 20. mandatum Dei propter traditiones veſtras? Deus enim dicit, honora patrem, & Deu. 5. b matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dici- Marc. 7. 11. tis, Si dixerit homo patri, aut matri KORBAN, quod eſt, Donum, quodcunque eſt ex me, tibi profuerit: & ultra non dimittitis eum quicquam facere patri aut matri, reſcindentes verbum Dei propter traditionem veſtram, quam tradidiſtis, &c. Sed, cum verba traditionis hujus nuſquam in toto veteri teſtamento inveniantur, perſpicuum eſt Chriſtum ſub nomine Traditionum nullam damnaſſe partem divinarum ſcripturarum, ſed alias Judaïcas conſtitutiones, a ſcriptura ſacra alienas, & verbo Dei contrarias.

LUTHERUS, atque omnis foeda Lutheranorum colluvies, per traditiones & doctrinas hominum a Chriſto exploſas, interpretantur omnes eccleſiaſticas Sanctio-

Digitized by Google

ctiones, quae in divinis literis apertum & expreſſum Dei teſtimonium non habeant. Caeterum apparet eos improbe mentiri ex eo, quod Chriſtus, & Paulus in locis jam citatis non damnant traditiones hominum bonas & juſtas, quamvis expreſſum verbum Dei non habeant, ſed Judaïcas tantum conſtitutiones, hoc eſt mandatis Dei repugnantes: qualis erat illa Phariſaeorum, MUNUS quodcunque eſt ex me, proderit tibi: quae praeceptum divinum de pietate erga parentes deſtruebat. Sanctiones vero eccleſiaſticas, & decreta Patrum, quae cultum Dei promovent, & augent, ita Chriſtus ſervari vult, ut per Paulum dicat: STATE & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam: & ipſemet de traditionibus Paſtorum ſervandis legem ſtatuens, inquit: OMNIA, quaecunque dixerint vobis, ſervate, & facite. Et ad Paſtores ait: QUI vos audit, me audit, &, qui vos ſpernit, me ſpernit: & ſi eccleſiam non audierit, ſit tanquam Ethnicus & publicanus: non enim minus meretur inter Ethnicos abjici, qui eccleſiaſticas traditiones recuſat, quam qui Evangelium recuſat: ſiquidem, rejectis eccleſiae conſtitutionibus, Evangelium quoque abjectum iri neceſſe eſt: quod & divus Baſilius in libro de Spiritu Sancto plane teſtatur his verbis capite 27. Si inſtituta, conſuetudineſque non ſcriptas, tanquam in eis vis magna non inſit, ſemel repudiare aggrediemur; clam ac pedetentim ratas ipſas Evangelii ſententias improbabimus, aut potius ad inane nomen ejus praedicationem contrahemus. Apoſtolicum igitur exiſtimo, in his etiam traditionibus, quae ſcriptae non ſunt, permanere. Sed de his alias latius diximus.

1. Matth. 15.
2. Theſſ. 2. 5
Matth. 23. 13.
Luc. 10. 16.
Matth. 18. 17.

STRATONICUS, Cumarum epiſcopus (a), in Collectaneis ſuis autumat haſce Traditiones fuiſſe placita, ac decreta Judaïcarum ſectarum: quatuor enim, ut Joſephus, & Epiphanius ſcribunt, apud Judaeos fuerunt vivendi inſtituta: quorum unum profitebantur Phariſaei, alterum Galilaei, tertium Sadducaei, quartum Eſſeni.

Joſephus lib. 18. antiq. cap. 18. & lib. 2. de bell. Jud. cap. 17.

PHARISAEORUM autem dogmata erant hujuſmodi.

1 Fato, hoc eſt, Dei praeſcientia, ac immobili decreto omnia geri, manente tamen libero humanae voluntatis aſſenſu: eo enim temperamento Deus optimus res hominum moderatur, ut, cum omnia ex ejus deliberatione pendeant; in homine tamen integra ſit facultas ad virtutem, ac vitium accedendi.

2 Animas eſſe incorruptas & immortales, earumque judicia ſub terris fieri, tum praemia cuique contingere ex virtutis & malitiae merito.

3 Piorum animas ab inferis in hanc vitam ad nova corpora reverti, turſus ex his in alia corpora migrare: improborum vero animas perpetuis damnatas carceribus, interminabili ſupplicio excruciari.

4 Ma-

(a) Quis fuerit Stratonicus iſte, quem bis laudat N. Sixtus, omnino ignotum, praecipue quum Author non exprimat cujuſnam Cumanae Urbis Epiſcopus fuerit. Duas quippe fuiſſe ejuſdem nominis Urbes (ut etiam alibi N. Xyſtus adnotavit) *Cumas* pariter dictas, ſed in diſſitis regionibus ſitas, ex Eccleſiaſtica hiſtoria conſtat, ex qua praecipue Epiſcopales ſedes rimamur, & de quibus impraeſentiarum eſt ſermo. Prior, quae ibidem occurrit, & quae omnibus notior, eſt Cumarum Civitas in Campania ſita Neapolim inter & Puteolos a Bajis & Miſeno 3. M. P. a Puteolis duplo intervallo Linthernum verſus diſtans, quae ſubverſa eſt, & nonniſi ex paucis ruderibus, quae extant, conſpicua eſt cunctis. Hanc itidem Urbem fuiſſe Epiſcopali ſede decoratam nemo eſt, qui ambigat, quum uſque in hodiernum diem proſtet Epiſcoporum ejus Elenchus; & quae prius ſuffraganea erat Neapolitano Antiſtiti, poſtea ſubverſa eidem Metropoliticae Sedi fuit adnexa XII. labente ſeculo, ut ex Cl. Neapolitano J.C. Bartholomaeo Chioccarelli habemus in libro, cui titulus *Antiſtites Neapolitani*. Verum in Syllabo Epiſcoporum hujuſce Cumanae Eccleſiae nullum eſt legere, qui Stratonicus fuerit dictus, ut praeſertim conſtat ex Ferdinando Hughellio *Italia Sacra Tom. VII.* Altera, quae occurrit, Cumarum Civitas, ab Authore noſtro adſcritur ſita in Provincia Joniae, &, ut habemus ex Cl. Carolo a S. Paulo in *Geographia Sacra*, ea ſedes collocatur inter Eccleſias Aſiae Lydianae, ſeu Proconſularis, & dicta eſt *Cuma*, vel *Cyme*, trigeſimum tertium inter eas locum obtinens: At cum ignotus omnino ſit ejuſdem Sedis Epiſcoporum ſyllabus, innoteſcere non poteſt quis fuerit iſte Stratonicus, quem laudat Xyſtus. Fuerit hujuſce ſedis Epiſcopus: at num Author libri, quem ei adjudicat Xyſtus? ignotum certe; praeſertim quum apud Veteres de litteraria Hiſtoria Scriptores, Euſebium, Hieronymum, Gennadium, Iſidorum, alioſque ad Seculum VIII. uſque, ut obſervare potui, altum de eo ſilentium extet. Ignotum pariter ceteris poſterioris aetatis, quinimo & recentioribus cunctis, qui adcuratius de Scriptoribus Eccleſiaſticis verbum habuerunt, nimirum Johanni Tritemio, Henrico Gandavenſi, Cardinali Bellarmino, Auberto Miraeo, Antonio Poſſevino Guillelmo Cave, Caſimiro Oudin, Johanni Alberto Fabricio, aliiſque. Quare ex ſilentio tot de litteraria Hiſtoria inſignium ſcriptorum ſuppoſititium illud *ſupra* dixi, & nunc, ſaltem dubitanter, ex gravi, quae adſurgit, ſuſpicione, repeto. Verum hanc meam ſuſpicionem, ex ſilentio innumerabilium fere Scriptorum exortam, Sapientum judicio ſubmitto.

Digitized by Google

4 Majores natu veneranda; nec licitum esse aut contra respondere monentibus, aut obloqui.

5 Traditiones seniorum, quae inter leges Mosaicas non sunt scriptae, sed a majoribus per manus traditas, summa veneratione recipiendas, & pari cum lege Mosaica honore prosequendas.

GALILAEI, qui a Juda Galilaeo, patria Gamalensi, originem accepere, eadem, quae Pharisaei, placita sectabantur, hoc unum duntaxat de suo addentes, nempe solum Deum pro Domino habendum, nullique mortalium principum esse parendum, sed pro libertate asserenda dura quaeque & aspera patiendum. Refert Josephus hoc hominum genus saepe sollicitasse populos, ut regum & dominorum imperia abjicerent, & solutionem censuum (quae manifestum est servitutis testimonium) detrectarent; inter hos etiam scribit fuisse Herodis tempore sex millia hominum, qui, cum tota Judaeorum gens fidem suam jurejurando obligasset Caesari & Regi, hi soli nec juramentum praestare nec fidem polliceri voluerunt. Sunt & qui opinentur ex hac secta fuisse Judaeos illos, quos legimus, de libertate gloriantes, dixisse ad Christum, in quem nuper crediderant, SEMEN ABRAHAE SUMUS, ET NEMINI SERVIVIMUS UNQUAM; eosque idcirco adhaesisse Christo, quod eum sperarent fore aliquando Judaïcae libertatis assertorem ac vindicem. Joan. 8. 33.

SADDUCAEIS diversae ab his erant sententiae, videlicet:

1 Nullum prorsus esse fatum, nec ullum divinae deliberationis decretum; sed omnia ita esse in hominum potestate, ut tam felicitatis, quam infortunii sibi quisque sit auctor.

2 Animas una cum corpore omnino extingui, nullaque post hanc vitam manere praemia, vel supplicia.

3 Angelorum nullam esse naturam, sed nomina duntaxat: quibus vel motus designantur, quos Deus hominibus aspirat; vel eae, quas ipse edit, virtutis suae demonstrationes.

4 Praeter libros Mosaïcos, ac divinas leges, iisdem voluminibus comprehensas, nullam aliam scripturarum auctoritatem, aut hominum traditionem esse recipiendam.

ESSENI, insigniores pietatis cultores, nec multum Christianis monachis absimiles, his legibus atque sanctionibus se ipsos addixerant.

1 Omnia fati, hoc est Dei voluntate regi; nec quicquam hominibus praeter fati definitionem accidere.

2 Animos esse immortales, iisque post hanc vitam actorum praemia, poenasque rependi; bonis quidem ultra Oceanum, ubi regio est, quam neque frigora, neque aestus premunt, sed Zephyrus aspirans amoenat; malis autem apud inferos, ubi loca sunt aerumnosa, & plena gemitibus.

3 Omne juramentum quasi perjurium esse vitandum; quia quicquid vir perfectus dixerit, jurisjurandi vim habere debeat; & quod is, veluti mendacii reus, condemnetur, cui sine teste Deo non creditur.

4 Summam post Deum exhibendam esse legislatori Mosi reverentiam; quem, si quis blasphemaverit, morte damnetur.

5 Praecipuum studium divinis literis, ac veterum patrum scriptis adhibendum, indeque petenda, quae animorum curae expediant.

6 Communis sodalitii praefecto ita parendum esse, ut nihil sine ejus praecepto fieri liceat.

7 Continentem, ac coelibem vitam ducere, & ab omni prorsus conjugio per omnem vitam abstinere.

8 Omnes facultates communes esse, unumque omnium patrimonium, quod per communes procuratores dispensetur.

9 Nihil inter se aut mercari, aut vendere; sed cunctis esse liberum accipere, a quibus libuerit, quod opus sit.

10 Albis vestibus utendum, & amictum & calceos non mutandos, nisi omnino aut consciscis prioribus, aut longi temporis usu consumptis.

Similis lex habetur in Deut. 23. a

11 Tantam, etiam in naturalibus purgamentis, habendam esse munditiae curam

Digitized by Google

ram, ut unuſquiſque ſibi quotidie in ſecretiſſimis locis foveam dolabella effodiat, in qua ventrem exoneret, demiſſa primum circumquaque veſte contegendi corporis gratia; ac deinde terra, quam effoderat, in locum ſuum reducta, ne ſcilicet divinae lucis ſplendori fiat injuria.

12 Ante Solis ortum publicis laudibus auctorem naſcituri luminis celebrandum, poſtea vero ad ſuas cuique artes ac ſtudia accendendum.

13 Hora quinta diei in commune coenaculum ſacris veſtibus, hoc eſt, lineis velaminibus, indutis coëundum; ibique ex eodem pane & pulmento in ſilentio reſidentibus veſcendum: neque aliquid guſtare cuiquam fas ſit, niſi publica oratio prandium praeveniat, & ſequatur, quae Deum, datorem victus, & ante, & poſt cibum collaudet.

14 Poſt prandium, depoſitis ſacris indumentis, ad ſua cuique opera uſque ad veſperam recedendum.

15 Eſſenorum cultum nuper aggredientes, non ſtatim in conſortium aſſumendos; ſed candida veſte & perizomate indutos, & dolabella incinctos, a curatoribus ſuis explorandos per tres integros annos, donec probatae virtutis experimenta dederint.

EPIPHANIUS libro primo adverſus haereſes, Traditiones ſeniorum eſſe dicit quatuor Judaïcas divinae legis Expoſitiones, excogitatas a nonnullis Hebraeorum magiſtris, hoc eſt a Moſe Propheta, a Rabbi Akiba, a Rabbi Ida, & a filiis Aſamonaei; qui ex praedictis expoſitionibus deduxerunt conſtitutiones quaſdam, ſuperſtitione & vanitate plenas; quas etiam juſſerunt una cum caeteris divinae legis mandatis pari obligatione ſervari.

HIERONYMUS in tertio commentario Eſaiae, & in quaeſtione ad Algaſiam decima, & in tertium caput epiſtolae ad Titum, ſcribit has eſſe conſtituriones quaſdam Judaeorum, a Graecis διατυπώσεις, dictas; quas primi inter Hebraeos ante Chriſti adventum docuerunt Sammai, & Hillel; quorum ſcholam ſuſcepit Akibas, Aquilae proſelyti praeceptor, & poſt eum Mayr; cui ſucceſſit Joannam, filius Zachaï, & poſt eum Eliezer, & per ordinem Delphon, & rurſum Joſeph, & demum Joſue uſque ad ultimum urbis ſanctae excidium.

THOMAS Aquinas in Commentariis utriuſque epiſtolae ad Timotheum ſemel atque iterum aſſeverat, nomine Traditionum ſignificari ingens ac vaſtum illud Opus Judaïcarum traditionum, a Judaeis תלמוד Thalmud, hoc eſt, Diſciplinationem appellatum; in quo collecta ſunt decreta omnia praedictorum magiſtrorum, Sammai, Hillel, Akiba, Joſeph, & filiorum Aſamonaei, una cum aliis innumeris Rabbinorum ſtatutis, ſententiis, & tam divinarum, quam humanarum legum expoſitionibus, quibus nunc tota Judaeorum natio regitur. Initium habuit hoc Opus, ut ipſi Thalmud expoſitores ſcribunt, anno 150. poſt ultimam Hieroſolymae cladem, a Juda, Simonis filio, qui Legis, Prophetarumque explanationes, & ſcripta omnia, quae ſupra memorati Rabbini, caeterique Doctores; tam ante, quam poſt Chriſti adventum eatenus ſcripſerunt, in unum complexus eſt volumen, quod משנה Miſna; id eſt, Iteratam lectionem, ſive repetitionem nuncuparunt. Anno vero ab eadem poſtrema vaſtatione Hieruſalem tercenteſimo, Rabbi Joannam, aſſumptis ſibi collegis Rab, & Samuel, ipſum Miſna, & alia quaedam ſcripta in unum volumen conjunxit; quod Thalmud Hieroſolymitanum, quoniam in ruinis Hieroſolymitanae urbis ſcriptum eſſet, vocaverunt. Rurſus anno 436. ab eodem excidio, qui fuit annus Chriſti CCCCLXXVI. Rabbi Aſſe, & Rabbi Hammai, habitantes in Babylone AEgypti, quae nunc Cayrum dicitur, omnes ſuperiorum ſcripturas in unum redigentes, conſtruxerunt novum corpus multorum voluminum, THALMUD BABYLONICUM nuncupatum: quod cum morte praeventi perficere nequiviſſent, Rabbi Mayr, Rabbi Aſſe filius, Operi ſupremam manum impoſuit. Sed cum tam ipſe, quam majores ac poſteri ſui per ſingulos hujus Thalmud libros non ſolum contumelias & blaſphemias multas, & execrabiles, adverſus Chriſtum Deum noſtrum, collegiſſent; verum etiam ſanctiones, & praecepta plurima conſcripſiſſent contra ipſam, quam profitentur, Moſis legem; & contra omne jus gentium, atque omnem naturae legem, quam ipſi, utpote homines, ſervare tenentur; viſum eſt ſummis Pontificibus,

Quo tempore initium habuerit Thalmud, & quotuplex illud ſit.

Quo tempore fuerint editi lib. Thalmudici, & Hebraeis a Pontificibus S. R. E. interdicti.

Digitized by Google

cibus, & aliis Christianis principibus, ut tam nefariae doctrinae lectio, atque usus, omnibus Judaeis, qui sub ditione Christianorum vivunt, interdiceretur; & omnes libri Thalmudici, toto Christianorum orbe ignibus traderentur: quod etiam saepe factum esse nonnulli fide digni scriptores testantur: inter quos Bernardus Luzenburgius in Catalogo haereticorum libro 2. refert Gregorium Pontificem, ejus nominis Nonum, anno Domini MCCXXX. omnia Thalmudica volumina flammis adjudicasse; atque itidem iterum feciſſe Innocentium Papam, ejus nominis Quartum, anno Salutis nostrae MCCXLIIII. Rursus cum eadem volumina a Judaeis instaurata fuissent, & auxilio artis impressoriae, in infinitum pene numerum propagata, Julius Papa Tertius novo edicto promulgato inquiri jussit, & anno MDLIII. cum festa Tabernaculorum a Judaeis Septembri mense celebrarentur, per omnes Italiae urbes exuri. Paulus Papa Quartus, una cum sacrosanctae Romanae Inquisitionis Senatu, anno MDLIX. rursum idem fieri jussit, & Thalmudicos libros inter scripta ab Ecclesia Catholica damnata connumerari voluit. Proinde non possum hic non magnopere mirari inane studium Petri Galatini, ex ordine Minorum, qui, cum in primo de arcanis Catholicae veritatis libro defensionem Thalmudicorum voluminum suscepisset, in eam vanitatem devenit, ut non solum affirmaverit Thalmudica Opera in Latinum verti oportere, & publice in scholis Christianorum explicari: sed hoc ipsum quoque conatus fuerit astruere auctoritate Clementis Papae Quinti; qui in Concilio Viennensi, eadem sancta Synodo approbante, statuit, ut in scholis Christianorum essent Praeceptores Hebraeae, & Chaldaïcae linguae periti, qui libros Judaeorum in Latinum transferrent, & ipsorum linguam publice docerent; sicut in quinto Clementinarum sanctionum volumine, in titulo de Magistris, annotatum est. Hoc quidem Clementis decretum, inquit Petrus, cum intelligi nequeat de Hebraicis divinae scripturae libris, quia jam toties traducti fuerant, consentaneum est ipsius verba intelligenda fore de Thalmudicis Judaeorum Operibus, nondum Latine versis. Lepidum sane argumentum, & defensore tali dignum; qui non animadverterit, Clementis canonem loqui de primis rudimentis, & institutionibus linguarum Hebraïcae, & Caldaïcae; quae magis petendae sunt ab eis, qui inter Judaeos Grammaticas traditiones, & Hebraïca atque Chaldaïca dictionaria conscripserunt, quam ab iis, qui Thalmudica scripta collegerunt.

Galatini opinio de Thalmudicis libris.

DECREVERAM ipse profecto, nullam talium librorum habere mentionem, & omnem doctrinae hujus memoriam, quantum fieri potuisset, silentio abolere: sed quoniam me praeteritorum temporum experientia docuit, hujusmodi volumina toties extincta, iterum instar hydrae capita revivisscere, permittente id Christianorum principum avaritia, qui quovis parvo precio inducti, facultatem instaurandi hos libros Judaeis vendunt; ideo me operaepretium facturum existimavi, si turpitudines, impietates, & blasphemias nonnullas Thalmudicis voluminibus comprehensas, aliqua ex parte manifestarem, annotatis nominatim libris, ubi haec habeantur: ut, si quando haec nefaria scripta, quibus adhuc abundant Asia, Africa, Graecia, & Germania, apud nos revocentur in lucem, habeant pietatis Christianae propugnatores indicem, quo veluti manu ducantur ad inveniendos, ac detegendos particulares hujus Operis libros, ac locos, in quibus praedictae blasphemiae scriptae sunt; ut, his detectis, Christianos principes iterum adversus renascentis hydrae colla inflamment. Ut autem facilius & apertius intelligantur eorundem librorum ac locorum citationes, inscriptiones, & argumenta, necessarium duxi hoc loco apponere Catalogum omnium Thalmudicorum Voluminum, a me olim transcriptum ex Bibliotheca illa opulentissima Judaeorum Cremonensium; ex qua anno Salutis nostrae MDLIX. mandante sacrosanctae Romanae Inquisitionis Senatu, duodecim Thalmudicorum codicum millia exusta sunt: Volui etiam librorum titulos Hebraicis characteribus & punctis annotare, ne appellationes ipsorum, Latinis tantum literis scriptae ita facile a Scriptoribus possent corrumpi.

Quae olim Xystus adjecit puncta, impraesentiarum omittuntur, ne varietur conditio litterarum, quae omnes sine punctis sunt procusae; nec quidem necessaria ea sunt, ex rei veritate omnibus nota: omisit etiam Hayus puncta, nec caullam adnotavit, eodem fortasse ex momento.

CA-

Digitized by Google

CATALOGUS VOLUMINUM TOTIUS THALMUD.

Universum תלמוד *Thalmud dividitur in sex ordines, quos* סדר *Seder vocant: quilibet autem* סדר *Seder distribuitur in plures tractatus, qui* מסכת *Massecheth dicuntur: & hi rursus plura continent capita, quae* פרקים *Parachim, hoc est, divisiones, sive distinctiones, nuncupantur.*

ZERHAIM זרעים, hoc est, seminum, ordo primus, hos undecim tractatus continens.

1	ברכות	Berachot, id est, Benedictionum, sive, De benedictionibus & gratiis Deo agendis, continet distinctiones novem.
2	פיאה	Phea, id est, Anguli, vel, De portione messis pauperibus in angulo agri relinquenda, habet distinctiones decem.
3	דמאי	Demai, id est, Dubitationis, sive, De dandis decimis rerum dubiarum, habet distinctiones decem.
4	תרומה	Theroma, id est, De quinquagesima parte rerum sacerdotibus exhibenda, habet distinctiones decem.
5	שביעית	Ceviith, id est, Septimi, sive, De septimo anno quiescentis agri, habet distinctiones decem.
6	כלאים	Chilaim, id est, Commistionum, sive, De frugibus, quae invicem permisceri nefas est, habet distinctiones novem.
7	מעשר ראשון	Mahaser risicon, id est, Decimationis primae, vel, De primis decimis, quae Levitis dabantur, habet distinctiones novem.
8	מעשר שני	Mascer sceni, id est, Decimationis secundae, quae post decimas datas Levitis in Hierusalem debebat comedi & consumi, habet distinctiones quinque.
9	חלה	Challa, id est, Placentae, vel, De prima portione placentae, quam semper ex massa panis offerre oportebat, habet distinctiones quatuor.
10	ערלה	Arla, id est, Clausurae, sive, De clausura, quae fiebat arboribus nuper plantatis in signum, quod ante exactum triennium nemini liceret ipsarum fructibus vesci, habet distinctiones tres.
11	בכורים	Bicurim, id est, Primitiarum, sive, De primitiis ex septem tantum rebus in templo offerendis, habet distinctiones quatuor.

MOED מועד, id est, Festorum, ordo secundus, continens tractatus duodecim infrascriptos.

1	שבת	Sciabath, id est, Sabbati, vel, De Sabbato, & de his, quae in eo licita sunt, vel non, continet distinctiones quatuor & viginti.
2	ערובין	Eruvin, id est, De conservationibus, quae invicem Judaeis Sabbato licebant, habet distinctiones decem.
3	פסחים	Pesachim, id est, Paschatum, vel, De his, quae ad Paschatis celebrationem pertinent, continet distinctiones decem.
4	שקלים	Sekalim, id est, Siclorum, sive, De exactione Siclorum, quae pro emptione agnorum fieri debebat, qui quotidie in sacrificio offerebantur, distinctiones octo.
5	יומא	Joma, id est, Diei magni, vel, De die propitiationis, & in eo faciendis, habet distinctiones octo.
6	סוכה	Succa, id est, Casulae, sive, Tabernaculi, vel, De festo Tabernaculorum, continet distinctiones quinque.
7	ביצה	Beza, id est, Diei boni, hoc est, Festi, vel, de omnibus, quae in eo fieri debent, haber distinctiones quinque.

Digitized by Google

8 ראשהשנה Roshaſana, id, eſt, Capitis anni, vel, De his, quae in ſolemnitate ejus diei facienda ſunt; continet diſtinctiones quinque.

9 תענית Thaanith, id eſt, Jejunii, vel, De jejunio, habet diſtinctiones quatuor.

10 מגילה Meghila, id eſt, Hiſtoriae, vel, De hiſtoria Eſther, quae in ſolemnitate Mardochaei, & Eſther legenda eſt, habet diſtinctiones quatuor:

11 מועד קטן Moed Katan, id eſt, Feſti Parvi, ſive, De diebus feſtis minoribus, qui inter primum & ultimum diem Paſchae tabernaculorum mediabant, habet diſtinctiones tres.

12 חגיגה Chagiga, id eſt, Solemnitatis, vel, De praecepto, quo omnes maſculi ter in anno in Hieruſalem ad ſolemnitatem ire tenentur, habet diſtinctiones tres.

NASCIM נשים, hoc eſt, Foeminarum, ordo tertius, continens tractatus ſeptem, videlicet,

1 יבמות Jevamot, id eſt, Fratriarum, vel, De accipienda fratris ſine liberis defuncti uxore, continet diſtinctiones ſexdecim.

2 כתובות Chetuboth, id eſt, Contractuum, vel, De contractibus dotium, & obligationibus mutuis inter maritum & uxorem, habet diſtinctiones tredecim.

3 נדרים Nedarim, id eſt, Votorum, vel, De votis mulierum, habet diſtinctiones undecim.

4 נזיר Nazir, id eſt, Nazaraei, vel, De voto Nazaraeorum, a communi victu ſeparatorum, continet diſtinctiones novem.

5 סוטה Sota, id eſt, Diverſionis, vel, De diverſione, quam facit uxor a viro adhaerendo alteri viro, habet diſtinctiones novem.

6 גיטין Ghitin, id eſt, Libellorum repudii, vel, De libello repudii, & divortio, habet diſtinctiones novem.

7 קידושין Kiduſcin, id eſt, Sponſalitiorum, vel, De ſponſalibus, continet diſtinctiones quatuor.

NEZICHIN נזיקין, hoc eſt, Damnorum, ſive, de damnis, ordo quartus, continens hos decem tractatus.

1 בבא קמא Baba Kamma, id eſt, Pars prima, quae tractat De damnis, quae tam ab hominibus, quam a brutis fieri ſolent, habet diſtinctiones decem.

2 בבא מציעא Baba Mezia, id eſt, Pars media, ſive ſecunda, quae agit De litibus, juribus, & uſuris, continet diſtinctiones decem.

3 בבא בתרא Baba Batra, id eſt, Pars tertia, quae agit De venditionibus, & emptionibus, &c. habet diſtinctiones decem.

4 סנהדרין Saneedrin, hoc eſt, Judicum ordinariorum, &, De pertinentibus ad judicium; item, de his, qui partem in futuro ſeculo habent; &, de Meſſia, praeſertim in capite, qui dicitur Helech; habet diſtinctiones undecim.

5 מכות Macoth, id eſt, Plagarum, ſive, De plagis reo infligendis, habet diſtinctiones tres.

6 שבועות Seuvoth, id eſt, Juramentorum, ſive, De juramentis, deque rerum cuſtodibus, continet diſtinctiones octo.

7 עדיות Hedioth, id eſt, Teſtificationum, vel, De determinationibus, quae fiebant ex praedeceſſorum teſtibus, habet diſtinctiones octo.

8 עבודה זרה Avoda zara, id eſt, Servitutis alienae, vel, De idololatria, &, De his, in quibus Judaei gentibus communicare prohibentur, continet diſtinctiones quinque.

Digitized by Google

9 אבות Aboth, id eſt, Patrum, in quo agitur de Patribus priſcis, qui a Moſe uſque ad Simonem Juſtum, prae caeteris claruerunt: habet diſtinctiones quinque.

10 הוריות Orajoth, id eſt, Sententiarum, vel, De ſententiis per judices Ordinarios determinatis, &, De poenis contrafacientium, habet diſtinctiones tres.

CHADASCIM קדשים, id eſt, Sanctificationum, ordo quintus, continens tractatus undecim, hoc eſt,

1 זבחים Zevachim, id eſt, Immolationum, vel, De immolationibus ſacrificiorum, & loco ſacrificandi, habet diſtinctiones quatuordecim.

2 חולין Chulin, id eſt, Occiſionum, ſive, De animalibus occidendis pro cibo communi, continet diſtinctiones duodecim.

3 מנחות Menachoth, id eſt, Farinarum, vel, De farinis farinaceis, ſacerdotibus in templo offerendis, habet diſtinctiones tredecim.

4 בכורות Becoroth, id eſt, Primogenitorum, vel, De animalium primogenitis, ſive offerendis, ſive redimendis, habet diſtinctiones novem.

5 ערכין Erachin, id eſt, Pretiorum, vel, De pretiis rerum, quae ſe quis daturum Deo promiſerat, habet diſtinctiones novem.

6 תמורה Themura, id eſt, Permutationis, vel, De permutatione in ſacrificiis non facienda, continet diſtinctiones ſeptem.

7 מעילה Meila, id eſt, Praevaricationis, vel, De praevaricatione eorum, qui male rebus ſacrificatis, utebantur, habet diſtinctiones ſex.

8 כריתות Cherithuth, id eſt, Perditionum, vel, De animis peccatorum perdendis in futuro ſaeculo, habet diſtinctiones ſex.

9 תמיד Thamid, id eſt, continui, ſcilicet ſacrificii, vel, De continuo duorum agnorum ſacrificio, habet diſtinctiones quinque.

10 מידות Midoth, id eſt, Dimenſionum, vel, De dimenſionibus & menſuris templi, habet diſtinctiones quinque.

11 קינים Kinim, id eſt, Nidorum, vel, De oblationibus pullorum, columbarum, & turturum a pauperibus faciendis, habet diſtinctiones quinque.

TAHAROTH טהרות, id eſt, Purificationum, ordo ſextus, continens hos tractatus duodecim.

1 כלים Chelim, id eſt, Vaſorum, vel, De purificatione vaſorum, habet diſtinctiones triginta.

2 אהלות Ahaloth, id eſt, Domorum, vel, De purificandis domibus, in quibus cadavera humana jacuerunt, habet diſtinctiones decem & octo.

3 נגעים Negaim, id eſt, Plagarum, ſive Percuſſionum, ſive, De purificatione a lepra, & caeteris plagis, haber diſtinctiones quatuordecim.

4 פרה Para, id eſt, Vitulae, ſive, De purificatione ex cineribus vaccae rufae facienda, habet diſtinctiones duodecim.

5 טהרות Taharoth, id eſt, Purificationum, vel, De purificatione ab immunditia aliunde, quam ab humano cadavere, contracta, continet diſtinctiones decem.

6 מקואות Mikvaoth, id eſt, Congregationum, vel, Collectionum aquarum, vel, De fonte, & aquis, in quibus baptizabantur homines utriuſque ſexus, ut ab immunditiis ſpiritualibus mundarentur, habet diſtinctiones decem.

7 נידה Nida, id eſt, Menſtruatae, vel, De purificatione mulieris, ab immun-

Digitized by Google

munditia, tam ratione menſtrui, quam partus contracta, continet diſtinctiones decem.

8 משקין Maskin, id eſt, Spermatum, vel, De purificatione virorum ab immunditia ex putrefactione ſpermatis, per membrum virile defluentis, habet diſtinctiones decem.

9 זבים Zabim, id eſt, Irrigatorum, vel, De purificatione irrigatorum ab immunditia per contaminationem contracta, habet diſtinctiones ſex.

10 טיבול יום Tivul Jom, id eſt, baptizati diei, vel, De baptizato ejuſdem diei, qui licet per lotionem illius aquae ab immunditia ſpirituali eſſet purificatus, non tamen perfecte, donec ſequenti die oblationem in templo faceret pro immunditia, a qua per aquam purificatus fuerat, continet diſtinctiones quatuor.

11 ידים Jadaim, id eſt, Manuum, vel, de lavandis manibus volentium ſacra contingere, aut, De conſecratis comedere, & de vaſe, & aquis, quibus lavandae ſunt manus, habet diſtinctiones decem.

12 עוקצין Okezin, id eſt, Pedunculorum fructuum, vel, quando Pedunculi, quibus poma & reliqui fructus adhaerent, contaminari dicebantur ex fructuum immundorum contactu, habet diſtinctiones quinque.

Summa totius Thalmud continet tractatus ſexaginta tres.

Index errorum aliquot, quos ex innumeris ſtultitiis, blaſphemiis, & impietatibus Thalmudici operis collegimus; ut ex his paucis aliquod tibi ſpecimen exhiberemus horum execrabilium voluminum, in quibus infinitae pene blaſphemiae continentur, non ſolum adverſus Chriſtum Deum noſtrum, ſed etiam adverſus Moſaicam legem, adverſus naturae legem, & contra ipſam divinae celſitudinis majeſtatem.

ADVERSUS CHRISTUM DEUM NOSTRUM.

Blaſphemiae, quas impii Judaei in Chriſtum Deum noſtrum emittunt, adeo ſunt execrabiles, ut animus horreat, manuſque refugiat eas ſcribere: proinde tantum ſuffecerit hic indicaſſe loca quaedam, ubi haec habeantur.

QUO partu Chriſtus natus ſit, & quam habuerit matrem ac patrem. Ordine primo, tractatu nono, verſu 49. incipiendo a verbo, Mehila.

QUAE fuerit Chriſti profeſſio, ſtudium, & ars. Ordine quarto, tractatu quarto, diſtinctione quinta, charta decimaſeptima.

QUEM Deum Chriſtus coluerit. Ordine quarto, tractatu quarto, diſtinctione ſecunda, charta 107.

QUA de cauſa, & quo ſupplicio Judaei Chriſtum interfecerint. Ordine quarto, tractatu quarto, diſtinctione ſexta, charta 43.

QUO nunc loco detineatur anima Chriſti. Ordine tertio, tractatu ſexto, charta quinquageſima ſeptima.

ADVERSUS DIVINAE MAJESTATIS CELSITUDINEM.

DEUS ante mundi creationem, ne ocio torpeſceret, exercebat ſe in extruendis variis mundis, quos ubi condiderat, paulo poſt deſtruebat, atque iterum inſtaurabat quo ad hunc, quem nunc habemus, Mundum facere didiciſſet. Ordine primo, tractatu quarto, diſtinctione tertia.

DEUS tres primas horas diei totas inſumit in lectione legis Judaïcae. Ordine ſecundo, tractatu primo, diſtinctione decima quarta.

MO-

Digitized by Google

MOSES, cum aliquando aſcendiſſet in coelum, invenit Deum ſcribentem accentus in ſcriptura ſancta. Ordine quinto, tractatu ſexto, diſtinctione quinta.

DEUS die prima novilunii menſis Septembris judicat univerſum orbem; reliquis deinde ſequentibus decem ejuſdem Lunae diebus applicat ſe ad ſcribendum juſtos in libro vitae, malos vero in libro mortis. Ordine ſecundo, tractatu octavo, diſtinctione quinta.

DEUM quotidie orationes, ac precationes devoto animo facere. Ordine primo, tractatu primo, diſtinctione prima.

DEUM habere locum quendam ſeparatum, in quo ſtatutis temporibus, multis cum lacrymis deflet, ac ſe ipſum affligit, quod Judaeis iratus, templum everterit Hieroſolymitanum, & populum ſuum in captivitatem diſperſerit. Ordine ſecundo, diſtinctione quinta, & ordine primo, & diſtinctione ſeptima.

DEUS quotidie imponit ſibi circa caput & brachia vittas, ſive corigiolas quaſdam coriaceas, Thephilin appellatas; induitque ſe ipſum tunica quadam linea, quae zizith nuncupatur; atque hoc modo ornatus, procumbit in genua, & orat. Ordine ſecundo, tractatu octavo, diſtinctione quinta.

DEUM praecepiſſe populo Judaeorum, ut ſingulo quoque novilunio ſacrificium expiationis peragant ad expiandum ſcelus perpetratum a Deo, quando lumen, quod injuſte a Luna ademerat, Soli attribuit. Ordine quarto, tractatu ſexto, diſtinctione prima.

DEUS, quoties reminiſcitur calamitates, quas Judaei a Gentibus patiuntur, lachrymas duas effundit in mare Oceanum, & prae dolore, pectus utraque manu contundit. Ordine primo, tractatu primo, diſtinctione nona.

DEUS tribus poſtremis diei horis laxandi animi gratia ludebat olim cum piſce quodam vaſtae magnitudinis, qui Leviathan appellatur. Ordine ſecundo, tractatu primo, diſtinctione quartadecima, & ordine quarto, tractatu octavo. Vide ſupra Pag. 47.

DEUS ignota de cauſa indignatus piſci magno Leviathan, ipſum occidit, carneſque ejus ſale condidit; ut ex his cibum miniſtraret animabus ſanctorum in futuro ſaeculo. Ordine quarto, tractatu tertio, diſtinctione quinta.

DEUM ſemel quotidie iraſci, & tunc criſtae Gallorum gallinaceorum ruborem amittunt, ipſique interim uno pede ſtant tunc, ſi quis eodem momento alicui maledixerit, is ſtatim concidet mortuus. Ordine primo, tractatu primo.

DEUM creaſſe elementum ignis in die Sabbati. Ordine ſecundo, tractatu tertio, diſtinctione quarta.

CUM olim Rabbini quidam adverſus Rabbi Eliezer diſputationem iniiſſent; Deus, voce coelitus demiſſa, ſententiam contra illos pro Rabbi Eliezer protulit: quamobrem indignati Rabbini, Deum Anathematis poena damnarunt: tum Deus ipſe ſubridens, Filii, inquit, mei me vicerunt. Ordine quarto, tractatu ſecundo, diſtinctione ſeptima.

CUM Deus die quadam in coeli curia diſſereret de ſpecie quadam leprae, quam ipſe mundam eſſe ajebat, caeteris diſſentientibus Rabbinis, qui immundam eſſe affirmabant, lis tandem communi omnium aſſenſu devoluta eſt ad ſapientiſſimum quendam Rabbinum; qui cum ſententiam proferre pararet, ſtatim ejus anima, relicto corpore, vociferari coepit, Mundam, Mundam. Ordine quarto, tractatu ſecundo, diſtinctione ſeptima.

TANTA fuit olim in Rabbino quodam prudentia ut Diabolum ſimul, & Deum hoc aſtu eluſerit. Cum Rabbinus in extremo vitae articulo laboraret, Diabolum precibus exorat, ut ſe jamjam moribundum ad portas uſque coeleſtis regni deducat: ut, inſpecto inde loco divinae habitationis, laetus ex hac vita decedat: hanc gratiam cum diabolus veteri amico praeſtitiſſet, Rabbinus illico ſe intra portas coeli conjiciens, juravit per Deum viventem ſe nunquam inde receſſurum: qua de cauſa coactus eſt Deus hominem apud ſe retinere, ne illum perjurum faceret: ſicque hac una arte prudentiſſimus vir Deum, ac diabolum ſimul fefellit.

ADVERSUS SANCTOS VETERIS TESTAMENTI.

CUM Angelus Gabriel grave flagitium commiſiſſet, Deus juſſit eum igneo flagello flagellari. Ordine ſecundo, tractatu quinto, diſtinctione octava.

ADAM

Digitized by Google

ADAM cum omnibus animantibus tam masculis, quam foeminis coivit; neque unquam appetitui suo satisfecit, nisi posteaquam cum Eva concubuit. Ordine tertio, tractatu primo, distinctione sexta.

CORVUS, emissus a Nohe tempore diluvii, nolebat ex arca discedere: timebat enim, ne post discessum suum Nohe cum cornice uxore sua coiret. Ordine quarto, tractatu quarto.

JOB nunquam fuisse in humanis, & historiam ejus esse confictam. Ordine quarto, tractatu tertio.

DAVID in adulterio, & homicidio non peccavit; & quicunque eum in his peccasse crediderit, haereticus est. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quinta.

ADVERSUS LEGEM MOSIS.

QUOD licitum sit cum propria uxore masculino concubitu uti: quare, cum duae mulieres de hac re essent apud Synagogam conquestae, responderunt Rabbini, virum esse uxoris dominum, proinde posse eum uti corpore uxoris suae, utcunque voluerit, non aliter, quam ille, qui piscem emit: is enim tam anterioribus, quam posterioribus, piscis ejus partibus, ad arbitrium vesci potest. Ordine tertio, tractatu tertio, distinctione secunda, & charta vigesima, facie secunda.

SI quis aut filiam suam, aut sororem suam, sibi matrimonio junxerit; is rem Deo facit gratissimam. Ordine secundo, tractatu primo.

RABBINUM, qui non oderit hostem suum usque ad mortem, & qui vindictam adversus eum non quaesierit, indignum esse nomine Rabbini. Ordine quinto, tractatu primo, distinctione 2.

GRAVIUS plectendos esse eos, qui contradicunt verbis Scribarum, quam verbis Mosaicae legis, quibus qui contradixerit, absolvi potest; qui vero verbis Rabbinorum contradixerit, morte moriatur. Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione decima.

SI testes de falsitate convicti fuerint, puniri debent poena talionis: quod si contigerit injuste accusatum fuisse damnatum, & ita poena affectum; tunc falsi testes absolvi debent, & nulla poena puniri. Ordine quarto, tractatu quarto.

SI quem major pars Judicum ad mortem damnaverit, is mori debet: si vero omnes, nullo excepto, in ejus damnatione consenserint, absolvatur. Ordine quarto, charta decima septima.

SI quis marsupium loco publico invenerit, sciveritque ejus dominum jam de inventione marsupii desperasse; non tenetur ad restitutionem marsupii. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione 5.

ADVERSUS CHARITATEM, ET HUMANITATEM.

STATUIMUS, ut quilibet Judaeus ter in die blasphemet omnem Christianorum gentem; ac Deum precetur, ut confundat, exterminetque ipsam cum regibus, & principibus suis: atque hoc maxime faciant sacerdotes Judaeorum in Synagoga ter quotidie orantes, in odium Jesu Nazaraeni. Ordine primo, tractatu primo, distinctione quarta.

DEUM praecepisse Judaeis, ut quovis modo, sive dolo, seu vi, sive usura, sive furto facultates Christianorum sibi vendicent. Ibidem.

PRAECIPITUR item omnibus Judaeis, ut Christianos omnes loco brutorum habeant; nec aliter eos tractent, quam bruta animalia. Ordine quarto, tractatu octavo.

SI bestia Judaei occiderit bestiam Christiani, non tenetur Judaeus pro ea pretium solvere: si vero bestia Christiani Judaei bestiam occiderit, tenetur Judaeus cogere Christianum ad bestiae solutionem. Ordine quarto, tractatu primo, distinctione quarta, charta trigesima octava.

JUDAEUS gentilibus neque boni, neque mali, quicquam faciat: Christianum vero omni studio atque industria conetur de vita tollere. Ordine quarto, tractatu octavo, distinctione secunda.

SI

Digitized by Google

SI quis Hebraeus, dum vult occidere Christianum, forte fortuna Judaeum occiderit, absolutione dignus est. Ordine quarto, tractatu quarto, & nono.

SI quis Judaeus Christianum praecipitio propinquum inspexerit, ipsum statim praecipitare tenetur. Ordine quarto, tractatu octavo: cui in eodem tractatu concordat auctor Ravalfez, distinctione 2. charta 355. facie 2. & volumen Arba Turim libro Joradea, capite 158.

IMPERIUM Christianorum execrabilius est imperio caeterarum gentium: & levius peccatum est servire principi gentili, quam Christiano. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione quinta, charta undecima & quintadecima.

TEMPLA Christianorum esse domus perditionis, & loca idololatriae, quae Judaei tenentur destruere. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione secunda.

EVANGELIA Christianorum, quae inscribi debent, iniquitas revelata, & peccatum manifestum, a Judaeis comburi debent; etiam si in eis nomen Dei contineretur: ibidem.

ALIAE HAERESES, ET SUPERSTITIONES.

ANIMAS hominum migrare de corpore in corpus hac lege, ut, si anima in primo corpore peccet, mittatur in secundum; in quo si iterum peccat, mittitur in tertium corpus: in quo si peccare non desistat, denique in gehennam detruditur. Ordine quarto, tractat. 2. & pluribus aliis locis.

ANIMAM Abelis migrasse in Seth, animam vero Seth in Mosem: ibidem.

ANIMAE indoctorum hominum in resurrectione non recipient corpora sua. Ordine tertio, tractatu secundo, charta tertia.

RABBINI duo singula quaque hebdomada pridie Sabbati duos vitulos creabant, quos deinde totos comedebant. Ordine quarto, tractatu quarto, distinctione secunda, charta 65.

QUICUNQUE ter in Sabbato comederit, vitam aeternam consequetur in alio saeculo. Ordine secundo, tractatu primo, distinctione sexta.

NIHIL comedi debet numero pari, sed impari: hoc enim numero maxime delectatur Deus. Ordine quarto, tractatu secundo, distinctione septima.

SI QUIS oraverit facie ad Meridiem conversa, sapientiam consequetur; ad Septentrionem vero divitias. Ordine quarto, tractatu tertio, distinct. 2. char. 25.

SI QUIS sub ventre cameli, aut inter duos camelos, aut inter duas mulieres pertransierit, nihil unquam ex Thalmud poterit edisscere. Ordine quarto, tractatu decimo, distinctione secunda.

SI QUIS negaverit libros Thalmudicos, in quibus scripta continentur praedicta sanctissima praecepta, Deum ipsum negat. Praefatione totius Thalmud.

V

VERBORUM Domini Liber citatur in Recognitionibus Clementis: sunt, qui librum hunc esse autument, ex quo Paulus (ut habetur in Actuum volumine, capite vigesimo) loquens ad presbyteros Epheси oraculum Christi protulit, inquiens: MEMENTOTE verborum Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est dare, quam accipere. Quidam vero putant, Paulum hoc dixisse, vel ex traditione acceptum, vel ratiocinando hoc deduxisse ex variis Evangeliorum sententiis id ipsum significantibus: quales illae sunt, Omni petenti te, da; & Date mutuum, nihil inde sperantes. Act. 20. Luc. 6. 30. 35.

VERBA VETUSTA, Hebraice הדבארים עתיקום Haddevarim Hatthikim, vel juxta Septuaginta interpretes λόγοι παλαιοὶ, id est, Sermones antiqui: citatur hoc opus primo Paralipomenon capite 4. ver. 22. ambigentibus expositoribus, tam de ipso opere, quam de his, quae in ipso scripta referuntur. Auctor libri Quaestionum, sive Traditionum Hebraicarum, existimat hoc Opus esse librum Ruth, quod is eadem illa contineat, quae in primo Paralipomenon ex libro Sermonum veterum desumpta sunt: quidam ex Hebraeis putant id esse Opus alterum longe diversum, particularem historiam progenitorum Davidis regis comprehendens. De his quoque, quae in eodem Sermonum veterum volumine scripta essent, non minor est haesitatio: nam vulgata nostra editio demonstrat fuisse in hoc libro descriptam historiam principum quorundam ex tribu Juda, qui regnaverunt in

Digitized by Google

Moab; & hiſtoriam viri cujuſdam ex eadem tribu illuſtris, qui annis fere ducentis poſt Joſue Ephraitam ducem Hebraeorum, qui primus ſtare fecit Solem, iterum renovato miraculo, Solis curſum remoratus eſt: ſic enim legitur in vulgata
1. Par. 4. 22. Latina editione: ET QUI ſtare fecit Solem, virique mendacii, & ſecurus, & incedens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reverſi ſunt in Lehem. Haec autem verba vetera. Contra vero in Hebraicis exemplaribus, & in Graecis codicibus nihil horum legitur, ſed alia ab his longe diſſita habentur, his verbis:
Vejochim veanoſche cozeba veoaſch veſaraph aſcher bagalu lemoab vejaſchubi Lachem. ויוקים ואנשי כזבא ויואש ושרף אשר בעלו למואב וישבי להם: hoc eſt, *Et Joachim, & viri Cozeva, & Joaſt, & Saraph, qui regnaverunt in Moab, & habitantes in Lachem. Et haec verba vetera*: pro quibus Septuaginta ſic verterunt: *καὶ Ἰωακεὶν, καὶ ἄνδρες Χόζηβὰ, καὶ Ἰωὰς, καὶ Σαρὰφ οἱ ἐξουσιάσαντες ἐν τῷ λαῷ Μωάβ, καὶ οἱ κατοικήσαντες εἰς Ἀσίμ· καὶ οὗτοι λόγοι παλαιοὶ*: id eſt, *Et Joachin viri Chozeba, & Joas, & Saphar, qui dominati ſunt in popolo Moab, & habitantes in Lehem. Et hi ſunt ſermones antiqui*. Quae quidem tam Graeca, quam Hebraea verba (ut apparet etiam his, qui vel primoribus labris Hebraica, & Graeca deguſtarunt) nihil habent de miraculoſa Solis ſtatione, quae apud nos legitur. Auctor tamen Hebraicarum traditionum lectionem editionis noſtrae approbare videtur; quam etiam exponens, ita ſcribit: CUM vero ſequitur, QUI STARE FECIT SOLEM, redit ad progeniem Pharez, de quo ortus eſt David, opportunam judicans progeniem Juda, de qua tribus regia orta eſt, in David terminare: tradunt enim Hebraei, hunc fuiſſe Elimelech virum Noëmi, patrem Maalon & Chelion; in cujus tempore Sol ſtetit propter praevaricatores legis: ut, tanto miraculo viſo, converterentur ad Dominum Deum ſuum: quod quia facere contempſerunt, idcirco fames invaluit: ut ille, qui in tribu Juda prior videbatur, famis inopia cum uxore & filiis non ſolum patria pelleretur, ſed etiam in eadem peregrinatione cum filiis moreretur. Viros autem mendacii eſſe Maalon, & Chelion; qui hic Securus & Incedens juxta propriam nominis interpretationem appellantur; & de quibus dicitur, quod principes fuerunt in Moab, eo quod uxores Moabitidas duxerint, ſicut in Hebraeo expreſſius ponitur, & ab eruditis illius linguae didicimus, ut non principes, ſed mariti dicantur. Quod vero ſequitur, QUAE REVERSAE SUNT IN LEHEM, Noëmi, & Ruth demonſtrat; quae in Lehem, id eſt, Panem poſt inopiam famis, audita ubertate panis, in Bethlehem reverſae ſunt. Et quia haec hiſtoria in libro Ruth ſcribitur; idcirco ſubſequitur, HAEC AUTEM VERBA VETERA. Hactenus Quaeſtionum Hebraicarum auctor. Lyranus ex ſententia magiſtrorum Hebraeorum addit, Solem deſtitiſſe a curſu, non precibus & orationibus Elimelech, qui avariſſimus fuit; & tempore famis ſeceſſit in regionem Moab, ne patriae periclitanti divitiis ſuis opem ferre cogeretur; ſed id pientiſſima Dei voluntate contigiſſe, qui eo miraculo populum ſuum a ſceleribus voluit deterrere (a).

VITAE LIBER PRIMUS, quem David in Pſalmo ſexageſimo tertio appellat ספר חיים Sepher Chaiim, id eſt, Librum viventium, eſt divina praedeſtina-

(a) Quamvis N. Sixtus ſolummodo referat Authoris Hebraicarum Traditionum, & Lyrani opinionem de Elimelech, qui ſtare fecit Solem, cui pariter adhaeſerunt Abulenſis, Carthuſianus, Fevardentius, & alii, haud certe adprobavit, qui Rabbinorum commentum ſubodoratus, Hebraicum, Graecumque textum retulit ad fabulam detegendam: ſed in reverentiam S. Hieroymi, ut putavit, & Nicolai de Lyra, a cenſura abſtinuit. Verum quod de Elimelech, ab eoque imperata ſtatione Solis comminiſcuntur Rabbini, ad fabulas amandant quotquot eruditi audiunt Critici, Jacobus Tirinus, Nicolaus Serarius, Guillelmus Eſtius, Cornelius a Lapide, Auguſtinus Calmet, Joh. Cabaſſutius, aliique ſexcenti. Quum enim Hebraeis Elimelech ſit *Joacim*, ſeu qui in Hebraico textu dicitur יוקים *Jokim*, & hic interpretatus dicatur *ſtans*, *ſtare faciens*, & *confirmans*, Rabbini poſteriores ad Marginem Bibliorum addiderunt τὸ *ſolem*, quod poſtea in textum inrepſit, heinc lectum eſt deinceps: *qui ſtare fecit ſolem*, quod certe falſiſſimum eſſe conſtat ex Divino eloquio; quorve ex momentis commentitium ſit adſertum de Elimelech ſiſtente Solem laudati Paralipomenon interpretes diſerte oſtendunt: Quare ex Originali Hebraico textu, & Septuaginta Interpretum verſione corrigendum eſt quod ex Rabbinorum, aut fraude, aut inſcitia, fuit adjunctum, non ſecus ac non pauca id genus, quae in Vulgata corrigenda ſuperſunt, eaque haud adverſa dogmati; idque certo certius ſine ulla injuria Tridentinae Synodi adprobantis Vulgatam Bibliorum editionem: quum levia ſint menda, & alia fuerit mens laudatorum Patrum, quam optime expendunt alii plures Viri Summi, qui in hanc deſcendunt opinionem, nimirum Johannes Maldonatus, Ludovicus Lipomanus Veronenſis Epiſcopus, Alphonſus Salmeron, Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus, Cardinales Baronius, Bellarminus, & N. Gotti, Gaſpar Sanctius, Dionyſius Petavius, Franciſcus Lucas Brugenſis, N. Natalis, aliique. Videſis praecipue *Diatribam Eccleſiaſticam circa Tridentinum decretum de vulgata Bibliorum editione* Johannis Cabaſſutii nuper laudati.

Digitized by Google

natorum conſcriptio in vitam aeternam: vel, ut Auguſtinus in vigeſimo de Civitate Dei tradit, eſt notitia Dei, qua praedeſtinavit eos, quibus praeſcivit ſe daturum vitam aeternam: de quo libro Paulus in epiſtola ad Philippenſes ait: QUORUM nomina ſcripta ſunt in libro Vitae: & Chriſtus ad diſcipulos ſuos, inquit: GAUDETE, & exultate, quoniam nomina veſtra ſcripta ſunt in coelis. Eſt autem liber hic tanti momenti ad aeternam felicitatem, ut nullus eam conſequi poſſit, qui non fuerit in ipſo conſcriptus, dicente Joanne: NON intrabunt in eam, niſi qui ſcripti ſunt in Libro Vitae agni. Et Daniel inquit: IN tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Contra vero, quicunque non fuerit ſcriptus in libro hoc, aut ſemper in peccatis vivet, aut ſaltem ex hac vita peccator decedet; & poſt hanc vitam, aeternae damnationis ſupplicio plectetur: nam de flagitioſa vita eorum, qui in hoc libro non ſunt, teſtis eſt Joannes inquiens: ADORAVERUNT beſtiam omnes, quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro Vitae agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. Et iterum, MIRABUNTUR beſtiam inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro Vitae a conſtitutione mundi. De ſempiterno quoque eorundem interitu idem Joannes addit: HAEC eſt mors ſecunda: qui non inventus eſt in libro Vitae ſcriptus miſſus eſt in ſtagnum ignis. Eſt igitur Liber Vitae Primus conſtans atque perpetua in mente Dei praedeſtinationis cognitio, de qua Paulus, ad Timotheum ſcribens, dixit: FIRMUM fundamentum Dei ſtat: novit Dominus, qui ſunt ejus.

Phil. 4. 3. Luc. 10. 20. Apoc. 21. 27. Dan. 12. 1 Apoc. 13. 8. Apoc. 17. 8. Apo. 20. 14, 15. 2. Tim. 2.

Caeterum nonnulli, quibus non omnino placet Librum Vitae eſſe praedeſtinationis notitiam, ſolent adverſus praedicta his rationibus uti. Primum, quod notitia praedeſtinationis non omnes, ſed aliquos tantum, eoſque admodum paucos continet electos: Liber autem Vitae omnes, quotquot ſunt, homines comprehendere videtur, juxta illam Davidis ſententiam: IN libro tuo omnes ſcribentur. Omnes, hoc eſt non ſolum perfecti, ſed etiam, ut ait Auguſtinus, imperfecti. Deinde, cum aeterna fixa & indelebilia ſint divinae praedeſtinationis decreta, non poteſt agnitio praedeſtinationis recte ſignificari, & exprimi per librum vitae; in quo & deleri, quae ſcripta fuerunt, & iterum deleta reſcribi, divinae literae multis in locis teſtantur, praeſertim in Exodi volumine, ubi Deus ad Moſem ait: QUI peccaverit mihi, delebo eum de libro meo: & in Apocalypſi, QUI vicerit, non delebo eum de Libro Vitae; & confitebor nomen ejus coram patre meo, & coram angelis ejus: & David inter alia mala, quae impiis imprecatur, ait: DELEANTUR de Libro Vitae, & cum juſtis non ſcribantur. Poſtremo, Liber Vitae ſi eſſet ipſa electorum, ac praedeſtinatorum conſcriptio, Moſes nunquam optaſſet, ac petiiſſet de hoc ipſo libro deleri, inquiens: DOMINE dimitte eis hanc noxam: aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. Ut enim nullus ſapiens petere debet ea fieri, quae nullo modo fieri poſſe jam novit: ita nullus, qui vere Deum diligit, optare debet, aut poteſt, ſe ex numero amicorum, & electorum Dei abjici, & ab aeterna divinae majeſtatis fruitione excludi.

Pſal. 138. 16. Exod. 32. 33. Apoc. 3. 5. Pſal. 68. 29. Exod. 32. 32

HIS ARGUMENTIS facile reſpondetur, Sententiam ſcilicet illam Pſal. 138. non ad omnes tam reprobos, quam electos pertinere, ſed ad ſolos electos, de quibus dixit David: IN libro tuo omnes ſcribentur. Omnes, videlicet quicunque electi ſunt ante mundi conſtitutionem ad vitam aeternam; ſive illi perfecti ſint, ſive adhuc ſint in via virtutis imperfecti. Quod autem ajunt librum Vitae diverſum eſſe ab aeternae praedeſtinationis conſcriptione, quia ille deleri & immutari queat, haec vero prorſus immobilis ſit, & indelebilis: diſſolvit Auguſtinus in expoſitione Pſalmi ſexageſimioctavi, inquiens, neminem deleri de libro Vitae ſecundum rei veritatem: quia ſi homo de titulo, quem inſcripſerat dominicae cruci, dixit, QUOD SCRIPSI, SCRIPSI: quanto magis Deus, quod ſcripſit, permanere volet indeletum. Sed deleri quidam dicuntur ſecundum quorundam hominum opinionem ac ſpem, qui ſe in libro Vitae, in quo nunquam ſcripti fuerant, ſcriptos putabant: juxta quam locutionem dictum eſt, DELEANTUR DE LIBRO VIVENTIUM, id eſt etiam ipſis innoteſcat, & conſtet ſe nunquam in libro Dei fuiſſe conſcriptos. Alio quoque modo ex Auguſtini doctrina reſpondet divus Thomas in 24. quaeſtione primae partis, quoſdam in libro Dei Simpliciter, hoc eſt ſecundum aeternae praedeſtinationis propoſitum ad vitam aeter-

Joan. 19. 22. Pſal. 68. 29. Art. 3. in O.

Digitized by Google

nam conſequendam ſcribi; & hos deleri non poſſe: quoſdam vero Secundum aliquid, hoc eſt ſecundum ſolam gratiam praeſentis juſtitiae; & hos deleri poſſe, quia non pro aeterno tempore, & ad aeternam gloriam conſequendam fuerant in libro Vitae indelebiliter ſcripti, ſed ad breve tantum praeſentis gratiae tempus delebili ſcriptura deſignati. Quam quidem ſententiam, alii diverſis verbis exprimentes dicunt librum Vitae ſcriptum eſſe intus & foris; & alios eſſe intus ſcriptos, qui nequaquam deleri poſſunt: alios vero foris & extrinſecus; quos & deleri, & iterum deletos reſcribi poſſe, nihil prohibet.

SUNT etiam, qui tertiam addant reſponſionem huic aſſimilem, dicentes duos eſſe libros Vitae; alterum, in quo ſoli ſcribuntur hi, quos Deus ad ſempiternam beatitudinem ex decreto infallibilis & immutabilis praedeſtinationis deſtinavit; & ex hoc nullum ex conſcriptis deleri: alterum, in quo ſcribuntur hi, qui ſecundum hanc praeſentem juſtitiam, & temporalis gratiae diſpoſitionem vivunt, tamdiu in eo ſcripti permanentes, quandiu gratiam Dei exercentes Deo grati vivunt; delentur autem ſtatim ut, rejecta Dei gratia, juſte vivere deſierunt. Ad id vero, quod addunt Moſen, ſapientiſſimum virum, & Dei amantiſſimum, nequaquam fuiſſe petiturum ſe deleri de libro Vitae, ſi liber ille indelebilem praedeſtinatorum ſcripturam contineret: variae ſunt patrum reſponſiones, oſtendentes hanc Moſis petitionem ſententiae noſtrae minime adverſari: quas hoc loco referre non piget, ut ex his poſſit unuſquiſque eam eligere, quae ſibi magis arriſerit.

HIERONYMUS in quaeſtione nona ad Algaſiam ſecutus ſententiam Origenis, quae habetur in commentariis epiſtolae ad Romanos, ait, Moſen ex charitate erga Deum ac populum ſuum noluiſſe deleri de libro Vitae in perpetuum, ſed in praeſentiarum; non in Spiritu, ſed in carne; hoc eſt per mortem corpoream, ſicut & Paulus optavit anathema fieri pro fratribus ſuis; hoc eſt, tota die, juxta Pſalmi ſententiam, mortificari, ſolus pro illis perire in carne, & ſanguinem fundere, ut fratres ſui ſervarentur in Spiritu. Rom. 9. a

JOANNES CHRYSOSTOMUS in libro De compunctione cordis, & lib. 3. De providentia Dei, & Homilia 16. in epiſtolam ad Romanos rejicit ſententiam eorum, qui Moſen, & Paulum de temporali morte locutos arbitrantur. QUOMODO enim, inquit, optaſſet Paulus a Chriſto anathema fieri, hoc eſt, ſeparari ab eo per mortem carnis, cum mors ipſa magis ad eum chorum, qui cum Chriſto eſt, conjungat, & ipſius gloria potiri faciat? vermiculorum eſt itaque in luto latitantium iſta ſuſpicio: uterque enim tam Moſes, quam Paulus, cum haec dicerent, non ſolum cogitatione tranſcenderunt omnes praeſentis vitae agones ac mortem, ſed etiam pro Deo, quem magis, quam ſe ipſos diligebant; coelos, & angelos ſupergredientes, omnia inviſibilia ſpreverunt, ac pro Dei amore ab ipſa Dei fruitione, & ineffabili gloria excidere non tantum petierunt, ſed, quod auctius eſt, etiam optarunt: ita enim totam eorum mentem inexplebilis charitatis affectus devicit, ut etiam id, quod prae caeteris amabilius erat, frui Deo contemnerent, & coelorum regno, divinaeque fruitioni, quam expectabant, laborum remunerationem, cedere paterentur; ne ſcilicet Deus tantopere ab ipſis dilectus ab impiis irrideretur, blaſphemareturque, quod cum pollicitationes populo ſuo, quem elegerat, factas implere non poſſet, illum deſtituiſſet, & in ejus bona alias gentes, quae nunquam eum agnoverant, introduxiſſet.

AUGUSTINUS in quaeſtione 147. in librum Exodi, inquit, Moſen ex ingenti quadam divinae familiaritatis ſecuritate tali Deum ratiocinatione interpellaſſe; Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo: ſed non delebis me de libro tuo, in quo me indelebili charactere conſcripſiſti: dimitte igitur eis hanc noxam. Quod argumentationis genus dialecticorum vulgus deducere ſolet ex regula illa: A tota disjunctiva affirmativa cum deſtructione unius partis ad alteram ejus partem valet argumentum: veluti ſi dicamus, Neceſſe eſt animum aut eſſe mortalem, aut immortalem: atqui mortalis non eſt: igitur immortalis.

EUTHYMIUS ZIGABENUS in Pſalmis, 68. & 139. ſic ſcribit: LIBER Dei eſt ſumma ejus ſcientia; ſcriptura vero, perpetua memoria: per libros enim variam ac multiplicem Dei cognitionem divinae literae figurate intelligunt: verum

Digitized by Google

rum hic divinae ſcientiae liber triplex eſt: quorum unus magis eſt univerſalis; in quo omnes, tam juſti, quam peccatores, qui in hanc mortalem vitam venturi ſunt, & paulo poſt morituri, ſcribuntur: quem David in Pſalmo 68. librum viventium appellavit; & quem in Pſalmo 138. ſignificavit, inquiens: IN libro tuo omnes ſcribentur. Alius etiam liber eſt ſcientiae Dei magis privatus; in quo ſoli juſti ſcribuntur, ea ratione, quod eos tantum cognoſcere, hoc eſt, approbare dicatur juxta id, quod ſcriptum eſt: NOVIT Dominus viam juſtorum: quem nobis David indicavit, dicens: ET cum juſtis non ſcribantur. Eſt & tertius particularis liber, in quo peccatores ſcribuntur. Judicium enim, ut inquit Daniel, ſedit; & libri aperti; & ex his judicati ſunt viventes, & mortui. Moſes ergo de primo illo univerſali libro dixit ad Deum: ſi quidem dimittis eis peccatum; dimitte: ſi minus; dele me de libro, quem ſcripſiſti. Pſal. 1 6. Pſal. 68. 29. Dan. 7. 10. Exod. 32. c

BERNARDUS Sermone duodecimo in Canticum Canticorum putat Moſen non in hunc ſenſum petiiſſe deleri de libro Vitae, ut a gloria aeterna excluderetur, ſed magis hoc ex paterno quodam affectu poſtulaſſe; videlicet, ne ſolus ipſe abſque gente ſua ſcriptus permaneret in libro Vitae, ſoluſque ipſe in aeternam felicitatem introduceretur excluſo populo ſuo; ceu ſi paupercula quaedam mulier, invitata ad prandium divitis ſub hac conditione, ut infantulum, quem ſinu geſtat, foris relinquat, quia plorat, & futurus ſit convivio moleſtus, reſpondeat malle ſe jejunare, quam, expoſito pignore charo, ſola prandere cum divite: ita nec Moſes vult ſolum ſe introduci in gaudium Domini ſui, foris ſcilicet remanente populo; cui, licet inquieto & ingrato, vice pariter & affectione matris inhaeret.

RUPERTUS, Abbas Tuitienſis, libro 3. Commentariorum in Exodum ſcribit, Moſem voluiſſe his verbis convincere Deum, ut ignoſceret populo; eumque tali uſum fuiſſe argumento: Si non dimittis eis hanc noxam; dele me de libro tuo: quare? quia & ego homo peccator ſum: ſi ergo peccantibus peccata non dimittis; ſed eos deles de libro vitae, ſolique apud te ſcripti permanent juſti: conſequens eſt, ut etiam ego peccator de libro tuo delear. Senſus igitur eſt: ſi non dimittis eis hanc noxam; dele me de libro Vitae: id eſt, conſequens eſt, ut deleas me de libro vitae.

HUGO, presbyter Cardinalis, in expoſitione Pſalmi 138. ait, geminos eſſe libros vitae, alterum praeſentis juſtitiae, & gratiae, de quo Moſes maluit deleri, quam populum perdi; alterum ſempiternae praedeſtinationis, de quo Moſes non optavit deleri, ſciens, quod de eo nemo deleri poſſet.

THOMAS Cajetanus Cardinalis S. Xyſti in Commentariis Exodi credit hunc librum eſſe ordinationem divinae providentiae circa eos, qui in hoc mundo futuri ſunt principes, & hunc librum principatus appellat: ſtatutum enim eſt in mente divina, & in ipſa, tanquam in libro, diligentiſſime exaratum, qui, & quot, & quales in hac vita futuri ſint inter mortales principes, duces, ac reges: quoniam vero dixerat Deus Moſi, DIMITTE me, ut iraſcatur furor meus contra populum, & deleam eos; te autem faciam in gentem magnam: intellexerat Moſes Deum ſcripſiſſe eum in libro principatus, ex hoc, quod etiam ſi deſtrueretur populus ille, Deus nihilominus conſtitueret ipſum principem ſuper gentem magnam: ideo petit, quod aut condonet peccatum hoc, aut deleat ipſum de libro principatus; ſignificans per hoc, quod non vult eſſe princeps alterius gentis, ſi gens iſta conſumitur. Exod. 32. c

NICOLAUS LYRANUS ait, quod quemadmodum Servator noſter ſecundum voluntatem partis ſenſitivae, mortem reformidantis, petiit a ſe transferri calicem paſſionis, quem voluntas rationalis ardentiſſime appetebat: ſic Moſes ſecundum deſiderium partis animae inferioris petiit a Deo deleri de libro Vitae: quod tamen ſecundum portionem animi ſuperiorem fieri nolebat: explicans hac precatione, non quid ipſa mens Deo conſentiens vellet, ſed quid ipſa carnis voluntas carni ſuae, hoc eſt populo ſuo compatiens deſideraret.

ALPHONSUS, epiſcopus Abulenſis, in commentariis ſuper Exodum docet hoc dictum non eſſe intelligendum juxta nudam ſimplicemque vocis ſignificationem, ſed ſecundum hyperbolicum tropum; quo ardentiſſimum efflagitatae rei deſi-

Digitized by Google

deſiderium exprimere ſolemus, dicentes: Aut hoc mihi concede, aut moriar:
Gen. 30. 2 quem quidem tropum uſurpavit Rachel, cum ad virum ſuum diceret: AUT da mihi liberos, aut moriar: non, quod liberos vitae praeferret, hoc dixit; ſed ut vehementiſſimum habendae prolis deſiderium hac patheticae locutionis figura hyperbolice demonſtraret.

RABBI MOSES Gerundenſis tradit Moſen vix ſui compotem, & pene extra ſe raptum magis haec ex impetu abundantiſſimae charitatis, quam ex deliberatione rationis protuliſſe.

RABBI Salomon Jarchi Gallus exponit, DELE ME DE LIBRO TUO, hoc eſt, Dele de libro legis nomen meum, ne memoria nominis mei habeatur in eo, mallens memoriam rerum, a ſe geſtarum, perpetua oblivione deleri, quam populum perdi. Atque haec de primo libro Vitae ſint ſatis dicta.

VITAE LIBER SECUNDUS, qui & Liber mandatorum Dei dicitur, eſt ſacroſancta ac divina ſcriptura, merito Liber Vitae appellatus, quod in ea promiſſiones aeternae vitae, una cum praeceptis ad vitam aeternam conſequendam neceſſariis contineantur: de quibus loquens ſapientiſſimus filius Syrach dixit:
Eccl. 24. 32. HAEC omnia liber Vitae, teſtamentum altiſſimi, & agnitio veritatis: & Prophe-
Bar. 4. 1. ta Baruch, HIC liber mandatorum Dei, & lex, quae eſt in aeternum: qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem: & Chri-
Joan. 5. f ſtus, de hoc libro ad legis peritos verba faciens, inquit: SCRUTAMINI ſcripturas, in quibus putatis vos vitam aeternam habere. Dicitur etiam divina ſcriptura Liber Vitae, quia argumentum, ſcopus, finis, atque univerſa intentio totius ſacroſanctae ſcripturae Chriſtus eſt: qui ſe ipſum ubique appellat Vitam, & Vitam noſtram; unde etiam in Pſalmo trigeſimonono dicitur: IN capite libri ſcriptum eſt de me: quod Arnobius, & Auguſtinus exponunt de libro Pſalmo-
Pſalm. 1. rum, in cujus principio ſcriptum eſt: BEATUS vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiae non ſedit: quae ſane verba nulli magis convenire poſſunt, quam Chriſto; qui ſolus ſine peccato eſt. Tertullianus vero in libro contra Praxeam, & Hilarius in expoſitione Pſalmi ſecundi intelligunt per Caput libri initium totius divinae ſcripturae: ubi
Gen. 1. a pro eo, quod nos legimus, *In principio creavit Deus coelum & terram*: ipſi legunt: *In filio*; quod falſum eſſe ipſius rei veritas comprobat: non enim in Hebraeo legitur בבן be ben, hoc eſt In filio, ſed בראשית bereſcith; quod ſeptuaginta interpretes, & Symmachus, & Theodotion, & Hieronymus interpretati ſunt, In principio: quod tamen principium Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius aſſerunt juxta myſticum & ſpiritualem ſenſum, ſignificare Chriſtum Dei filium: qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quae caput librorum omnium eſt, quam etiam in principio Joan-
Joan. 1. a nis Evangeliſtae, coeli & terrae conditor approbatur: ubi dicitur, OMNIA per ipſum facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil.

VITAE LIBER TERTIUS eſt ille, qui in revelatione Joannis appellatur *τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς τῦ ἀρνίυ, ἐσφαγμένυ ἀπὸ καταβολῆς κόσμυ*, hoc eſt *Liber Vitae*
Apoc. 13. 8. *Agni, occiſi ab origine mundi*. Eſt autem agnus hic Salvator noſter, quem haud dubium eſt mactatum fuiſſe propter peccata noſtra: quanquam non ita manifeſtum ſit omnibus, quomodo is ab ipſa prima orbis conſtitutione fuerit interfectus. Quidam expoſitores, inter quos eſt Rupertus Abbas Tuitienſis, ajunt dictionem illam, Ab origine mundi, non eſſe referendam ad occiſionem Agni, ſed ad illos, quos Joannes dixerat non eſſe ſcriptos in libro Vitae: ita ut per tranſpoſitionem legendum, & intelligendum ſit, Quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine mundi in libro vitae Agni, qui occiſus eſt. Alii vero, & forte rectius, occiſionem Agni conjungi volunt cum ipſa mundi origine: in qua primum agnus mactari coepit, non quidem in ſe, cum nondum carne amictus eſſet, ſed in membris, & electis ſuis, in quibus ipſum impii a prima ſtatim mundi conſtitutione affligere coeperunt, occidentes eum in Abel, irridentes in Nohe, ejicientes in Abraham, perſequentes in Jacob, accuſantes ac vendentes in Joſeph, exulem facientes in Moſe;
Ad Hebr. 11. 24. qui, ut ait Paulus, praetulit improperium Chriſti omni theſauro AEgyptiorum, magis eligens affligi cum populo, quam in aula Pharaonis loco filii haberi. Quaecunque igitur ante adventum Agni in carnem membra ejus paſſa ſunt, Agnus ipſe

Digitized by Google

ſe pertuliſſe intelligitur: ſicut etiam poſt reſurrectionem Chriſti perſecutiones ſervis ſuis a Saulo illatas, Chriſtus ipſe ſibi ipſi inferri teſtatus eſt, inquiens: SAU- Act. 9. 4.
LE Saule quid me perſequeris? Occiſus eſt etiam Agnus ab ipſa prima mundi conditione, non ſolum temporali, ſed aeterna ab initio & ante ſaecula & tempora ſaecularia in beata illa divinae mentis praeſcientia ac praedeſtinatione; in qua Deus uno eodemque momento ſtatuit mundi creationem, praevidit mundi perditionem in Adae peccato, & praeordinavit Chriſti mortem pro totius mundi vita, quod Apoſtoli poſt Salvatoris aſſumptionem aperte cognoſcentes, dicebant: DO- Act. 4. 24. 27. 28.
MINE, qui feciſti coelum, & terram . . . vere convenerunt adverſus Jesum Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israël facere, quae manus tua, & conſilium decrevit ab aeterno fieri. Mactatus eſt quoque Agnus ab origine mundi, qui ab orbe condito uſque ad humanitatis noſtrae ſuſceptionem, per diverſas fluentis ſaeculi aetates variis & innumeris figuris, typis, umbris, myſteriis, ſacramentis, oblationibus, oraculis, vaticiniis, libaminibus, hoſtiis, victimis, & ſacrificiis veteris Teſtamenti adumbratum eſt, & praemonſtratum unicum illud ac ſempiternum ſacrificium; quo Agnus occiſus in ara crucis obtulit ſemetipſum Deo viventi in odorem ſuavitatis. Hic igitur Agnus, in cruce ſublatus & occiſus, liber Vitae appellatur, non ob id tantum, quod mors ejus ſit vita noſtra; vita, inquam, & reſurrectio a morte peccati, vita praeſentis gratiae, & vita ſempiternae felicitatis: ſed quia Chriſtus, in ligno crucis exaltatus, ſit veluti quidam celebris & conſpicuus liber, non papyro ac membranis, verum in ipſa Chriſti carne & membris aptatus; non atramento miniove conſcriptus, ſed pretioſo & incontaminato ſanguine agni immaculati; non calamis & avium pennis, ſed ſpinis, clavis, flagellis, & lanceis, a capite uſque ad calcem exaratus, & gemino ligno crucis, quaſi intra duas tabellas compaginatus & concluſus: ex quo quidem libro poteſt quilibet Chriſtianus ſumere perfectiſſimam Chriſtianae vitae inſtitutionem: neque ullus eſt, quantumlibet rudis & hebes, homuncio, qui, modo velit, in ipſo veluti in compendio non ſtatim, & quaſi unico intuitu legere & ediſcere valeat, quaecunque ſunt ad piam & vere Chriſtianam vitam neceſſaria, innocentiam ſingularem, humilitatem, obedientiam, altiſſimam paupertatem, ſublimem totius mundi contemptum, aſſiduam patientiam, dolorum tollerantiam incredibilem, ardentiſſimam charitatem, & caeteras omnes virtutes ad aeternae beatitudinis aditum maxime neceſſarias: ob id enim liber Vitae agni expanſis totius carnei voluminis paginis in cruce, tanquam in ypobiblio, aperiri extendique voluit; ut in ipſa crucis forma, & affixi corporis effigie legeremus, & ceu in ſpeculo contemplaremur, qualem deceat eſſe formam & exemplar optimi Chriſtiani; nempe ut ſe ad imaginem crucifixi hominis componat: hoc eſt, ut non ſolum abnegato ſe ipſo, crucem ſuam tollat quotidie, & ſequatur Chriſtum; ſed, quod etiam operoſius, & glorioſius eſt, totum corpus, & animam ſuam, manus, pedes, & opera extendat in ſervitium Dei; & carnem ſuam cum omnibus vitiis, concupiſcentiis, & carnalibus deſideriis ita cruci affigat, ut pie gloriari poſſit cum Paulo, dicens Chriſto, Confixus ſum cruci: itemque, Ego ſtigmata Gal. 2. 19.
Domini Jesu in corpore meo porto. Et rurſus, Mihi mundus crucifixus, & ego Gal. 6. 17.
mundo. Hic eſt igitur liber vitae Agni occiſi ab origine mundi; quo inſpecto, nemo eſt niſi prorſus amens, aut omnino impius, qui non ſubito cogatur agnoſcere, qua ratione ſibi vivendum ſit.

VITAE LIBER QUARTUS, ſive, Liber vitae praeteritae: hic alio nomine dictus eſt a Joanne, Liber vitae uniuſcujuſque, ſic enim habet editio, quam ex vigeſimo capite Apocalypſeos citat, atque exponit Auguſtinus in libro vigeſimo de Civitate Dei, & Homilia 17. in Apocalypſim, καὶ βιβλίον ἄλλο ἠνεῴχθη, ὃ ἐστι τῆς ζωῆς ἑκάστου: hoc eſt, *Et alius liber apertus eſt, qui eſt vitae uniuſcujuſque.* Hunc librum dicunt theologi eſſe divinam quandam vim, cujus virtute in die judicii ita reducentur unicuique in memoriam praeterita geſta ſua, & ante oculos mentis ponentur, quod nulli tunc licebit vel ignorare, vel diſſimulare, vel abſcondere peccata ſua. De hoc etiam libro Auguſtinus in quartodecimo capite libri vigeſimi de Civitate Dei, haec ſcribit: ET vidi, inquit Joannes, mortuos ma- Apoc. 20. 12.
gnos, & puſillos: & aperti ſunt libri: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitae

uniuſ-

Digitized by Google

uniuſcujuſque: & judicati ſunt mortui ex ipſis ſcripturis librorum ſecundum facta ſua. Libros dixit eſſe apertos, & librum: ſed librum, cujus modi ſit, non tacuit, Qui eſt vitae, inquit, uniuſcujuſque. Ergo illi libri, quos priore loco poſuit, intelligendi ſunt Sancti, & veteres, & novi; ut in illis oſtenderetur, quae Deus fieri ſua mandata juſſiſſet: in illo autem, Qui eſt vitae, quid horum quiſque non feciſſet, ſive feciſſet. Qui liber, ſi carnaliter cogitetur: quis ejus magnitudinem, aut longitudinem valeat aeſtimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo ſcriptae ſunt univerſae vitae univerſorum? an tantus Angelorum numerus aderit, quantus hominum erit; ut & vitam ſuam quiſque ab Angelo ſibi adhibito audiat recitari? Non ergo unus erit liber omnium, ſed ſinguli ſingulorum. Scriptura vero iſta unum volens intelligi, & alius, inquit, liber apertus eſt. Quaedam igitur vis eſt intelligenda divina: qua fiet, ut cuique opera ſua, vel bona vel mala; cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiam: atque ita ſimul & omnes, & ſinguli judicentur: quae nimirum vis divina nomen libri accepit: in ea quippe quodammodo legitur, quicquid a faciente recolitur. Haec Auguſtinus, ad cujus ſententiam reſpexiſſe videtur auctor ejus inconditi Rythmi, quem Eccleſia in ſacris defunctorum myſteriis decantat:

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

VITAE LIBER QUINTUS, & omnium ultimus, qui & liber Vitae aeternae dicitur, eſt beata & ſempiterna Chriſti filii Dei, ſecundum divinitatem praeſentia; cujus conſpectu aeternam glorioſae vitae felicitatem ſpectatoribus ſuis elargitur: de quo libro Auguſtinus in tractatu de triplici habitaculo (a) cap. 4. ſic loquitur. IN ILLA coeleſti urbe cibus & potus omnium erit viſio Chriſti & Sanctae Trinitatis, & contemplatio puro cordis oculo ipſius divinitatis, & aſſidua lectio, ut ita dicam, libri Vitae, id eſt, aeternae veritatis, & ſummae ſapientiae, & verbi Dei; quae eſt Chriſti Jesu viſio: ubi quicquid nos nunc latet, manifeſtum erit: ubi ratio manifeſta erit, cur hic electus eſt, & iſte reprobatus: cur hic in regnum aſſumptus, & ille in ſervitutem redactus: cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juventute, alius in ſenectute: cur alius pauper, & alius dives: cur filius adulterae baptizatur, & aliquando filius legitimae conjugis ante baptiſmum moritur: cur, qui bene incipit vivere, aliquando male finit; &, qui male incipit, ſaepe bene finit. Haec omnia & hujuſmodi multa in libro Vitae plana & aperta omnibus erunt. Hucuſque Auguſtini verba; ad quae olim in epitaphio Cypriani, praeſtantiſſimi theologi, hoc diſticho alluſimus:

Sacrarum ſi quid rerum te forte latebat,
In libro vitae nunc Cypriane legis.

Sunt etiam, qui arbitrantur per hunc ultimum librum Vitae ſignificari creatum quoddam lumen, ab illo increato, Vitali, ac perenni fonte divinae lucis in perpetuum profluens: cujus creati luminis ſplendore perfuſus animus noſter, ſuapte natura caecutiens, & ad contuendam incomprehenſibilem Dei majeſtatem invalidus, hebetudinem caligantium oculorum deponit, & ad ſublimitatem divinae viſionis extollitur: de quo lumine, ac vitali ejuſdem luminis fonte David in Pſalmo cecinit. QUONIAM apud te eſt Fons Vitae, & in lumine tuo videbimus lumen: & Joannes in Apocalypſi, de ſocietate beatorum Deum videntium loquens, NON egebit, inquit, amplius lumine Solis, quia claritas Dei illuminabit illam. Et Chriſtus de eodem lumine addidit: QUI ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen Vitae: quod ſane Vitae lumen juxta horum ſententiam idem eſt, quod liber Vitae.

Phl. 35. 10.
Apoc. 21. 23.
Joan. 12. c

VOLUMEN Libri, Hebraice מגלת ספר Meghilath Sepher, pro quo a ſeptuaginta ponitur κεφαλὶς βιβλίου, hoc eſt Capitulum libri, & a Hieronymo Involutus liber, genus eſt chartae oblongae, circa ſe ipſam in modum ſpirae complica-

(a) Tractatus *de Triplici habitaculo* ex calculo Criticorum non eſt M. P. Auguſtini, ſed *incerti, nec eruditi Authoris*, ut ajunt PP. BB. qui propterea collocarunt eum in Appendice Tom. VI. fol. 639. editionis Antuerpienſis.

Digitized by Google

cabilis, more Orientalium; qui sic convolvunt etiam hac tempestate libros suos: hujusmodi librum, magnis refertum arcanis Ezechiel Propheta sibi in visione ostensum, describit in secundo capite prophetiae suae his verbis: ET VIDI, & ecce manus missa est ad me, in qua erat involutus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris: & scriptae erant in eo lamentationes, & carmen, & vae: & dixit ad me, Fili hominis comede volumen istud, & vade loquere filiis Israël: & aperui os meum, & cibavit me volumine illo... Et comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. Quae verba Rabbi David Kimchi sic exponit: VOLUMEN libri significat scientiam prophetiae, & auctoritatem prophetandi Ezechieli divinitus exhibitam: quae vero in ipso est lamentationum, & lugubrium carminum, & vae conscriptio, notat materiam vaticiniorum lamentabilem, quam Propheta erat populo enunciaturus, nempe justam Dei iram ob scelera Judaeorum, & imminentem divinae justitiae ultionem super urbem sanctam, atque alias totius gentis suae futuras calamitates, usque adeo copiosas, ut cum non potuerint in interiori chartae facie perstringi, necesse fuerit etiam tota exteriori paginae parte extendi. Expansum est autem volumen Coram Ezechiele, ut sciret prophetiae intelligentiam nemini contingere, nisi cui Deus involucrum arcanorum suorum aperuerit. Jussus est etiam prius devorare librum, quam loqueretur ad populum, ut animadverteret non obiter percurrendas sibi propheticas revelationes, sed avide excipiendas, & in ventrem internae meditationis exacte decoquendas prius, quam effundantur. Fuit autem Prophetae volumen in primis dulce, tanquam mel: quia cognitio divinorum judiciorum & ultionum divinarum meditatio, quam impii refugiunt, & exhorrent, justis maximo sunt oblectamento: Laetabitur enim justus, inquit Psalmus, cum viderit vindictam. Sed postquam Propheta volumen ventre digessit, amarum esse sensit, & propter hoc paulo post ipsius devorationem adjecit, ET abii amarus & tristis in indignatione Spiritus mei: quia ubi coepit praedicare, quae cum summa dulcedine didicerat; statim amaritudinem laboris, persecutionis, carceris, denique etiam illatae mortis supplicium in se ipso expertus est. Rabbi Salomon censet in hoc volumine, propter paginae angustiam, non fuisse particulatim descriptas singulas Judaeorum aerumnas, sed tantum tres illas dictiones a Propheta commemoratas, videlicet קנים הגה הי Kinim, Hagha, Hi, hoc est Lamentationes, Mussitatio, Vae: quibus omnia Judaeorum damna compendio comprehensa denotantur. Dicitur autem liber a fronte & a tergo scriptus: quia tam praesentium, quam futurarum calamitatum significationem ejus verba contineant. Hieronymus & Gregorius, mystice hunc locum interpretantes, id volumen esse dicunt librum divinae scripturae; qui quidem idcirco involutus appellatur, quia tanta mysteriorum profunditate obvolvitur, ut nemini liceat ipsum introspicere & intelligere, nisi manus Dei extenta, quae Christus est, illum prius expandat, & expansum explanet. Scriptus est autem intus & foris; hoc est intus per allegoriam & spiritualem intellectum, foris per sensum literae & historiam: intus invisibilia docens, & caelestia promittens, foris visibilia & terrena, quatenus sint vel expetenda vel fugienda, praecipiens. Scripta quoque sunt in eo juxta septuaginta interpretationem θρῆνος, καὶ μέλος, καὶ οὐαὶ, id est, Lamentatio Cantus, & Vae; ac primum Lamentatio, quia in ipso ante omnia poenitentia peccatoribus edicitur: Cantus, sive Carmen, vel Canticum, quia ibi promittitur justis in praemium cantus & exultatio felicitatis aeternae: Vae, quia illic sempiternae damnationis miseria impiis praenunciatur. Opus est item comedere hujusmodi volumen, hoc est veritatis, quae in eo sunt pabula imo corde recondere, & assidua mentis cogitatione tandiu ruminare, quoad cogaris erumpere in illam Davidis vocem, QUAM dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.

Ezec. 2. d

Ezec. 3. a

Apoc. 5. a.

Psal. 97. b

Psal. 118. 103.

VOLUMEN Volans, quod a Zacharia vocatur מגלה עפא Meghila Apha, Aquila & Theodotion verterunt διφθέραν, hoc est Pellem, sive membranam caprinam, instar ejus pellis caprae Amaltheae, in qua poëtae Jovem res humanas scribere fingunt; Symmachus vertit τὴν κεφαλίδα, id est Capitulum, vel summam juxta illud, IN capitulo libri scriptum est de me; Septuaginta transtulerunt δρέπανον πετόμενον, hoc est falcem volantem; Jonathan Libellum volantem; Hiero-

nymus vero Volumen volans vertit. Describitur hujus voluminis visio a Zacha-
Zach. 1. 2 ria Propheta in hunc modum. ET CONVERSUS sum, & levavi oculos meos; & vidi, & ecce volumen volans; & dixit ad me, Quid tu vides? & dixi, Ego video volumen volans: longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum: & dixit ad me, Haec est maledictio, quae egreditur super faciem universae terrae: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendacium; & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus. Haec Zacharias. Erat volumen istud non ex multis chartis compaginatum, ut nostri sunt, sed una tantum membrana oblonga, in se ipsam circumvolubilis; quam notarii nostrates Rotulum vocant: dicitur autem habuisse longitudinem viginti cubitorum, & latitudinem decem cubitorum, quae sunt dimensiones vestibuli templi aequales; quia Prophetae videbatur ipsum volumen de templo egredi. Licet enim, ut Rabbi David Kimki inquit, tum temporis templum illud Salomonis, cujus vestibuli longitudo ad viginti cubitos, latitudo vero ad decem patebat, vastatum prorsus, atque dirutum jaceret: inde tamen servata, quae prius inerat, longitudinis latitudinisque proportione, Zacharias volumen illud egredi videbat: atque hoc illud est quod ait: HAEC est maledictio, quae egreditur, &c.

ERAT autem hoc volumen ex utroque latere tam a tergo, quam a fronte scriptum: in uno latere scripta erat execratio jurantis in haec verba,

כל הגנב מזה כמוה נקה Cal haggoneb mize camoah nikka, id est, Omnis furans ab altero, sicut ipse est, succidetur. In altero latere continebatur maledictio pejerantis hujusmodi,

כל הנשבע מזה כמוה נקה Cal annischa mize camoah nikka: hoc est, Omnis pejerans ab altero, sicut ipse est, succidetur. Cum autem hoc volumen per universam terram volaret, venit ad domus eorum, qui furabantur, & qui mendaciter jurabant: ibique coepit in ipsis aedium penetralibus commorari: nec inde prius emigravit, quam ligna, saxa, & parietes aedium una cum ipsis dominis absumpsit.

JOANNES CHRYSOSTOMUS homilia quinta decima, & vigesima sexta ad populum Antiochenum, juxta Septuaginta editionem legens Falcem volantem, ita hunc locum interpretatur: FALX volans velocissimum ultionis incursum significat, juramenta falsa sequentem. Multorum vero cubitorum latitudo & longitudo vehementiam indicat, & magnitudinem malorum: at ex coelo volare, ex supremo tribunali sententiam ferri. Falcata vero forma inevitabilem supplicii sortem: sicut enim quocunque falx incurrerit, non solum secum arripit, verum & caput amputat, itidem & poena pejerantibus ingruens est difficillima. Lapides vero & ligna domus pejerantis dissolvit, ut ruina ejus aliis correctio fiat: postquam enim pejerantem mortuum terrae condi necesse est; domus dissoluta, & ruina facta praetereuntibus omnibus & cernentibus admonitio erit per aspectum, ne eadem audeant, ac eadem patiantur: vult enim Deus difficillimorum poenas peccatorum continuas permanere, & accusatrices mortui criminis esse perpetuas, ut omnes posthac corrigantur.

PAULUS, episcopus Burgensis, arbitratur per Volumen volans significari impium Thalmudicorum librorum volumen; quod Volans dicitur, quia nullam habeat stabilis fundamenti soliditatem; & Maledictio dicitur propter execrabilem ejus doctrinam: quia vero de templo & doctrina sancta egredi videtur, dicitur habere mensuras longitudinis & latitudinis templo conformes: dissipat autem domos, ad quas pervenit; quia extremam animarum, & corporum cladem tandem hoc maledictum volumen universo Judaeorum generi afferet.

X

XERXES, quem Esdras Artaxerxem vocat, Persarum & Medorum rex, Darii Hystaspis filius scripsit ad Esdram, sacerdotem magnum, epistolam unam de populo Judaeorum, in patriam reducendo, & de templo Hierosolymis instaurando: cujus exemplum legitur primo Esdrae, capite septimo, & tertio Esdrae, cap. 8.

Digitized by Google

cap. 8. & apud Josephum in libro Antiquitatum undecimo, capite quinto. Scripsit item ad Sadaeum, Syriae ac Samariae praefectum, epistolam commendaticiam pro Nehemia, pincerna suo, ad instaurationem templi Hierosolymitani proficiscente. Vide in 2. Esdrae libro, capite secundo, & Josephum in libro Antiquitatum undecimo capite 5.

Z

ZACHARIAE, patris Joannis Baptistae liber, qui ASSUMPTIO dicitur, inter caeteras blasphaemias, ab haereticis confictas, continebat Zachariam, cum incensum in Sancta Sanctorum adoleret, assumptum in mentis excessu vidisse Deum quendam in aditis asinino corpore indutum: quod, cum populo significare vellet, ne is asinum pro numine coleret, repente mutus effectus est, ne, quod viderat, enunciaret. Athanasii Synopsis hoc opus inter scripta detestandae impietatis enumerat.

ZELOTYPIAE Liber ספר קנאת Sepher Kenaoth, hoc est Liber, seu scheda, vel charta Zelotypiae, ea erat, quam sacerdos conjiciebat in poculum redargutionis foeminae de adulterio suspectae, vel ad detegendum ejus occultum crimen, vel dubiam innocentiam defendendam: fuit enim, quemadmodum quartus liber Mosis, & Philon, ac caeteri Judaeorum Rabbini testantur, apud Hebraeos occasio, & ritus conscribendi hunc librum hujusmodi. Cum maritus in vehementem ac justam suspicionem uxoris suae venisset, primo eam admonebat, ut a consortio suspecto abstineret: quod si mulier facere neglexisset, maritus tenebatur abstinere ab ea, donec ipsa purgaretur: interim ascendebat in Hierusalem ad summos Synagogae Judices, atque suspicionis suae causas detegebat: illi vero, dicta die mulieri, ubi comparuisset, admonebant eam, ut rem ipsa secum prudenter expenderet: &, si esset innocens, purgaret se cum fiducia: sin minus; caveret periculum, quod de se factura erat: nec tam pervicaciter ambiret victoriam cum mortis discrimine, sed ingenue culpam suam fateretur: meminisset ante se alias, & illustres foeminas etiam, in eundem errorem ex muliebri fragilitate prolapsas; veluti concubinam Patriarchae Jacob cum Ruben; & Thamar cum Juda. Quae si persuasa peccatum non negabat; dimittebatur vitam deinceps agere solitariam, sine viro, sine dote, & sine ullo honore: si vero in sententia purgandi se ipsam persistebat; tunc foemina lugubri, & pulla veste induebatur, & ab atratis foeminis in templo ducebatur, & ante sacerdotem, non sine deducentium lacrymis sistebatur: sacerdos vero protensa manu mulieri segmen capitis detrahebat, ut judicaretur aperto capite, sine pudoris insignibus, sicuti mos erat in omnibus controversiis capitalibus: deinde accepto libello, seu charta, execrationem ex quarto libro Mosis desumptam, in ea scribebat his verbis: SI NON dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es, deserto mariti thoro, non tibi nocebunt aquae istae amarissimae, in quas maledicta congessi: sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis; DET TE Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & uterus tuus dirumpatur: ingrediantur aquae maledictae in ventrem tuum, & utero putrescente putrescat femur tuum, & tumens uterus tuus dirumpatur. His una cum miserae mulieris nomine in chartula scriptis, legebat ea excelsa voce: & respondente muliere, AMEN, AMEN, sacerdos, tollens urnam fictilem, infundebat in ea aquas quasdam amarissimas; in quas terrae pulverem, è solo templi collectum, miscuerat, & diras & execrationes multas, ac laetales ingesserat: deinde, conjecto libello in urnam, tandiu illum abluebat, quoad literas aqua diluisset: his peractis, aquam porrigebat mulieri bibendam, inquiens: BIBE jam redargutionis poculum, quod incerta occultaque nudabit, ac reteget, mox receptura aut pudicitiae praemium, aut extremam violati conjugii poenam. Illa vero aquam bibebat: &, si calumniam passa fuerat; aqua conceptum, partumque felicem dabat: si autem culpa non carebat; statim, ut ablutionem ejus libelli ebiberat, facies ejus expallescebat, oculi proruebant, venter intumescebat, femur concidebat, dilabebantur genua, & intol-

Philo in libro de specialibus legibus.

Num. 5. c

ferandis cruciatibus dirumpebatur vulva, quam puram servare marito noluerat. Et hic erat miserabilis ejus vitae exitus.

HUNC modum expurgationis, tam in hac, quam in caeteris etiam vehementibus criminum suspectionibus ecclesia Christi postea subtulit: invenitur tamen in actis Concilii provincialis Vuormacienſis canone De expurgandis monachis a suspectione furti in haec verba conscriptus: SAEPE contingit, ut in monasteriis furta perpetrentur; &, qui haec committat, ignoretur: idcirco statuimus, ut, quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse abbas praeceperit, praesentibus fratribus; & sic in ultima missae celebratione pro expurgatione sua, Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant; quatenus inde innocentes se esse ostendant: communicantibus autem Eucharistia tradatur cum his verbis, CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SIT TIBI HODIE IN PROBATIONEM. Haec Concilium Vuormacienſe. Caeterum hic canon abrogatus est decreto Stephani Papae quinti: qui consultus ab Umberto, Moguntino episcopo, utrum parentes, in quorum lecto infantes dormientes mortui reperirentur, indicio candentis ferri, vel ferventis aquae, seu alio consimili experimento ostendere deberent, se filios una secum dormientes non oppressisse, in hunc modum respondit: FERRI candentis, vel aquae ferventis examinatione, sive alia superstitiosa inventione confessionem extorqueri ab aliquo, sacri non concedunt Canones: spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito prae oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare: occulta vero & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.

SECUNDI LIBRI FINIS.

Digitized by Google

FR. SIXTI SENENSIS
E X
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE ARTE EXPONENDI SACRA VOLUMINA
BIBLIOTHECAE SANCTAE,
LIBER TERTIUS.

PRAEFATIO.

DE Scripturis & Scriptoribus ſacroſanctis, deque Scriptis & Scriptoribus, qui in Sacris literis commemorantur, abunde, ut arbitror, a nobis in duobus praecedentibus libris dictum eſt: nunc de his auctoribus, qui divinas Scripturas piis expoſitionum ſuarum ſtudiis illuſtrarunt, dicendum eſt: quod cum ſatis commode fieri nequeat, niſi prius explicentur ars; ratio, & ordo; quibus ipſi expoſitores in expoſitione ſacrorum voluminum uſi ſunt: operaepretium duximus in hoc tertio BIBLIOTHECAE SANCTAE volumine complecti breviter rationem, ac vim totius artis, quam Catholici expoſitores in divinis litteris explicandis ſecuti ſunt: hac enim recte cognita, facilius atque expeditius ea intelligentur, quae de variis ſanctorum expoſitorum explanationibus in quarto hujus Operis libro ſcripturi ſumus.

ARTIS, PER QUAM SACRA SCRIPTURA EXPONITUR, DEFINITIO, ET DIVISIO.

PRIMUM igitur omnium, ut ab artis Definitione exordiamur, Artem exponendi Sacras literas eam dicimus, quae praeceptiones ac regulas docet, ad elucidationem divinae Scripturae neceſſarias. Haec autem tota in tres partes dividitur, hoc eſt, in Definitivam, Inventivam, & Diſpoſitivam. Definitiva ſenſus & expoſitiones Sacrarum literarum enumerat, diſtinguit, ac definit, indicans, quot & quae ſint divinae Scripturae ſenſa, & ejuſdem expoſitionum genera. Inventiva docet definitos jam ſenſus, in abditis Sacrorum voluminum ſermonibus latentes, inquirere, & diligenti inveſtigatione perquiſitos invenire. Diſpoſitiva docet inventos divinae Scripturae ſenſus decenti riteque accommodata explanationis diſpoſitione in lucem emittere, & per varios exponendi modos formulas & methodos aptiſſimo ordine explicare; ut divinorum eloquiorum amplitudo & majeſtas, quoad fieri poteſt, pro rei dignitate nobiliter exprimantur; & Sanctorum voluminum ſtudioſi ad legendas ipſorum pulchre diſpoſitas explanationes reddantur ardentiores. Aggredientes igitur primam hujus artis partem, quae in ſenſuum & expoſitionum definitione verſatur, de ipſis primum ſanctae Scripturae ſenſibus dicamus.

DE DUPLICI SENSU DIVINAE SCRIPTURAE.

DUO ſunt divinae Scripturae ſenſus, Hiſtoricus, & Myſticus. Hiſtoricus eſt, quem rei geſtae narratio, ac verborum ſeries ſub communi, & uſitata vocum,

Digitized by Google

cum, sive propria, sive metaphorica significatione in exteriori literae cortice repraesentat: est enim duplex varietas, vel modus historici sensus, videlicet, proprius, & metaphoricus. Proprius est, quem verba, ac nomina juxta primam nudamque vocis significationem praeseferunt: ut cum per vulpem & lupum, animalia, quae primum his vocibus significantur, intelligimus. Metaphoricus vero, quem voces transumptae, & ad novam significationem translatae significant: vel, quem figurata locutio circumscribit, ut cum in communi locutione voracem aliquem lupi nomine, & astutum quendam vulpis vocabulo designamus: vel, cum in divinis literis Christus dicitur agnus, leo, petra, vitis, vermis, & id genus plura; quae omnia Christo non proprie, sed per similitudinem quandam adscribuntur. Alter vero sensus Mysticus, & Spiritualis, est longe secretior, ac sublimior, qui non omnibus pervius est, sed in intima verborum medulla reconditus latet: non per verba, sed per res ipsas significatus, ut cum per serpentem aeneum, in ligno suspensum, Christus, in crucem sublatus, designatur. Utriusque sensus discrimen docuit
2. Cor. 3. 5. nos Paulus in epistola secunda ad Corinthios, inquiens, Judaeos quotidie legere, & audire lectionem veteris Testamenti juxta literam; sed esse positum velamen super cor eorum, ut non intelligant spiritalem intelligentiam, quae vivificat: &
Rom. 2. 29. ad Romanos scribens, ostendit legem de circumcisione duplicem sensum habere; alterum juxta literam circumcisionem solius carnis significantem, cujus laus est apud homines; alterum juxta spiritum, praecipientem circumcisionem cordis, magnopere a Deo laudatam.

DE DUOBUS SACRARUM EXPOSITIONUM GENERIBUS.

AD HORUM igitur sensuum explicationem duo inventa sunt expositionum genera, Historicum scilicet, ac Mysticum: porro Historica expositio est, quae sensum historicum, sive literalem elucidat; quo quidem saepissime usus est Dominus noster Jesus Christus in enarrandis sanctis scripturis: ex quibus exempli gratia accipere possumus expositionem ejus in legem Mosi de dando libello repu-
Deu. 24. 1 dii; quae in Deuteronomio scribitur, his verbis: SI acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam in oculis ejus propter aliquam foeditatem; scribet libellum repudii, & dabit in manu ejus: & dimittet eam de domo sua. Quam legem cum perperam intelligerent Pharisaei, existimantes Mosem mandasse maritis, ut quacunque de causa uxores infensas dimitterent, & alteram ducerent; Christus eam juxta veram Mosaicae literae sententiam hunc in modum
Mat. 19. 8 declaravit, inquiens: MOSES propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic: dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, moechatur: & qui dimissam duxerit, moechatur: quasi dicere voluisset Servator noster, Vos Judaei genus hominum estis bestiis immitius, & efferatius, sine timore Dei, sine dilectione, ac misericordia: ideo vobis Moses permisit quidem, sed non praecepit repudiare uxores odio habitas, non tanquam aliquod licitum, sed tanquam remedium ad evitationem majoris mali paratum; ne odio, ac desperatione inseparabilis conjugii adducti, ad caedem conjugis verteremini. Semper enim malum fuit ob quancunque causam repudiare uxorem, & alteram accipere, immo contra ipsam naturam matrimonii ab initio generis humani conditam; cu-
Mat. 19. 8 jus lex est, PROPTER hanc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhaerebit uxori suae: & erunt duo in carne una. Haec igitur prima est, & ad primum divinae scripturae sensum pertinens historica expositio.

ALTERUM Expositionis genus, quod mysticum, hoc est arcanum, seclusum, & spiritale dicitur, & ad elucidationem mysticorum sensuum, qui in sancta scriptura clauduntur, necessarium est, tres particulares explanationis species, sive partes complectitur, hoc est, Allegoricam, Tropologicam, & Anagogicam, juxta triplicem praeteriti, praesentis, ac futuri temporis differentiam distinctas. Allegoria praeteritarum in veteri lege umbrarum, ac figurarum praenotiones, & praesagia manifestat. Tropologia, quae in scripturis sanctis gesta, dictaque sunt, ad praesentis vitae moralem institutionem convertit. Anagogia ad futu-

rae

rae beatitudinis, & coeleſtis gloriae ſublimiora myſteria animum ſuſtollit. Tot igitur juxta triplicem temporum partitionem ſunt ſpecies Myſticae explanationis: cujus primam inventionem Porphyrius, Chriſtiani nominis hoſtis, exiſtimavit ab Origene Adamantio profectam: de quo, ut Euſebius refert, ipſe in tertio adverſus Chriſtianos volumine ſcripſit haec verba: ADHAERENT Chriſtiani ſermonibus Judaïcarum ſcripturarum; & ea, quae Moſes agreſti & ſimplici ſermone conſcripſit, divinitus ſancita, & figuris, aenigmatibuſque obtecta eſſe confirmant, atque, ut ingentibus repleta myſteriis, exponunt: cujus expoſitionis genus initium habuit a viro, quem ego, cum adhuc eſſem valde puer, vidi arcam totius eruditionis tenentem. Origenes hic eſt, cujus ingens gloria inter eorum magiſtros habetur. Philo autem Judaeus in libro, cui titulum fecit De vita theoritica, refert hoc genus ſpiritualis interpretationis longe antea uſitariſſimum fuiſſe apud Eſſenos, viros inter Hebraeos religione, & ſanctitate praecipuos; qui ab exoriente diluculo uſque in veſperum conſueverunt dies integros impendere lectioni divinarum ſcripturarum; quas etiam ſummo ſtudio ad ſpirituales, & allegoricos ſenſus traducere conabantur. At nos Chriſtiani multo rectius ac verius credimus Chriſtum Jesum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae Dei, primum auctorem fuiſſe hujus reconditae expoſitionis, primumque omnium oſtendiſſe nobis tam per ſe ipſum, quam per diſcipulos ſuos unamquanque Myſticae elucidationis ſpeciem.

ALLEGORICAM explanationem edocuit, cum loquens ad Judaeos de Joanne Baptiſta dixit: HELIAS quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: dico autem vobis, quia Helias jam venit, & non cognoverunt eum: ſed fecerunt in eum quaecunque voluerunt: ſignificans his verbis, Heliae vitam in veteri teſtamento fuiſſe typum, & umbram vitae Joannis, qui ab exordio novi teſtamenti venit in Spiritu & virtute Heliae. Paulus quoque in epiſtola ad Galathas, explicans allegorice hiſtoriam duorum filiorum Abrahae, ait: SCRIPTUM eſt, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alium de libera: ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem: quae ſunt per Allegoriam dicta: haec enim ſunt duo teſtamenta &c. Mat. 17. b Gal. 4. c

TROPOLOGICA expoſitione uſus eſt redemptor noſter, cum hiſtoriam poenitentiae Ninivitarum, & adventus reginae Auſtri ad Salomonem, ad exprobandos perditiſſimos mores, & obſtinatiſſimam incredulitatem Judaeorum deflexit, inquiens: VIRI Ninivitae ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam; quia in praedicatione Jonae egerunt poenitentiam; & ecce plus quam Jonas eſt hic: regina Auſtri ſurget in judicio cum generatione hac, & condemnabit eam; quia venit a finibus terrae audire ſapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic: & Paulus in epiſtola prima ad Corinthios, Hiſtoriam Hebraeorum, qui in deſerto perierunt, ad mores accommodans, ait: PATRES noſtri, omnes mare tranſierunt; ſed non in omnibus eorum beneplacitum eſt Deo: haec autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt: neque idololatrae efficiamini, ſicut quidam ex illis: quemadmodum ſcriptum eſt, Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: neque fornicemur, ſicut quidam ex his fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia: neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos, fines ſaeculorum devenerunt. ANAGOGICA expoſitione uſus eſt Paulus in epiſtola ad Hebraeos, cum terram illam Palaeſtinorum, patribus repromiſſam, adaptat ad pollicitationem futurae gloriae, inquiens, terram illam tantopere a Patriarchis deſideratam, & tot peregrinationibus exquiſitam, non eſſe praeſentem, viſibilem, terrenam illam regionem Cananaeorum, ſed futuram, inviſibilem, atque coeleſtem patriam meliora habentem fundamenta, cujus Deus eſt artifex, & civitatem Dei viventis, Hieruſalem coeleſtem, multis angelorum millibus frequentem. Tot igitur ſunt ſacrarum expoſitionum ſpecies. Mat. 12. f 1. Cor. 10. a Hebr. 11. c

SCIENDUM eſt autem, non ſolum omnia, quae in ſacris literis reperiuntur, vel per unam, vel per alteram harum expoſitionum aperte explicari poſſe; ſed etiam quam

Digitized by Google

quam saepissime contingere, ut idem locus, ac verba divinae scripturae omnes istas expositiones simul recipiant: cujus rei exemplum aptissimum affert divus Eucherius in libro spiritualium formularum, illustrans quadruplici expositione Aquarum nomen, quod in scripturis sanctis est frequentissimum, his verbis: QUATUOR sunt divinarum Expositionum genera, Historicum, Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum.

HISTORICA expositio est, quae veritatem nobis factorum, ac fidem revelationis inculcat.

TROPOLOGICA, sive moralis expositio est, quae ad vitae emendationem mysticos intellectus refert.

ALLEGORICA expositio est, quae gestorum narrationem futurorum umbram praetulisse demonstrat.

ANAGOGICA expositio est, quae ad sacratiora coelestium figurarum secreta perducit: haec vero ipsa subjectis planius manifestantur exemplis.

AQUA, secundum historiam, elementarem aquam significat, quae terram
Gen. 1. 8 alluit, & interluit, sicut in principio Geneseos: Congregentur aquae in locum unum, & appareat arida.

Psalm. 65. 12. TROPOLOGICE Aqua tribulationes significat. Psalmus, Transivimus per
Esa. 43. 2. aquam, & ignem: & eduxisti nos in refrigerium: & in Esaia, Cum transieris per aquas, tecum ero: & flumina non operient te. Item sapientiam significat, dicen-
Proverb. 18. 4 te Salomone: Aqua profunda verba ex ore viri; & torrens redundans fons sapien-
Proverb. 9. 17. tiae. Item haereses, eodem Salomone scribente, Aquae furtivae dulciores sunt.
Joan. 4. 13. Item prosperitates mundi apud Joannem, dicentem, Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.

ALLEGORICE, Aqua baptismum significat: de quo in Ezechielis volumi-
Ezec. 36. 25. ne legitur, Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus
Apoc. 17. 15. inquinamentis vestris. Item in Apocalypsi Populos; Aquae multae, Populi mul-
Esa. 32. 20. ti: & in Esaia, Beati, qui seminatis super omnes aquas. Item gratiam Spiritus
Joan. 7. 38. Sancti apud Joannem, si quis sitit, veniat, & bibat: & fluent de ventre ejus flumina aquae vivae.

Jer. 2. 17. ANAGOGICE Aqua exponitur de aeterna beatitudine, sicut in Jeremia, Me
Apoc. 7. dereliquerunt fontem aquae vivae: & in Apocalypsi, Deducet eos ad vitae fontes
Psal. 148. aquarum. Item de Angelis in Psalmo canitur, Aquae, quae super coelos sunt, laudent nomen Domini. Haec Eucherius.

SED minime praetermittendum arbitror, quod Augustinus in libro de utilitate credendi ad Honoratum capite tertio haec genera expositionum longe aliter, quam nos, & Eucherius distinximus, partiri videtur, hunc in modum loquens: QUATUOR modi a quibusdam scripturarum tractatoribus traduntur legis exponendae, secundum Historiam, secundum allegoriam, secundum Analogiam, secundum AEtiologiam.

Secundum historiam ergo traditur, cum docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit, quid non gestum, sed tantummodo scriptum, quasi gestum sit. Secundum AEtiologiam, cum ostenditur, quid, qua de causa, vel factum, vel dictum sit. Secundum Analogiam, cum demonstratur, non sibi adversari duo testamenta, vetus scilicet, ac novum. Secundum Allegoriam; cum docetur non ad literam esse accipienda quaedam, quae scripta sunt; sed figurate intelligenda. His omnibus modis Dominus noster Jesus Christus, & Apostoli usi sunt: nam de historia sumptum est, cum objectum esset, quod die Sabbati discipuli ejus spi-
Mat. 12. 2 cas evulsissent. NON legistis, inquit, quod fecit David, & qui cum eo erant?
Marc. 2. 23. Luc. 6. 1. quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis manducavit, quos non licebat ei manducare, neque eis, qui erant cum eo, nisi solis sacerdotibus.

Mat. 19. 8 AD AEtiologiam vero illud pertinet, quod, cum Christus prohibuisset uxorem abjici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus Mosem, libello dato, repudii permisisse licentiam: HOC, inquit, Moses fecit propter duritiam cordis vestri. Hic enim causa reddita est, cur illud a Mose pro tempore bene permissum sit, ut quod Christus praecipiebat, alia jam tempora demonstrare videretur.

AD

Digitized by Google

AD Analogiam pertinet, quod cum Matthaeus narraſſet caedem infantium ab Herode perpetratam, protinus addidit facti hujus cum dictis veteris teſtamenti congruentiam, inquiens: TUNC adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, VOX in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos: & noluit conſolari, quia non ſunt.

AD Allegoriam attinet, quod Paulus dicit ad Galatas: SCRIPTUM eſt, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alium de libera: quae ſunt per allegoriam dicta. Haec Auguſtinus. Gal. 4. 22. 24.

HIERONYMUS vero aliquanto diverſius diſtinguere videtur haec expoſitionum genera. Sic in 12. quaeſtionum ad Hedibiam, ſcribens: TRIPLEX in corde noſtro deſcriptio, & regula ſcripturarum eſt: Prima, ut intelligamus eas juxta Hiſtoriam; Secunda, juxta Tropologiam; Tertia, juxta intelligentiam ſpiritualem.

IN Hiſtoria, eorum, quae ſcripta ſunt, ordo ſervatur.

IN Tropologia, de litera ad majora conſurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factum eſt, juxta moralem interpretamur locum; & ad animae noſtrae emolumenta convertimus.

IN ſpirituali θεωρία, ad ſublimiora tranſimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine, & coeleſtibus diſputamus: ut praeſentis vitae meditatio umbra futurae beatitudinis ſit. Hactenus Hieronymus.

SED ut omnis, quae inter hos Patres videtur eſſe diverſitas, ad concordiam revocetur; noſſe oportet, eos de numero quatuor Expoſitionum nihil inter ſe diſſidere; ſed in ſolo partiendi modo differre: eam enim expoſitionum partitionem, quam Eucherius in quatuor membra diſtribuit, Hieronymus ad tria, Auguſtinus vero (quem nos ſecuti ſumus) ad duo membra reduxit, eo modo, quo in ſubjecta figura apparet.

EUCHERII PARTITIO QUADRIMEMBRIS.

SACRARUM literarum quadruplex eſt expoſitio, videlicet,
- Hiſtorica — Propria, Metaphorica,
- Tropologica,
- Allegorica,
- Anagogica.

HIERONYMI PARTITIO TRIMEMBRIS.

SACRARUM literarum triplex expoſitio, videlicet,
- Hiſtoria,
- Tropologica,
- Spiritualis; quae duplex eſt, videlicet — Allegorica, Anagogica.

AUGUSTINI PARTITIO BIMEMBRIS.

SACRARUM literarum duplex eſt expoſitio, videlicet,
- Hiſtorica — Analogica, AEtiologica.
- Allegorica, quae in libro, De vera religione capite quinquageſimo triplex aſſignatur; quarum
  - Prima, figuras praeteritorum ad praeſentia accommodat; quae ſibi nomen Allegoricae retinuit.
  - Secunda, ad mores, & affectiones animae pertinet; quae dicitur Tropologica.
  - Tertia, ad incommutabilem aeternitatem extollit; quae dicitur Anagogica.

HAEC de duobus Sacrarum expoſitionum generibus dicta ſint: quibus paucula quaedam de neceſſario uſu, & utilitate ipſorum addenda videntur.

DE USU, ET UTILITATE HISTORICAE, AC MYSTICAE EXPOSITIONIS.

HISTORICUM expoſitionis genus in primis ſummopere neceſſarium eſt ad inſtructionem earum rerum, quae nobis credendae ſunt ad fidei confirma-

Digitized by Google

tionem, ac defenſionem; & ad redarguendum eos, qui reſiſtunt veritati; & ad omnes haereſes convincendas: nulla enim expoſitio ad probationem dogmatum inducta vim habet, ac robur, niſi ea, quae vere, pure, & germane, literae ſententiam explicet: nam cum aliae explanationes, ſenſus intra literae medullam abditos rimentur, indeque eos ex quibuſdam rerum ſimilitudinibus extrahere conentur, facile ex ſimilium rerum imaginibus falli poſſunt; praeſertim cum haec ſpiritualium ſenſuum deductio, & elucidatio, cogitatione, diſcurſu, & inquiſitione humani ingenii fiat: quod ſaepe decipitur, & crebro in rebus obſcuris fingere ſolet ea, ad quae animus potiſſimum eſt, vel natura, vel exercitatione propenſior: ſi enim ipſe voluero aſtruere ſacerdotes habere poteſtatem ligandi, ac ſolvendi a peccatis, ex myſtica expoſitione illius ſententiae Chriſti ad Apoſtolos,
Joan. 11. f Solvite eum, & ſinite abire: illico reſpondebit adverſarius, id de ſolutione linteorum, quibus Lazarus erat obvolutus, & non de ſolutione peccatorum dictum eſſe: at, ſi id ipſum oſtendero ex auctoritate, & expoſitione literali ejus ſententiae
Joan. 20. e Chriſti ad Apoſtolos, Accipite Spiritum Sanctum; & quorum remiſeritis peccata, remittentur; & quorum retinebitis, retenta ſunt: protinus acquieſcere, & dictis aſſentiri cogetur. Proinde recte D. Auguſtinus in epiſtola ad Vincentium Danatiſtam, ſic ſcribit: QUIS autem non impudentiſſime nitatur aliquid, in Allegoria poſitum, pro ſe interpretari, niſi habeat & manifeſtiſſima teſtimonia, quorum lumine illuſtrentur obſcura? Hieronymus quoque in ſecundo Commentariorum
Mat. 12. c ſuper Matthaeum, pertractans de fermento abſconſo a muliere in farinae ſatis tribus, poſtquam retulit quorundam expoſitionem applicantium parabolam illam ad trinitatem perſonarum, & unitatem eſſentiae, haec verba ſubjungit: PIUS quidem ſenſus, ſed nunquam parabolae, & dubia aenigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum proficere. Haec ille. Sola igitur literalis ad veritatem fulciendam, & falſitatem deſtruendam valida eſt: quia cum ex prima vocum ſignificatione, vel ex vocibus translaticiis primae ſignificationi conjunctiſſimis hauriatur; caeteris explanationibus patentior eſt, & efficacior (a). Atque hic eſt primus, & maxime neceſſarius expoſitionis hiſtoriae uſus.

SECUNDA ejus utilitas, ac neceſſitas, naſcitur ex ordine ejus ad caeteras myſticas expoſitiones, quibus ipſam, tanquam baſim, ac fundamentum ſtabile totius ſpiritualis aedificii, neceſſe eſt ſubſterni: nam niſi prius ſenſus literae nobis perſpicuus ſit, qui fieri poterit, ut ſpiritualibus elucidationibus ea illuſtremus, quorum nobis verba obſcuriſſima ſunt? Periculum erit etiam, ſi ex non intellectis verbis ſenſum aliquem arcanum exprimere velimus, ne in haereſes varias incidamus: & idem nobis continget, quod multis evenit haereticis, praeſertim Manichaeis: qui cum
Pſalm. 18. ex imperitia linguae Hebraeae non intelligerent literalem ſenſum dicti illius, IN SO-

(a) N. Xyſtus hìc communem certam obviamque tradit normam ad efformanda argumenta, quibus Catholica fides contra heterodoxos firmetur, ne, ſcilicet ex figuris ſymbolisque Divinae Scripturae, quae probabile argumentum faciunt, contendamus Fidei dogmata contra haereticos probare, in quem errorem quamplures Theologos fuiſſe prolapſos nemo eſt, qui ignoret. Certa quidem, & nota eſt Tertulliani regula & ſententia: „ Figura non uſquequaque adaequabitur veritati „: quapropter ad retundendas haereticorum thecnas, & probanda fidei dogmata id potiſſimum adtendere debemus, ut ex litterali dilucido Divini verbi monumento efformemus argumentum, iis omiſſis allegoriis, quae rem aperte non manifeſtant, & faciliter poſſunt ab hoſtibus fidei repudiari. Verum, quod univerſim Polemici docent, non ita coarctandum eſt, ut nullimode ad figuras, allegorias, & cetera id genus monumenta Divini Foederis liceat adpellare; quinimo non ſemel ex iis certum firmari argumentum evidentiſſime conſtat ex PP. qui in Synodis ad eadem adpellarunt: pro qua re ea certa ſtatuitur norma ab iis, qui Theologi, qui Catholici audiunt. Quando namque Veteris Teſtamenti figura ad hiſtoricum factum novi Foederis explicandum ab Agiographis Scriptoribus adſumitur, certiſſime id ipſum probare, & velut prophetiam jam impletam cenſendam fore nemo, eſt qui poſſit inficiari. Sic enim etſi Oſeas litteraliter populum Iſraël de Egypto erutum declaret, dum inquit: „ ex AEgypto vocavi filium meum „, hoc tamen ad denotandum pupulum Jeſum a parentibus de Aegypto reportatum in terram Iſraël Matthaeus *Cap. II.* manifeſtat: „ ut adimpleretur quod dictum eſt a Domino „ per Prophetam: Ex Aegypto vocavi filium meum „. Similiter etſi *Exodi XII.* praeſcribatur agnum Paſchalem non fore dividendum in fruſta, ſed integrum aſſandum, id tamen adimpletum fuiſſe in Chriſto Domino vero immaculato Dei agno pro nobis in cruce immolato, cujus crura non fuerunt confracta, quemadmodum cum latronibus fuit actum, Johannes *Cap. XIX.* declarat: „ Ad Jeſum autem „ cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, „ non fregerunt ejus crura... Facta ſunt enim haec, „ ut ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. „ Et id genus innumera, quae etiam N. Sixtus hìc tradit de Allegoriis agens. Similiter quum ex communi PP. intelligentia & interpretatione divinum aliquod monumentum Veteris Teſtamenti ad explicandum myſterium Novi Foederis uſurpatur, certiſſime tenendum eſt ex Apoſtolica Divina traditione ad nos per eos deveniſſe, quapropter loco firmiſſimi monumenti poteſt adhiberi.

Digitized by Google

SOLE POSUIT TABERNACULUM SUUM; converterunt se ad praesidia Allegoricae expositionis, dicentes, Christum post resurrectionem suam sine carne ad Patrem ascendisse, relicto corpore suo intra ambitum globi solaris: ut a nobis caro ejus in Sole, tanquam in tabernaculo Dominici corporis, adoraretur: cum tamen genuinus, ac proprius ejus literae sensus, & expositio sit, Deum posuisse soli tabernaculum in coelo, ex quo Sol ipse summo mane, tanquam sponsus è cubili, progreditur, ostensurus splendorem vultus sui cunctis mortalibus. Haec igitur sunt Historicae expositionis necessitas & emolumenta.

SED NON MINORES Utilitates continet Mysticum expositionis genus, tam ad fidei integritatem, quam ad morum institutionem longe utilissimum: est enim in primis maxime necessarium ad dignoscendam, conservandam, & explicandam sinceritatem Evangelicae doctrinae; quam necesse est a nobis contaminari, & inquinari Judaïcis institutis, si Scripturas, praesertim veteres juxta nudam literam ubique voluerimus explicare: oportebitque iterum reverti ad priscam illam Judaïcarum caeremoniarum observantiam, rursusque circuncidi cum Judaeis, sacrificare pecudes, comedere agnum, & azima, a cibis immundis abstinere, caeterasque Hebraeorum umbras sectari; quae jam illucescente Evangelica luce evanuerunt. Deinde nullum fere nobis defensionis, aut responsi genus relinquitur adversus hostes legis, & Prophetarum, si objiciant nobis, cur olim dederit Deus tam absurdas leges, amputare praeputii pelliculam, occidere agnum, mactare Vitulum, jugulare hircum, sanguine belluino cuncta foedare, gerere paxillum in baltheo, & egesta humo felium more proprii corporis excrementa contegere. Paucula quoque inveniemus in veteribus historiis, quae animum spiritualiter oblectent, & mentem pascant, si mysticas expositiones negligimus: sed videbuntur nobis omnia insipida, agrestia, insana, & prorsus divina majestate indigna esse, quae Deus praecipit de agno, de ariete, bove, de vacca rufa, de hirco, adipe, armo dextro, jecore, pectore, ventre, caeterisque brutorum intestinis: nihilque grande, nihil sublime, nihil dignum Deo, Deus ipse jubere videbitur, nisi hujuscemodi sacrificia, quae vilia, humilia, & a sapientibus hujus mundi contemnenda videntur, retuleris ad sacrificium Christi, quod factum est pro nobis contemptibile, abjectum, despectum usque ad mortem crucis, foris quidem sordida & vili carnis veste indutum, intus vero grande, altum, magnificum, speciosum prae filiis hominum, quod indignis verbis, vilibusque sacrificiis figurari se patitur. In carnalibus ergo hujusmodi sacrificiis, nisi mysticum sensum, & explanationem, recipiamus, videbuntur magis rationabiles gentilium leges, vel Athoniensium, vel Lacedaemoniorum.

SED NEQUE ad mores formandos in universum prodesse poterunt veteres historiae; si eas juxta nudam literam considerem us: quid enim ad Salutem juvat, scire antiquorum Judaeorum bella, & seditiones; si in eis nihil aliud, quam strages, & effusiones sanguinis intelligamus? quid refert ad pietatem consequendam nosse juxta literam, quod Abraham duas uxores, & filios habuit, Ismaël, & Isaac; quod a lacte depulsus sit puer Isaac; quod in die ablactationis factum sit convivium; quod luserit cum Ismaële; quod Sara indignatur filium ancillae ludere cum filio liberae: ni carnalem historiam ad mysticam intelligentiam retuleris, & una cum Paulo exponas, Abraham habentem duas uxores, significare, Gal. 4. c
Christum habentem duo Testamenta, & duos populos, unum carnalem, & alterum spiritualem, a lacte carnalis Vitae separatum; ludum vero infantiae, persecutionem carnalis populi contra spiritualem: & ob id Saram, id est, novam legem contra Agar veterem legem solum carnaliter sentientem indignari? Quae si hoc pacto mystice exposueris; mirum in modum juvabit historia ad fovendum, & nutriendum in nobis fidei & amoris ignem, & admirandi saporis delectationem afferet gustui nostro.

HIC TAMEN admonendi sunt, qui negotium exponendi sanctas Scripturas assumunt, ut medium in his expositionibus teneat; & extrema, quae semper vitiosa sunt, fugiant: nam sicut minime probandi sunt quidam nostri saeculi expositores, qui spretis mysticis sensibus, tanquam fortuitis cogitationibus, & ad arbitrium excogitatis, dormitanti literae perpetuo assident, & solis mortuis syllabis

Digitized by Google

bis & dictionibus incumbunt, frigidi, ſine ſpiritu, exangues, & exanimes: ita graviter damnandi ſunt inepti quidam noſtrorum temporum expoſitores; qui, rejecta prorſus literali expoſitione, tanquam re leviſſimi momenti, & Grammaticis, ut ajunt, potius, quam Theologis digna, in ſingulis Scripturae locis coactas quaſdam, & inſulſas allegorias protrahunt, vim inferentes divinae Scripturae; &, deſtructa hiſtoriae veritate, ridiculas cogitationes ſuas venditant, tanquam magna, & arcana eccleſiae Sacramenta. Hos ergo amantiſſime obſecro, atque obteſtor, ut conſiderent literalem expoſitionem non eſſe rem uſqueadeo vulgarem, vilem, ac protritam, & omnibus, ut ipſi jactitant, puerorum paedagogis perviam; ſed eſſe expoſitionum omnium difficillimam, ac maxime operoſam, propter inuſitatas & abſtruſas linguae Sanctae proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum, artium videlicet, ſcientiarum, & diſciplinarum omnium, quae ſub hiſtorico Scripturae ſenſu comprehenduntur: teſtes hujus rei ſunt duo clariſſima Latinae eccleſiae lumina Hieronymus, & Auguſtinus: qui non niſi jam natu grandes auſi ſunt admovere manum Hiſtoricae explanationi, poſtquam multos annos in explanationibus myſticis, veluti in ſtudiis facilioribus, conſumpſiſſent: quorum hìc verba ad confirmationem ſententiae noſtrae placet inducere; ut agnoſcant, qui ad Scripturarum expoſitionem accedunt, quanti facienda ſit Hiſtorica explanatio: de qua Hieronymus in Praefatione Commentariorum in Abdiam ſic loquitur:

1.Cor. 13. 11. Phil. 3. 13. Luc. 9. 62. CUM ESSEM parvulus, ut parvulus loquebar, ut parvulus ſapiebam, ut parvulus cogitabam: poſtquam factus ſum vir; quae parvuli erant, depoſui. Si Apoſtolus proficit, & quotidie praeteritorum obliviſcens, in priora ſe extendit, ſecundum praeceptum Domini Salvatoris, ſtivam tenens, poſt tergum non reſpicit: quanto magis ego, qui nec dum ad aetatem perfecti viri, & in menſuram Chriſti veni, mereri debeo veniam, quod in adoleſcentia mea provocatus ardore, & ſtudio Scripturarum, allegorice interpretatus ſum Abdiam Prophetam, cujus hiſtoriam neſciebam? ardebat animus cognitione myſtica: & quia legeram omnia poſſibilia credentibus, ignorabam diverſa eſſe chariſmata: literas ſaeculi noveram; & ob id putabam, me librum legere poſſe ſignatum. Sperabam in ſcriniolis latere, quod ſcripſeram; & ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, cum ſubito de Italia affertur exemplar a quodam juvene tot annis, quot ego quondam ſcripſeram, laudante Opuſculum meum. Fateor, miratus ſum, quod quantumvis aliquis male ſcripſerit, invenit ſimilem Lectorem ſui: ille praedicabat; ego erubeſcebam: ille quaſi myſticos intellectus ferebat ad coelum: ego, demiſſo capite, confiteri meum pudorem prohibebar. Quid igitur, condemnamus, in quo pueri luſimus? minime; ſed libere profiteor, illud fuiſſe puerilis ingenii, & hoc, quod nunc ſcribo, maturae ſenectutis. Haec Hieronymus, cum in extrema ſenectute Commentaria in Abdiam Prophetam juxta literam conſcriberet.

AUGUSTINUS vero teſtatur ſe, cum prius juxta allegoriam facili labore ſcripſiſſet in Geneſim, tentaſſe multo poſt in eundem librum literalem expoſitionem; ſed ſe, laboris magnitudine deterritum ad defeſſum, deſiſtere coactum: ejus haec verba ſunt in primo volumine Retractationum: CUM de Geneſi duos libros contra Manichaeos condidiſſem, quoniam ſecundum allegoricam expoſitionem Scripturae verba tractaveram, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta ad literam exponere, hoc eſt, quemadmodum poſſent ſecundum hiſtoricam proprietatem, quae ibi dicta ſunt, accipi; volui experiri in hoc quoque negotioſiſſimo, ac difficillimo Opere, quid valerem: ſed in Scripturis expendendis tyrocinium meum ſub tanta ſarcinae mole ſuccubuit; & nondum perfecto uno libro, ab eo, quem ſubſtinere non poteram, labore conquievi. Hactenus Auguſtini verba: ex quibus perſpicuum fit, hiſtoricam explanationem non eſſe ab expoſitoribus noſtri ſaeculi negligendam, quaſi ignobilem trivialem & ineruditam; cum ipſa omnes fere myſticas expoſitiones, nobilium ac doctiſſimarum rerum praeſtantia antecellat. Atque haec de quatuor generalibus ac praecipuis divinae Scripturae explanationibus dicta ſint ſatis: reliquum eſt, ut ad alias quaſdam particulares ejuſdem Scripturae explicationes progrediamur.

DE

Digitized by Google

DE TRIBUS PARTICULARIBUS, PARUMQUE USITATIS DIVINAE SCRIPTURAE EXPOSITIONIBUS.

POST illa quatuor potiſſima, & apud omnes expoſitores uſitatiſſima Sacrarum expoſitionum genera, jam a nobis deſcripta, tres etiam reperiuntur particulares divinae Scripturae explanationes, nimirum, Elementaris, Phyſica, & Prophetica: quarum licet apud divinos Interpretes rarus ſit uſus, & ſub jam praedictis communibus generibus quodammodo contineri videantur: tamen, ne quid ad praeſens inſtitutum pertinens, relinquamus intactum, eas, utpote ſcitu non indignas, explicabimus, ab ipſa primum Elementari expoſitione incipientes.

DE ELEMENTARIA EXPOSITIONE.

ELEMENTARIA explanatio, a qua dicti ſunt elementarii expoſitores, ea eſt, quae circa ſignificationem ſimplicium elementorum, ſive literarum verſatur: cum autem literae duo potiſſimum ſignificent; hoc eſt partes ſyllabarum individuas, & Notas numerorum indices, praeſertim apud Graecos & Hebraeos, qui omne numerorum genus per literas repraeſentant; explanatio haec neceſſario in duos explanandi modos dividitur.

DE PRIMO ELEMENTARIAE EXPOSITIONIS MODO.

PRIMUS Modus is eſt, qui ex reſolutione elementorum cujuſque dictionis, & rurſus ex nova diverſaque eorundem elementorum connexione multiplices ſenſus tam hiſtoricos, quam myſticos ex ſcripturis ſanctis deducit: qui quidem modus ſecatur in partes duas, hoc eſt Reſolutoriam, & Componentem. Porro pars prior, in qua ſingulae literae ſingulas dictiones ſignificant, & ſingulae per ſingulas dictiones exponuntur, idcirco Reſolutoria appellatur, quia tota in reſolutione elementorum verſatur; dum literas cujuslibet propoſitae dictionis alteram ab altera divellit, ac ſeparat; & ex unaquaque litera dictiones quaſdam extrahit, ab eadem litera incipientes: quae myſteria in tota illius dictionis medulla recondita patefaciunt. Poſterior, quae compoſitionem tractat, illa eadem ejuſdem dictionis elementa, prius diſſita ac disjuncta, iterum novo ordine tranſponens, & alterum pro altero variata ſede reponens, connectit; & novas conflat ex eis ſyllabas, voces, orationis partes, & ſermonis formulas: quarum auxilio diverſorum ſenſuum intelligentias, & ſecretiſſima arcana reſerantur. Hebraei explanationis hujus inventionem ſibi vendicant aſſerentes eſſe partem Cabalae, hoc eſt ejus Secretioris, & Anagogicae, vel Allegoricae ſapientiae, quam Patres eorum a majoribus per manus traditam paulo poſt tempora Moſis acceperunt. Quod quidem mihi non ſatis compertum eſt: ſiquidem comperio etiam apud veteriſſimos Graecos eandem exponendi peritiam fuiſſe, non ſolum apud Platonem in Cratylo, ubi de nominum etymologia non diſſimilem diſciplinam tractat; ſed etiam apud Eſopum Phrygium, qui longe ante tempora Trojani belli eodem ſaeculo, quo Orpheus, & Linus claruiſſe creditur: is enim, quemadmodum in ejus vita legitur, cum una cum hero ſuo Xantho veteres quorundam aedificiorum ruinas perluſtraret, forte incidit in columnam quandam marmoream; cui ſeptem Graecae literae erant inſculptae, indicantes theſaurum eo in loco, non longe a columna defoſſum: quarum cum Xanthus intelligentiam anxie diſquireret; Aeſopus, inventis dictionibus, quae ab iiſdem characteribus incipiebant, ſcripturam illam, tribus adhibitis expoſitionibus, illuſtravit: erant autem literae hujuſmodi, A. B. Δ. O. E. Θ. X. quas Aeſopus manifeſtans hero ſuo locum theſauri, quem literae deſignabant, ſic primum expoſuit.

Aeſopi lepida, variaque ſeptē literarū interpretatio.

Α, ΑΠΟΒΑΣ, id eſt Abſcedens. Β, βήματα, gradus. Δ, τέτταρα, quatuor. Ο, ὀρύξας, fodiens. Ε, εὑρήσεις, invenies. Θ, θησαυρὸν, theſaurum. Χ, χρυσίν, aureum, hoc eſt, *Abſcedens gradus quatuor, invenies theſaurum aureum*. Cum itaque Xanthus theſaurum effodiſſet, neque partem ullam auri Aeſopo decerneret; mo-

modeſte eum admonuit Aeſopus, ut praecepto columnae inſculpto pareret: quod literae illae continebant hunc in modum,

Α, ΑΝΕΛΟΜΕΝΟΙ, id eſt Tollentes. Β, βαδίσατε, ite. Δ, διέλεσθε, dividite. Ο, ὃν, quem. Ε, εὕρητε, inveniſtis. Θ, θησαυρὸν, theſaurum. Χ, χρυσίου, aureum: hoc eſt, *Tollentes ite, dividite, quem inveniſtis theſaurum aureum*. Quod cum Xanthus facere contemneret, ſoluſque auro potiri vellet; indignatus Aeſopus, comminatus eſt, niſi partem acciperet, ſe alterum ejuſdem ſcripturae mandatum executurum, ita praecipientibus literis.

Α, ΑΠΟΔΟΣ, id eſt Redde. Β, βασιλεῖ, regi. Δ, Διονυσίῳ, Dionyſio. Ο, ὅν, quem. Ε, εὕρις, inveniſti. Θ, θησαυρὸν, theſaurum. Χ, χρυσίου, aureum: hoc eſt, *Redde regi Dionyſio, quem inveniſti theſaurum aureum*. SED UTCUNQUE ſe habeat res, ſive Graeci, ſive Hebraei hunc exponendi morem primi adinveneriut; duae ſunt, ut jam diximus, ipſius partes. Prioris, ſive Reſolutoriae partis, in qua ſingulae literae ſingulas notant dictiones, exempla non pauca extant apud vetuſtos patres; ex quibus Hieronymus in quaeſtionibus ſuper librum tertium Regum examinans verba illa Davidis morientis ad Salomonem. *Habes quoque apud te Semei, filium Gora, filii Gemini de Baurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima*, explicat vim illius execrandae maledictionis, oſtendens convicia, quae Semei congeſſit in Davidem, ex literis, quae ſunt in dictione illa, PESSIMA; quae Hebraice ſcribitur, נמרצת nimrezeth; & his quinque literis conſtant; נ nun, מ mem, ר res, צ zaddi, ת thau.

3. Reg. 2. b

IN נ NUN, ſignificatur נאף Noeph, id eſt Adulter, & alienae uxoris raptor; quia ſe Uriae uxoris adulterio foedaſſet.

IN מ mem, Moabita ſignificatur: qua voce Semei exprobravit ei propriae ſtirpis indignitatem, quam ex ignobili & infideli Moabitarum ſemine duceret.

IN ר res, notatur רוצח Rozeha, id eſt Homicida, & interfector: qui Uriam innoxium dolo malo ſuſtulit, & omne genus regium Saulis trucidavit.

IN צ zaddi, ſignificatur צרוע Zarva, id eſt Leproſus; quia ab omnibus hominibus ex regno ſuo ejiceretur ad ſimilitudinem viri leproſi, quem lex jubebat ex urbibus, & hominum conſortio pelli.

IN ת thau, ſignificatur תועבה Thoheva, id eſt Abominatus non ſolum ab hominibus, ſed a Deo qui eum, tanquam virum impium, prorſus abjeciſſet.

AUGUSTINUS vero in tractatu nono ſuper Joannem, & ante eum Cyprianus in tractatu de Sina, & Sion (a), & poſt utrumque Beda in Commentariis ſuper Joannem, declarantes etymologiam nominis Adam, putant primum hominem ſic appellatum, quia terra illa, ex qua fictus eſt, a Deo ſumpta eſſet ex quatuor mundi cardinibus; qui quatuor literis ejuſdem nominis comprehenduntur: nam A. ἀνατολὴν, id eſt, Orientem; D. δύσιν, id eſt, Occaſum; aliud A. ἄρκτον, id eſt, Septemtrionem; & M. μεσημβρίαν, hoc eſt, Meridiem ſignificat: hanc nominis interpretationem multis antea ſaeculis Sybilla in ſecundo Oraculorum libro his carminibus expreſſerat:

Αἶνος δὴ Θεὸς ἔσθ' ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἄδαμ
Τὸν πρῶτον πλασθέντα, καὶ οὔνομα πληρώσαντα,
Ἀνατολήν τε, δύσιν τε, μεσημβρίαν τε, καὶ ἄρκτον,

quorum hic eſt ſenſus:

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam:
Qui primus fictus eſt, & qui nomine complet,
Ortumque, Occaſumque, Auſtrum, Boreamque rigentem.

AD HANC quoque Reſolutoriae expoſitionis partem referri poteſt interpretatio illarum dictionum, quarum ſingu ae ſingulas integras orationes ſignificant; veluti tres illae dictiones, quas, ut habetur in quinto capite Danielis, prodigioſa illa manus in pariete coram rege Babylonis deſcripſit, ſcilicet, מנה MENE; תקל THEKEL; ופרסין PHARESIN; hoc eſt, NUMERATUM, PONDERATUM, DIVISUM. Has Daniel per tres integras orationes exponens, ſic interpretatus eſt.

Dan. 5. 25. 26. 27. 28.

(a) Liber, ſeu Tractatus de Montibus Sionis, & Sinai, olim ſub nomine Cypriani venditatus; ſpurius eſt, ſuppoſititius, & tanto Viro indignus, utpote qui compoſitus ab infimae notae authore, qui Rabbinorum, & Cabbaliſtarum deliriis fidem adhibebat.

Digitized by Google

eſt. NUMERATUM ſignificat, Numeratum eſt regnum tuum a Deo, & completum eſt. PONDERATUM ſignificat, Ponderatum eſt in ſtatera, & inventum eſt deficiens. DIVISUM ſignificat, Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.

SEQUITUR poſterior pars hujus expoſitionis, ad compoſitionem attinens; quae fit per commutationem, & tranſpoſitionem literarum: hanc apud vetuſtiſſimos Hebraeos fuiſſe in uſu, argumento eſt Jeremiae vaticinium adverſum regem Babylonis 25. cap. prophetiarum ejus deſcriptum: quo loco Propheta, ne aperte irritaret contra ſe regem ipſum, nomen BABEL, commutatis elementis artificioſe transformavit in SESAC, inquiens: ET SESAC calicem irae Dei bibet poſt eos: innuens per vocabulum SESAC, juxta hujus explanationis regulam intelligi oportere nomen BABEL. Eſt autem, ut Hieronymus ibidem refert, explicandi hujus nominis regula, quod ſicut nos Graecum alphabetum ab A uſque ad Ω per ordinem legimus; rurſuſque ad exercendam memoriam puerorum, ſolemus lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere, nectentes A & Ω, & B cum Ψ: ita Hebraei ab א per ב & ג recto ordine procedunt uſque ad ultimam ת, cui penultima eſt ש. Deinde conjungentes ſimul א & ת, ב & ש, cum ad medium alphabeti pervenerint, literae ל occurrit כ: unde fit, quod quemadmodum recto ordine alphabetum percurrentes legimus BABEL, ita permutato ordine legimus SESAC: vocales enim literae inter ל & ב & ב nominis BABEL, & inter literas ק & ש & ש nominis SESAC, juxta idioma linguae Hebraicae non ponuntur. Joannes Picus in Eptaplo ſua luculentiſſimum explanationis hujus exemplum affert, exponens illam primam Geneſeos dictionem, IN PRINCIPIO: quo in loco ſcribit haec verba:

DICTIO illa apud Hebraeos hoc modo ſcribitur, בראשית bereſcit. Ex hac igitur dictione, ſi tertiam literam primae conjungamus, fit dictio אב ab: ſi geminatae primae ſecundam addamus, fit ببר be bar: ſi praeter primam omnes legamus, fit ראשית reſcith: ſi quartam primae, & ultimae connectamus, fit שבת Sciabat: ſi tres primas, quo jacent ordine, ſtatuamus, fit ברא bara: ſi, prima omiſſa, tres ſequentes, fit ראש roſ: ſi, omiſſis prima & ſecunda, duas ſequentes, fit אש es: ſi, tribus primis omiſſis, quartam ultimae copulemus, fit, שת Seth: rurſus ſi ſecundam primae, fit, רב rab: ſi poſt tertiam quintam, tum quartam ſtatuamus, fit, איש iſ: ſi primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit, ברית berith: ſi ultimam primae, fit ultima dictio, quae eſt טב tob, verſo (quod frequentiſſimum eſt apud Hebraeos) ת thau in ט tet elementum. Videamus ergo, quid primum haec Latine ſignificent; tum quae per ea non ignaris, philoſophiae de tota natura myſteria revelentur. Ab, patrem ſignificat; bebar, in filio, & per filium (utrunque enim ſignificat be propoſito) Reſcit, principium; Sciabat, quietem, & finem; Bara, creavit; Ros, caput; Es, ignem; Seth, fundamentum; Rab, magni; Iſch, hominis; Ber, foedere; Tob, bono: & totam ſi ordine conſequenti orationem texamus, erit hujuſmodi: Pater in filio, & per filium, principium & finem, ſive quietem creavit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis, foedere bono: haec tota oratio ex primae illius dictionis reſolutione, & compoſitione diſſultat. Cujus quam altus, quam plenus omni doctrina ſit ſenſus, haud palam eſſe omnibus poteſt: ſed, ut aliqua ſtatim omnibus aperta ſunt, quae per has voces nobis ſignificantur; ita quaedam obſcura ſunt: notum eſt enim omnibus Chriſtianis, quid ſit Patrem in filio, & per filium creaſſe; quid item ſit filium principium eſſe, & finem omnium: eſt enim Alpha, & Omega, ut ſcribit Joannes: & ipſe principium ſe appellavit; & nos demonſtravimus, finem rerum omnium eſſe, ut principio ſuo reſtituantur: caetera paulo obſcuriora, quid illa, ſcilicet, ſibi velint, Caput, ignis, & fundamentum magni hominis; quid illud ſit foedus, & qua ratione bonum dicatur: neque enim ſtatim in promptu omnibus videre hìc explicatam mundorum quatuor, de quibus egimus, omnem rationem, cognationem, item & felicitatem: de quibus poſtremo nos diſputavimus. Primum igitur illud advertendum, vocari a Moſe mundum hominem magnum: nam ſi homo eſt parvus mundus: utique mundus eſt magnus homo: hinc ſumpta occaſione, tres mundos, intellectualem, coeleſtem, & corrupti-

Digitized by Google

ptibilem per tres hominis partes aptiſſime figurat, ſimul indicans hac figura non ſolum contineri in homine mundos omnes; ſed & quae hominis pars cui mundo reſpondeat, breviter declarans. Cogitemus igitur in homine tres partes, ſupremam caput; tum, quae a collo ad umbilicum protenditur; tertiam, quae ab umbilico extenditur ad pedes: ſunt enim & hae in hominis figura varietate quadam diſcluſae, & ſeparatae. Sed mirum, quam pulchre, quam examuſſim per exactiſſimam rationem tribus mundi partibus proportione reſpondeant. Eſt in capite cerebrum fons cognitionis: eſt in pectore cor fons motus vitae, & caloris: ſunt in parte poſtrema, genitalia membra, principium generationis: itidem autem & in mundo, ſuprema pars, quae eſt mundus angelicus, ſive intellectualis, eſt fons cognitionis: quia facta illa natura ad intelligendum eſt, pars media, quae eſt coelum principium vitae motus, & caloris; in qua Sol, uti cor in pectore, dominatur: eſt infra Lunam (quod omnibus notum) generationis principium, & corruptionis. Videtis, quam apte omnes hae mundi partes, & hominis invicem congruant. Deſignavit autem Moſes primam quidem nomine proprio capitis ſcilicet: ſecundam autem ignem appellavit, & quia hoc nomine a multis coelum cenſetur, & quia in nobis haec portio principium eſt caloris: tertiam vocavit fundamentum; quia per eam, ut notum omnibus, totum hominis corpus fundatur, & ſuſtinetur: adjecit autem, quod haec creavit foedere bono; quia inter eas foedus pacis & amicitiae ex naturarum cognatione, & mutuo conſenſu per ſapientiae Dei legem ſancitum eſt: quod foedus ideo eſt bonum; quia ad Deum, qui eſt ipſum bonum, ita dirigitur, & ordinatur: ut quemadmodum inter ſe totus mundus eſt unus, ita & cum ſuo auctore poſtremo ſit unum. Imitemur & nos ſanctiſſimum foedus mundi; ut & mutua charitate invicem ſimus unum, & ſimul omnes per veram Dei dilectionem cum illo unum feliciter evadamus. Haec Picus.

* CAETERUM, ſi haec tibi pauca videntur, & utriuſque partis exemplum ſimul connexum videre deſideras, habes divum Hieronymum in epiſtola ad Paulam Urbicam, & in praefatione commentariorum in Threnos: quibus in locis tradens quaedam, veluti prima hujus artis rudimenta, in primis ſingula alphabeti Hebraici elementa ſeparatim interpretatur: deinde oſtendit, quae Myſteria in ſingulis ipſorum combinationibus contineantur: cujus verba, ut tibi amice lector morem geram, hìc ſubnectere non gravabor: ſunt autem haec: VERUM jam complendum eſt, quod petiiſti, ut ſenſum uniuſcujuſque elementi interpretatio annexa ſignificet. Aleph, doctrina interpretatur; Beth, domus; Ghimel, plenitudo; Daleth, tabularium; He, iſta; Vau, &; Zain, haec; Heth, vita; Teth, bonum; Jod, principium; Caph, manus; Lamed, diſciplinae, ſive cordis; Mem, ex ipſis; Nun, ſempiternum; Samech, adjutorium; Hain, fons, ſive oculus; Phe, os, ab ore, non ab oſſe dictum intellige, ne literarum ambiguitate fallaris; Zaddi, juſtitia; Coph, vocatio; Res, capitis; Scin, dentium; Thau, ſigna: poſt interpretationem elementorum, intelligentiae ordo dicendus eſt: fiunt enim ex his literis ſeptem connexiones.

QUARUM PRIMA eſt Aleph, Beth, Ghimel, Daleth, doctrina, domus; plenitudo tabularum; quod videlicet doctrina Eccleſiae, quae domus Dei eſt, in librorum reperiatur plenitudine divinorum.

SECUNDA connexio eſt He, Vau, Zain, Heth, iſta & haec vita: quae enim alia poteſt eſſe vita ſine ſcientia ſcripturarum? per quam etiam ipſe Chriſtus agnoicitur, qui eſt vita credentium.

TERTIA connexio habet Teth, Jod, bonum principium: quia quamvis non ſciamus univerſa, quae ſcripta ſunt: tamen ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; & nunc per ſpeculum in aenigmate videmus: cum autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles angelis fuerimus; tunc librorum doctrina ceſſabit, & tunc videbimus a facie ad faciem bonum principium, ſicuti eſt.

QUARTA connexio eſt Caph, Lamed: manus diſciplinae ſive cordis: manus intelliguntur in opere, cor & diſciplina intelliguntur in opere, cor & diſciplina intelliguntur in ſenſu: quia nihil facere poſſumus, niſi prius, quae facienda ſunt, ſcierimus.

QUINTA connexio eſt Mem, Nun, Samech, ex ipſis ſempiternum adjutorium:

Digitized by Google

rium: hoc explanatione non indiget, ſed omni luce manifeſtius eſt, ex ſcripturis in aeterna ſubſidia miniſtrari.

SEXTA connexio habet Hain, Phe, Zaddi, fons, ſive oculus oris juſtitiae, ſecundum illud, quod in quarto numero expoſuimus.

SEPTIMA connexio eſt (quae & extrema, quo in ipſo quoque ſeptenario numero ſit myſticus intellectus) Coph, Res, Scin, Thau, Vocatio capitis, dentium ſigna: per dentes articulata vox promitur, & in his ſignis ad caput omnium, qui eſt Chriſtus, pervenitur, per quem venitur ad regnum ſempiternum. Haec Hieronymus.

SUNT literae, ϒ quoque apud Graecos, ut videlicet Θ, Τ, Α, Ω: quaſticat: ϒ Iſidorus tradit, quinque myſticarum prima humanam vitam ſignihanc Pythagoras Samius ad exemplum humanae vitae primus formavit: cujus virgula inferior primam aetatem demonſtrat, incertam quippe, & quae adhuc ſe nec vitiis, nec virtutibus dedit: bivium autem, quod ſupereſt, ab adoleſcentia incipit: cujus dextra pars ardua eſt, ſed ad beatam vitam tendens; ſiniſtra facilior, ſed ad labem interitumque deducens: de qua litera vetuſtiſſimus quidam poëta, ut Lactantius in libro ſexto capite tertio teſtatur, ſic ſcripſit:

Littera Pythagorae, diſcrimine ſecta bicorni,
Humanae vitae ſpeciem praeferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert,
Sed requiem praebet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata: ſed ultima meta
Praecipitat captos, voluitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
Atqui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores.
Turpis, inops ſimul, miſerabile tranſigit aevum.

SECUNDA eſt Θ thita, quae mortem ſignificat: nam judices eandem literam apponebant ad horum nomina, quos ſupplicio afficiebant: & dicta eſt Θ thita ἀπὸ τῦ θανάτου, id eſt a morte: unde & habet per medium telum, id eſt mortis ſignum: de qua poëta quidam ſic ait:

O multum ante alias infelix littera Thita.

TERTIA T, figuram demonſtrat dominicae crucis: unde Hebraice ſignum interpretatur: de qua dictum eſt in Ezechiele: SIGNA Thau in fronte gementium, & dolentium: reliquas vero duas α, & ω ſummam, & ultimam ſibi vendicat Chriſtus: ipſe eſt enim principium, & finis dicens: EGO SUM α, & ω: concurrentibus enim in ſe invicem his duabus litteris, α ad ω uſque devolvitur, & rurſum α ad ω replicatur: ut oſtenderet in ſe Dominus & initii decurſum ad finem, & finis recurſum ad initium. His literis Juſtinus philoſophus, & martyr etiam X. addit, cujus forma ipſe in ſecunda ad Antoninum Pium Apologia affirmat myſterium ſacratiſſimae crucis Chriſti contineri, Platonem ejus rei teſtem advocans; qui in Timaeo de filio Dei diſſerens, inquit, Deum in mundo filium ſuum inſtar X literae poſuiſſe. Praetereo brevitatis cauſa, quod M. Tullius A ſalutarem literam appellet, quia nota eſſet abſolutionis: C vero infauſtam, quia condemnationis ſignum foret. Ezec. 9. a

SUNT, qui univerſum hoc expoſitionis genus explodant, tanquam rem ludicram ac fortuitam: & rurſus alii, qui illud ſuperſtitioſe admirentur, & uſque in coelum tollant, quarum opinionum extremitatem ipſe non approbans, arbitror primum non omnino inventionem hujuſmodi fore contemnendam; tum quia magnos, ut jam oſtendi, habeat haec ſententia auctores; tum quod multa ſint in ſacris literis, quae ſine ea myſtice explicari non poſſint: veluti Sacra quaedam poëmata, quae ideo dicuntur Alphabetaria, quod juxta alphabeticorum elementorum ordinem diſpoſita ſint: ut Davidis Pſalmi ſeptem, Mitropedia Lamuelis regis, ac Threni Jeremiae: quae quidem Hieronymus exiſtimat non fruſtra, nec ſine ingentibus myſteriis, & Eccleſiae Sacramentis in hunc ordinem literarum digeſta.

Digitized by Google

gesta. Ad haec, & alia quaedam de nonnullis particularibus, tam Hebraeis, quam Graecis literis, quales sunt apud Ezechielem ת Thau, litera Hebraica signata in frontibus servandorum, & de Α Alpha & Ω Omega Graecis characteribus in Apocalypsi Joannis.

Ezec. 9. c
Apoc. 1. b

VERUM ut eos non damno, qui moderate & apte haec suis locis interdum accommodant: ita eos non laudo, qui eadem nimis anxie, & inutili ac prorsus inani labore prosequuntur; cum me non praetereat ex hoc fonte emanasse prodigiosam Valentinorum, & Gnosticorum insaniam: qui, ut Irenaeus, & Epiphanius uterque in primo adversus haereses libro ostendunt, omnem divinam scripturam juxta hanc elementorum discussionem examinantes, inaudita novarum haereseon portenta invulgarunt. Atque haec de primo hujus explanationis modo dicta sint satis.

Valentinorum, & Gnosticorum insaniae origo.

DE SECUNDO ELEMENTARIAE EXPLANATIONIS MODO.

SECUNDUS elementariae explanationis modus, quem Arithmeticum dicere possumus, laborat in investigandis significationibus numerorum, quos literae, in dictionibus & syllabis positae, repraesentant: qui quidem modus ut apud nos pene incognitus est, ita apud Graecos, & apud Hebraeos hac potissimum ratione usitatus est; quod ipsorum literae singulae numerum aliquem significent: siquidem Hebraeis א Aleph unum significat, ב beth duo, ג ghimel tres, ד daleth quatuor, & sic deinceps singula elementa alphabeti Hebraici aliquem numerum indicant. Graecis quoque α unum repraesentat, β duo, γ tres, δ quatuor, &c. quae sequuntur: apud Latinos vero non ita est: quibus tantum septem sunt literae numerorum indices, idest C, D, I, L, M, V, X: quarum I unitatem significat, V quinarium numerum, X denarium, L quinquagesimum, C Centesimum, D quingentesimum, M millesimum & ideo Latini hunc explanationis modum, tanquam Latinis literis ineptum negligunt; quem Judaeis, & Graecis olim fuisse usitatum ostendunt pervulgatae quaedam utriusque gentis expositiones: de quarum numero extat apud Graecos explicatio illa Appionis Grammatici Alexandrini, qui a Tiberio Augusto Cymbalum mundi est appellatus: is, cum exponeret primam illam dictionem Homericae Iliados, μῆνιν dicere solebat Homerum artificiose a syllaba μυ librum suum inchoasse, nimirum ut his duabus literis comprehenderet totum numerum octo & quadraginta voluminum, quibus absolvitur universum corpus Iliados, & Odisseae a se editum: numerum enim octo & quadraginta per μ & υ Graeci designant.

SUNT ET APUD Hebraeos innumerabiles hujusmodi explanationes, ex disciplina kabalistica profectae, per quas multa in sacris dictionibus abdita mysteria aperiuntur: ut, exempli gratia, in nomine illo Dei, quod apud ipsos est ineffabile, & quatuor hisce literis scribitur יהוה JEHOVA, dicunt tres contineri numeros, hoc est Denarium in litera י Jod, Senarium in litera ו Vau, & duplicem quinarium in duobus ה he: quibus etiam numeris ajunt significari infinitam & admirabilem divinarum virtutum copiam: propterea quod Denarius totius scientiae & sapientiae plenitudinem, Senarius vero virtutem universarum rerum, ac totius boni procreatricem suapte natura designant; quemadmodum Philo Judaeus satis docte ostendit in explanationibus Hexaëmeron, & Decalogi; cujus verba brevitatis gratia omitto.

AFFERT etiam hujus expositionis insigne exemplum Petrus Brutus, episcopus Catarensis, in suo adversus Judaeos volumine: in cujus quarto capite edisserens vaticinium illud Esaiae de Messia, *Multiplicabitur imperium ejus*, quaerit, cur litera ם mem posita in medio dictionis למרבה Lemarbe, id est Multiplicabitur, clausa sit praeter naturam suam; cum nunquam in tota divina scriptura in medio dictionis reperiatur clausa, sed semper aperta? Respondet autem ex sententia Rabbi Hammay in libro Sanedrin, quod Esaias voluit per hanc literam ם Mem clausam significare occulto quodam supputationis artificio numerum annorum a tempore suo usque ad tempus Messiae: quam quidem supputationem idem Rabbi Hammay mox citato loco sic digessit, inquiens: SI QUIS tempus Messiae scire vo-

Digitized by Google

voluerit, accipiat numerum literae Thau, qui eſt 400. deinde ſumat numeros ſingulos ſingularum literarum ab ℵ aleph uſque ad ם mem clauſum, quarum ſumma eſt 185. & conjungat eam cum numero 400. habebit annos 585. qui ſecundum ſupputationem Hebraeorum complent ſpacium totius temporis a diebus Eſaiae uſque ad adventum Meſſiae Salvatoris noſtri. Quae verba dilucidiora evadent conſideratis ſignificationibus cujuſque literae Hebraicae, quae hae ſunt. Aleph unum ſignificat, Beth duo, Ghimel tria, Daleth quatuor, He quinque, Vau ſex, Zain ſeptem, Cheth octo, Teth novem, Jod decem, Caph viginti, Lamed triginta, Mem apertum quadraginta unum, Mem clauſum quadraginta, &c. Thau vero ſignificat quatuorcentum. Huc quoque pertinet quod Auguſtinus tractatu in Joannem decimo, exponens illud ex Evangelio Joannis, *Quadraginta & ſex annis aedificatum eſt templum hoc*, dixit, Numerum quadraginta ſex annorum aedificationis templi ſignificare aedificationem templi corporei, quod ſibi Chriſtus aedificavit ex carne Adae; cujus nomen ΑΔΑΜ apud Graecos componitur ex literis, numerum quadraginta ſex comprehendentibus: ſiquidem Α unum ſignificat, Δ quatuor, Α unum, Μ quadraginta: qui numeri ſimul juncti faciunt quadraginta ſex: tot enim diebus Chriſti Corpus in utero Mariae abſolutum eſt.

VIDETUR autem mihi non eſſe hanc explanationis formam omnino aſpernandam, propter locos aliquos divinae ſcripturae; qui ſine quadam obſervatione numeralium elementorum commode explicari nequeunt: inter hos maxime inſignis eſt locus ex tertiodecimo capite Apocalypſeos, cujus arithmeticas literas diligenter nos conſiderare & ſupputare jubet Spiritus Sanctus his verbis: *ὧδε ἡ σοφία ἐστίν· ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστί· καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ* ΕΞΑΚΟΣΙΟΙ ΕΞΗΚΟΝΤΑ ΕΞ: id eſt: *Hic ſapientia eſt: qui habet intellectum, computet numerum beſtiae, numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex*: quibus verbis admonet Spiritus Sanctus nomen, quo ſe iniquus ille Antichriſtus appellabit, componi ex literis numeralibus ſignificantibus numerum 666. de quibus arithmeticis literis, & nomine ex eis reſultante, varia a patribus ad exercitationem ingenii magis, quam ad aſſertionis ſtabilitatem, dicta ſunt; quorum aliqua hìc ſubnectere placet. Apoc. 13. d

Nomen Antichriſti ſecundum Irenaeum, & Hippolytum eſt TEITAN: id eſt Gigas: notae vero numerales, ex quibus deducitur, hoc nomen hae ſunt:

Τ	300
Ε	5
Ι	10
Τ	300
Α	1
Ν	50
Summa	666.

Secundum Aretham nomen ejus ΑΑΤΕΙΝΟΣ, id eſt Latinus: literae vero numerales hae ſunt:

Α	30
Α	1
Τ	300
Ε	5
Ι	10
Ν	50
Ο	70
Σ	200
Summa	666.

Secundum Ticonium nomen ejus eſt ΑΜΠΕΤΙΣ, id eſt illuſtris: literae vero numerales hae ſunt.

Α	30
Α	1
Μ	40
Π	80
Ε	5
Τ	300
Ι	10
Σ	200
Summa	666.

Secundum Primaſium eſt ΑΝΤΕΜΟΣ, elementa autem numerorum haec ſunt:

Α	1
Ν	50
Τ	300
Ε	5
Μ	40
Ο	70
Σ	200
Summa	666.

Digitized by Google

ATQUE hæc de elementaria explanatione prolixius fortaſſe, quam oportuit, recitavimus; ut rem inuſitatam, & paucis notam latius explicaremus.

DE PHYSICA EXPOSITIONE.

PHYSICA, id eſt, Naturalis expoſitio eſt, quae myſticos divinae Scripturae ſermones transfert ad naturae univerſitatem, ſive ad totius naturae vires & opera, hoc eſt, ad materiam, formam, parteſque hujus mundi ſenſibilis, inquirens in divinis eloquiis motum, ordinem, & ornatum ſphaerarum coeleſtium, qualitates elementorum, proprietates metallorum, virtutes plantarum, & animantium mores. Hanc quidem exponendi viam ingreſſi ſunt, praecipue apud Hebraeos inſignes quidam Exodi & Levitici expoſitores, qui omnium pene rerum naturas, in interpretatione horum voluminum explicarunt, differentes, quo modo Moſes ſecundum triplicis mundi convenientiam, & univerſam rerum naturam, arcam, tabernaculum, vaſa, veſtes, ritus, ſacrificia, & reliqua myſteria ad Deum, & virtutes coeleſtes placandas, & ad expiandum hominem horum imaginem ordinavit. Hujus explanationis exemplum ex Philone, Joſepho, Clemente Alexandrino, & Hieronymo ſuper Moſis tabernaculo collectum, hoc eſt.

Exemplum phyſicae expoſitionis in Tabernaculum a Moſe deſcriptum Exodi capite vigeſimo ſexto, & vigeſimo ſeptimo.

SI QUIS tabernaculi Moſaici fabricam, & quae in eo ſunt, contempletur, & ſingula non otioſe, ſed prudenter conſideret; comperiet Moſem, divinum virum, in his omnibus repraeſentaſſe quodammodo totius univerſi naturam: oportebat enim, ut, qui tabernaculum manufactum Deo, totius orbis auctori, condere inſtituerat, ſimilitudinem earum rerum ſumeret, ex quibus mundus a Deo conditus eſt. Primum igitur omnium ob hanc cauſam partitus eſt admirabilem tabernaculi ſui ſtructuram in partes tres, nempe, in Veſtibulum, Aulam, & Penetrale; ſive in Atrium, Aulam, & Adyta; quae nobis univerſitatem divini opificii repraeſentarent in tres partes, ſive in tres mundos diſtinctam; hoc eſt, in mundum hunc ſublunarem, quem nos incolimus, in proximum huic coeleſtem mundum, & in ſupremum omnium ultra mundanum mundum; quem Theologi angelicum, Philoſophi intellectualem vocant, a nemine ſatis, ut Plato inquit, pro dignitate decantatum.

PRIMA igitur tabernaculi pars, Atrium ac Veſtibulum appellata, ſimulacrum praeſeferebat hujus ſublunaris mundi; ad cujus ſimilitudinem ſub dio poſita erat, nullo defenſa tecto vel umbraculo, ſed imbribus, Soli, calori, & frigori ſemper obvia: verſabanturque in ea promiſcue non modo homines mundi & immundi, ſacri, & prophani, ſed & omnifarii generis animalia: eratque in ea ob ſacrificia, jugeſque immolationes, perpetua vitae & mortis viciſſitudo.

SECUNDA pars, ſive Aula, quae Sancta dicebatur, medium inter veſtibulum & penetrale locum occupans, totaque auri ſplendore fulgens, mundum coeleſtem inter ſupercoeleſtem, & ſubcoeleſtem mundum collocatum figurabat: erat enim in ejus auſtrali plaga candelabrum aureum, ſeptem ardentibus lucernis diſtinctum: quae ſeptem ſignificant errantium luminarium motus: nam Sol, Lunaque cum caeteris Planetis, longe a Septentrionalibus regionibus deflectentes, magis obverſantur Auſtralibus mundi partibus: inter has autem lucernas ea, quae mediam candelabri ſummitatem obtinet, tres ab utroque latere lucernas habens, ſolaris aſtri ſimilitudinem refert. Sol enim quartum a ſummo pariter atque infimo coelo orbem poſſidens, & inter alia ſex errantia ſidera medius ſplendens, muſicum illud ac vere divinum coeleſtium ſphaerarum organum temperat.

TERTIA vero tabernaculi pars omnium ſacratiſſima ac ſecretiſſima, quae Penetrale, Adytum, & Sancta ſanctorum vocabatur, figuram exprimebat ſupercoeleſtis & angelici mundi, qui angelorum, Deique optimi eſt habitaculum: ut enim ſecretum illud Moſaici tabernaculi adytum mortalibus erat inviſibile & inaceſſum, neque ullus in id ingredi poterat, niſi ſummus Pontifex, qui nomen

il-

Digitized by Google

illud ineffabile tetragrammaton JEHOVA in fronte geſtaret: ita in illum ſupercoeleſtem ac divinum mundum nemini fas eſt ingredi, &, quae in eo inviſibilia & incomprehenſibilia ſunt, introſpicere, & animo exacte comprehendere, niſi illi ſoli, quem adumbrabat ſummus ſacrarum rerum Antiſtes, praeferens in fronte indicibile nomen JEHOVA, quod exponitur, Qui eſt, quique futurus eſt, & eſſe facit. Hic autem eſt ſupremus rerum omnium moderator Deus, ſolus ipſe geſtans ineffabile nomen JEHOVA, hoc eſt, Semper exiſtens, & eſſendi vim caeteris tribuens, ſoluſque incomprehenſibilia ſupercoeleſtis mundi eadem, qua ſe ipſum comprehendit, ſapientia pleniſſime complectens. Arca etiam, quae in adytis tabernaculi occultabatur, divinam erga mundum providentiam & gubernationem ſignificabat: ſicut enim arca deſtinata fuerat ſervandis tabulis divinae legis, & virgae Aaronis, & mannae; ita in divinae providentiae promptuariis continentur omnes ſapientiae leges, quibus tota creaturarum univerſitas gubernatur, virga, & ſceptrum rectricis poteſtatis, qua regitur; & manna liberaliſſimae largitatis, qua vivificatur, & paſcitur. Cherubim vero arcam alarum flexibus ambientia, coeleſtes illas mentes, ac beatos illos Spiritus denotant, qui divinam majeſtatem promptiſſimae celeritatis obſequiis, veluti alato ac veloci miniſterio, ambiunt, ac ſtipant.

DE PROPHETICA EXPOSITIONE.

PROPHETICA expoſitio eſt, quae nullo humano ingenio excogitata, ſed ſolo divini Spiritus afflatu revelata, Scripturas ſanctas ad praedictionem futurarum rerum certa & immobili veritate convertit, referens Prophetarum oracula, vaticinia, viſiones, prophetias, & typicas eorum actiones, quae in Sacris literis continentur ad futuras temporum mutationes, & ſaeculorum revolutiones, ad regnorum viciſſitudines, ad gentium, populorum, urbium adverſitates, bella, clades, ruinas, victorias, inſtaurationes, felicitates, atque alia his ſimilia, quae divina providentia, vel ita exigentibus mortalium meritis, vel occulto, ſed tamen juſto judicio ſuo, in poſterum fieri decrevit.

EST AUTEM duplex hujus expoſitionis modus: quorum unus quaedam nondum impleta, vel nondum intellecta veterum Prophetarum vaticinia, divino illuſtrante lumine, referat, oſtendens, & veluti digito certiſſime demonſtrans loca, perſonas, ac tempora, in quibus jamdudum praenunciata, ſed nondum intellecta, oracula compleantur. Alter autem modus antiquas vatum praedictiones, multis jam ſaeculis impletas & agnitas, iterum futuris temporibus adimplendas fore denunciat: ſiquidem multae ſunt in divinis literis prophetiae, quae varios & multiplices habent, tam hiſtoricos, quam typicos ſenſus, ſed unum tamen caeteris eminentiorem, atque primarium, magiſque proprium; in quem ſcilicet vaticinantis animus primo contuitu ferebatur, & in quem praecipue mentis aciem Propheta dirigebat. Cum ergo aliquae ex his prophetiis juxta primarium ſenſum expletae fuerint; rurſus eaſdem juxta alios ſecundarios ſenſus, vel hiſtoricos, vel typicos reimplendas fore divini quidam expoſitores tradiderunt, afferentes pro exemplo oraculum illud ex ſecundo libro Regum, quod Deus pollicitus eſt ſe in Salomone impleturum: EGO ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium: quod Paulus, ad Hebraeos ſcribens, affirmat denuo conſummatum eſſe in Chriſto: itemque illud Jeremiae vaticinium, Vox in Rhama audita eſt; ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios ſuos: & noluit conſolari, quia non ſunt: quod cum Propheta de filiis Israël in captivitatem Babylonicam abducendis protuliſſet, Matthaeus ſecundum alterius intelligentiae veritatem ad interfectionem tranſtulit parvulorum: itemque alii rurſus juxta alium ſenſum impletionem ejuſdem vaticinii factam dixerunt in ultimo urbis ſanctae excidio; cum per viam, in qua Rachel prope Bethlehem condita eſt, infinita captivorum Judaeorum millia Romam directa ſunt.

2. Reg. 7. e
Hebr. 1. b
Jerem. 31. e
Matt. 2. 18.

EXCELLUERUNT in utraque hujus explanationis parte Melito Sardenſis (a), Me-

(a) Etſi Melito Sardenſis Epiſcopus in Allegorica expoſitione valde ſit ſuſpiciendus, ceu qui commentarios in Apocalypſin praecipue dederit, ut Euſebius refert: cave tamen ne inter ejus opera ea adnumeres excerpta, quae in Catena Graecorum PP. in Geneſim (ad quae ex facto Rachelis videtur N. Xyſtus re-

Digitized by Google

Methodius Martyr (a), Proclus archiepiscopus Constantinopolitanus, Joachim abbas Florensis (b), & alii: ex quibus maxime in prima parte eximius fuit Proclus; qui, ut Socrates in septimo historiae testatur, cum Scythae, duce Ruga, adversus Romanum imperium arma sumpsissent, edidit coram Theodosio Augusto, atque ejus exercitu prophetícam orationem: in qua exponens prophetiam illam ex libro Ezechielis, *Fili hominis vaticinare contra Gog & Magog*, sic ad instantis belli occasionem Prophetae verba deflexit, ut poenas omnes, ab Ezechiele descriptas, barbaris imminere praedixerit. Cui praedictioni Deus paulo post felicem exitum dedit, igne coelitus demisso, & praecipuis barbarorum incendio absumptis. Alteram hujus expositionis partem non longe a temporibus nostris professus est Hieronymus Savonarola, vir ardentissimi spiritus, in expositione publica Prophetarum, praesertim Amos, Zachariae, & Ezechielis; quorum jam expleta vaticinia, iterum temporibus suis implenda praenunciavit: is quantum hac in parte valuerit, alii videant: ipse alienum servum, & juxta Pauli sententiam, domino suo stantem, non temere ausim judicare. Hactenus de Sacrarum expositionum, tum universalibus, tum particularibus generibus, ad primam hujus artis partem pertinentibus, dictum sit: nunc ad secundam ejusdem artis partem transeundum est.

Ezec. 38. 2

DE SECUNDA ARTIS EXPOSITORIAE PARTE, SIVE DE INVENTIONE.

DE prima hujus Sacrae artis interpretativae parte, quam Definitivam nuncupavimus, hoc est, De sensibus divinae Scripturae, & De Sacrarum expositionum generibus, deque ipsorum numero, definitione, & utilitate, quantum praesentis instituti ratio expetere videbatur, hucusque differui: consequens nunc esset, ut Inventionem, quae secunda est hujus artis pars, prosequerer, exponens regulas omnes, & praecepta singula investigandi, & inveniendi multiplices & obscuras sensuum varietates in divis literis abditas. Verum, cum exacta Inventionis pertractatio, vix amplo separatoque volumine explicabilis, exigua parvi libelli portione comprehendi nequeat, multique de ea praestantissimi auctores scripta reliquerint omnibus obvia; visum est mihi absolutam istius partis enarrationem satis superque ab aliis explicatam praetermittere, & ad tertiam accedere hujus artis partem, quae Dispositiva appellatur, a nullo unquam auctore in hanc usque diem nec descripta, nec observata. Ne tamen curiosus Lector queratur prorsus a me neglectam esse Inventivam expositoriae facultatis partem, perstringam brevissimis verbis summam capitum, quibus ipsa inventio comprehenditur, annotatis simul Auctorum nominibus, qui de singulis ejus capitibus pertractarunt.

INVENTIO, quae nos ad investigandos arcanos & abstrusos divinae Scripturae sensus introducit, duplici absolvitur genere, nimirum, Historico, quod historicos intellectus venatur; & Mystico, quod mystica sensa perquirit. Porro Historicum inventionis genus multas amplectitur species, vel partes; quarum insigniores, & inter caeteras magis necessariae sunt Tropica, Topica, Chronica, Physica, Mathematica, Ethica.

TROPICA est, quae Lectorem Introducit ad intelligendos tropos, phrases, schematismos, idiotismos, proprietates, locutiones, praesertim Hebraeas, & Graecas, atque omnes figuratas orationes; quibus divinae literae supra omnium gentium scripturas abundant: qua in parte Hieronymus, Augustinus, Beda, & Sanctes Pagninus, multa scripserunt sequenti volumine recensenda.

TOPICA, sive Topographica est, quae particulares praestat descriptiones, ac tabulas provinciarum, regionum, marium, montium, fluminum, sylvarum, urbium, oppidorum, aliorumque locorum, qui in Sacris literis leguntur: quod abunde fecerunt apud Graecos Eusebius Caesarienſis, & apud Latinos Hieronymus, Beda, & Matthaeus Aurogallus, Adamanus, Callistus, Orontius, & alii proximo libro numerandi.

CHRO-

respexisse) sub ejus nomine extant: indigna quippe sunt tanto viro, ut universim Critici adcuratiores observant.

(a) De Methodio Martyre infra redibit sermo.

(b) Quale sit formandum judicium de vaticiniis Joachimi Abbatis Florensis Lib. IV. relatis Authorum sententiis observabitur.

Digitized by Google

CHRONICA, ſive Chronographica eſt, quae ad tollendas obſcuritates quaſdam, in Sacris literis ex varia dierum, menſium, & annorum ſupputatione emergentes, explicat omnes ſeries, ſucceſſiones, ac dinumerationes temporum, ſaeculorum, annorum, olympiadum, hebdomadarum, aetatum, ac generationum, quae tota paſſim divina Scriptura ſparſa ſunt. Habuit haec pars ſcriptores apud Graecos prae caeteris inſignes Philonem, & Euſebium, apud Latinos Bedam, Hermannum Contractum, & Joannem Driedonem, de quibus in quarto libro dicemus.

PHYSICA docet hiſtoriam, proprietates, mores, ac vires praecipuas omnium rerum naturalium; hoc eſt, coelorum, elementorum, animalium, ac plantarum, quae ubique in Sanctis literis deſcribuntur. Laborarunt in hac parte apud Latinos Beda in libro de natura rerum, Anſelmus in libro De imagine mundi, & Honorius Auguſtodunenſis in libro ejuſdem tituli, & Vincentius, epiſcopus Belvacenſis (a), in ſpeculo naturali.

MATHEMATICA eſt, quae viam aperit ad intelligendas conſiderationes quaſdam Geometricas, Aſtronomicas, Arithmeticas, & Muſicas; quarum in divinis literis nonnullae ſunt, tractantes de menſuris, de figuris, de numeris, de aedificiorum ratione, de motibus coelorum, de ſtellis, de muſicis inſtrumentis, de varia ſonorum ac vocum harmonia. Scripſit de his nonnulla Beda, Honorius Auguſtodunenſis, & Iſidorus.

ETHICA eſt, quae de virtutibus moralibus, quae in Sacris literis traduntur, breves quaſdam introductiunculas exhibet; quales illae ſunt, quas Bonaventura Cardinalis, Umbertus Magiſter generalis Praedicatorum, Guillelmus Lugdunenſis epiſcopus, & Chryſoſtomus Javellus conſcripſere. Haec igitur ſunt praecipuae inventionis ſpecies, ſub hiſtorico inveniendi genere comprehenſae.

SECUNDUM Inventionis genus, quod Myſticum appellatur, Lectores attollit ad intelligendos ſpirituales & ſublimiores divinae Scripturae ſenſus; hoc eſt, Allegoricos, Anagogicos, & Tropologicos intellectus, adhibitis ad hoc regulis, formulis, & quibuſdam praeceptis, quibus veluti clavibus abſtruſa ſpiritualis intelligentiae arcana reſerantur, & myſtica dictionum ac vocabulorum omnium ſignificata explicantur. Floruerunt in hac parte apud Graecos Cyrillus, apud Latinos Ticonius Afer, Eucherius, Rabanus, Hugo Victorinus, Sanctes Pagninus, ac plerique alii, quos ſequenti volumine recenſebimus. Nunc paucula haec de Inventiva hujus artis parte annotaſſe ſufficiat.

DE TERTIA ARTIS EXPOSITORIAE PARTE, QUAE DISPOSITIVA DICITUR.

TERTIA ac poſtrema hujus Sacrae artis pars, quam Diſpoſitivam, atque Methodicam vocamus, ea eſt, quae jam inventos divinae Scripturae ſenſus, & jam praedicta expoſitionum genera docet in ordinatam narrationis ſeriem diſponere, & per diverſos dicendi modos ac varias docendi vias, quas Methodos nuncupamus, accomodare. Methodi autem, ſeu viae, tractandis aptandiſque Sacrarum expoſitionum generibus idoneae, innumerabiles pene ſunt: ex quibus, quae apud Catholicos divinae Scripturae expoſitores praecipuae ſunt, & maxime inter caeteras uſitatae, ſubjecta enumeratione comprehenduntur.

Enumeratio Methodorum, quibus Sancti expoſitores in diſponendis Sacrarum expoſitionum generibus utuntur: hae ſunt,

1	Translatio.	7	Notariaca.	13	Tabellaria.	19	Inquiſitio.
2	Stigmatica.	8	Paraphraſis.	14	Enarratio.	20	Coacervatio.
3	Syllabica.	9	Lexice.	15	Collatio.	21	Thematica.
4	Partitio.	10	Annotatio.	16	Meditatio.	22	Collectanea.
5	Epitome.	11	Commentatio.	16	Poëma.	23	Scholaſtica.
6	Egloge.	12	Sciographica.	18	Epiſtola.	24	Pandeſiaca.

HAE

(a) Vincentius nunquam fuit Epiſcopus Bellovacenſis: conſule N. Echardum.

Digitized by Google

HAE igitur, ac tot sunt Methodi, Sacris expositoribus deservientes: quarum in praesenti tractatu explicaturi sumus descriptiones, partes, & officia, & exempla in singulis seperatim. Accipiemus autem, loco generalis thematis, & exempli aptissimi, ad exprimendas uniuscujusque Methodi peculiares conditiones, ac proprietates, Psalmum centesimum decimum sextum, omnium brevissimum: cujus expositionem, quomodo per omnes Methodorum species deducere, & per singulas specierum varietates invertere possimus, clarissimis, cum regulis, tum exemplis, ostendemus, initium tractationis ab ipsa divinae Scripturae translatione sumentes.

DE TRANSLATIONE SACRA, METHODUS PRIMA.

TRANSLATIO, sive Interpretatio, quae tam secundum naturae, quam secundum doctrinae & temporis ordinem inter caeteras explanatorias divinae Scripturae Methodos primum sibi locum vendicat, Methodus est, quae sanctas Scripturas ex alia in aliam linguam vertit, non solum sensum sensui, sed verbum verbo summa cura & fide reddens: nam etsi in interpretatione saecularium Scripturarum summa sit interpretis laus, ut non verbum de verbo (id enim saepe absurdam reddit translationem) sed sensum de sensu apposite, & eleganter exprimat: in Sacris tamen scripturis propter verborum ordinem, & innumera mysteriorum sacramenta, quae in singulis pene verbis abdita sunt, fideli interpreti debitum & necessitas incumbit, ut verbum de verbo fidelissime reddat. Excelluerunt in hoc transferendi studio apud Latinos divus Hieronymus, Augustinus episcopus Nebiensis, & Sanctes Pagninus: apud Graecos vero Septuaginta duo interpretes (a), Apostolorum & Evangelistarum, qui translatione ipsorum ubique usi sunt, auctoritate comprobati; post illos autem Aquila, Symmachus, Theodotion, & alii nonnulli, ex quorum editionibus varia multarum translationum volumina, tam ab Origene, quam ab aliis Graecis, & Latinis, collecta sunt: & ex his alia quidem Tetrapla, alia Hexapla, alia Octapla a numero columnarum dicta sunt.

PRIMO enim Tetrapla appellarunt Graecos codices, in quibus singulae paginae per quatuor columnellas ita distinguebantur, ut in prima columnella esset editio duorum & septuaginta Interpretum, in secunda translatio Aquilae; in tertia Symmachi; in quarta Theodotionis.

HEXAPLA nuncuparunt Graeca volumina, in quorum singulis paginis sex columnae disponebantur: harum prima habebat contextum Scripturae sanctae Hebraicum, & Hebraicis literis descriptum. Secunda, contextum Hebraicum Graecis literis è regione exaratum, propter illos, qui Hebraica legere nesciebant. Tertia, Aquilae versionem continebat. Quarta, Symmachi translationem. Quinta, Septuaginta duorum editionem. Sexta, Theodotionis editionem.

OCTAPLA vero vocarunt exemplaria, quorum singulae octo columnae sic erant digestae, ut in primis sex columnis sex praedictae translationes haberentur; in septima vero columna quinta Graeca editio, ab Origene in Hierico inventa; in octava autem sexta Graeca editio, ab eodem Origene in litore Actiaco reperta.

SED, ut haec lucidiora fiant, sumemus, ut jam praediximus, exempli gratia Psalmum centesimum decimum sextum, cujus varias translationes in decapli, hoc est, in decem columnarum seriem dispositas, hic prae oculis ponimus, collocantes in prima columna Hebraicam Psalmi scripturam, in secunda Chaldaïcam, in tertia Graecam Septuaginta interpretum, in quarta Latinam Hebraïcae respondentem, in quinta Latinam Graecae respondentem, in sexta Latinam Chaldaïcae respondentem, in quatuor vero sequentibus iterum quatuor diversas Latinas editiones Hebraïcae respondentes.

Typis

(a) De Septuaginta virali editione, ejusque historia infra Lib. IV. ex professo agetur.

Digitized by Google

Typus translationis decaplae in Pſalmum centeſimum decimum ſextum.

I. HEBRAEA.	II. CHALDAEA.	III. GRAECA.	IIII. LATINA Hieronymi Hebraeae respondens.	V. LATINA Graecae reſpondens.
הללויה	הללויה	ΑΛΛΗΛΟΥΙΑ.	ALLELUJA.	ALLELUJA.
הללו את יהוה	שבחו יה יו	Αἰνεῖτε τὸν κύριον	Laudate Domi-	Laudate Domi-
כל-גוים שבחוהו	כל--עמיא	πάντα ἔθνη, ἐπαινέσατε	num omnes gē-	num gentes: ce-
כל האמים:	שבחו יתיה	αὐτὸν πάντες	tes: laudate eum	lebrate ipſum
	כל אומיא:	οἱ λαοί.	omnes populi.	omnes populi.
כיגבר	ארום אגבת	Ὅτι ἐκραταιώθη	Quoniam con-	Quoniã corro-
עלינו חסדו	עלנא	τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐφ'	firmata eſt ſu-	borata eſt miſe-
ואמת יהוה	טוביה	ἡμᾶς, καὶ ἡ ἀλή-	per nos miſeri-	ricordia ipſius
לעולם:	לעלמא:	θεια τοῦ κυρίου εἰς	cordia ejus: &	ſuper nos: &
		τὸν αἰῶνα μένει.	veritas Domini	veritas Domini
			in aeternum.	manet in ſae-
				culum.

VI.	VII.	VIII.	IX.	X.
LATINA Chaldaeae reſp.	HEBRAEAE reſpondens.	HEBRAEAE reſpondens.	HEBRAEAE reſpondens.	HEBRAEAE reſpondens.
ALLELUJA.	ALLELUJA.	ALLELUJA.	ALLELUJA.	ALLELUJA.
Laudate Deum omnes populi: laudate eum omnes nationes.	Laudate Jovam gentes omnes: hunc celebrate nationes omnes.	Laudate Domi- num omnes gē- tes: praedicate ipsũ omnes po- puli.	Laudate Deum omnes gentes: honorate eum univerſae na- tiones.	Laudate Do- minum omnes gentes: omnes quoque populi laudate eum.
Quoniam robo- rata eſt ſuper nos bonitas ejus: & veritas Domini in aeternum.	Cujus Jovae & clementia erga nos excellit: & fides aeterna eſt.	Nam benigni- tas ejus erga nos praepollet: ac veritas Do- mini aeternum permanet.	Quoniam aucta eſt in nos pie- tas ejus: atque veritas Domini manet in ſaecu- lum.	Quoniam gra- tia ejus erga nos magis ac magis adole- ſcit: & fides ejus in perpetuum durat.

Varius nimiũ eſt Chaldaicus hic textus ab eo, qui in Polyglottis Briani Walthon legitur. N. Xyſtus habet יה jah jeja, יה Walton jat jeja. In Waltone etiã alia verba habẽtur, quę hìc deficiunt, nempe poſt rubeh: וקושטיה דיי vequſtch dajja: & Allelujah in fine, non in initio ponitur. Sic ergo noſtris characteribus redditur Chaldaicus textus Xyſti. Allelujah. Sciabbahhu Jah jéja col Ghaimmajja Sciabbehhu Jehova col ummajja. Arum agbar ghalana tubeh leghalma.

DE STIGMATICO EXPONENDI MODO METHODUS SECUNDA.

POST primam transferendi ſanctas literas Methodum, ſtatim ſecundo loco ſequitur στιγματικὴ, ſive Punctuaria exponendi Methodus; quam Hebraei פירוש הנקודות Perrus hanrkudoth, id eſt, Interpretationem punctorum vocant. Eſt autem haec peculiaris Hebraeorum in Sacras literas expoſitio, quae ex diverſis vocalium punctorum poſituris ſonos, voces, prolationes, ac ſignificata ſingularum dictionum, & ſenſuum totius Sanctae lectionis oſtendit: cujus interpretationis inventio hanc habuit occaſionem. Vetus Hebraeorum lingua, quae Sancta dicitur, & qua uſi ſunt divinorum voluminum Scriptores, atque ipſe potiſſimum Eſdras (qui poſt captivitatem Babylonicam Sacros libros Hieroſolymitano incendio abſumptos, fideliſſime reſtituit) duas & viginti literas habet: inter quas nul-

Digitized by Google

lae ſunt vocales literae, hoc eſt, per ſe ſonantes, & abſque alterius literae adminiculo vocem implentes; quales apud nos ſunt a, e, i, o, u: ſed omnes inſonae ſunt, ſive conſonantes, quae per ſe ſolae in vocem erumpere non poſſunt: nam etſi א Aleph, & ע Hain, & ה He, & י Jod, & ו Vau, Hebraeorum literae prima fronte vocalem ſonum habere videantur: ſunt tamen veluti mutae, & vix quicquam per ſe auribus exhibent.

CUM itaque priſci Hebraeorum ſcriptores vocalibus omnino deſtituerentur, ſola conſonantium literarum ſcriptura uti cogebantur: quam cum legere vellent, & dictiones ex inſonis literis compoſitas, ac prorſus mutas ore ac lingua exprimere; quod Scripturae deerat, ſono vivae vocis ſupplebant; addentes conſonantibus literis ſonos quoſdam vocales ex communi propriae gentis locutione, & vulgatae prolationis conſuetudine mutuatos: exempli gratia, ſi ſcribendum fuerat hoc nomen Lamech: notabant illud tribus tantum conſonantibus literis, videlicet, למך Lmc, deinde cum ipſum fuerat viva voce pronunciandum, ex naturali quadam propriae prolationis peritia & uſu advoculabant, ſive conſonabant ipſum L, addito ſonitu vocalis literae A, & M, ſimiliter adhibito ſono vocalis E: ſicque totam dictionem ſono explentes, pronunciabant לֶמֶךְ Lamech: & juxta hunc morem Judaei omnes quaecunque Hebraica ſcripta legere conſueverant. Sed poſtquam Hieroſolymitanum regnum funditus fuit everſum, & Judaei a Romanis in ultimam, ac ſempiternam captivitatem fuerunt abducti, ac toto terrarum orbe diſperſi; paulatim coeperunt ſermonem Patrium obliviſci, linguam ſanctam dediſcere, Sacrae lectionis intelligentiam amittere; & propter defectum vocalium literarum divinae Scripturae dictiones per ſe, ut jam diximus, inſonas, variis & ambiguis ſonis efferre, legere, intelligere, & exponere, atque etiam in alias linguas diverſis, & inter ſe diſcrepantibus verbis, ac ſenſibus, tum ex ignorantia, tum ex malitia transferre. Quod cum animadvertiſſent Rabbini, Judaeorum magiſtri, veriti, ne vera ac germana divinae Scripturae lectio, vocalibus literis deſtituta, prorſus interiret, excogitarunt in locum vocalium puncta quaedam, ac notulas, quae, ſingulis conſonantibus appoſitae, ſuum cujuſque literae ſonum proderent, ac propriam cujuſque dictionis ſignificationem aperirent. Quod ut fiat appoſito exemplo clarius, accipiamus dictionem זכר tribus conſonantibus ſcriptam, in illo divino oraculo, quod Deus in Exodi libro protulit, adverſus Amalechitas, inquiens: DELEBO זכר, hoc eſt, memoriam Amalech de ſub coelo: quae vox (ut Judaei quidam, inobedientiam Saulis regis magis pie, quam vere excuſantes, affirmant) occaſionem praebuit ruinae ipſi Sauli: cui cum praecepiſſet Samuel, ut praedictum oraculum in mox a ſe vincendos Amalechitas expleret; ipſe, deceptus vocabuli זכר ambiguitate, credidit ſatis factum iri praecepto, ſi tantum mares Amalechitarum abſtuliſſet: quoniam זכר tam maſculum, quam memoriam, ſignificaret: & ob id occiſis, excepto rege, omnibus maſculis, omnem ſibi praedam, aurum, argentum, & armenta Amalechiticae gentis reſervavit. Ne igitur in poſterum ex hujuſmodi aequivocationibus labendi occaſio naſceretur, viſum eſt Judaeorum magiſtris advoculare per puncta omnes Sacras dictiones: verbi gratia, ne ultra in dubium verteretur, quomodo praedicta vox זכר legenda foret; poſuerunt ſub ז haec duo puncta ‥ quae Zere vocantur, ſonum vocalis E longae exprimentia: ſub כ vero collocarunt tria haec puncta ∴ Saegol appellata, quae vocalis E brevis ſonum reddunt: quibus punctorum annotamentis oſtenderunt geminam ac perfectam hujus dictionis prolationem eſſe זכר Zecher, quod memoriam ſignificat; & non זכר Zachar, quod maſculum denotat.

Hoc ipſum de advoculatione Hebraicarum conſonantium annotavit Hieron. in epiſt. ad Eyagrium, ſicut videre poteris ſupra.

Cauſſa addidi puncta literis Hebraicis.

Exod. 17. 14.

AD exprimendas autem omnium vocalium, tam brevium, quam longarum, ſonos, decem punctorum, & virgularum poſitiones invenerunt: quarum nomina, formae, ac voces, haec ſunt.

BREVES.

a ַ e ֶ i ִ o ֹ u ֻ

LONGAE.

a ָ e ֵ i ִי o ֹו u ֻו

EST

Digitized by Google

EST etiam praeter hāec decem puncta & alius punctus, Scheva nuncupatus, duobus punctulis, quorum alter alteri perpendiculariter superstat, expressus hoc modo: Hic tamen non reputatur inter vocales, sed a Grammaticis vocatur ex officio suo servus servorum; quia caeteris vocalibus deserviat punctis: quibus quanquam Hebraeorum doctores universam divinam Scripturam interpretati fuerint, eamque sic interpretatam omnibus promiscue legendam invulgaverint, tamen, ut venerandam priscae conscriptionis vetustatem majestatemque intactam retinerent, ad imaginem antiquarum scripturarum, quas Moses, Esdras, caeterique divinorum librorum scriptores scripsissent, inviolabili decreto sanxerunt, ut volumina illa Mosaicae legis, quae in Synagogis summa cum reverentia servantur, sine ullis vocalibus punctis scriberentur; ne auctoritati, ac majestati divinae legis asciticiis, novitiisque additamentis detrimentum aliquod afferri videretur.

Quando primum invēta fuerunt puncta Hebraica.

RABBI Elias Germanus in Praefatione libri Masoreth hammasoreth arbitratur hujusmodi punctorum expositionem inventam fuisse anno quadringentesimo trigesimo sexto, post ultimam Sanctae urbis eversionem, a Judaeis urbis Tyberiadis, qui semper in lingua sancta cultiores omnibus Hebraeis habiti sunt. Sed, cum neque Epiphanius, neque Hieronymus talium punctorum ullam fecerint mentionem, & solas consonantes in codicibus suis habuisse satis aperte indicent; verisimilius mihi videtur, quod Jacobus, episcopus Christopolitanus, in Praefatione Psalmorum scribit, videlicet hoc genus expositionis longe post tempora Constantini repertum a Judaeis Babylonis AEgyptiae, quae nunc Cayrum appellatur, opera ac solertia Rabbi Hammay, & Rabbi Asse, auctorum Thalmudicae doctrinae, qui primi has punctorum notas ostenderunt: non tamen facile affirmaverim, quod idem episcopus eodem loco asserit, Rabbinos videlicet Judaeorum, in odium Christianae religionis, unanimi consensu omnem veterem scripturam hac punctorum appositione contaminasse, depravasse, & a vero sensu pervertisse; ut hoc perverso artificio veritatem, a Christianis ex Hebraeo fonte haustam, quoad fieri posset, offuscarent, atque extinguerent: & ob hanc causam, ipse addit, nullam fidem adhibendam esse Hebraeorum exemplaribus, hujusmodi punctorum interpretatione corruptis & falsatis. Cui sententiae ne omnino assentiar, prohibet divi Hieronymi translatio, quae in praecipuis locis divinae Scripturae, quibus fundamenta fidei Christianae, ac veritas nostrorum dogmatum potissimum comprobantur, & de quibus praesertim inter Judaeos & nos controversia est, semper fere cum hac punctuaria Hebraeorum expositione consentiat: tametsi in rebus leviss. momenti, & quae pluribus sensibus absque ullo veritatis praejudicio interpretari possunt, saepe dissentiat. Huc accedit & illa Augustini in quinto decimo de civitate Dei persuasio, quod nullus unquam sanae mentis credere poterit Judaeos, quantumlibet malos ac perversos, in codicibus tam multis, & tam longe lateque dispersis, in unum convenisse, & odio Christianorum in corruptionem suorum voluminum conspirasse: ut scilicet, dum aliis inviderent, Scripturae veritatem, ipsi se ipsos veritate privarent. Atque haec de punctuaria Hebraeorum expositione (a).

CUM hac aliquam similitudinis umbram habere videtur Prosodica apud Graecos divinae Scripturae illustratio, hoc est, tonorum, spirituum, accentuum, punctorum, & hypostigmaton appositio; quae nunc ubique visuntur in Graecis codicibus, quos antiquitus nudis tantum literis, absque ullis accentuum notis fuisse conscriptos, testes sunt Epiphanius, Salaminae episcopus, in libro de partibus divinae Scripturae, & Franciscus Xymenius, archiepiscopus Toletanus, in editione novi Testamenti. Visum est autem postea Graecis Patribus haec addere, non solum ad rectam ac distinctam Scripturae sanctae lectionem, sed ad discernendas quoque ambiguitates quasdam non parvi momenti, quae sine his notulis, apicibus, ac punctis, dirimi non poterant. Verbi gratia, cum veniisset in controversiam, quo sensu intelligenda esset sententia illa, quae habetur in cantu Angelorum apud Lucam Evangelistam, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἀνθρώποις εὐδοκία, hoc est, Luc. 2. 14.

(a) De Hebraici textus sinceritate non est una eademque Criticorum sententia, etsi probabile nimium sit in nulla re, saltem substantiali ad dogmata & mores pertinente, aut irrepsisse mendum, aut ex malitia fuisse originalem textum corruptum viciatumque. Consule tamen eos, qui praecipue de hac re egerunt, Pezronium, Morinum, Simonium, alioque.

Digitized by Google

Et in terra pax hominibus bonae voluntatis, an ſcilicet ſentiendum eſſet, pacem allatam hominibus, bona voluntate praeditis, propter bonam eorum voluntatem: quem ſenſum facere videntur praedicta verba Graeca, ſine ulla diſtinctione ſcripta, & puncto ſub ultima litera poſtremae dictionis affixo: vel an magis intelligere oporteret, quod non ſolum pax, ſed & bona voluntas, una cum ipſa pace exhibita eſſet hominibus: quem ſenſum eadem verba reddunt, ſi ita leguntur: καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, hoc eſt, *Et in terra pax*: & poſtea interpoſita diſtinctionis nota, additur, ἀνθρώποις εὐδοκία, id eſt, *Hominibus bona voluntas*, remoto videlicet puncto, qui ſub ultima litera jacebat. Origenes omnem controverſiam ſuſtulit, poſito ſub ultima litera dictionis εὐδοκία exiguo puncto, qui indicaret, vocem illam non eſſe primi, ſed tertii caſus, ſententiamque concludere talem: Et in terra pax hominibus bona voluntate, ſcilicet praeditis. Sunt & aliae multae ambiguitates, quae hujuſmodi notulis tolluntur; quas in Sacris Graecis codicibus quilibet, vel mediocriter Graecarum literarum peritus, per ſe ipſum facile cognoſcet.

PARADIGMA STIGMATICAE INTERPRETATIONIS IN PSALMUM CXVI. QUATUOR COLUMNELLAS COMPREHENDENS.

PRIMA quarum ſcripturam Hebraïcam continet, punctis vocalibus deſtitutam.

SECUNDA eandem habet ſcripturam punctis vocalibus interpretatam.

TERTIA continet Hebraïca verba Latinis literis juxta interpretationem punctorum vocalium deſcripta.

QUARTA habet Latinam ejuſdem Hebraïcae ſcripturae translationem.

I.	II.	III.	IIII.
הללו את יהוה	הַלְלוּ אֶת יְהוָה	Allelu & Jehova	Laudate Dominum
כל גוים	כָּל־גּוֹיִם	col gojim:	omnes gentes:
שבחוהו	שַׁבְּחוּהוּ	ſciabbechuhu	laudate eum
כל האמים	כָּל הָאֻמִּים:	col haommim,	omnes populi.
כי גבר	כִּי גָבַר	Chi gavar	Quoniã confirmata eſt
עלינו	עָלֵינוּ	alenu	ſuper nos
חסדו	חַסְדּוֹ	chaſdo:	miſericordia ejus:
ואמת	וֶאֱמֶת	ve emeth	& veritas
יהוה	יְהוָה	jehova	Domini
לעולם	לְעוֹלָם:	le olam.	in aeternum.

DE SYLLABICA EXPONENDI RATIONE METHODUS TERTIA.

ΣΥΛΛΑΒΙΚΗ, hoc eſt, ſyllabica, ſive Indicatoria Methodus, quae librorum indices, a Graecis συλλάβους appellatos, componit, vetuſtiſſimum inventum eſt, ſicut M. Tullius, ad Atticum ſcribens, teſtatur: cum enim ſtudioſi illi veteres locupletem rerum, ac verborum omnium copiam ſemper, & cum ſumma commoditate in promptu habere deſiderarent, excogitarunt ſibi indices, alphabetario ordine digeſtos, quibus minimo laboris, ac temporis diſpendio, ad quod quiſque perquireret, tanquam manu duceretur: quorum inventionem imitati poſteriores literarum amatores, praeſertim Juriſconſulti, ac Theologi libros fere omnes profeſſionis ſuae in elenchos, ſyllabos, indices, tabulas, & repertoria copioſiſſima redegerunt, in quibus primum locum tenet opulentiſſimus ille Biblicus Index, quem vocant Concordantias majores ſacrae Bibliae, ab Hugone Cardinali, & Conrado Alberſtadio Monacho collectas, ſuffragantibus quingentis diverſorum coe-

Digitized by Google

coenobiorum monachis: qui omnia nomina, verba, participia, adverbia, praepositiones, atque omnes, tam declinabiles, quam indeclinabiles orationis partes, toto Bibliorum corpore comprehensas, in Alphabeticum ordinem digesserunt, annotatis libris, capitulis, & singulis quoque capitulorum lineis, in quibus quaecunque dictio quaesitae dictioni similis & concordans haberetur. Est autem tanta hujus magni Indicis & commoditas, & utilitas, ut quumprimum studiosus Lector ipsum prudenter, & cum judicio versare didicerit, & familiaritati ejus assuescere coeperit, illico sentiat, se in illo inveniisse thesaurum quendam inexplebilem, hoc est, universalem, & absolutissimam totius divinae Scripturae expositionem: ex cujus usu non minorem fructum, ac delectationem capiat, quam si innumeros expositorum Commentarios evolveret.

MEMINI me olim rogantibus amicis dedisse in hunc indicem brevem Commentariorum DE USU ET UTILITATE Concordantiarum sacrae Bibliae inscriptum, breves & dilucidas quasdam regulas comprehendens, quibus instructi sanctarum literarum amatores facile possent ex hoc uno Concordantiarum volumine, etiam absque ullis expositorum Commentariis, innumerabilium fere locorum, in divinis literis obscurorum, sensus, & intelligentias varias, ac multiplices intelligere, & explicare; nec explicare solum, sed, quod longe operosius est, comparare sibi super quacunque divinae Scripturae sententia latissimam enarrationem, &, si opus fore, etiam integrae & copiosae concionis materiam invenire. Hujus artificii exemplum proponam tibi in principium Psalmi centesimi decimi sexti, ostendens qua ratione liceat ex hoc Indice concordantiarum colligere locupletissimam enarrationem super duabus primis hujus Psalmi dictionibus: pro quibus explicandis tria tibi prius peragenda sunt.

IN PRIMIS, aperto volumine Concordantiarum, quaeres sub syllaba, LAU, verbum Laudare, & omnes similiter voces eidem verbo affines; ut Laus, Laudatio, Laudans, Laudabilis, Laudandus, & his similes: & invenies statim sub his vocabulis omnia utriusque Testamenti dicta, testimonia, auctoritates, ac sententias ad Dei laudem pertinentes numeratim citatas, truncatis tamen periodis, & concisis saepe dictionibus strictissime annotatas.

SECUNDO, ex tam numerosa sententiarum multitudine eas tantum colliges, & in schedula describes, quas videris illustriores, quasque proposito tuo aptiores, magisque accommodatas cognosces: cognosces autem illas facile inter alias, & a caeteris minus aptis parvo labore discernes, si prius fueris in Sacrarum literarum lectione versatus, & non omni prorsus judicio destitutus: oportebit autem, ut in describendis praedictis auctoritatibus, habeas semper prae oculis codicem Biblicum; ut, eo inspecto, fideliter suppleas, & pristinae suae integritati restituas periodos illas, quas in Concordantiis truncatim citatas jam inveneras.

TERTIO, postquam sententias instituto tuo idoneas integre conscripseris, iterum omnes a prima usque ad ultimam aliquantulum cogitatione percurrito; & singularum sensus tecum ipse parumper expendito; ac demum juxta communem illam partitionis Methodum, qua Dialectici, Rhetores, & optimi quique scriptores uti solent, & quam te prius in scholis didicisse necesse est, distinguito jam collectam sententiarum sylvam; & in certos ordines, classesque redige: & in his ordinibus separatim, & sub diversis titulis auctoritates singulas, ut tibi visae fuerint, magis inter se & sensu, & scopo affines ita coaptabis, ut ex ipsarum dispositione explicetur tota series argumenti, De divina laudatione: hoc est, colligantur a te divinae laudationis definitio, causae, effectus, partes, officia, modi, loca, tempora, necessitas, utilitas, impedimenta, &c. his similia, quae Dialectici, & Rhetores, in quocunque propositae rei argumento jubent inquiri.

SED, ut haec planius intelligas, ponam tibi primum ob oculos indistinctam farraginem sententiarum divinae Scripturae, ad divinam laudem pertinentium, ex libro Concordantiarum verbotenus cum suis numeris desumptam: deinde easdem auctoritates in particulares titulos ea ratione distribuam, ut in his legere possis exactam, & copiosam explanationem verborum, a quibus Psalmus centesimus decimus sextus incipit.

Far-

Digitized by Google

Farrago indistincta sententiarum Sacrae Scripturae ad Dei laudem pertinentium è verbo ad verbum ex Indice Concordantiarum transcripta.

LAUDARE.

Psalm.	21	e	In medio ecclesiae laudabo te.
	21	f	Laudabunt Dominum, qui requirunt eum.
	34	e	In Populo gravi laudabo te.
	34	d	Tota die laudem tuam.
	62	b	Labiis exultationis laudabit os meum.
	68	d	Laudabo nomen Dei cum cantico.
	83	a	In saecula saeculorum laudabunt te.
	99	a	Laudate nomen ejus, quoniam suave est.
	118	a	Vivet anima mea, & laudabit te.
	134	a	Laudate Dominum, quoniam bonus.
	144	a	Laudabo nomen tuum in saeculum saeculi.
	ibidem		Generatio & generatio laudabunt opera tua.
	145	a	Lauda anima Dominum, laudabo Dominum.
	146	a	Laudate Dominum, quoniam bonus est.
	148	a	Laudate Dominum omnes Angeli ejus.
	ibidem		Laudate eum virtutes, Sol, Luna.
	150	a	Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.
	150	a	Laudate eum in sono tubae, psalterio, cythara.
Actus	16	c	Media nocte laudabant Deum.

NON LAUDARE.

Psalm.	113	d	Non mortui laudabunt te, Domine.
Esa.	38	d	Neque infernus, neque mors laudabit te.

LAUDANS.

Psalm.	17	a	Laudans invocabo Dominum.
Lucae	24	g	Erant semper in templo laudantes Deum.

LAUDATIO.

Psalm.	49	c	Quare tu enarras laudationes meas?
	144	d	Laudationem Domini loquetur os meum.
	146	c	Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

LAUDABILIS.

Psalm.	47	a	Magnus Dominus, & laudabilis nimis.

LAUS.

Deut.	26	d	Creavit in laudem suam.
Psalm.	21	f	Apud te laus mea in ecclesia magna.
	33	a	Semper laus ejus in ore meo.
	49	c	Immola Deo sacrificium laudis.
	ibidem		Sacrificium laudis honorificabit me.
	68	g	Magnificabo eum cum laude.
	115	a	Tibi sacrificabo hostiam laudis.
	118	x	Septies in die laudem dixi tibi.
	150	c	Omnis Spiritus laudet Dominum.
Eccl.	15	b	Non est speciosa laus in ore peccatoris.
Eccl.	43	d	Major est omni laude.
Esa.	63	b	Laudem Domino super omnibus.
Jonae	2	d	In voce laudis immolabo.
Eph.	1	a	In laudem gloriae suae.
Heb.	13	c	Offeramus hostiam laudis.
Apoc.	19	a	Laus & gloria Deo nostro.

Prae-

Digitized by Google

Praedictae Farraginis Methodica partitio in varias ſententiarum claſſes deſtributa, & ad expoſitionem duarum primarum dictionum Pſalmi centeſimi decimi ſexti pulchre accommodata.

Thema exponendum LAUDATE DOMINUM.

DEFINITIO.

Laudare Deum, eſt enarrare amplitudinem divinarum virtutum, quoad a nobis fieri poteſt.

GENERATIO & Generatio laudabunt opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt: MAGNIFICENTIAM gloriae ſanctitatis tuae loquentur, & mirabilia tua narrabunt: ET virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. MEMORIAM ſuavitatis tuae eructabunt, &c.

QUIS enarrabit, & quis magnificabit Deum, ſicut eſt ab initio? major eſt enim omni laude: ſi glorificaris Dominum quantumcunque potueritis, ſupervalebit adhuc admirabilis magnificentia ejus.

ENCOMIUM.

Laus eſt ſacrificium omnium praeſtantiſſimum, quo vel maxime delectatur Deus.

Pſalm. 49 Immola Deo ſacrificium laudis: & ſacrificium laudis honorificabit me.

Pſalm. 68 Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude: & placebit Domino ſuper vitulum novellum cornua producentem, & ungulas.

Pſalm. 115 Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Jonae 2 Ego autem in voce laudis immolabo tibi pro ſalute mea.

Hebr. 13 Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper, Deo placentem, id eſt fructum labiorum confitentium nomini ejus.

Deum omnia feciſſe in laudem gloriae ſuae.

Deut. 26 Cunctas gentes creavit Deus in laudem, & nomen, & gloriam ſuam.

Eph. 1 Elegit nos ante mundi conſtitutionem; & praedeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Chriſtum, in laudem gloriae gratiae ſuae.

NECESSITAS.

Omnes tam inſenſibiles, quam ſenſibiles, & intelligibiles creaturae ex divino praecepto ad Dei laudem pro modo ſuo tenentur.

Pſam. 148 Laudate Dominum omnes Angeli ejus: Laudate eum Sol, & Luna, omnes Stellae, & Lumen: Laudate eum coeli coelorum, aquae omnes, grando, nix, glacies, beſtiae, pecora, volucres, reges terrae, populi, &c. uſque in finem Pſalmi, Omnis Spiritus laudet Dominum.

CAUSAE.

Deus innumeris de cauſis laudandus eſt a nobis, praecipue vero ob eximiam bonitatem, & innumera beneficia, quae nobis quotidie ex divinae Bonitatis, & miſericordiae largitate praeſtantur.

Pſalm. 134. Laudate Dominum, quoniam bonus: pſallite nomini ejus, quoniam ſuave.

Eſa. 63 Demus laudem Domino ſuper omnibus, quae reddidit nobis Dominus; & ſuper multitudine bonorum, quae largitus eſt ſecundum indulgentiam ſuam; & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.

Pſalm.

Digitized by Google

Pſalm. 99 Laudate nomen ejus, quoniam ſuavis eſt Dominus, in aeternum miſericordia ejus.

MODUS.

Deus animo primum, deinde voce, Pſalmis, canticis, & muſicis inſtrumentis, ac potiſſimum bonis operibus laudandus eſt.

Pſalm. 145 Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea.
Eccl. 51 Laudabit uſque ad mortem anima mea Dominum.
Pſalm. 62 Labiis exultationis laudabit os meum.
Pſalm. 146 Laudate Dominum: quoniam bonus eſt Pſalmus. Deo noſtro ſit jucunda, decoraque laudatio.
Pſalm. 150 Laudate eum in ſono tubae; laudate eum in pſalterio, & cythara: laudate eum in tympano, & choro; laudate eum in chordis, & organo; laudate eum in cymbalis bene ſonantibus.

TEMPUS.

Non ſolum ſtatutis diei, noctiſque horis corde, & ore laudandus eſt Deus, ſed & toto vitae tempore affectu, & opere celebrandus.

Pſalm. 118 Septies in die laudem dixi tibi.
Act. 16 Media nocte Paulus & Silas adorantes, laudabant Deum.
Pſalm. 33 Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.
Pſalm. 34 Lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.
Pſalm. 144 Per ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſaeculum ſaeculi.
Pſalm. 145 Laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo, quandiu fuero.

LOCUS.

In omni loco, ſed in eccleſia praeſertim, ac templo laudandus eſt Deus.

Pſalm. 112 A Solis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini.
Pſalm. 21 Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiae laudabo te.
Pſalm. 34 Confitebor tibi in Eccleſia magna: in populo gravi laudabo te.
Pſalm. 134 Laudate ſervi Dominum in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.
Luc. 24 Diſcipuli, regreſſi in Hieruſalem cum gaudio magno, erant ſemper in templo laudantes, & benedicentes Dominum.

In alia vita geminos eſſe aeternos locos, in quorum altero Deus perpetuo laudatur, in altero nunquam.

Pſalm. 83 Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſaecula ſaeculorum laudabunt te.
Apoc. 19 Audivi vocem in coelo dicentem, Laus & gloria, & virtus Deo noſtro.
Eſa. 38 Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.

UTILITAS.

Praemia laudantium Deum ſunt auxilium divinae gratiae, ſalus a viſibilibus & inviſibilibus hoſtibus, & vita in ſempiternum beata.

Pſalm. 118 Anima mea laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.
Pſalm. 17 Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.
Pſalm. 21 Laudabunt Dominum qui requirunt eum: & vivent in ſaeculum ſaeculi.

IMPEDIMENTA.

Peccata nos impediunt a divinis laudibus.

Eccl. 15 Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.
Pſalm. 49 Dixit Deus peccatori, Quare aſſumis laudationes meas per os tuum?

PU-

Digitized by Google

PUGNANTIA.

In ſcripturis divinis eſſe locos, de divina laudatione in ſpecie pugnantes, quos conciliare oportet.

Pſalm. 116 Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.
Pſalm. 150 Omnis Spiritus laudet Dominum.

CONTRA.

Pſalm. 49 Dixit Deus peccatori, Quare aſſumis laudationes meas per os tuum?
Eccl. 15 Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Item aliud.

Pſalm. 150 Laudate Dominum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

CONTRA.

Eccl. 44 Nemo magnificabit Deum, ſicut eſt ab initio: major eſt enim omni laude.

VIDES hìc ingenioſe lector, quam magnam ſententiarum copiam tibi ſubminiſtraverit Concordantiarum volumen in unius tantum dictionis particulari indiculo; & quam copioſam verborum, ac rerum ſupellectilem ſuppeditaverit ad explicandum primam hujus Pſalmi dictionem. Quod ſi iterum, reſumpto codice Concordantiarum, perquiſiveris in ipſo voces verbo laudandi Synonimas, quales ſunt celebro, magnifico, glorifico, benedico, exalto, confiteor, canto, pſallo, praedico; & fragmenta ſacrarum ſententiarum ſub ipſis Synonimis verbis collocata conſimili ſtudio colliges: rurſus nova ac longe dictiori ſermonis abundantia expoſitionem tuam locupletabis. Ac demum ſi eandem diligentiam in ſingulis ejuſdem Pſalmi vocibus adhibueris: tanta tibi ſeſe offeret rerum omnium affluentia, ut vix quaeas ſuſceptae enarrationis finem invenire. Atque haec de ſyllabica Methodo dicta ſint ſatis.

DE PARTITIONE METHODUS QUARTA.

PARTITIONIS, quae multum & ipſa lucis affert divinis ſcripturis, duo potiſſimum ſunt officia, dividere ſcilicet, ac diviſa colligere. Diviſio totum cujuſque voluminis corpus non temere, ſed juxta rerum partibilium Analogiam ſumma cum ratione in membra dividit, & in partes, quas capita, ſive capitula vocant, numeratim dividit, & numerorum appoſitione diſtinguit. Inventum eſt autem hoc dividendi artificium ad commoditatem docentium, atque diſcentium; ut quod ſimul totum, & uno ſtatim contuitu apprehendi non poterat, commodius & apertius diſceretur diviſum in partes. Collectio vero peculiares diviſarum partium ſummas ſtrictiſſimis titulis, ſive inſcriptionibus colligit: quibus, veluti oculis, ſingulorum capitum frontes illuſtrat, ac exornat. Sed quod ad diviſionem attinet, ſciendum eſt, hanc arithmeticam capitum diſtinctionem, quam nunc in Bibliis habemus, recentem eſſe: nam ante quingentos annos nullus ſive apud Hebraeos, ſive apud Graecos invenitur divinae ſcripturae locus numeratim citatus, praeter Pſalmos; quorum ut ex Actis Apoſtolicis apparet, uſque ab initio naſcentis Eccleſiae, adjectis numeris mentionem facere ſolebant: (hos enim numeros, ut Hilarius in praefatione Pſalmorum teſtatur, LXX. interpretes Pſalmis appoſuerunt) &, quae nunc tam in Graecis, quam in Hebraeis, & Latinis exemplaribus ſpectantur, capitum diviſiones, ac numeri ex noſtris Latinis codicibus accepti ſunt: partiebantur nanque vetuſtiſſimi illi expoſitores divinas ſcripturas, eaſdemque citabant, non capitum enumeratione, & numerorum recitatione, ſed per allegationes particularium hiſtoriarum; ſicut Auguſtinus dixit ſe ſcripſiſſe a principio Geneſeos uſque ad expulſionem primorum parentum de paradiſo; & Gregorius etiam ſe expoſuiſſe a principio libri Regum uſque ad Davidis regis unctionem, pro eo quod nunc diceremus, In tria priora Geneſeos capita, & In quindecim anteriora capita primi Regum. Dividebant item, & in medium proponebant ſcripturas per locos, ſive periodos, aut verſus, aut verſiculos, vel ſententias ſacrorum voluminum verbatim expreſſas; quas etiam Capita, vel Capitula interdum vocabant: verbi gratia dicentes, de eo loco Pauli, ubi ſcriptum eſt,

Arithmetica capitum diviſio in Bibliis quando primum addita.

Digitized by Google

Rom. 9. 1. Ibidem 5. *Veritatem dico vobis in Christo*, usque ad eum locum, ubi dicitur, *ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*: vel de eo, quod scriptum Job. 1. 14. est in Job, *Boves arabant, & asinae pascebantur*.

CONSIMILEM divisionis modum etiam apud antiquos Judaeos fuisse comperio: quorum codices fuisse per sententias, commata, membra, & versus divisos, & intervallis quibusdam distinctos, testis est Hieronymus in praefatione Paralipomenon & Esaiae, asserens se ad utilitatem legentium easdem commatum incisiones, & intervallorum distantias, quas in Hebraeis codicibus invenerat, in translatione sua servasse: tametsi Elias Levites in praefatione libri Masoreth hammasoret affirmet ex sententia Rabbinorum totam legem fuisse olim quasi Pasuk unum, sive sententiam unam, in qua omnia cohaerebant sine ulla versuum distinctione; & hanc quadringentis ac triginta & sex annis post ultimum Sanctae urbis excidium a Judaeis Tyberitis fuisse in Pesukim, hoc est versus, & sententias divisam. Auctor libri Hebraïcarum quaestionum super libris Regum (quem divus Thomas putat fuisse Judaeum in Christo renatum) ostendit Judaeos dissecuisse libros sacros in certum numerum sententiarum, seu versuum, dum inquit librum Proverbiorum apud eos continere versus nongentos & quindecim: ipse tamen in commentariis Hebraeorum nusquam legi aliquam ex his sententiis, aut arithmetica nota signatam, aut numerali voce expressam.

Quomodo Judaei, Graeci, ac Latini consueverint partiri versus in Bibliis

SCIENDUM est autem aliam esse versuum partitionem apud Judaeos, quam apud nos, & Graecos: nam Graeci & Latini veteres distinguebant versus pari distionum numero, conscribentes in quolibet fere versu semper sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas: quod satis aperte indicat Augustinus in libro, cui titulus est SPECULUM DIVINAE SCRIPTURAE (a): in quo saepe annotans numerum versuum, ex divinis libris aliquando a se collectum, aliquando vero praetermissum, ponit pro exemplo unius versus dictum illud Psalmi nonagesimi Psal. 99. 3. noni, POPULUS ejus, & oves pascuae ejus. Pro exemplo autem duorum versuum, Psal. 118. 84. sententiam illam Psalmi 118. QUOT sunt dies servi tui, quando facies tu de persequentibus me judicium? rursum pro exemplo trium versuum profert illud Psal. 149. 3. 4. ex Psalm. 149. LAUDENT nomen ejus in choro, in tympano, & psalterio psallant ei. Quia beneplacitum est Domino in populo suo. In his exemplis si dictiones enumeres, invenies in primo voces sex, in secundo duodecim, in tertio, decem & octo. Juxta hanc igitur versuum partitionem arbitror intelligendam esse mensuram priscorum, qui versuum numero solebant significare voluminum magnitudinem, veluti nota certiore, quod libri frequenter sint inaequales, ob diversam materiae copiam: quo quidem modo Hieronymus, magnitudinem quorundam librorum exprimens, ait Origenem scripsisse in Canticum canticorum versus fere viginti millia, Gregorium Nazianzenum opera sua omnia concluisse versibus triginta millibus, Hilarium in commentariis Psalmorum mutuatum ex Origene versus prope quadraginta millia; & se quoque, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse in eam quotidie versus mille: sic & Diogenes Laërtius summam quorundam Aristotelicorum voluminum contineri affirmat sub versibus quinquies mille trecentis & triginta.

JUDAEI vero in distinguendis versibus neque numerum dictionum attendunt, neque cola, aut commata orationis sequuntur, sed veterem quandam consuetudinem, sola majorum auctoritate, & Rabbinorum traditione suffultam: neque aliam afferunt suae partitionis rationem, praeter eam, quod Esdras, & viri Synagogae magnae, afflati divino spiritu, divinas scripturas hoc pacto distinxerint:

(a) Fuisse editum a M.P.Augustino librum, cui titulus *Speculum*, testis est S. Possidius Calamensis Episcopus, & S. P. discipulus in ejus *vita cap.* 28. „ Ex utroque Divino Testamento Vetere, & Novo, „ praemissa praefatione, praecepta divina, seu vetita ad vitae regulam pertinentia excerpsit; atque „ ex his unum codicem fecit, ut, qui vellet, legeret, atque in eo vel quam obediens Deo, vel inobediens esset, agnosceret; & hoc opus voluit Speculum appellari „. Idipsum tradidit quoque Cassiodorus de *Instit. div. Script.* Extat porro hoc opus inter cetera S.P. opera *Tom. III.* novae editionis. Verum ea, quae laudat N. Sixtus, veluti ab Augustino tradita in *Speculo divinae Scripturae*, nec in eo extant, ut propriis oculis lustrando conspexi, nec facere ad scopum genuini *Speculi* manifeste constat; quare laudatum ab Sixto *Speculum* aliud certe est, idque suppositicium, videlicet, quod sub nomine M. P. edidit Hieronymus Vignerus; quodque spurium esse, & ab Augustino ablegandum recte admonent PP. Benedictini *Admonitione in Lib. cui Titulus Speculum*.

Digitized by Google

rint: unde apud eos Peſukim, hoc eſt verſus fere omnes inaequales ſunt; ſicut in exordio Geneſeos apparet: ubi Paſuk, ſeu verſus primus eſt. *IN principio creavit Deus coelum & terram*: ſecundus vero multo longior, *ET terra erat inanis, & vacua: & tenebrae erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Domini ferebatur ſuper faciem aquarum*: poſt quem ſequitur tertius verſus, *Et dixit Deus, &c.* longe brevior. Hunc ergo dividendi modum veteres habuere: inter quos quanquam Ammonius Alexandrinus, ſive Euſebius Caeſarienſis, ſive Tatianus quatuor Evangelia numeratim in capita diviſerint; hoc eſt Evangelium Matthaei in Capita 355. Marci in capita 235. Lucae in capita 343. Joannis in capita 232. non tamen arbitror illos ad id reſpexiſſe, ut nobis certam ſcripturarum partitionem inſtruerent; ſed ad hoc ſolum, ut locos indicarent Evangelicae Symphoniae, in quibus Evangeliſtae inter ſe conſona dixerant. Poſt hos igitur nullam apud antiquos comperi numeralem ſcripturarum diviſionem, praeterquam apud unum Hilarium, qui Matthaei Evangelium, a ſe expoſitum, in Canones tres ac triginta diſſecuit. Nam, quod in primo hujus Operis libro notavimus, Evangelium Lucae in commentariis Ambroſii dividi in titulos ſexaginta quatuor, & in commentariis Bedae in capita nonaginta tria, factum eſſe credimus non ab ipſis auctoribus, ſed a librariis, vel lectoribus, interpolatas & crebras ſcribendi vel legendi reſpirationes amantibus. Gen. 1.

CAETERUM inter Graecos expoſitores, qui annis ab hinc quingentis floruere, coeperunt quidam partiri ſancta ſcripta in partes numeratim diſtinctas, & numerorum characteribus annotatas: quas interdum titulos, & interdum capitula nuncupabant: ſic enim Euthymius, ſive, ut quibuſdam videtur, Oecumenius diſtribuit Evangelium Matthaei in titulos, ſeu capita ſexaginta octo: quorum primum inſcripſit, De Magis, ſecundum De pueris interfectis, tertium De praedicatione Joannis, quartum De doctrina Chriſti &c. Quidam vero, capitula a titulis ſeparantes, diſſecuerunt volumina in titulos, atque iterum titulos in capita ſubdiviſerunt; ſicut ex Suida, & Aretha deprehenditur: quorum ille teſtatur Evangelium Matthaei fuiſſe diſpertitum in titulos ſexaginta octo, & in cap. 355. & Marci Evangelium in titulos quadraginta octo, & capita quinquaginta ſex: hic vero narrat Andream ſecuiſſe Apocalypſim Joannis in partes quatuor & viginti, & harum ſingulas in tria capita, ita ut eſſent totius libri capitula ſeptuagintaduo.

APUD Latinos autem, qui ab anno ſalutis noſtrae milleſimo uſque in haec noſtra tempora fuerunt, duplicem invenio capitum enumerationem; alteram ut vetuſtiorem, ita numeroſiorem: juxta quam Evangelium Matthaei in vetuſtis etiam impreſſis codicibus continet capita nonaginta quatuor, Evangelium Lucae capita centum & ſeptem, Epiſtola ad Romanos capita quinquaginta. Alteram poſteriorem, quam nunc in vulgatis Bibliis habemus, contractiorem, & pauciori-bus capitibus comprehenſam: cujus numerali citatione uſi ſunt in commentariis ſuis Hugo presbyter Cardinalis Sanctae Sabinae, Alexander Alenſis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonaventura, ac caeteri uſque in hanc diem ſcholaſtici Theologi: quorum praecipua cura fuit divina teſtimonia de ſcripturis ſanctis numeratim producere: hos Rabbi David Kimki, caeterique recentiores Judaei ſequuntur in diviſione, ſupputatione, & allegatione capitum veteris teſtamenti. Hactenus de diviſione.

DE COLLECTIONE vero, qua ſecundum partitionis officium expletur, animadvertendum eſt hanc partem non eſſe rem vulgaris induſtriae, ſed ſolertiae acutioris, ſicut enim ante, quam diviſionem aggrediamur, oportet nos id diligenter inſpicere, quod proponitur dividendum, & analogiam dividendarum partium recte noſſe, ne perperam diviſio ſuccedat: ita in colligendo opus eſt acri quodam judicio, quod ſingularum diviſarum partium ſive capitum ſeparatas ſummulas apte, breviter, & integre colligat, & quam breviſſime coarctet ſub argutis, ac ſtrictiſſimis quibuſdam titulis, & inſcriptionibus ad capitulorum initia praefigendis. Quod quam ſit factu difficile, arguit multiplex illa capitalium tituforum, ſive argumentorum, quae capitibus divinae ſcripturae praeponuntur, diverſitas, in ſingulis pene vulgatis codicibus evarians, praeſertim vero in capitulis librorum obſcurioribus; qualia multa ſunt in Prophetis, & in epiſtolis Pauli: in

Digitized by Google

cujus quarto capite epistolae ad Romanos decem inveni argumenta, sive inscriptiones: ex quibus aliquot summam unius aut duarum sententiarum totius capituli, caeteris omissis perstringebant; aliae longe a toto capitis scopo aberrabant; nonnullae vero etiam cum tota capitis sententia ex diametro pugnabant: quas nunc brevitatis gratia praetereo, subjiciens in locum harum diversas inscriptionum, seu argumentorum formulas super Psalmo centesimo decimo sexto: ut ex his artificium colligendi varium utcunque percipias.

Argumentum Psalmi CXVI. ex Paulo ad Romanos capite decimo quinto.

1 Gentes de misericordia, Judaei de veritate Deum laudent.
PAULI ALIUD EX EODEM LOCO.

2 Gentes ex sola misericordia honorent Deum, Judaei ex promissionibus.
ARNOBII.

3 Gentes, Judaeis exclusis, ad Dei laudes invitantur.
EUSEBII CAESARIENSIS.

4 Ethnicae vocationis vaticinium.
CHRYSOSTOMI.

5 Praedicationis Evangelicae, universum orbem occupaturae, praedictio.
CASSIODORI.

6 Psalmorum, hymnorumque omnium initium, finis, atque compendium.
EUTHYMII.

7 Psalmus epeneticus, convocans omne mortalium genus ad Christi laudes, & ad gratias ei agendas pro tantis in nos collatis beneficiis.
REMIGII.

8 Invitatur universum genus humanum ad celebrandum Deum propter misericordiam nobis in adventu Christi exhibitam.
HONORII.

9 Gentes primum, Judaeos deinde ad divinas laudes invitari.
SMARAGDI.

10 Laus Dei ex misericordia, & veritate: quod his duabus virtutibus omnia divinarum virtutum opera comprehendantur.
DAVID KIMKI JUDAEI.

11 Hymnus laudatorius לימות המשיח limoth Hamasciach, hoc est ad dies Messiae prospiciens.

DE EPITOME METHODUS QUINTA.

ΕΠΙΤΟΜΗ, EPITOME, hoc est breviarium, sive Compendium, & brevissimum divinorum voluminum summarium, comprehendens pauciissimis verbis, & succincto quantum fieri potest, ac dilucido sermone perstringens ea, quae fusius, & per multas repetitiones in divina scriptura, cui *ταυτολογία* familiarissima est, enarrantur, servata semper sacrae narrationis integritate, ac sensu. Hujus Methodi exemplum cum in Psalmo centesimo decimo sexto propter ejus angustam brevitatem exhiberi nequeat, apponam tibi ejus vice primum Geneseos caput; quod Marcus Antonius Sabellicus ita in Compendium contraxit.

EXEMPLUM COMPENDII SUPER TOTO PRIMO GENESEOS CAPITE.

AETERNA illa majestas, rerum omnium opifex, senis diebus mundum universum ab initio operata, primum lucem a tenebris discrevit, cum jam rudis adesset materia; eademque informis, quam Deus a principio paraverat: fuitque omnium haec prima lux, dies, quae mundo affulsit: nox illi continuo juncta est. Coelum inde secunda die in sublimi constitutum: idque firmamentum appellatum. Tertia deinceps die terra stabilita: humorque terrae circumfusus. Sol quarta luce, Luna & stellae mundo emicuerunt: harum paucae, ut majora illa lumina,

Digitized by Google

na, certis errant ſpatiis: caetera multitudo, quae porro immenſa eſt, varietateque diffuſa, pene innumeras rerum, & animalium praeſcribit effigies. Mox quinta die volucres, & omnia natantia duobus ſunt elementis data. Sexta demum die reptantia,& ipſum quadrupedum genus attributum eſt terrae, & cum his nobiliſſimum animal homo: qui unus coeleſtem mentem ſortitus, ad imaginem Dei factus eſt. Reliquerunt nobis, ut fama eſt, hujus laboris in univerſam divinam ſcripturam non aſpernanda monumenta Aurelius Caſſiodorus, & Riccardus Victorinus.

DE EGLOGE, SIVE EXCERPTO METHODUS SEXTA.

ΕΚΛΟΓΗ Egloga, ſive excerptum (ſic enim Melito, & Cyprianus hunc exponendi modum appellarunt) Methodus eſt decerpens hinc inde ex omnibus ſparſim divinis voluminibus diverſas ſcripturarum auctoritates, ſententias, periodos, teſtimonia, exempla variaque dicta, factaque, aut ad inſtructionem fidei, & probationem dogmatum Chriſtianorum, aut ad diſciplinam morum, & ad pietatis exercitationem: cujus quidem Methodi ab eccleſiaſticis viris diverſae formulae excogitatae ſunt: in quibus tres uſitatiores habentur, videlicet Specula, Loci communes, & Harmoniae.

SPECULA vocantur volumina, in quibus juxta ordinem librorum utriuſque Teſtamenti coacervatur indiſcriminatim,& ſine ullo ordine ingens & indigeſta farrago ſententiarum divinae ſcripturae, aut ad fidei, aut ad morum eruditionem pertinentium: ſicut fecit Auguſtinus in libro, quem ipſe SPECULUM inſcripſit.

LOCI COMMUNES dicuntur, in quibus ſententiae hinc inde per diverſas ſcripturae ſanctae partes diſperſae rediguntur in peculiares quoſdam ordines, ſive claſſes, variis inter ſe titulis, argumentis, & capitulis diſtinctas; quales ſunt loci de fide, de ſpe, de charitate, & his ſimiles: ſub quibus ſeparatim collocantur omnes illae ſententiae, quae vel ad fidem, vel ad ſpem, vel ad charitatem ſpectant; atque earum naturam, vim, proprietates, & officia ſingula ſuis verbis oſtendunt, atque exponunt. Exercuerunt ſe in hac parte Melito, Sardenſis epiſcopus, & Cyprianus: quorum ille collegit ex divinis literis opus praenotatum ἐκλόγων βίβλια ἓξ: hoc eſt, *Excerptorum libri ſex ad Oneſimum* (a): in quibus ſub variis titulis omnes ethicas ſententias, quae ad bene beateque vivendum in ſacris literis traduntur, decenti ordine digeſſit. Cyprianus vero ad Quirinum filium tres libros conſimilis argumenti conſcripſit; duos priores ad fidei fulcimentum, tertium ad aedificationem bonorum operum neceſſarium. Laborarunt etiam in hoc ipſo genere plerique alii, ex quibus nonnulli inter locos communes ſacrarum ſententiarum a ſe collectos inſeruerunt multas orthodoxorum patrum ſententias, locis illis conformes; quae veluti expoſitiones eſſent praecedentium locorum, quemadmodum fecerunt Beda presbyter, & Defenſor vetuſtus auctor in his libris, quos SCINTILLAS SCRIPTURAE SANCTAE inſcripſerunt. Alii vero unius tantum argumenti geſta, dictaque ex divinis literis collegerunt, & in unum corpus redegerunt, & inſertis de ſuo brevibus expoſitiunculis illuſtrarunt: ſicut factum fuit ab auctore trium librorum, qui De mirabilibus ſacrae Scripturae ſub Auguſtini nomine inſcripti ſunt. (b)

HARMONIA appellatur opus conſtructum ex ſimilibus dictis, ac ſententiis diverſorum incomplexorum, & inordinatorum voluminum invicem ad unius rei

(a) De Melitone ſupra verbum fecimus, hic dumtaxat adnotare debemus,quod liber *Excerptorum*, quem N. Sixtus laudat, re vera fuit editus ab eo, ſed nunc nil aliud extat ejus, quam ἀνατασμάτιον ſeu praefatio Epiſtolae ad Oneſimum fratrem, in qua catalogum texit librorum Veteris Teſtamenti, quam praefationem refert etiam Euſebius *Lib.IV. Hiſt.Eccl. cap.26.* quare apertiſſime colligitur genuinos non eſſe libros, quos hac de re editos Melitoni Sixtus adjudicat. Videſis Dupinium, Cavium, ceteroſque de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractantes.

(b) Sapienter nimis N. Sixtus inquit librum *de Mirabilibus S. Scripurae* ſub Auguſtinini nomine venditatum alteri eſſe adjudicandum, quod longe ante adnotaverat etiam S.Thomas *3.p. Qu.XLV.art.3.* quum nec Stylo, nec ingenio referat M. P. Auguſtinum. Quis autem ejus operis fuerit verus Author? prorſus ignotum, fortaſſe Auguſtinus quoque doctus, & Epiſcopus vel Cantaurienſis, vel Cambrenſis; & certe natione Hibernus fuit, ut ex ejus met verbis conſtat, ex quibus etiam patet eum ſcripſiſſe poſt Annum Chriſti DCLXI.Videſis admonit.PP.BB. in *Appendic. T.III. Oper. S.Auguſtin. nov. edit.*

Digitized by Google

rei expoſitionem contextis, & in unum continuum ordinatum integrum perfectumque volumen redactis. Nec deſunt qui duplex aſſignent Harmoniae genus; unum, in quo literalis contextus partes, ac periodi conſimilem habentes ſenſum accommodantur: alterum, quod abſque ulla literarum ſcriptura ex ſolis numeralibus notis componitur. Exhibuit nobis in hoc poſteriori genere exemplum Euſebius Caeſarienſis in libro Evangelicorum canonum ad Carpianum: Prioris vero generis praeclara monumenta reliquerunt Tatianus Alexandrinus, Theophilus epiſcopus Antiochenus, Ammonius Alexandrinus (a), multique alii; qui quatuor Evangeliſtarum hiſtorias in unius hiſtoriae corpus compegerunt: quod alii MONOPANTON, hoc eſt unum ex omnibus; alii MONOTESSARON, hoc eſt unum ex quatuor; alii PANDECTAM, id eſt Omnia continens; alii HARMONIAM EVANGELICAM inſcripſerunt.

INTER hos autem nonnulli quoque fuerunt, qui hujuſmodi Harmonias, vel a ſe, vel ab aliis editas, adjectis propriis explanationibus, elucidarunt; ſicut Zacharias, Chryſopolitanus epiſcopus, qui in Harmoniam Ammonii Catenam explanationum ex patribus contexuit; & Antonius Bruychius, qui Monoteſſaron Evangelicum a ſe collectum propria expoſitione proſecutus eſt. Speramus & nos, ſi Deus coeptis annuerit, propediem emiſſuros in lucem Sophiae MONOTESSARON, quod nunc habemus prae manibus, hoc eſt unum ex quatuor, videlicet Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Sapientiae, & Eccleſiaſtici libris: quo opere ſingulas cujuſque generis, & argumenti ſententias, hinc inde iiſdem voluminibus diſperſas, ſub certis, ac diſtinctis ordinibus, & titulis ſeparatim redegimus, & adhibitis brevibus commentariis illuſtrare coepimus. Haec ſatis ſint de Egloge: cujus Methodi tria tantum exempla ſubnectimus, primum Locorum communium ex memoratis Cypriani libris ad Quirinum, ſecundum Harmoniae literalis ex Harmonia Evangelica Ammonii, tertium Harmoniae numeralis ex Euſebio.

EXEMPLUM LOCORUM COMMUNIUM EX DIVO CYPRIANO, QUO ETIAM AUGUSTINUS ADVERSUS PELAGIUM USUS EST.

In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit.

Joan. 3. c
1. Cor. 4. b
2. Reg. 2. a
1. Reg. 2. a
2. Mac. 9. 12.
2. Mac. 2. 62.

IN *Evangelio xatà Joannem*, Nemo poteſt quicquam accipere, niſi datum illi fuerit de coelo: *item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima*, Quid enim habes quod non acceperis? Si autem accepiſti: quid gloriaris, quaſi non acceperis? *item in βασιλίων libro primo*, Nolite gloriari, neque loquamini elata: non procedat magniloquentia ex ore veſtro: quia Deus ſcientiarum Dominus: *item illic*. Invalidus factus eſt arcus potentum, & infirmi accincti ſunt virtute: *de hoc ipſo in Maccabaeis*, Juſtum eſt ſubditum Deo eſſe, & mortalem non paria Deo ſentire: *item illic*, & verba viri peccatoris ne timueris, quia gloria ejus in ſtercore erit, & in vermibus: hodie extolletur, & cras non invenietur: quoniam converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus peribit.

Credendi, vel non credendi, libertatem in arbitrio poſitam.

Deu. 30. b
Eſa. 1. c
Luc. 17. c

IN *Deuteronomio*, Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige vitam, & vives: *item apud Eſaiam*, etſi volueritis, & audieritis me; bona terrae edetis: ſi autem nolueritis & non audieritis me; gladius vos conſumet: os enim Domini locutum eſt iſta: *item in Evangelio xatà Lucam*. Regnum Dei intra vos eſt.

Exem-

(a) Ammonius Alexandrinus Anno CCXX. clarus Origenis in Philoſophia praeceptor (alter certe ab Ammonio Alexandrino itidem, ſed Monacho An. CCCLXX. claro) inventor fuit Canonum Evangelicorum, ut Euſebius, & Hieronymus tradunt, cui propterea recte ab Authore N. adjudicatur Monoteſſaron, ſeu Harmonia Evangelica, ſicut & in praeſentiarum ab Eruditis Criticis univerſim vindicatur. Verum quia diſtincte non fuit locutus N. Syſtus, dum de eo, & Tatiano verbum fecit: advertendum, quod Tatianus author fuit Diateſſari, & non Monoteſſari, quare non recte a Victore Capuano Monoteſſaron Titiano adſcribitur. Videſis Baronium, Bellarminum, Aubertum Miraeum, Cavium, Fabricium, alioſque.

Digitized by Google

Exemplum Harmoniae Literariae ex Harmonia evangelica Ammonii in hiſtoriam Chriſti ejicientis vendentes, & ementes de templo, contextum ex dictis quatuor Evangeliſtarum, videlicet ex Matt. 21.cap. ex Mar. cap. 11. ex Luc. cap. 19. & ex Joan. cap. 2.

JOANNES, Prope erat Paſcha Judaeorum, & aſcendit Jesus Hieroſolymam. MATTH. & cum intraſſet Hieroſolymam, commota eſt univerſa civitas, dicens: Quis eſt hic? populi autem dicebant, Hic eſt Jesus Propheta a Nazareth Galilaeae. JOAN. & intravit Jesus in templum Dei: & cum feciſſet flagellum de funiculis, ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo: oves quoque, & boves, & menſas nummulariorum effudit: aes, & cathedras vendentium columbas evertit: & dicit eis: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. MATTH. MARC. LUC. ſcriptum eſt enim, Domus mea, domus orationis vocabitur. MARC. Omnibus Gentibus. MATTH. MAR. LUC. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. MARC. Et non ſinebat, ut quiſquam vas transferret per templum. JOAN. Recordati vero ſunt diſcipuli, quia ſcriptum eſt, Zelus domus tuae comedit me: MATTH. acceſſerunt ad eum caeci, & claudi in templo, & ſanavit eos. LUC. Et erat docens quotidie in templo.

TALE eſt igitur exemplum Harmoniae literariae ex Ammonio deſumptum. EUSEBIUS Caeſarienſis, Ammonii ſtudio excitatus, excogitavit & ipſe novam Hermoniae Numeralis rationem ex Solis numerorum notulis, abſque ulla evangelici contextus ſcriptura compoſitam. Primum ſiquidem conſideravit, Ammonium ſingulos quatuor Evangeliſtas in multa capita diſſecuiſſe, nempe Matthaeum in trecenta & quinquaginta quinque capita, & Marcum in centum triginta quinque, Lucam in trecenta quadraginta quatuor, Joannem in ducenta triginta duo: deinde hos capitulorum numeros, prout inter ſe diverſis rationibus vel conveniebant, vel differebant, alterum alteri oppoſuit, & in decem numeralium figurarum claſſes, ſive tabellas, ſive titulos, quos canones appellavit, eleganti ac perſpicuo ordine digeſſit hunc in modum.

PRIMUS Ordo quatuor in ſe continebat numerorum ſeries, indicantes loca, ſive capita Evangeliorum, in quibus ſimilia ab univerſis quatuor Evangeliſtis dicta eſſent, Matthaeo ſcilicet, Marco, Luca, & Joanne.

SECUNDUS continebat numeros capitum, in quibus tres convenirent, Matthaeus ſcilicet, Marcus, & Lucas.

TERTIUS habebat numeros, in quibus tres concordes eſſent, Matthaeus videlicet, Lucas, & Joannes.

QUARTUS comprehendebat numeros capitum, in quibus tres coirent, nempe Matthaeus, Marcus, & Joannes.

QUINTUS, in quibus duo, Matthaeus, & Lucas.

SEXTUS, in quibus duo, Matthaeus, & Marcus.

SEPTIMUS, in quibus duo, Matthaeus, & Joannes.

OCTAVUS, in quibus duo, Marcus, & Lucas.

NONUS, in quibus duo, Lucas, & Joannes.

DECIMUS, in quibus ſinguli de quibuſdam proprie ſcripſerunt.

HUJUS artificii exemplum habes in ſubjecta figura.

EXEM-

Digitized by Google

EXEMPLUM HARMONIAE NUMERALIS EX LIBRO EVANGELICORUM CANONUM EUSEBII AD CARPIANUM.

Evangelicorum Capitum, in quibus omnes quatuor Evangeliſtae conveniunt.

CANON PRIMUS.

MATTHAEUS.	MARCUS.	LUCAS.	JOANNES.
VIII.	II.	VII.	X.
XI.	IIII.	X.	VI.
XIIII.	V.	XIII.	XV.
XXIII.	XXVII.	XVII.	XLVI.
LXX.	XX.	XXXVII.	XXXVIII.
CXVIII.	XCVI.	CCV.	XL.
CXXXIII.	XXXVII.	LXXVII.	CIX.
CXLI.	L.	XIX.	LIX.
CXLII.	LI.	XXI.	XXXV.
CXLVII.	LXIIII.	XCIII.	XLIX.
CXLVI.	LXXXII.	XCIIII.	XVII.
CCIX.	CXII.	CCXXXIIII.	C.
CCXI.	CXXI.	CCXXXVIII.	XXI.
CCXX.	CXXII.	CCXXXIX.	LXXVII.
LXXXVII.	CXXXIX.	CCL.	CXLVI.
CCXLIIII.	CXXXIX.	CCL.	CXLI.

HUJUS canonis & aliorum ſimilium intelligentiam aſſequeris facillime, ſi ſciveris omnes numeros, qui a ſiniſtra in dexteram in eadem linea collocantur, indicare locos Evangeliorum inter ſe conſonos & concordes: ſicut in prima linea animadvertere potes; in qua octavum Matthaei caput, Marci ſecundum, Lucae ſeptimum, Joannis decimum oſtendunt quatuor infraſcriptas Evangeliſtarum ſententias eſſe perſimiles.

Matt. 8. a MATTHAEI VIII. HIC eſt, de quo dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

Mar. 2. a MARCI II. SICUT ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

Luc. 7. LUCAE VII. SCRIPTUM eſt in libro ſermonum Eſaiae Prophetae, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus.

Joan. 10. c JOANNIS X. EGO vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini: ſicut dixit Eſaias Propheta.

IN caeteris hujus figurae lineis, & in aliis, quae habentur in canonibus Euſebii, ſicut idem ordo ſervatur, ita idem intelligendi modus habendus eſt.

DE EXPOSITIONE NOTARIACA METHODUS SEPTIMA.

NOTARIA, ſive Notariaca expoſitio, eſt Methodus, quae per notas quaſdam, ſive characterum, ſive linearum, vel punctorum, divinis ſcripturis vel appoſitas, vel inſertas, verborum, ac ſententiarum, ac latentium ſenſuum rationem demonſtrat: quarum apud vetuſtiſſimos; praeſertim Graecos, expoſitores, & in veteri potiſſimum Teſtamento frequentiſſimus fuit uſus: ex his pauca quaedam exempli gratia collegimus ex Epiphanio, Hieronymo, Stratonico, Suida, & Iſidoro: quorum ſumma haec eſt.

OMNIS, quae per notas fit, expoſitio, duplici conſtat notarum varietate. Ex iis aliae quidem Literatae dicuntur, aliae vero Illiteratae: quarum figurae, & nomina ſunt haec.

NO-

Digitized by Google

	NOTAE LITERATAE.		NOTAE ILLITERATAE.	
1	A Apile.	1		Stauron.
2	Γ Gehennon.	2		Ancyra.
3	Δ Diavolos.	3		Ancyranos.
4	E Ecclisis.	4		Asteriscus.
5	Z Zitima.	5		Obelus.
6	M Mellon.	6		Metobelus.
7	X Xenion.	7		Ceraunion.
8	ϰ Vranion.	8		Obelos anostigmenon.
9	Π Pneuma.	9		Limniscus.
10	T Tropos.	10		Sublimniscus.
11	Y Ypsilon.	11		Antigraphus.
12	Y Ypsilon ypogrammenon.	12		Antisima.
13	X Character.	13		Cryphia.
14	XX Character diplos.	14		Dipla.
15	⊐ Sagur.	15		Diplaperistigme.
	ϸ Pethach.	16		Scilus nechudot.

DE NOTIS LITERATIS.

Notarum literatarum formas, nominaque jam habes: nunc singulas cujusque significationes & expositiones accipe.

A APILE, id est Comminatio, significat vaticinia Prophetarum, quibus haec nota praefigitur, non esse prophetias immobilis & inevitabilis decreti, sed mutabilis eventus, non decernendi, sed comminandi gratia pronunciatas: ceu sunt praedictio Esaiae Prophetae dicentis ad Ezechiam: A, DISPONE domui tuae: cras enim morieris, & non vives. Itemque vaticinium Jonae ad Ninivitas clamantis: A ADHUC quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Esa. 38. a * Jonae 3. b

Γ, GEHENNON Locos notat, qui in veteri testamento obscure loquuntur de perpetuis gehennae suppliciis: qualis est ille apud Esaiam, Γ PRAEPARATA est ab heri Tophet a rege, praeparata, profunda, & dilatata: nutrimenta ejus ignis, & ligna multa; flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam. Esa. 30. g

Δ, DIAVOLOS Sententiis praenotata, indicat eas esse de diabolo intelligendas, veluti eam, quam Moses in Genesi scripsit: Δ, DIXIT autem serpens ad mulierem, Nequaquam morte moriemini. Et illam apud Job, Δ BEHEMOTH, quem feci tecum, foenum quasi bos comedet ... stringit caudam suam, quasi cedrum ... & ipse est principium viarum Domini. Gen. 3. a Job. 40. b

E, ECCLISIS, hoc est Evocatio, periodum ostendit loquentem de vocatione

Digitized by Google

ne gentium, ſive de Eccleſia Chriſti ex Gentibus congreganda; ut eſt illa in Eſaia
Eſa. 60. a Propheta, E, SURGE, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui, &c.

Z, ZITIMA, id eſt Quaeſtio, abſtruſam ac reconditam ſententiam denotat, obſcuritate maxime involutam, & quaeſtionibus difficillimis implicitam: qualis
Rom. 9. b * eſt illa Pauli pericope in epiſtola ad Romanos, Z, CUM nondum nati eſſent, neGen. 25. c
Malac. 1. a que aliquid boni vel mali egiſſent, (ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, Quia major ſerviet minori: ſicut ſcriptum eſt, JACOB dilexi, Eſau autem odio habui. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.

M, MELLON, id eſt Futurum, anteponitur ſententiae, quae licet de praeſenti loqui videatur, futurorum tamen temporum continet praenotionem: ut
Eſa. 65. c apud Eſaiam, M, ECCE ego creo coelum novum, & terram novam.

X, XENION, hoc eſt donum advenis, & hoſpitibus dari ſolitum, demonſtrat ſententias; quae de donis ac promiſſionibus terrenis & temporalibus Judaïco potiſſimum populo factis interpretandae ſunt, ſicut in Eſaia, X, SI audieritis
Eſa. 1. c * vocem meam, bona terrae comedetis.

ω, URANION, hoc eſt Coeleſte, locum prodit, in quo aeternae vitae felicitas deſcribitur: ut in Pſalm. 83. ω; Quam dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini... Beati, qui habitant in domo tua; Domine in ſaecula ſaeculorum laudabunt te.

Π, PNEUMA, id eſt Spiritus, ſignificat pericopen intelligendam eſſe non
Cant. 2. c carnaliter, ſed ſpiritualiter, quemadmodum in Cantico canticorum, Π SURGE, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae: oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

T, TROPOS, hoc eſt Locutionis modus, admonet ſubſequens dictum non eſſe intelligendum juxta primam ac nudam vocis ſignificationem, quam verba praeſeferunt, ſed ſecundum uſitatam alicujus gentis locutionem: qua nota utebantur veteres ad indicandum locos divinae ſcripturae, Hebraïcis phraſibus, tropis, & idiotiſmis expreſſos, ut in Pſalmo quinto decimo, *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*, tantundem valet, ac ſi dicas, Optima & illuſtris ſors mihi obtigit:
3. Reg. & in tertio volumine Regum, T, BENEDIXIT Naboth Deo, & regi & propterea lapidatus eſt: hoc eſt, quia maledixit Deo & regi, lapidibus interfectus eſt.

Y YPSILON indicat ſententiam proxime ſequentem exponendam eſſe de
Eſa. 5 jectione, & depoſitione populi Judaïci, ut in hac Eſaiae ſententia, Y, OSTENDAM vobis quid faciam vineae meae: auferam ſepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam: non putabitur, non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres, & ſpinae, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.

Y, YPSILON ypogrammenon, hoc eſt Linea ſubſcriptum, ſignificat ſententiam, cui ipſum praeponitur, loqui de rejectione veteris legis ſecundum car-
Eſa. 1. 13. 14. nem. Verbi gratia, cum Deus per Eſaiam dicit: Y, NON offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi: neomeniam, & ſabbatum, & feſtivitates alias non feram. Kalendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Facta ſunt mihi moleſta. Laboravi ſuſtinens.

X, CHARACTER, hoc eſt, ſtylus, figura, vel ſicut Gellius interpretatur, genus dicendi cuilibet auctori peculiare. Hac nota, ut ſcribit Diogenes Laërtius, ſolebant Platonici in libris Platonis annotare phraſes & locutiones Platoni proprias, & electiores: quod & olim in ſcriptis Gregorii Nazianzeni ſtudioſos quoſdam Gregoriani characteris annotatores factitaſſe teſtatur in Collectaneis Stratonicus.

XX, CHARACTER duplicatus: hoc ſigno, ut refert Diogenes, in operibus Platonicis aſſumebatur ad deſignandas opiniones & dogmata Platoni propria, in quibus ipſe a caeteris philoſophis omnino diſſentiret. Hanc notam in Origenis voluminibus poſuerunt Gregorius Nazianzenus, & Baſilius, ad indicandum pecu-

Digitized by Google

culiaria ejus dogmata a communi patrum definitione discrepantia.

ס, SEGAR id est Clausura, sacris Hebraeorum codicibus inserta, significat sequentem narrationem cohaerere priori.

ס, PETHACH, id est Porta, sive apertura, in iisdem divinis Judaeorum voluminibus ostendit sequentem narrationem habere diversum argumentum a priore.

DE NOTIS ILLITERATIS.

✠ STAVRON Graece, Latine Crux, praefigitur clausulis veteris testamenti, quae vaticinium de Christo continent: quale illud est in Psalmo vigesimo primo, ✝, FODERUNT manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea: & in Psalmo sexagesimo octavo: ✝, DEDERUNT in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Psal. 21. 17. Psal. 68. 22.

⚓ ANCYRA, id est Ancora, praefixa sententiae ostendit in ea mentionem fieri de novo testamento, & Evangelio, quemadmodum in Jeremiae capite trigesimo primo, ubi legitur, ⚓ ECCE dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda foedus novum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris, quando eduxi eos de terra AEgypti: & hoc erit pactum, quod faciam cum domo Israël. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam. Jer. 31. 32. 33.

⚓ ANCIRANOS, id est Ancora superior, apponebatur tam sacrae lectioni, quam expositorum commentariis, ubi aliqua res erat maxime prae caeteris observanda ac notanda: nunc in hujus notae locum jurisconsulti manum subrogarunt, quae protento indice locum ostendat.

✳ ASTERISCUS, hoc est Asterismus, sive Stella, ostendit dictiones, & sententias divinae scripturae, quas priores interpretes omiserunt: posteriores vero interpretes ex Hebraïca veritate restituerunt: veluti in translatione Hieronymi apud Oseam Asteriscus praefulgens sententiae illi, *, *Ex Aegypto vocavi filium meum*, notat eam fuisse a septuaginta interpretibus praetermissam, & demum fuisse ab Hieronymo loco suo repositam. In operibus Platonis apponebatur haec nota ad dogmatum approbationem. Ose. 11. Matth. 2. 15.

— OBELUS, id est Veru, lancea, vel hasta, vel jacens, vel transversa virgula pyramidalis praeponitur verbis, sive sententiis divinorum codicum superflue iteratis, sive in his locis, ubi lectio ascititia videtur incertae, obscurae, vel ambiguae auctoritatis: ut tali nota veluti sagitta confodiantur suspecta, ac superflua. Sic Hieronymus dicit se in libro Danielis, Susannae, & Belis historias, quia in Hebraïcis voluminibus non haberentur, antepositio Veru jugulante transfixisse, ceu narrationes praeter Hebraïcam veritatem ex Theodotionis editione desumptas. Epiphanius tradit Origenem primum omnium asteriscos ad illustrandum, quae minus ante fuerunt, & obelos ad jugulandum superflua, divinae scripturae codicibus apposuisse. Dan. 13.

⁘ METOBELUS, id est post veru, ponitur statim post verba, vel sententias jugulatas: ut quae jugulata sunt, a caeteris, quae in textu sequuntur, verbis distinguantur: ut, cum in Psalmo vigesimo primo juxta Septuaginta editionem legitur, *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* apparet, quod duo illa verba, Respice in me, inter obelum, & metobelum posita, superflua sint. Psal. 21.

Ψ CERAUNION, hoc est fulmen, ponitur, quoties multi versus improbantur, ne per singulos obelentur: quo signo Julius Afer Susannae, & Belis historias in calce libri Danielis additas, rejecit. In libris Platonicis Ceraunion ad moralem philosophiae institutionem assumebatur. Dan. 13.

⁘ OBELUS ANOSTIGMENON, id est Superne punctum habens, ponitur in his, de quibus dubitatur, utrum tolli debeant, vel apponi: verbi gratia, Lucae tertio capite, Generatio Cainam, quam Evangelista interposuit inter generationem Arphaxad, & Sale, enumerans quindecim generationes ab Adam usque ad Heber, obelo superne punctuato signanda videtur: quia in decimo, & in undecimo capite Geneseos, & in principio primi Paralipomenon ab Adam ad Heber tantum quatuordecim generationes numerentur; nullaque prorsus fiat mentio de generatione Caïnam. Luc. 3. 36.

Digitized by Google

LIMNISCUS, id eſt virgula, inter geminos punctos jacens, alterum ſuperne, alterum inferne, apponitur in his, quae diverſi ſacrae ſcripturae interpretes eodem ſenſu, ſed diverſis ſermonibus tranſtulerunt: veluti cum in vetuſto pſalterio in Pſalmo ſeptuageſimo primo ponebatur ſecundum ſeptuaginta editionem, *Et honorabile nomen eorum coram ipſo*, ſtatim addito Limniſco ⸗ ſubjiciebatur, *In oculis ipſius*, ſecundum aliam translationem. Limniſcum . vero inter has duas translationes Origenes idcirco interpoſuit, ut agnoſceres unam ſententiam a duobus interpretibus duobus diverſis modis fuiſſe converſam. Eſt autem haec nota a medicis chirurgis deſumpta: apud quos Limniſcus eſt linamentum, ſive linteolum detritum, in tenuem ac longam formam confectum, quod duabus ſectionibus inciſi vulneris immittitur.

Pſal. 71. 14.

SUBLIMNISCUS, id eſt Simplex linea, ſubjectum habens punctum, ſignificat ſententiam, cui apponitur, a duobus, vel tribus interpretibus eodem ſenſu, & iiſdem verbis fuiſſe translatam.

CANTIGRAPHUS, id eſt Semicirculus dextra ſpectans, & punctum intra ſe tenens, ſignificat in translationibus eſſe ſenſum, vel inter ipſos translatores diverſum, vel ab ipſa Hebraïca veritate diſſentiens: veluti locus ille Geneſis, qui Hebraïce legitur, *Et Joſeph accuſavit fratres ſuos apud patrem de crimine peſſimo*, Aquila ſenſu non ſolum ab editione noſtra, ſed ab ipſa Hebraïca ſcriptura plane diverſo vertit, *Accuſaverant Joſeph fratres ſui apud patrem de crimine peſſimo*.

Gen. 37. 2.

ANTISIMA ponitur ad eas divinae ſcripturae lineas, ac verſus, quorum ordo permutandus eſt, ſicut & in antiquis auctoribus poſitus invenitur: veluti cum in Graeca editione Evangelii ſecundum Matthaeum, quam in uſu habuit, & expoſuit Chryſoſtomus, *Beatitudo lugentium* praeponitur beatitudini mitium: notanda eſt *Beatitudo lugentium* ſigno ·), ut noſcat lector verum ordinem duarum beatitudinum eſſe tranſpoſitum. Hieronymus in locum hujus ſigni adhibuit in translatione libri Eſther octo priores literas alphabeti Graeci, minio deſcriptas, ab alpha uſque ad thita: ut ex earum poſitione ordinem Hebraïcae hiſtoriae, a ſeptuaginta interpretibus ſusque deque jactatum, reſtitueret.

Matt. 5. 4. 5.

CRYPHIA, hoc eſt Occultatio, circuli pars inferior eſt, punctum intra ſe continens: ponitur autem in his locis, ubi quaeſtio dubia & obſcura aperiri, vel ſolvi non potuit: quam notam nonnulli ex vetuſtiſſimis patribus praepoſuerunt verbis Pauli in undecimo capite ad Romanos, *O altitudo divitiarum ſapientiae, & ſcientiae Dei*, volentes hoc ſigno indicare quaeſtionem illam de electione gentium, & reprobatione Judaeorum, nono, decimo, & undecimo capite ab Apoſtolo tentatam, non fuiſſe ab ipſo ſolutam. Eadem nota uſi ſunt veteres expoſitores in commentariis ſuis, ubi difficultatem arduam indeciſam reliquerunt.

Rom. 11. 33.

DIPLE, hanc ſcriptores appoſuerunt in libris eccleſiaſticorum virorum ad ſeparanda, vel demonſtranda teſtimonia ſanctarum ſcripturarum, ne cum verbis, ac lectione commentariorum confundantur: nunc in locum hujus notae ſucceſſit haec nota ↄↃ.

DIPLE periſtigme, id eſt Cum geminis punctis: hanc antiqui apponebant in his, quae Enodothus Epheſius in carminibus Homericis non recte adjecerat, aut detraxerat. Eccleſiaſtici in his uſi ſunt, quae interpretes Hebraïcae veritati adjecerant, vel ademerant.

◆ SCILUS NECHUDOTH, id eſt Tria haec puncta, ſuper quamvis literam
◆◆ poſita, apud Kabaliſtas Judaeorum expoſitores in uſu ſunt, quoties per ſingulas alicujus dictionis literas ſingulas dictiones volunt intelligi: verbi gratia cum in Pſalmo tertio dicitur, *Multi inſurgunt adverſum me*, kabaliſtae, exponentes hoc de populo Judaïco, quaerunt, qui ſunt iſti רבים Rabim, id eſt, Multi, qui inſurgunt adverſus populum Israël? ∴∴∴∴ & reſpondent, Iſti ſunt illi quatuor populi, quos David ſignificat per quatuor literas dictionis רבים Rabim; hoc eſt, ר res, Romani; ב beth, Babylonii; י jod, Jones, ſive Graeci; ם mem, Medi, ſive Perſae: has enim quatuor dictiones literae ſuper notatae punctis oſtendunt. Sunt & aliae hujus artificii notae quamplurimae: ſed haec in exemplum praeſentis diſciplinae ſatis ſuperque ſunt. Diogenes Laërtius in libro tertio De vitis philoſophorum teſtatur ex praedictis notis multas in libris Platonis fuiſſe appoſitas; quas

Pſal. 3. 2.

ar-

Digitized by Google

arbitror Origenem inde acceptas, ad illuſtrationem divinorum voluminum tranſtuliſſe.

PRAETER has jam deſcriptas notas ſunt etiam nonnulli characteres, quibus ſeptem illae celebres veteris teſtamenti translationes notantur, videlicet:

OB SEPTUAGINTA duorum interpretum editionem ſignificat: pro quo charactere Latini expoſitores crebro ponunt LXX. omiſſo duorum numero brevitatis gratia.

AK AQUILAE translationem connotat.

Σ SYMMACHI verſionem deſignat.

Θ THEODOTIONIS interpretationem oſtendit.

ε EPSILON minuſculum quintam editionem Graecam, ab Origene in Hiericunte urbe Palaeſtinae inventam, demonſtrat.

ϛ EPISIGMON (ſic enim appellatur haec nota) Sextam editionem Graecam, ab Origene in litore Actiaco circa Nicopolim in doliis inventam, oſtendit.

A SEPTIMAM editionem, a Luciano martyre editam, deſignat.

DE PARAPHRASI METHODUS OCTAVA.

ΠΑΡΑΦΡΑΣΙΣ Paraphraſis, Ecphraſis, ſeu Metaphraſis, (quas, omiſſa quorundam rhetorum diſtinctione, idem ſignificare volo) illa eſt, quae ipſam divinae ſcripturae narrationem, in aliam vertit narrationem, ei proportione reſpondentem: in qua quidem, ut Themiſtius aſſerit in praefatione Poſteriorum Ariſtotelis, licet Paraphraſtae, ſervata ſemper ejuſdem ſenſus integritate, prolixa, & in longum effuſa ſubſtringere; preſſa, & conciſa libere dilatare, atque ampliare; omiſſa ſupplere; hiantia explere; involuta & obſcura apertis & conſpicuis verbis illuſtrare, & decora ſermonis elegantia exornare; atque ea, quae longe inter ſe diſſita, & nullo ordine videntur diſpoſita, connectere, & in ordinatam ſeriem diſponere.

DUAE ſunt autem Paraphraſeos ſpecies: altera preſſior, ac ſtrictior, quae nihil aliud eſt, quam liberior quaedam translatio: hanc ſive Paraphraſticam translationem, ſive Translatitiam Paraphraſin appelles, recte appellabis. Excelluerunt in hac ſpecie inter Hebraeos Onkelos, Jonathan, & Joſeph; qui Thargum, hoc eſt, Paraphraſin, in univerſum vetus Teſtamentum Chaldaïca lingua ediderunt.

ALTERA, quae aliquanto fuſior, ac latior eſt, duplici varietate diſtinguitur: ex quibus prior, quae magis verborum ſenſus, quam ipſa verba, ſectatur, ſententiam Sacrae lectionis ſub copioſa quadam breviloquentia elucidat: qua in re multum valuit apud Graecos Gregorius, Neocaeſarienſis epiſcopus, & apud Latinos Franciſcus Titelmannus. Poſterior vero, quae plus continet artificii, uſque adeo eſt verborum tenax, ut ne ullum quidem verbum ſacri contextus patiatur, aut tranſponi, aut immutari, aut praetermitti. Vocatur autem a nobis poſterior haec varietas, & quidem non inepte, Paraphraſis intertexta, quoniam verba Sacrae lectionis una cum ipſis elucidationis verbis tanto artificio intertexat, nectatque; ut, niſi characteribus, vel magnitudine, vel forma diſparibus utraque diſtincta fuerint, haud facile haec ab illis poſſint diſcerni. Hujus non minus laborioſae, quam proficuae ſolertiae exemplum praebuit Raynerius Snoygoudanus in Paraphraſi omnium Pſalmorum ab ipſo edita: quod una cum caeterarum Paraphraſeon formulis hìc inſerendum exiſtimavi.

Exemplum Paraphraſeos Translatitiae, In Pſalmum centeſimum decimum ſextum.

LAUDATE Dominum univerſae gentes: laudibus extollite illum, quotquot uſquam eſtis populi: copioſiſſime enim uſus eſt erga nos gemina miſericordia ſua, & conſtantia in promiſſis ipſius duratura eſt perpetuo.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum Paraphraſeos Latioris ſenſum magis, quam verba, proſequentis, ex Franciſco Titelmanno in eundem Pſalmum.

1 Laudate Dominum omnes gentes.

* Laudate eũ omnes populi.

2 Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus.

* & veritas Domini manet in aeternum.

1 OVOS omnes gentium nationes, quae olim longe eratis a Deo, idolis, atque daemoniis ſervientes, Deumque verum ignorantes, nunc laudem date, & gloriam Deo Domino, in quem apoſtolica edocti praedicatione credidiſtis.

* Neque ſolus de caetero Judaeorum populus Deum laudet, verum abſque diſcretione omnes populorum nationes, ubivis terrarum conſtitutae, pariter collaudate Dominum Deum.

2 Jam enim in tempore iſto gratiae, nobis omnibus credentibus impleta eſt, & opere exhibita miſericordia patribus olim promiſſa; hoc eſt, generis humani per Chriſtum redemptio: eſtque miſericordia Domini (a qua olim longe eramus, quando eramus natura filii irae) jam ſuper nos credentes corroborata, atque ſtabilita, ita ut nunquam auferri poſſit a nobis credentibus in eum.

* Et veritas promiſſionum ejus non fallet nos in ſempiternum; ſed quae promiſit, infallibili veritate cuſtodiet credentibus: quae ſane duplex ratio, maximi gaudii cunctis credentibus debet eſſe materia.

Exemplum Paraphraſeos intertextae, ex Raynerio Snoigoudano; in qua verba ſacri contextus a verbis elucidationis diſformibus literis diſcernuntur.

LAUDATE *Dominum* Deum, *omnes gentes* totius mundi: *Laudate eum*, atque magnificate beneficia gratis praeſtita *omnes populi* Judaeorum ad fidem convertendi. *Quoniam confirmata eſt*, per effectum incarnationis Chriſti *Super nos* fideles *Miſericordia ejus*, & reparatio noſtra miſericorditer promiſſa: quia quod per Prophetas promiſit, per adventum Chriſti complevit: *& veritas Domini*, quae Chriſtus eſt, *Manet* nobiſcum *in aeternum* uſque ad conſummationem ſaeculi.

Exemplum alterum Paraphraſeos intertextae, ex noſtris in varios Pſalmos commentariis, in qua contextus ab expoſitione literis majuſculis diſtinguitur.

LAUDATE unicum & verum Deum, coeli, terraeque creatorem, ac totius mundi DOMINUM, patrem Domini noſtri Jesu Chriſti, OMNES, toto terrarum orbe diffuſae GENTES, quae ſecundum naturae leges pie, ſancteque vivitis: praecipue vero, ac prae omnibus gentibus LAUDATE, celebrate, & innumeris laudibus, hymnis, Pſalmis, & canticis extollite EUM non ſola voce, ac lingua, ſed animi affectibus, & operibus voci conformibus, praedicate eum OMNES duodecim tribus Israël, ac POPULI Judaeorum inclyti, quos Dominus ex cunctis nationibus terrae ſingulari quodam privilegio elegit ſibi in peculium. Eſt autem Dominus vobis, tam gentibus, quam Judaeis hac maxime de cauſa laudandus: QUONIAM CONFIRMATA, praeſtita, pleniſſimeque completa EST, & in noviſſimis temporibus largiter, ac ſplendide effuſa SUPER NOS, non tantum Judaeos, ſed etiam Gentes MISERICORDIA, benignitas, & gratia humanae reparationis exhibita in Chriſto Jesu filio EJUS unigenito: ET eſt iterum, atque iterum Deus nobis perpetua laude celebrandus, quoniam VERITAS promiſſionum, quas olim Deus per Prophetas in ſcripturis ſanctis de mittendo filio ſuo fecerat, ipſaque Dei patris, ac DOMINI noſtri fidelitas, & dictorum firmitas, ac pollicitationum conſtantia non excidit, aut prorſus evanuit; ſed fixa permanſit, & adhuc immota MANET, & uſque adeo ſtabilis IN AETERNUM, & in ſaeculum ſaeculi permanebit; ut nulla unquam vis eam infringere, labefactare, immutareve poſſit.

DE LEXICE, METHODUS NONA.

LEXICES, hoc eſt, Vocabulariae, vel Dictionariae expoſitionis, quae Grammaticam vocabulorum ſignificationem declarat, duae ſunt varietates, nempe,

Digitized by Google

pe, Universalis, & Particularis, non aliter inter se distinctae, quam totum & partes. Ex his prior dictiones vocesque omnes Graecas, Hebraeas, Chaldaeas, & Latinas, toto divinae Scripturae ambitu comprehensas, primum divellit: divulsas deinde ac distinctas juxta alphabeticam seriem in Lexicos & Dictionarios redigit: in quo laboris genere Philo Judaeus, & Origenes apud Graecos; Hieronymus, & Sanctes apud Latinos feliciter desudarunt. Posterior autem varietas, de qua nunc potissimum loquimur, prioris quodammodo particula dici potest: hac uti solent expositores nonnulli ordinis & perspicuitatis maxime studiosi: qui in exponendis particularibus voluminum capitulis, sectionibus, & periodis, primo loco Grammaticam vocum elucidationem proponunt, mox secundo loco expositionem sensuum a priore separatam subnectentes: quod inter Latinos egregie praestiterunt Claudius Guillaudus in Commentariis super epistolis Pauli, & Hector Pinctus in explanationibus Esaiae. Hujus posterioris partis exemplum hoc erit.

Exemplum Lexicae expositionis, in Psalmum centesimum decimum sextum.

HALLELUJA הללויה, dictio haec apud Hebraeos ex duabus vocibus componitur, nempe, ex verbo הללו hallelu, & nomine יה ia: quorum illud significat, Laudate, hoc vero, Deum. JA enim est unum de nominibus Dei: qui, ut Rabbi David Kimki asserit, Ja vocatur; quia est creator mundi, & causa essendi ipsi mundo: venit enim JA a verbo היה haiha, quod significat, Fuit.

GENTES, Hebraïce dicuntur גוים goim: quo nomine solent Judaei communiter appellare omnes nationes, quae non sunt de genere Judaeorum.

CONFIRMATA EST, Hebraïce גבר gavar dicitur: quam vocem Chaldaeus interpres, & Graecus, significantius transtulerunt: is enim אגבר Agebar, vertit: hic vero, ἐκραταιώθη: quorum utrunque significat, Roborata est, valida, fortisque effecta est. Ex Valtone supra scripsimus: Agbar.

VERITAS, Hebraïce אמת Emeth, hoc in loco non solum significat adaequationem rei ad intellectum; sed fidelitatem, constantiam, & firmitatem dictorum, ac promissorum praecipue denotat.

MISERICORDIA EJUS, Hebraïce חסדו chasedo. Chaldaeus transtulit טוביה toveja, hoc est, Bonitas, vel, benignitas. Ibidem legimus: Tubeh.

MANET, Graece μένει: dictio haec in Hebraeo non habetur, sed in Graeca tantum, & Latina editione: subintelligitur tamen.

DE ANNOTATIONE, METHODUS DECIMA.

ANNOTATIONES, quas Graeci vocant σημειώσεις, σχόλια, & γλώσσας, nos Annotamenta, Vacationes, Excerpta, vel, Lingulas, vocare possumus, illae sunt, quibus, quoties deest otium ad integra conficienda Commentaria, Sanctas literas brevibus interpretatiunculis, veluti stellulis, lingulis, ac punctis quibusdam sparsim, & hinc inde illustramus; annotatis tantum his, quae vel obscuriora, vel magis insigniora videntur. In hoc labore notissimus apud Graecos fuit Appollinarius, apud Latinos vero Hugo Victorinus, & Anselmus Laudunensis, glossae, quae Interlinearis dicitur, auctor.

SUNT autem apud glossatores geminae Glossematum varietates, quae non alia ratione inter se differunt, quam Scripturae situ, & positione: ex his alteram, quae circa margines Sacri contextus collocatur, extrinsecam, sive marginalem vocant, alteram vero intrinsecam, sive interlinearem appellant, quod intra linearum septa minutioribus literis descripta coaptetur: utriusque haec sunt exempla: in quibus notulae alphabeticae, dictionibus interjectae, ostendunt locos annotationum respondentes locis Sacri contextus.

Exemplum Glossae marginalis In Psalmum centesimum decimum sextum.

a Halleluja.

LAUDATE *b* Dominum omnes gentes *c*: laudate eum omnes populi *d*. Quoniam confirmata est super nos *e* misericordia ejus: *f* & veritas Domini manet in aeternum.

AN-

Digitized by Google

ANNOTATIONES MARGINALES.

QUANQUAM *a* hic Psalmus nunc in codicibus Hebraeorum sit ἀνεπίγραφος, hoc est, titulo destitutus, in Graecis tamen exemplaribus, & in editione Latina Hieronymi titulus praeponitur Alleluja: ex quo titulo deprehenditur Psalmum esse ἐπαινετικὸν, continereque laudes, & gratiarum actiones. *b* Corde, ore, opere. *c* Praeponit gentes Judaeis, quia pauci de Judaeis crediderunt, multi de gentibus. *d* Per populos Judaeos intelligit; aut sub aliis verbis eandem repetit sententiam, laudationis vocem ingeminans, ac magis magisque intendens. *e* Humanae redemptionis gratia. Veritas, inquam, Evangelii per Christum data, nam lex non veritatem, sed umbram continebat veritatis: gratia enim, ait Joannes, & veritas, per Christum data est.

Exemplum Glossae interlinearis ex Anselmo Laudunense.

a b
Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum
a *gentiles*. b *alias, & collaudate.*

a b c
Omnes populi. Quoniam confirmata est
a *Judaei*. b *hac causa*. c *dato Spiritu Sancto, dum inimici cedunt nomini, propter quod liberati sumus.*

a b c
Super nos misericordia ejus: & veritas Domini
a *reparatio hominis misericorditer promissa*. b *Christi*. c *Christus, qui est veritas patris*.
a
manet in aeternum.
a *alias, in saeculum saeculi*.

DE COMMENTATIONE METHODUS UNDECIMA.

COMMENTATIO, quae Graece ὑπομνηματικὴ appellatur, brevis est divinae Scripturae expositio, Annotatione, sive scholiastica Methodo aliquanto copiosior: in quacunque nobis in dies tam ex quotidiana auctorum lectione, quam ex propria inventione occurrunt, & in mentem veniunt, colligimus, & tam nostras, quam aliorum expositorum sententias, sine multa cura & ordine, fere ex tempore scribimus, praeparantes vel nobis, vel aliis, veluti materiam ad construendum longe majora, longeque ampliora explanationum volumina. Ammonius Hermaeas, Hypomnemata, hoc est, Commentaria, dixit esse praeparationes ad συντάγματα, hoc est, coordinata scripta, quae multo tempore, multaque solertia in ordinem rediguntur. Nunc in consuetudinem abiit, ut sub communi Commentariorum appellatione omnia pene appellationum genera intelligantur. Professus est, prae caeteris hunc commentandi ordinem D. Hieronymus in expositione sexdecim Prophetarum, & in quatuor praesertim libris Commentariorum in Matthaeum; quos intra quindecim dierum spacium celerrima festinatione confecit. Methodus haec exempli appositione non indiget: cui quidam è regione opponunt alteram exponendi Methodum, quam propria & peculiari appellatione explanationem vocant; Commentationis brevitati omnino contrariam: est enim explanatio juxta ipsorum definitionem latissima & copiosissima, ac diu multumque meditata explicatio.

DE SCIOGRAPHICA EXPOSITIONE, METHODUS DUODECIMA.

SCIOGRAPHICA, hoc est, Umbratilis, & picturalis expositio est, quae per varias figurarum & imaginum delineationes clarius & apertius prae oculis ponit ea, quae non admodum aperte verbis exprimi potuerunt, non tam ornamenti ac decoris gratia, quam necessitatis ratione a Sacris expositoribus excogitata:

Digitized by Google

tata : nam ſicut in diſciplinis Mathematicis innumera pene habentur, quae ſine linearum, ac figurarum circumductione, nec doceri, nec diſci poſſunt : ita permulta ſunt in Sacris literis, quae cogitatione concipi nequeunt, niſi ipſarum imagines umbris, vel picturis expreſſae oculorum intuitu conſpiciantur : veluti ſunt forma, figuraque Arcae a Nohe fabricatae, ſtructura Tabernaculi Moſaïci, diſpoſitio templi Salomonis, compoſitio Templi, & urbis deſcriptae ab Ezechiele, ejuſdemque rotarum coaptatio, Terrae ſanctae, ſive totius Palaeſtinae Geographica deſcriptio, Sacerdotalium veſtimentorum ornatus; quae abſque picturarum ope, & brevium quarundam annotationum ſub ipſis picturis adjectione vix & aegre poſſunt intelligi : contra vero, adhibitis picturis, multo plura unico intuitu conſequimur, quam & longa & numeroſa Commentariorum lectione : magis enim longeque diſtinctius animo apprehenditur, & tenacius memoria retinetur, quod oculis colligitur, quam quod ſolis auribus percipitur. Unde & ipſe Deus, cum vaticinium, quod per Ezechielem Prophetam de futura urbis Sanctae obſidione protulerat, mentibus Judaeorum vellet apertius explicari, & altius inſculpi, praecepit Prophetae, ut in lateritio lapide, ſive Abaco ſingularum prophetiae partium σκιογραφίαν, ſive umbratilem picturam Geometrica arte delinearet, adumbrata obſeſſae urbis forma, una cum vallis, aggeribus, arietibus, machinis, & hoſtilibus caſtris, caeteriſque aliis ad urbium obſidionem & oppugnationem neceſſariis : ut ex aſpectu illius picturae Judaïcus populus praenunciata ſibi damna, veluti per partes certius & exactius agnoſceret. Dederunt nobis in hoc expoſitionis genere laudatiſſima opera Euſebius potiſſimum Caeſarienſis epiſcopus, qui primus topographiam totius terrae Sanctae depinxit, adjecta brevi ejuſdem picturae declaratione, Hieronymus, qui univerſi veſtimenti Pontificalis habitum, formamque venuſta delineatione expreſſit, Richardus Victorinus, qui templi Ezechielis architecturam Geometricis rationibus in tabulis deſignavit, Caſſiodorus Senator, cujus pictura veteris tabernaculi maxime celebratur, Beda Presbyter, qui ſchemata Moſaïci Tabernaculi, & templi Salomonis operum ſumma arte ſideque excudit, Albertus Dureryus, qui & formam turris Babylonicae, & quomodo in ea multa millia hominum commode habitare poſſent, primus pennicillo demonſtravit, Joannes Buteo, qui typum arcae Nohe mathematico artificio demonſtravit; ac praeter hos plerique alii a nobis in libro de Catholicis divinae Scripturae expoſitoribus enumerati. Hujus expoſitionis exemplum exhibemus tibi in pictura indumenti Pontificalis, quo ſummus olim Hebraeorum Sacerdos utebatur, appoſita ſuccincta declaratione ex Philone, & Joſepho, ex quinto libro Stromatum Clementis, & ex Hieronymo, qui per characteres numerorum indices, ſingulas ejus veſtimenti partes, & ornamenta declarat. Ezec. 4.

Digitized by Google

PONTIFICIS AARONICI ORNATUS.



A כתנת Chetthoneth, hoc eſt, Tunica byſſina, ſive Linea interula, Graece ποδήρης, id eſt, Talaris, haec adhaeret corpori; & tam arcta eſt, & ſtrictis manicis, ut nulla fere praeſertim a ſuperiori parte in ea ſit ruga: deſcenditque uſque ad crura, & talos.

B מעיל Meil, Hiacynthina tunica talaris ejuſdem coloris arctas habens manicas, & in ſuperiori parte, qua collo inducitur, uſque ad medium pectus aperta; ad extremam & imam oram, id eſt, ad pedes limbum habens purpureis, coccineis, & aureis, tam floribus, quam gemmis, mira arte diſtinctum: a quo duo & ſeptuaginta aurea tintinnabula, totidemque aurea mala punica ita dependent, ut inter quaelibet tintinnabula malum unum ſit, & inter duo mala tintinnabulum unum: ut, cum Pontifex ingreditur in Sancta Sanctorum, totus vocalis, ſonorus, & maxime populo verendus incedat.

C אפד Ephod, Septuaginta interpretes ἐπωμίδα, Aquila, ἐπίρραμμα, nos Superhumerale, quod humeris utrinque ſuperponatur, appellare poſſumus, elegans palliolum eſt abſque manicis, hiacyntho, cocco, purpura, auroque contextum in modum monaſtici ſcapularii ſine cuculla, habens humeralia duo, hoc eſt, conſtans duabus partibus aequalibus; quarum una tergum, altera pectus ad umbilicum uſque tegit; in qua circa medium pectus lacuna quaedam vacua relinquitur ad Rationalis receptionem.

D שהם Scioam, Septuaginta Smaragdos, Joſephus Sardonicas tranſtulit: ſunt gemmae duae auro incluſae tantae magnitudinis, ut in utroque ſena Patriarcharum nomina inſculpta contineantur; quae fibularum vice ſuperhumeralia utrinque circa collum annectunt.

E אבנט Aneth, Chaldaïce המיינין Hemejanin, cingulum eſt, ſive Zona lata digitos quatuor, intus inanis, ita contexta, ut exuvium ſerpentis ſenectutem exuentis, vel oblongum animalis inteſtinum videri poſſit, ſtamine conſtans byſſino, floribus, ac gemmis puniceis, purpureis, hyacinthinis, & aureis intertexta: quae ſemel atque iterum circa pectus ephodum, & tunicas aſtringit, & ad talos uſque defluit. Quocirca errant Vatablus, & Caſtalio, qui in ſuis Sciotericis anno-

Digitized by Google

notamentis hanc Zonam pinxerunt ad ſimilitudinem brevis ac latae corrigiae, a pectore umbilico tenus deſcendentis, juxta Ephodi menſuram: hos enim praedicta Philonis deſcriptio refellit.

Choſcen חשן, Graece λόγιον, nos Rationale nuncupare poſſumus: pannus eſt amplitudine palmi per quadrum, auro, iiſdemque coloribus, quibus Ephod, variegatus ita quadrans lacunae ante pectus relictae, ut eam ad amuſſim expleat: cui intextae ſunt, & auro illigatae duodecim diverſi generis gemmae, magnitudine, pulchritudine, & pretio incomparabiles, per quatuor ordines ſic diſtinctae, ut in ſingulis verſiculis terni lapides collocentur, & in ſingulis lapidibus ſingulatribuum nomina ſculpta ſint.

Tabeoth Zaab טבעות זהב ſunt annuli aurei quatuor, per ſingulos quatuor Rationalis angulos habentes contra ſe in ora poſterioris humeralis ſub axillis alios quatuor annulos, quibus Ephodus hiacynthinis interſcurrentibus vittis annectitur.

Sciarſceroth Zaab שרשרת זהב ſunt catenae aureae, quae duobus ſuperioribus Ephodi angulis, qui reſpiciunt ad collum, per annulos aureos annexae, copulabantur in ſuperiori parte cum Sardonicum poſituris; ne magnitudo, & pondus lapidum hiacynthinas vittas rumperet.

Miznepheth מצנפת, Graeci Τίαραν, nonnulli Galerum, alii Infulam vocant, lineum pileolum figuram habens dimidiatae ſpherae, nullumque habens in ſummo faſtigium, ſacerdotibus omnibus commune: cui ſuperpoſitus eſt alter hiacynthinus pileolus aliquanto ſublimior, quem auctor libri Eccleſiaſtici Mitram Salomon in libro Sapientiae Diadema vocant. Hunc aurea corona triplici ordine circundat: in cujus poſteriori parte caliculi aurei, hyoſcyami floribus perſimiles, ſpectantur; in anteriori vero parte, quae fronti imminet, ſanctum Dei nomen, quod Judaeis ineffabile reputatur, quatuor Hebraïcis literis, videlicet, י Jod, ה He, ו Vau, ה He, inciſum eſt. Sap. 18. 24. Eccl. 45. 14.

DE TABELLARIA, SIVE COLUMNARI EXPOSITIONIS ORDINE, METHODUS DECIMATERTIA.

TABELLARIA, ſive Columnaris Methodus eſt, compendioſae, dilucidae, ac ditiſſimae expoſitionis, per tabulas & columnas ordinatiſſima coaptatio: quae Sacrae lectionis ſenſum clariſſime, ac diſtinctiſſime prae oculis ponit; & veluti in ſpeculo ſingularum dictionum elucidationem pulcherrimo ordine, ac decentiſſima numerorum ſerie demonſtrat; & ad facilitatem apprehenſionis, ac memoriae ſtabilitatem ſummopere confert. Hoc enim nobis natura inſitum eſt, ut quanto res diſtinctius & ordinatius oculis proponuntur, tanto eas facilius, lucidius, ac diſtinctius vis intellectiva apprehendat, & memoria tenacius, ac diutius conſervet. Diſponitur autem hujuſmodi coaptationis artificium duabus potiſſimum tabellis, ſive columnellis ita in eadem pagina digeſtis, ut prima tabella, ſive columna, contineat ſingulas Sacrae lectionis dictiones grandioribus literis expreſſas, & alteram ſub altera a capite uſque ad calcem ejuſdem columnae aptiſſimo ordine collocatas; & ſuis numeris ſignatas. Secunda vero columna complectitur verba expoſitionis minoribus characteribus deſcripta, ſingulis Sanctae lectionis verbis, ita è regione reſpondentibus, ut in unaquaque Scripturae linea, una ex dictionibus Sacri contextus, & ejuſdem dictionis expoſitio uno eodemque aſpectu cernatur: quemadmodum in ſubjecto exemplo apparet.

PSALMI CXVI. EXPOSITIO.

1	LAUDATE	animis admiramini, linguis enarrate, operibus exprimite Dei opera.
2	DOMINUM	Deum, ac praeſertim patrem viſibilium, atque inviſibilium omnium creatorem celebrate.
3	OMNES	quotquot ab Ortu ad Occaſum, & ab Aquilone ad Auſtrum univerſum terrarum orbem incolitis.

Digitized by Google

4 GENTES: quae circunciſionis expertes, ſub lege naturae, pie ſancteque vivitis.
5 LAUDATE pſalmis, hymnis, atque omni verborum, & affectuum applauſu extollite.
6 EUM cujus gloriam omnes creaturae perpetuo enarrant.
7 OMNES duodecim tribus Israël, vos, inquam, prae caeteris gentibus collaudate eum.
8 POPULI. Hebraeorum inclyti, quos Deus ſingulari privilegio ſibi ex omnibus nationibus terrae elegit in peculium.
9 QUONIAM hac potiſſimum de cauſa nobis, tam Judaeis, quam gentibus Deus eſt maxime laudandus: quia
10 CONF. EST hoc eſt, praeſtita, pleniſſimeque completa, & in noviſſimis temporibus largiter effuſa.
11 SUPER NOS non tantum Judaeos, ſed etiam gentes, non tantum juſtos, ſed etiam peccatores.
12 MIS. EJUS: benignitas, & gratia humanae reparationis exhibita nobis in Chriſti incarnatione.
13 ET VERITAS promiſſionum, quas per Prophetas fecerat de mittendo filio ſuo; ipſa, inquam.
14 DOMINI Dei patris fidelitas, &c.

DE ENARRATIONE METHODUS XIIII.

ENARRATIO eſt publice ad populum habita divinae Scripturae expoſitio: quae in Homiliam, & Declamationem diſtinguitur. HOMILIA, quam aliqui Tractatum appellant, alii familiare colloquium, eſt familiaris & domeſtica divinae Scripturae ad plebem elucidatio: cujus ſcopus eſt explicare ſenſus Scripturarum, non ſolum ut auditores ad pernoſcenda myſteria Sacrae doctrinae introducat, ſed ut eos hortetur ad obſervationem, & executionem eorum, quae audierunt: fruſtra enim intelligas, niſi opere exequaris quae perceperis. Solent autem Homiliaſtae, hoc eſt, qui ejuſmodi familiaribus colloquiis utuntur, ad populum fere ſemper diſtribuere Homilias ſuas in tres partes, hoc eſt, Praeparatoriam, Didacticam, & Adhortatoriam. In Prima brevibus, ſed variis & amoenis exordiis viam ſternunt auditoribus, dum eis ſummam lectionis exponendae breviter proponunt; ejuſque tum praeſtantiam, tum voluptatem, & utilitatem oſtendunt. In Secunda parte verba divinae lectionis, vel ſecundum hiſtoriam, vel ſecundum ſpiritualem intelligentiam, vel juxta utranque, prout res poſtulat, dilucide explanant. Mox in Tertia, quae ſemper in quibuſdam brevibus, aut precatiunculis, aut doxologiis concluditur, ad mores, vitaeque inſtitutionem deſcendunt, ad virtutem hortantur; &, quantum familiaris colloquii lex patitur, pie admonent, moderate reprehendunt, leviter objurgant, affectus ſuaviter excitant, ab humilibus ac ſordidis curis avocant animos, eoſque ad honeſti ſtudium incendunt, & ad bene beateque vivendum inflammant.

DECLAMATIO, ſive Concio, eadem, ac eodem fere ordine obſervat, quae Homilia; niſi quod ſtylo aliquantulum grandiori utitur, &, interrupto ſaepe expoſitionis curſu, crebrius ad mores digreditur; acrius adverſus hominum crimina inſurgit; & majori ſpiritus, ac verborum vehementia, ac vocis concitatione multitudinis ſcelera reprehendit, uniuſcujuſque ordinis, ſtatus, ac ſexus peculiaria vitia liberius detegens, ſeverius increpans, durius objurgans, & gravius deteſtans; ſervata tamen ſemper Evangelicae, ac verae pietatis modeſtia. Summus in utraque hujus Methodi parte fuit Joannes Chryſoſtomus, cui nec Graeca eccleſia ſuperiorem, nec Latina parem habuit unquam, neque deinceps fortaſſe habitura eſt.

Exemplum Homiliae in Pſalmum centeſimum decimum ſextum ex divo Joanne Chryſoſtomo collectum.

PRIMA PARS PRAEPARATORIA.

SUAVE quidem eſt pratum, & hortus: utroque tamen ſuavius multo ſpirat divina Pſalmorum lectio: illic ſiquidem flores invenire eſt, ſed qui tempore mar-

Digitized by Google

marceſcunt: hìc autem occurrunt ſententiae in nativo vigore perennantes: illic aſpirat Favonius: hìc affiat aura Spiritus Sancti: illic ſpinae pro muro obſepiunt hortum: hìç Dei providentia tutum reddit Lectorem: illic cicadae ſtridore ſuo obſtrepentes; hìc carmina ſuavi jubilo perſonantia: illic ex ipſo aſpectu quiddam oblectationis concipitur; hìc autem ex ipſo auditu plurimum decerpitur utilitatis: adfert enim Pſalmorum meditatio multam voluptatem, & conſolationem; mentem a terra abducit, extollit cogitationem, animum erigit, & in altum evehit. Hortus uno quopiam circumſcribitur loco; hymnorum vero melodia nullo non loco terrae habitabilis circumfertur. Hortus utique pro temporum qualitate ſervit neceſſitatibus: Pſalmorum vero lectio perinde hyberno, atque aeſtivo tempore perennat comantibus undique foliis, & fructuum pondere degravatur. Attenti itaque ſitis ad verba hujus Pſalmi, quem enarrandum ſuſcepimus, omnium breviſſimum, propter eos, qui prolixos Pſalmos memoria tenere non poſſunt.

SECUNDA PARS DIDACTICA.

LAUDATE DOMINUM OMNES GENTES: brevis Pſalmus eſt, ſed grandem habens intelligentiam: continet enim prophetiam eccleſiae credentium, & praedictionem praedicationis evangelicae, quae erat occupatura univerſum orbem terrae: neque enim duas, aut tres ſolummodo nationes, ſed OMNES GENTES, ac populos convocat Pſalmus ad Dei laudem. Per omnes gentes ac populos intelligemus hìc non ſolum Judaeos, ſed omnes, quotquot uſquam ſunt, toto terrarum orbe gentes: de quibus dixit Oſea: VOCABO non plebem meam, plebem meam: & non dilectam meam, dilectam meam: & exurget regere gentes: & gentes in eum ſperabunt, quod ſane evenit, quando Chriſti adventus reſplenduit. Deinde oſtendit, quam habeant gentes laudandi occaſionem, dicens: QUONIAM CONFIRMATA EST SUPER NOS MISERICORDIA EJUS: hoc eſt, quod non ex propriis factis, nec ex vita, nec ex fiducia, ſed ex ſola Dei miſericordia, & clementia ſervati ſimus. Haec autem miſericordia, inquit, Confirmata, hoc eſt, coacta eſt, roborata eſt, coaluit, firmaque ac ſolida facta eſt, & petra durior. Incrementum enim quotidie ſuſcepit, quotidie ſe impendit, & nunquam deficit: ut quotidie gaudeat lucris, quia majus gaudium eſt in coelo ſuper uno peccatore, a vanitate viae ſuae converſo, quam ſuper nonaginta juſtis, qui non indigent poenitentia. Sequitur, ET VERITAS DOMINI MANET IN AETERNUM. Quae eſt iſta veritas, quae manet in aeternum? Veritas Chriſtus eſt, ſic dictus, quia in ejus adventu maxime reſplenduit veritas, quae in veteri Teſtamento ſub typis, & figuris latuerat. Hoc ipſum ſignificans quoque Evangeliſta, dicebat: LEX per Moſen data eſt; gratia, & veritas, per Chriſtum. Ipſa etiam veritas ea eſt, quae fidem tenet rectam, veram, & integram, quaeque Chriſto inhaeret dicenti: EGO ſum Via, Veritas, & Vita: ipſa eſt veritas, quae manet in aeternum, & nos perducit ad antiquum dierum, ad aeternum Deum noſtrum, ſine initio, ſine fine permanentem. Ad hujus ergo perpetuam laudem hìc nos convocat Pſalmus.

Oſe. 2. 23. Rom. 9. 25.

Joa. 1. 17.

Joa. 14. 6.

TERTIA PARS ADHORTATORIA.

CAETERUM, non eſt quid leve laus haec, quam a nobis poſtulat Deus; ſed eſt miniſterium ingens, & optimum, ſacrificium maximum, & oblatio longe omnium Deo gratiſſima. SACRIFICIUM enim, inquit, laudis, glorificabit me: & rurſus, LAUDABO nomen Dei, & magnificabo ipſum cum laude; & placebit Deo ſuper vitulum novellum, cornua producentem, & ungulas. Nihil a nobis aeque requirit Deus, ac laudes, & gratiarum actiones: propterea enim animam nobis inſpiravit, rationales nos fecit, & a brutis lingua diſcrevit; ut eum laudemus, celebremus, & jugiter glorificemus: non quod ipſe opus habeat noſtra laudatione, ſed ut nos doceat gratos eſſe, & agnoſcere tantorum bonorum ſuppeditatorem; & ut, quicquid lucri ex iſta celebratione fit, ad nos redeat, & dignos faciamus nos ipſos ſemper majoribus ſubſidiis. Non eſt autem, ut quidam male exiſtimant, res parvi momenti, & exigui laboris Deum laudare: ſed ſi quid

Pſal. 49. 23.

Pſa. 68. 31. 32.

Deo

Digitized by Google

Deo offerre voluerimus, nihil habemus laudatione majus, nihil laudatione difficilius. Et quamnam habet, inquies, difficultatem laudatio? Cui autem non vel humilis, & abjectae conditionis homini id praestare, & Deum laudare est facile? Si rem diligenter & exacte didiceris, o dilecte, videbis & laborem, qui in re est, & lucrum, quod ex ea percipitur, maximum. Primum quidem haec laus a justis requiritur, & oportet vitam prius recte instituentem hymnos ita Deo canere: Eccl. 15. 9. NON est enim pulchra laus in ore peccatoris. Secundo, non verbis solum, sed etiam factis laudare oportet: & hanc laudem Deus maxime requirit, hanc gloriam. Matth. 5. 16. LUCEAT enim, inquit, lux vestra coram hominibus; ut videant bona vestra opera, & glorificent patrem vestrum, qui in coelis est. Ita Cherubim, & Seraphim, laudant Deum: quocirca Esaias quoque, cum mysticam illam audisset angelorum melodiam, se ipsum afflictat, & miserum ducit, dicens: Esa. 6. 5. HEI mihi, quod homo sum, impura habens labra, & habito in medio populi, impura labra habentis: & ideo, cum Propheta praecipit laudes offerri, incipit a superioribus potestatibus, sic dicens: LAUDATE Dominum de coelis, laudate eum omnes angeli ejus. Oportet itaque angelum fieri, & ita laudare Deum, ut gloria ejus per rectam nostrae vitae institutionem illustretur. Quemadmodum enim, dum male vivimus, contumeliis & probris afficitur Deus, dicente Deo, SORDERE me fecistis coram nationibus terrae: & propter vos blasphematur nomen meum inter gentes: ita dum virtutis curam gerimus, nomen Dei propter nos ab aliis quoque glorificatur. Atque haec est Dei clarissima magnificatio, quando per innumeras linguas glorificationem offerimus, laudantes Deum non solum nostris linguis, sed & proximos incitantes, ut nostro nomine Deum magnificent: quod sane fit, cum etiam tacentes, & nihil dicentes, ita vivimus, ut homines de nostris bonis operibus obstupescant, & prorumpentes in divinas laudes dicant: Gloria tibi Deus; quales sunt servi tui; quantam praeseferunt philosophiam; quomodo despiciunt praesentia; quomodo omnia ipsis umbra, & somnium reputantur, & nulli visibilium sunt affixi: sed omnia transigunt, sicut hi, qui in terra aliena agunt, peregrini, & quotidie ex hac vita migrare cupiunt, & anhelant? Quantum putas his verbis celebrari, ac magnificari Deum? &, quod valde admirabile, ac rarum est, etiam hi, qui talia de nobis judicant, brevi ab errore desistunt, & ad optimam vitam exemplo nostro provocati redeunt: sicut enim, cum lumen apparuerit, dispellit tenebras: ita & virtus, si in nobis conspicua fuerit, malitiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentemque videntium excitat ad glorificandum Deum, non minus verbis, quam factis. Non ergo hanc Dei laudem rem esse levem existimemus; sed annitamur, ut ante os nostrum vita nostra ipsum laudet: instituamus ita vitam nostram, ut nulli occasionem demus blasphemiae, sed omnes prorumpere faciamus in Dei laudes: declinemus a malo, virtuti studeamus; unusquisque vestrum incontinentiae vitium effugiat, & sobrietatis virtutem operetur. Qui praecipitis, & temerariae linguae est, & quaecunque obvenientia effutit, ponat custodiam ori suo, & nunquam absque utilitate proferat Eph. 4. 31. verba, sed audiat Paulum dicentem: OMNIS vociferatio, & furor, & blasphe- Ibid. 29. mia, & obscoenitas, & scurrilitas tollatur a vobis cum omni malitia: & iterum, SI quis sermo bonus ad aedificationem utilis, ut det grariam audientibus. Jura- Matt. 5. 33. 34. menta quoque vana modis omnibus fugiat, audiens sententiam Christi. DICTUM est antiquis, Non pejerabis: ego autem dico vobis, Nolite jurare: & his omnibus muniamus linguam nostram, labia, & mentem; ne vel quid malarum cogitationum intrinsecus nascatur, vel per linguam foris proferatur. Aures quoque diligenter sepiamus, ne vanas fabulas audiant: sicut & beatus Moses praecipit, Psal. 49. 21. dicens: AUDITUM vanum ne accipias, adversus proximum nostrum ne obloquamur; ne David accuset nos, dicens, Sedens adversus fratrem tuum, obloquebaris, & contra filium matris tuae ponebas scandalum. Si sic ergo aures, linguam, mentemque, & opera nostra exerceamus, & verbis opera consona faciamus, non solum nos digni erimus Dei laudatores; sed & nomine nostro laudabunt Dominum omnes gentes, & collaudabunt eum omnes populi.

DO-

Digitized by Google

DOXOLOGIA.

OREMUS, ut haec nobis concedantur gratia & miſeratione Domini noſtri Jesu Chriſti: cui ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto ſit gloria, imperium, honor, nunc & ſemper, & in ſaecula ſaeculorum. Amen.

DE COLLATIONE METHODUS XV.

COLLATIO, ſive Collativa expoſitio dicitur, quae divina eloquia familiaribus, mutuiſque colloquiis, ac dialogis, exponit: cujus duae ſunt ſpecies, Continuata nimirum, ac Interrupta. Porro Continuata eſt, in qua, continuato orationis inceſſu, unus perpetuo loquitur, referens colloquium a ſe, vel ab alio, cum aliis habitum, ſimulque connectens, per verba, inquam, & inquit, colloquentium interrogata, & reſponſa: ceu apud Graecos fecit Cebes Thebanus in dialogo, cui titulus eſt πίναξ, id eſt, TABULA, myſticae picturae ſenſum explicante; & apud Latinos Severinus Boëthius in duobus dialogis, in expoſitionem Porphyrii a ſe editis. Interrupta vero eſt, in qua, ne Inquam, & Inquit ſaepius, & cum faſtidio repetantur, narrationis interrumpitur progreſſus; & juxta Platonis, & Ciceronis morem variae inducuntur perſonae inter ſe colloquentes, & ſenſus Sanctorum voluminum mutuis percontationibus examinantes, ita, ut tanquam a praeſentibus coram ſermo haberi videatur. Priorem Collationis ſpeciem complexus eſt ex Graecis Joannes Caſſianus, multa divinarum literarum loca in Collationibus ſuis ediſſerens; & Zacharias, Hieropolitanus epiſcopus, in dialogo ſuper ſtatua Danielis aurea, qui inſcribitur ΧΡΥΣΕΙΚΩΝ & ex Latinis Jacobus Sadoletus, Capentoractis epiſcopus, in Commentariis epiſtolae ad Romanos. Poſteriorem vero ſpeciem ſectati ſunt inter Graecos Apollinarius junior, Laodicenus epiſcopus, Evangelica & Apoſtolica ſcripta ad formam dialogorum reducens; ex Latinis vero Salonius Viennenſis epiſcopus, & Joannes Gerſonius; quorum ille Proverbia, & Eccleſiaſten Salomonis, hic Canticum canticorum Salomonis dialogo explicarunt. Exempla utriuſque ſpeciei haec ſunt. Dan. 2.

Exemplum Collationis continuatae In Pſalmum CXVI.

CUM heſterna die Pſalmum centeſimum decimum ſextum, pro concione enarrans, dixiſſem eundem Pſalmum, Pſalmorum, Hymnorumque omnium eſſe initium, finem, ſummam, atque compendium; Aurelius noſter, qui tunc aderat, expleto ſermone ad me venit: cumque in ſermonem eorum, quae fueram locutus, incidiſſet, mirari ſe dixit, quomodo Pſalmus hic longe omnium breviſſimus, hymnos, ac Pſalmos omnes comprehenderet: petiitque id ſibi a nobis explicari: tum ego, Nihil, inquam, eſt, cur mireris optime fili, ſi conſideres omne Pſalmorum, atque hymnorum genus inventum eſſe ad decantandas laudes divinorum operum, praecipue vero ad celebrandum geminas illas Dei ſummi virtutes Miſericordiam, & Veritatem; quarum amplitudo omnia Dei geſta factaque admirabilia concludit, dicente Davide: UNIVERSAE viae Domini Miſericordia, & Veritas. Atque hic Aurelius, Fateor, inquit, non ſolum hunc eſſe hymnorum omnium ſcopum, ſed & omnia divina opera duabus hiſce virtutibus contineri: verum, quid ex hoc colligere velis, ediſſere. Ego vero, Nonne vides, inquam, ut duo haec praeſtantiſſima Dei opera, Miſericordia, & veritas, praeſenti Pſalmo brevibus quidem verbis, ſed plane facundis ac foecundis cumulatiſſime praedicantur? Video, inquit ille, ſatiſque ambas perſpectas habeo. Tunc ipſe, veluti ex conceſſis ab eo ſententiam inferens, inquam: cum itaque Pſalmus hic enarret laudes divinae miſericordiae & veritatis, quibus cuncta divina opera omnibus paſſim canticis, hymniſque decantata comprehenduntur; conſequens eſt, quot quot ſunt in toto Pſalmorum, & odarum ambitu, laudes & encomia divinorum operum complectatur, veluti in ſumma & compendio coarctata, &c. Pſal. 24. 10.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum Collationis interruptae, In Pſalmum CXVI.

AURELIUS, Dic mihi venerande Auguſtine, verumne eſt, quod nuper, te concionante, audivi, Pſalmum centeſimum decimum ſextum, Pſalmorum hymnorumque omnium initium, finem, & compendium eſſe? AUGUSTINUS, Verum mi Aureli. AUR. Miror, quî fieri poſſit, ut Pſalmus, longe omnium breviſſimus, tam multos, ac pene innumeros hymnos, Pſalmos, & odas comprehendat. AUG. Sed ita profecto eſt: nam quemadmodum in ipſum circuli centrum omnes lineae concurrunt: ita in hunc unum Pſalmum caeteri tanquam in finem, & initium Pſalmorum omnium confluunt. AUR. Optarim hoc apertius explicari. AUG. concediſne omne Pſalmorum, & hymnorum genus Dei laudes continere, ad celebranda potiſſimum divina opera conditum? AUR. Concedo. AUG. Fateriſne ſummam omnium divinorum geſtorum ad duo illa ſplendidiſſima referri opera, Miſericordiam, inquam, & Veritatem? AUR. Fateor, & ſaepe etiam Davidicum illud in ore habeo, *Univerſae viae Domini, Miſericordia, & Veritas*. AUG. Sed nonne vides, ut duo haec admiranda opera Dei, Pſalmus hic brevibus, ſed foecundiſſimis verbis depraedicet? AUR. Video equidem, & ſatis agnoſco. AUG. Igitur, cum Pſalmi hujus ſcopus, & argumentum ſit, duo illa celebrare, quibus Pſalmorum omnium argumenta coarctantur, conſentaneum eſt, omnes Pſalmos uno hoc Pſalmo concludi, &c.

Pſal. 24. 10.

DE MEDITATIONE METHODUS XVI.

MEDITATIO, ſive Contemplatio, ſive affectiva expoſitio eſt ex intimis & ferventibus aeſtuantis animi affectibus in viva & ardentia verba prorumpens enarratio: qua potiſſimum uti ſolent pii quidam expoſitores, qui omnes conatus ſuos in hunc unum finem intendunt, ut ſe ipſos excitent, & provocent in amorem eorum, quae legunt, & explanant: ut in ſe quodammodo transforment, quod tractant, & vivo affectuum, operumque experimento ſentiant, quae verbis enarrant, ſemper cum Deo verſantes in cogitationibus piis, ſuavibus meditationibus, ardentibus deſideriis, & ignitis colloquiis, ſemperque aſpirantes, ſuſpirantes, & anhelantes ad ea, quae in explanandis divinis Scripturis, ſpiritu illuſtrante, didicerunt, & jam intus, eodem ſpiritu inflammante, experiri coeperunt. Quam ſane Expoſitionem multi breviter definientes, dicunt: Meditationem eſſe ſoliloquium animae de divinis Scripturis cum Deo loquentis: vel ſic, Meditatio eſt ſecretiſſima expoſitoris cum Deo locutio, & ardentiſſima divinae caliginis contemplatio. Conficitur autem hoc divinum explanationis genus, & vix pauciſſimis agnitum, tribus potiſſimum exercitamentis, hoc eſt, Aſcenſu in Deum, Deſcenſu in ſeipſum, & Regreſſu in Deum: verbi gratia, ſi explicanda ſit ea Pauli ſententia ad Coloſſenſes: *In Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiae, & ſcientiae Dei, &c.*

Col. 2. 3.

PRIMUM attollet expoſitor mentem in Deum, pieque contemplabitur, qualis, & quanta ſit admirabilis Dei ſapientia; & quanto poterit ſermonis ſplendore, oſtendet divinae ſapientiae theſaurum, quae unico & indefinenti intuitu ſemper intuetur, & conſpicit univerſa, non ſolum maxima, & nobiliſſima, ſed & minima quaeque, ac viliſſima: cui in numerato ſunt omnes ſtellae coeli, & omnes arenae maris: cui omnis mens, & omnis voluntas loquitur: cui omnis quantumlibet occulta cogitatio patet: & quam nullum ſecretum latet, pertingens uſque ad intimos, & impenetrabiles, inſcrutabilesque receſſus humani cordis.

HAEC ubi diu, multumque explanator admirans mente revolverit, ſecundo loco ſtylum ad ſe ipſum convertat, & in ſeipſum deſcendens meditetur, quemadmodum Deus ille, qui inſpicit omnia, etiam in ipſum oculos dirigit, & omnes cogitationes, & deſideria ipſius, verba item, factaque omnia conſiderat, & continue obſervat: quae poſteaquam ſecum ipſe cum ſumma reverentia perpenderit, accommodabit omnia ea, quae jam conceperat de Deo, ad propriam perſonam in hunc modum: O QUAM magna mihi neceſſitas bene operandi incumbit, qui om-

Digitized by Google

omnia ago in oculis Dei cuncta cernentis: o utinam ego peccator in oculis Christi Jesu, cujus me scientia cognoscit, & sapientia perpetuo intuetur, gratiam ac benevolentiam invenire possim: o utinam illi placeam: o utinam semper agam, quae ejus conspectum non offendant.

TERTIO regrediens in Deum, unde descenderat, explanationem suam in morem precationis ita supplicando formabit: SERVATOR hominum Christe Jesu, in quo sunt omnes Thesauri sapientiae, & scientiae Dei; qui me vilissimum vermiculum oculis summae sapientiae tuae dignaris aspicere; quem cogitationes meae nullae latent; apud quem gemitus cordis mei, & desiderium miserae voluntatis meae non est absconditus; concede mihi servo tuo, ut nihil agam aspectu tuae majestatis indignum.

FUERUNT in hac explanandi forma notissimi Bernardus Abbas, Petrus Aliacus Cardinalis Cameracensis, Hieronymus Savonarola, & Franciscus Titelmannus.

Exemplum Meditationis In Psalmum CXVI.

SUMMUM illud bonum, quo nihil majus excogitari potest, omni quidem laude, ut sapientissimus filius Syrach ait, majus est: quippe cujus est incomprehensibilis essentia, majestas inaccessibilis, & nomen prorsus ineffabile: quod nulla creatura potest animo concipere, nedum verbis exprimere: praecipit tamen, jubetque Deus ipse, ac vult hominum ore laudari: & nunc maxime in praesenti Psalmo per os Davidis convocat omnes populos Hebraeorum, omnesque gentilium nationes ad suas ipsius laudes. Quid igitur faciam? quibus verbis, qua lingua laudabo Deum illaudabilem mutus ego vermiculus? cujus si cuncta corporis membra vertantur in linguas, & omnes artus humana, imo & angelica voce resonent; nihil dignum dicere potero divinae ipsius celsitudinis: ante cujus conspectum omnis laus silet, & omne encomium silentio definitur? Tacebo ne? & vocem Dei per os Davidis ad me clamantem, & me ad laudandum creatorem meum provocantem contemnam? absit: scio, quid faciam: procumbam ad pedes ejus, quem Cherubin, Seraphin, & universa angelorum agmina coelestibus hymnis indesinenter collaudant: & ex intimo corde dicam ei, OMNIPOTENS clementissime Deus, cujus incomprehensibilis majestas laudari non potest, fac, ut saltem aliquas tibi offeram laudes, pro operibus tuis, quae celebrari possunt, praesertim vero pro misericordia, quam mihi misero praestitisti, & pro veritate promissionum tuarum, quam in me adimplesti: ne derelinquas me orphanum, sed confirma super me misericordiam tuam: ut veritas tua Christus vita mea maneat mecum in aeternum, & in saeculum saeculi. Amen. Sap. 7.

DE POËTICA METHODUS XVII.

POËTICAE explanationis, quae divina volumina variis carminum generibus exponit, duplex est genus: unum carmine duntaxat constans, Carmineum appellatum: quo in exponendis sacris Voluminibus usi sunt apud Graecos Apollinarius senior (a), & Gregorius Nazianzenus; apud Latinos vero Juvencus presbyter,

(a) Sapienter Sixtus N. distinguit Apollinarium Seniorem Anno 362. clarum ab Juniore Apollinario illius filio, quem tamen cum Patre quidam inepte confundunt. Seniorem igitur Apollinarium libros Moysis, Homerum imitatum, Heroico carmine fuisse interpretatum, certum est ex Criticorum calculo; imo si fides habenda Sozomeno *Lib. II. cap.* 18. totam Hebraicorum Historiam ad Saulis usque Regnum eodem versus genere conscripsit, & universum opus in viginti quatuor partes distribuens, singulis libris ex Graeci Alphabeti litteris ordine recensitis cognomentum indidit. Alios itidem Veteris Testamenti libros historicos partim dactylico carmine expressit, partim ad formam Tragoediae personis adhibitis elaboravit, ut praeceteris observavit Guillelmus Cave *Hist. litt. Sec. Arian.* Desumtis enim e Sacra Scriptura argumentis scripsit Comaedias instar Fabularum Menandri; Euripidis quoque Tragoedias, & Pindari Lyram imitatus. Haec omnia jam temporis injuria perierunt: extant autem hodie *Metaphrasis Psalmorum* in Appendice ad Biblioth. Vett. PP. de qua tamen dubitant Critici an Juniori filio, an vero Seniori Apollinario patri sit adjudicanda. Petrus Halloix dubius haeret. Filio adjudicant Card. Bellarminus, & Aubertus Miraeus; sed consultius Patri Hierapolytano Episcopo fore restituenda cum eadem Metaphrasi, etiam reliqua fragmenta, quae in Catena Graecorum Patrum extant, sub nomine Apollinarii filii Laodiceni Episcopi, censent Gerardus Vossius de Historicis Graecis *lib. 2. cap.* 18. Guillelmus Cave ubi supra, aliique: similiter huicce Apollinari adjudicandam esse Tragoediam *Christus patiens*, quae sub nomine Gregorii Nanzianzeni fuit edita, adcuratiores Critici observant.

Digitized by Google

ter, & Arator diaconus. Alterum genus est ad imitationem Operum Boëthii, De consolatione philosophica, & Martiani Capellae, De nuptiis Philologiae & Mercurii, prosae, & carminis varietate intermistum; & ob id Prosocarmineum a plerisque nuncupatum. Quo in genere plurimum valuerunt apud Graecos Eulalius, Cynopoleos episcopus (a), & apud Latinos Villeramus Abbas Marpurgensis; quorum uterque Canticum Canticorum Salomonis venusta prosae, ac versus intermistione elucidavit.

EXEMPLUM CARMINEAE EXPOSITIONIS IN PSALMUM CXVI.

Ode dicolos distrophos, senariis, ac dimetris jambicis constans.

OMNES ubique voce gentes consona
Uno ore patris optimi
Laudes in astra ferte promptas intimis
Caste, pieque sensibus.
Sed quas canes tu maxime laudes pia
Abramidarum natio?
Dignata, mirum, gentibus prae caeteris
Tanto favore numinis.
Quae misericordiae Dei profusio?
Quae magnitudo? quanta vis?
Quae largitas? demisso JESU filio
De Patris aeterni sinu;
Qui fausta faustus intulit terris bona,
Malis fugatis omnibus.
Non ille, non datae immemor quondam fidei,
Jurisque jurandi fuit,
Obstrinxerat, quo se volens servo suo
Post Abrahamum Davidi.
Mentirier mortalium est: sed unius
Non est Dei mentirier.
Se terra tollens astra transcendet prius,
Inque ima coelum concidet,
Quam veritati aspergier Dei queat
Vel tantalum labeculae.
Quin luce Solis aurea nitentior
Cunctis manebit saeculis.

Exemplum Prosocarmineae expositionis brevitatis gratia omittitur.

DE EPISTOLA METHODUS XVIII.

EPISTOLARI Methodo usi sunt hi, qui divinas Scripturas per literas, & epistolas, ad amicos praesertim consulentes, transmissas, explanarunt: de quorum numero fuit inter Graecos Isidorus Peluslota; qui in explicatione sacrorum Voluminum usque ad decem millia scripsit epistolas; apud Latinos vero Hieronymus, interdum & Augustinus, & Ambrosius: quorum plurimae extant epistolares Sanctorum eloquiorum epistolae. Hujus Methodi exemplum apponere superfluum esse arbitror.

DE INQUISITIONE METHODUS XIX.

INQUISITIO est, quae per investigationem, & dissolutionem difficultatum, divinas Scripturas exponit, cujus quidem tres sunt species, Problema, Quaestio, Disputatio,

PRO-

(a) Hic Eulalius claruit in Constantinopolitana Synodo Anno 679. ut scribit Antonius Possevinus *Appar. Sac. T. I.*

Digitized by Google

PROBLEMA, quod etiam Quaeſtio problematica dicitur, illud eſt, in quo ad propoſitam de Sanctis literis interrogationem magis ambigue inquirendo, quam aliquid certi decernendo, reſpondetur: vel cujus reſponſio nihil firma aſſeveratione deliberat, ſed adhuc, quod propoſitum fuerat, diligentius inquirendum relinquit: ſicut fit in omnibus pene quaeſtionibus, quas Auguſtinus in duodecim libris de Geneſi ad literam magis, ut ipſe fatetur, quaeſivit, quam invenit.

QUAESTIO, quam alii Percontationem, alii Simplicem quaeſtionem, alii Quaeſtiunculam, nuncupant, illa eſt, in qua ad propoſitas interrogationes, cum certa firmaque aſſertione, ac ſimplici brevitate reſpondetur: ſicut fit in duobus libris Quaeſtionum evangelicarum divi Auguſtini.

DISPUTATIO, quae & Diſceptatio, & Decertatio, & Compoſita quaeſtio a quibuſdam nominatur, illa eſt, quae ſuper aliqua ſacrorum voluminum parte, adhibitis utrinque contrariis, tam haereticorum, quam catholicorum ratiocinationibus, & argumentationibus, latiſſime, doctiſſimeque diſputat, vel ad tuendam apologetico more divinae Scripturae veritatem, haereticorum machinis labefactatam; vel ad exercendas, ac magis magiſque exacuendas ingenii vires. Valuit ſupra omnes mortales in hoc diſputationis genere Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus, in libris praeſertim diſputationum contra Manichaeos, & contra Pelagianos. Exempla, tribus hujus Methodi ſpeciebus in una eademque propoſitione a Divo Auguſtino accommodata, haec ſunt.

Exemplum Problematis, ſive Quaeſtionis problematicae ſuper mendacio, quo obſtetrices AEgyptiae deceperunt Pharaonem, ex Auguſtino in Quaeſtionibus ſuper Exodum.

DE Obſtetricum mendacio, quo Pharaonem fefellerunt, quaeri ſolet, utrum talia mendacia approbata ſint auctoritate divina: quandoquidem ſcriptum eſt, Deum benefeciſſe obſtetricibus. Exod. 1. 20.

RESPONSIO.

RESPONDETUR, incertum eſſe, utrum Deus pro miſericordia ignoſcebat mendacio, an & ipſum mendacium dignum praemio judicabat: aliud enim faciebant obſtetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo: nam in illis vivificandis opus miſericordiae fuit: mendacio vero illo pro ſe utebantur, ne noceret illis Pharao: quod potuit non ad laudem, ſed ad veniam pertinere: neque tamen hinc auctoritas ad mentiendum accipienda eſt: ſed diligentius de hac Quaeſtione diſſerendum eſt per alia exempla, quae huic ſimilia in Scripturis habentur.

Exemplum Quaeſtionis ſimplicis ſuper eodem obſtetricem Mendacio, ex libro Auguſtini ad Conſentium contra Mendacium.

CUM Deus obſtetricibus mentientibus benefecerit, & domos adificaverit, merito quaeritur, an ipſe mendacium illarum approbaverit? Exod. 1. 20.

RESPONSIO.

QUOD ſcriptum eſt, Deum benefeciſſe obſtetricibus, non ita factum eſt, quia mentitae ſunt; ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt: non eſt in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum abſurdumque non eſſet, ſi alio prius tempore commiſſa ab eis aliqua opera mala Deus propter poſteriora bona vellet ignoſcere: ita mirandum non eſt, quod uno tempore, in una cauſa Deus utrunque conſpiciens, id eſt, factum miſericorditer, factumque fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc malum illud ignovit. Reſtat itaque, ut intelligamus illis mulieribus pro humanitate & miſericordia redditam fuiſſe mercedem, mercedem utique temporalem, non autem aeternam.

Digitized by Google

Exemplum disputationis super eodem Mendacio obstetricum, ex libro Augustini de Mendacio ad Consentium.

PROPOSITIO DISPUTATIONIS.

MAGNA Quaestio est de mendacio, quae nos in ipsis quotidianis actibus nostris saepe conturbat, existimantibus quibusdam aliquando esse mentiendum honesto quodam, & officioso, ac misericordi mendacio; quibusdam vero affirmantibus nullo modo virum bonum debere mentiri.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

QUI ergo cum Priscillianistis haereticis sentiunt, licere aliquando mentiri; hoc est, falsum enunciare cum voluntate fallendi, adhibent testimonia sententiae suae ex Sacris literis, commemorantes Saram, cum risisset, angelis
Genes. 18.15. negasse, quod riserit; Jacob a patre interrogatum, respondisse, quod ipse esset
Genes. 27.19. Esau, major filius ejus; AEgyptias quoque obstetrices, ne infantes Hebraei na-
Exod. 1. 20. scentes interficerentur, etiam Deo approbante, ac remunerante mentitas: & multa hujusmodi exempla eligentes, eorum hominum mendacia commemorant, quos culpare non audeas: atque ita fatearis, aliquando esse posse, non solum reprehensione non dignum, sed etiam dignum laude mendacium. Addunt etiam, quo non solos premant divinis libris deditos, sed etiam omnes homines, sensumque communem, dicentes: si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari; non es mentiturus? si quid aegrotus interroget, quod ei scire non expedit, qui etiam possit, te non respondente, gravius affligi; audebisne, aut verum dicere in perniciem hominis, aut silere potius, quam honesto & misericordi mendacio valetudini ejus opitulari? His atque talibus copiosissime se arbitrantur urgere, ut, si consulendi causa exigit, aliquando mentiamur.

ARGUMENTA CATHOLICORUM.

CONTRA illi, quibus placet nullo modo unquam esse mentiendum, multo fortius agunt, utentes primo auctoritate divina: quoniam in ipso Decalo-
Exod. 20. 16. go scriptum est, *Falsum testimonium ne dicas:* quo genere complectitur omne mendacium: quisquis enim aliquid enunciat, testimonium perhibet animo suo. Sed, ne quis contendat non omne mendacium falsum testimonium esse appellandum,
Eccles. 7. 13. quid dicturus est ad id, quod scriptum est, *Omne mendacium noli mentiri*: &, *Os, quod mentitur, occidit animam*: quod, ne quis arbitretur, exceptis aliquibus mentientibus, posse intelligi, alio loco legat, *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*
Sap. 1. 11. Unde ore suo ipse Dominus sic inquit: SIT IN ORE vestro, Est, Est, Non, Non:
Psalm. 5. 7. quod autem amplius est, a malo est. Hinc & Apostolus, cum exuendum veterem
Matth. 5. 8 hominem praeciperet, quo nomine omnia peccata intelliguntur, consequenter,
Eph. 4. 25. ait in primis ponens: QUAPROPTER deponentes mendacium, loquimini veritatem.

DETERMINATIO DISPUTATIONIS.

HIS itaque ex utraque parte consideratis, illi mihi magis audiendi videntur, qui dicunt nullo pacto esse mentiendum: nihil enim aliud omnia Scripturarum monent testimonia, nisi nunquam esse omnino mentiendum.

CONFUTATIO HAERETICARUM OBJECTIONUM.

NEC illis, quae de veteribus libris mendaciorum exempla prolata sunt, terremur: ubi, quicquid gestum est, figurate accipi potest, quamvis revera contigerit: quicquid autem figurate fit, aut dicitur, non est mendacium. Omnis enim enunciatio ad id, quod enunciat, referenda est: omne autem figurate, aut factum, aut dictum, hoc enunciat, quod significat eis, quibus intelligendum prolatum est: unde credendum est illos homines, qui propheticis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, omnia, quae scripta sunt de illis, prophetice dixisse, atque gessisse; nec minus prophetice eis accidisse, quaecunque sic acciderunt, ut eodem prophetico spiritu memoriae, literisque mandanda judicarentur.

DE

Digitized by Google

DE obſtetricibus autem, quia non eas poſſumus affirmare prophetico ſpiritu ſignandi futuri veri gratia, aliud pro alio renunciaſſe Pharaoni, dicimus, non pro mendacio, ſed pro charitate, & affectu ſuo erga innocentes Hebraeorum infantes approbatas, & remuneratas a Deo. Sed quid, ſi ad me confugiat, qui mendacio meo liberari poſſit? quid, ſi aeger mendacio meo ſanandus me conſulat; mentiar ne? abſit: os enim, quod mentitur, occidit animam: quare, cum mentiendo vita aeterna amittitur, nunquam pro cujuſquam temporali vita mentiendum eſt: neque enim decet alterum ſpiritualiter mori, ut alter corporaliter vivat. Nullo igitur aut modo, aut praetextu mentiendum eſſe decernimus. Sap. 1. 11.

DE COLLECTANEA, METHODUS VIGESIMA.

COLLECTIO, ſive Collectanea, vel Collecticia Methodus, eſt expoſitio, ex quibuſcunque ſcriptis, aut ipſamet auctorum verba cum ſenſibus, aut ſolos abſque verbis ſenſus deſumens, & in proprium uſum aliena verba, ſenſaque convertens. Hujus autem tres ſunt ſpecies, RAPSODIA videlicet, SYLLEGMA, & ABBREVIATIO.

DE RAPSODIA.

RAPSODIA, quam nonnulli Stroma, ſive Stromaticam exegeſin appellavere, expoſitio eſt ex variis auctorum compoſitionibus coagmentata, coacervatis in unam connexionem, non ſolum ſenſibus, ſed ipſis quoque auctorum clauſulis, ſententiis, atque integris periodis, ac paragraphis, nullo prorſus immutato verbo. Haec autem Rapſodia ipſa quoque triplici varietate diſtinguitur, nempe in AGIOGRAPHICAM, ECCLESIASTICAM, atque ETHNICAM.

DE AGIOGRAPHICA RAPSODIA.

AGIOGRAPHICA Rapſodia, quam quidam ἑαυτοῦἐξήγησιν, Eautuexegeſin, hoc eſt, ſui ipſius expoſitionem appellant, eſt elucidatio divinae Scripturae, ex ipſis divinae Scripturae verbis, meriſque ſententiis hinc inde diſperſis collecta, & in unum corpus redacta, ex apertioribus locis obſcuriores locos illuſtrans: quam Auguſtinus in libro tertio De doctrina Chriſtiana capit. 26. magnopere commendat, & caeteris expoſitionibus praefert, aſſerens, non poſſe melius & rectius intelligi, & exponi quaedam in Sacris literis obſcura loca, quam ex aliis apertioribus ſanctarum Scripturarum locis, in quibus illa eadem clarius & apertius recitantur. Oportet autem Agiographum expoſitorem in concinnandis his locis ea dexteritate, & artificio uti, ut appareat ſententias illas non per vim eum in locum pertractas, ſed ibidem ſponte ſua enatas: quod ut commodius & venuſtius fiat, raro, ſed aliquando tamen licebit expoſitori paucula quaedam verba inſerere de ſuo; quibus veluti anſulis longe inter ſe diſſita, Scripturae dicta elegantiori compage cohaereant. Verſati ſunt in hac parte aliquando divus Bernardus, Martinus Laudunenſis Carthuſianus (cujus adhuc extat Paraeneticus liber ad Monachum Tyrunculum, mira arte ex ſententiis ſacroſanctis invicem intertextis congeſtus) & temporibus noſtris Henricus Elmeſius Germipolitanus, qui nuper Homilias in omnes epiſtolas, & Evangelia, quae per anni circulum leguntur, & meris Scripturae ſanctae Stromatis, ac Rapſodiis pulchro artificio aptavit. Hujus expoſitionis Exemplum hoc ſit.

Typus Agiographicae Rapſodiae in Pſalmum CXVI. in qua pauca illa verba, diffor-mibus & longiuſculis characteribus conſcripta, non ſunt de textu divinae Scripturae, ſed aliunde aſcita: literulae vero minuſculae, & interlineares una cum numeris, ad marginem appoſitis oſtendunt capita Scripturarum, ex quibus centones hujus expoſitionis de-ſumpti ſint.

LAUDATE DOMINUM *a* Deum & patrem Domini noſtri Jesu Chriſti, *b* qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in coeleſtibus in Chriſto: qui praedeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Chriſtum in ipſum, ſecundum a Rom. 15. b b Eph. 1. a

Digitized by Google

c Dan. 3. 57. dum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae *c* laudate, & superexaltate eum in saecula OMNES GENTES, *d* quae olim eratis gentes in carne; quae dicebamini praeputium ab ea, quae dicitur circuncisio in carne manufacta, *e* quae olim ad simulacra muta ducebamini euntes; *f* quae eratis illo in tempore sine Christo, alienatae a conversatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi: *g* qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei: qui aliquando non misericordiam consecuti, nunc autem misericordiam consecuti: *h* qui jam non estis hospites, & advenae, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei: *i* vobis dico gentibus *k* ex omni natione, quae sub coelo est; *l* ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro: *m* vobis dico gentibus, *n* quas Deus creavit in laudem; nomen & gloriam suam; *o* afferte Domino gloriam, & honorem; *p* jubilate Deo in voce exultationis; *q* cantate ei canticum, bene psallite ei in vociferatione, *r* commonentes vosmetipsos in Psalmis, hymnis; & canticis spiritualibus in gaudio cantantes, & psallentes in cordibus vestris, *s* & gratias agentes semper in nomine Domini ~~nostri~~ Jesu Christi Deo, & patri. LAUDATE EUM *t* date gloriam laudi ejus, *u* modulamini illi Psalmum *x* in voce exultationis, & confessionis, OMNES POPULI *y* Israëlitae; quorum est adoptio filiorum, gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus Christus: qui est super omnia Deus benedictus in saecula: *z* quos Dominus Deus elegit, ut essetis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: non quia cunctas gentes numero vinceretis, cum omnibus sitis pauciores; sed quia dilexit vos Dominus, & custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris. *a* Et vos gentes super misericordia honorate Deum: QUONIAM CONFIRMATA EST SUPER NOS *gentiles* MISERICORDIA EJUS, *b* cum benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit abunde per Jesum Christum. *c* *Vos quoque* *c* universum semen Israël glorificate eum. *Quoniam* VERITAS DOMINI, *d* qui custodit veritatem in saeculum, *e* cujus nomen est fidele, & verax, *f* qui non est sicut homo, ut mentiatur, MANET IN AETERNUM *g* impossibile est enim mentiri Deum, qui *h* jusjurandum juravit ad Abraham, patrem nostrum, daturum se nobis *i* in dilecto filio suo: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, *k* & spem vitae aeternae, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora saecularia. *l* Ipsi gloria in saecula saeculorum, Amen.

e Pfalm. 21. c
d Pfal. 145. a
e Ap. 19.
f Num. 23. 19.
g Heb. 6. 18.
h Luc. 1. 73.
i Eph. 1. b
k Tit. 1. a
l Rom. 11.
a Rom. 15. b
b Tit. 3. b
z Deut. 7. b
u Jud. 16. a
x Pfalm. 41. a
y Rom. 9. a
s Eph. 5. 20.
t Pfalm. 65. a
q Pfalm. 32. a
r Col. 3. 16.
m Rom. 11. 6.
n Deut. 26. d
o Pfalm. 28. 2.
p Pfalm. 46. a
k Act. 2. a
l Luc. 13. f
i Rom. 11. 17.
g 1. Pet. 2. b
h Eph. 2. d
c Dan. 3. 57.
d Eph. 2. c
e 1. Cor. 12. a
f Eph. 2. c

De Ecclesiastica rapsodia, sive Catena.

ECCLESIASTICA Raspodia, quae communi appellatione Catena dicitur, est ex diversis Ecclesiasticorum patrum scriptis verbotenus collecta expositio. Haec vero duplex est, Anonyma, & Proonyma. Porro ANONYMA catena est, quae tacitis, ac suppressis nominibus auctorum, solas ipsorum sententias, dictaque in unam continuatae narrationis consonantiam redigit, non aliter, quam si unus solus loqueretur, in qua expositor interdum nonnulla de suo addit, ut decentius, & illustrius diversas inconnexarum sententiarum varietates connectat: quod apud Graecos egregie praestitit Procopius Gazaeus, qui Octateuchum, hoc est Priores octo veteris testamenti libros ex Rapsodiis innominatorum patrum exposuit; apud Latinos vero Eucherius Lugdunensis episcopus (a), & Isidorus Hispalensis episcopus.

CA-

(a) Duos legitimus Eucherios, ambos Lugduni Episcopos, ut etiam adnotavit Theophilus Rainaudus in *Indiculo SS. Lugdunens. p.227. &c.* Seniorem, nimirum, qui floruit An.434. & Juniorem, qui interfuit Concilio Arausicano II. An.529. Certe Rhapsodiae ab Authore laudatae priori Eucherio adjudicari nequeunt, quum in eis reperiantur monumenta Patrum longe posterioris aetatis, potiori itidem jure nequeunt eae adscribi Eusebio Emeseno, cujus meminit S. Hieronymus *lib. de Script. Eccl.* quique floruit tempore Constantini M. Nequeunt pariter eaedem rhapsodiae adscribi Juniori Eucherio, quum in eis laudentur monumenta PP. sequioris aetatis, praesertim Gregorii M. At cujus reapse sint genuinus foetus? ignotum. Extra dubitationis aleam est in eis reperiri fragmenta Eusebii Emeseni, Eucherii, Fausti, Gennadii, Gregorii M. Maximi Taurinensis, Caesarii Arelatensis, aliorumque: probabile tamen est fuisse editas a Latino quodam Monacho, qui ex Abbate Lerinensi fuit ad Episcopatum adsumtus.

Digitized by Google

CATENA PROONYMA eſt, quae expoſitorum periodos, ac ſententias eodem texturae artificio contexit, hac ſola re diſtans a ſuperiori catena, quod illa auctorum nomina praetermittit; haec vero auctorum ſuorum nomina intra ſcripturae contextum, vel extra contextum, in marginibus pagina-rum aſcribit; hoc maxime obſervans, ne ſuperfluo repetat ſententias omnium auctorum, qui ſuper eodem loco eandem attulerunt explanationem: ſed illas tantum aſſumat expoſitiones, in quibus diverſi expoſitores de eadem re diverſa locuti ſunt: ſicut apud Graecos Oecumenius, & Theodolus Coeleſyriae presbyter (a); apud Latinos vero Beda Venerabilis, Thomas Aquinas, & Aloyſius epiſcopus Veronenſis fecerunt.

Exemplum Catenae in Pſalmum centeſimum decimum ſextum.

HIERONYMUS, Parvus hic Pſalmus eſt in numero verſuum, ſed magnus eſt in ſpiritualis myſterii Sacramento. CASSIODORUS, Clamat enim chorus ſanctorum, omnes gentes Dominum debere laudare, dicens, Laudate Dominum omnes gentes. GLOSSA, id eſt omnes gentiles. LYRANUS, Ad fidem Chriſti vocandi. HIERON. Qui relictis ſimulacris acceſſiſtis ad eum per fidem, quod Magi ab oriente venientes inchoaverunt, offerentes munera regi nato: ſicut Matthaeus Matth. 2.
ait. Laudate eum omnes populi. LYRANUS, HUGO CARDINALIS, GLOSSA, id eſt omnes Judaei in duodecim tribubus diviſi, qui quaſi ratione utentes, eo quod ſub lege vivebant, dicuntur populi reſpectu Gentium, quae quaſi pecora ſine lege vivebant. LYRAN. Praeponit autem Gentes Judaeis, quia pauci de Judaeis primo crediderunt, & multi de Gentibus, ſicut ait Apoſtolus. CASSIO- Rom. 11. 25.
DORUS, Cauſa autem, quare debeat Dominus toto orbe laudari, ſubjungitur, cum dicitur: Quoniam confirmata eſt, inquit, Super nos Miſericordia ejus. HUGO CARDIN. Cum in adventu Chriſti miſericordiam, quam per Prophetas promiſerat, exhibuit. CASSIODORUS, GLOSSA, Quod enim per Prophetas promiſerat, in adventu Chriſti complevit, & firmavit miſericordiam: quia quicquid dedit, cuſtodivit, ut nunquam moveatur. HIERONYMUS, GLOSSA, Vel tunc confirmata eſt Miſericordia, cum effudit ſuper credentes Spiritum Sanctum juxta promiſſionem, quam Lucas Evangeliſta commemorat. LYRAN. & cum Act. 1. & 2.
dicit, confirmata eſt, loquitur de futuro per modum praeteriti propter certitudinem prophetiae: in adventu enim Chriſti, & non ante, fuit miſericordia Dei confirmata per effectum, quae ante expectabatur per magnum deſiderium: & veritas Domini manet in aeternum.

DE ETHNICA RAPSODIA.

RAPSODIA Ethnica eſt ex dictis ac ſententiis Gentilium auctorum verbotenus decerpta expoſitio: & haec quoque duplex eſt, videlicet Catena, & Cento, qui & Centro dicitur. Differt autem a Catena Cento, quod illa citra magnum laborem prolixas periodos, & longas ſermonum lacinias in unam texturam congregat, praeſertim vero ex ſcriptis, quae proſa, ſive ſoluta oratione conſtant: Cento autem majori labore, & ſolertiori induſtria adunatur potiſſimum ex ſcriptis Poëtarum; ex quorum variis, & inconnexis verſibus nova quaedam carminis ſtructura ſolidatur, hac ſcilicet ratione, ut in unum verſum coëant aut caeſi duo, aut unus, & ſequens cum medio: nam duos junctim locare ineptum eſt: & tres una ſerie coaptare merae nugae. Laborarunt multa non contemnenda ingenia in his Raſpodiis varie colligendis: ſed meo quidem judicio non ſemper expoſitionem divinarum ſcripturarum, quam quaerebant, ex Ethnicis aſſecuti ſunt; ſed potius Symphoniam quandam, & conſonantiam inter divinas, & profha-

(a) Theodolus, ſeu Theodulus hic ab Honorio Auguſtodunenſi dicitur *Theodorus*. Verum huic nequit adjudicari Catena illa, quam ei N. Xyſtus tribuit, quum laudet Authores, qui diu poſt eum floruerunt. Claruit porro Theodolus Anno 480. & denatus eſt Anno 492. laudat autem in ſua Catena ne dum Baſilium, Chryſoſtomum, Severianum, &c. ſed etiam alios quam maxime recentiores, Photium, nimirum, & Oecumenium. De hoc etiam Theodolo infra redibit ſermo ubi iterum Author ex tribus Theodoris unum conflat, in quem errorem prolapſus eſt etiam Antonius Poſſevinus.

Digitized by Google

phanas ethnicorum ſententias ſtudioſis ſacrarum literarum non omnino inutilem. Verſatus eſt in priori hujus Ethnicae Rapſodiae forma Dominicus Nanus Albenſis, locos varios quatuor Evangeliſtarum ex dictis gentilium philoſophorum, oratorum, & poëtarum exponens. In poſteriore vero, ſumma cum laude ingenium ſuum exercuerunt duae illuſtriſſimae foeminae, Eudocia, Leonis Athenienſis philoſophi filia, ac Theodoſii Imperatori uxor (a); & Proba Falconia, Adelphi proconſulis uxor (b): quarum illa Ομηρόκεντρα, ſive Homerocentonas; haec vero Virgiliocentonas contexuerunt, hoc eſt Locos varios utriuſque teſtamenti ex Graecis Homeri, & Latinis Virgilii carminibus vel deſcripſerunt, vel expoſuerunt. Exempla horum laborum haec ſunt.

Noſtra Vulgata habet: Coeli, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in die judicii: adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem, & quae in ipſa ſunt opera exurentur.

Exemplum Catenae Ethnicae in locum illum ex ſecunda Petri epiſtola capite tertio, *Coelum iſtud, quod nunc eſt, & terra, igni repoſita ſunt in die judicii: in qua coeli fluminis inſtar praeteribunt, elementa autem incenſa reſolventur, & terra, &, quae in ipſa ſunt, colliqueſcent, & coeli inflammati, & elementa liqueſcent.*

SIBYLLA ORACULORUM LIBRO SECUNDO.

TUNC ardens fluvius coelo manabit ab alto
Igneus, atque locum conſumet funditus omnem,
Terramque, oceanumque ingentem, & caerula ponti
Stagna, lacus, fluvios, Ditemque ſeverum,
Coeleſtemque polum: coeli quoque lumina in aevum
Flaxa fluent, forma deleta prorſus eorum:
Aſtra cadent etenim de coelo cuncta revulſa.

PLATO IN TIMAEO.

TEMPUS cum coelo factum eſt; ut ſimul facta, ſimul etiam diſſolvantur: ſi quando ſolutio quaedam ipſorum fiet.

LUCRETIUS LIBRO V.

UNA dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animus fallit, quam res nova, miraque menti
Accidit, exitium coeli, terraeque futurum.

OVIDIUS LIBRO PRIMO METAMOR.

ESSE quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Seneca in fine libri de conſolatione ad Martiam.

SI tibi poteſt ſolatio eſſe commune fatum, nihil, quo ſtat loco, ſtabit; omnia ſternet, adducetque ſecum vetuſtas; ſupprimet montes, ſorbebit maria, flumina avertet; &, commercio gentium rupto, ſocietatem generis, coetumque diſſolvet; alibi hiatibus vaſtis ſubducet montes; urbes tremoribus quatiet, & ex in-

(a) Eudocia (dum adhuc Gentilis erat *Athenais* dicta) non *Leonis*, ut N. Xyſtus ſcribit, ſed *Leontii* Sophiſtae Philoſophi Athenienſis filia Centones Homericos a Pelagio quodam Patricio inchoatos abſolvit degeſſitque, ut luculenter oſtendit Zonaras *Annal. To.3. p.37.* In craſſum autem deſcendit errorem Aubertus Miraeus *in Auctar. cap.37.* qui hos Centones adjudicavit Eudoxiae Auguſtae uxori Conſtantini XII. cognomento *Ducae*, qui obiit anno 1067.

(b) Probam Falconiam N. Sixtus Adelphi Proconſulis uxorem dixit, & dubio procul ex Iſidoro Hiſpalenſi *de Scriptorib. Eccleſiaſticis c.5.* Verum errorem hunc univerſim in Iſidoro ventilant adcuratiores Critici, ex quibus Proba Falconia Valeria uxor fuit Anicii Probi Praetorio Praefecti viri clariſſimi: videſis Card. Baronium *ad An.395.* Aubertum Miraeum in *Auctario Script. in Iſidor.* Guillelmum Cave *Hiſt.Litt.* ad Ann.371. Laudes hujuſce Poetriae require apud Hieronymum, Chryſoſtomum, Prudentium, Auguſtinum, Claudianum, Caſſiodorum, alioſque.

Digitized by Google

infimo peſtilentiae halitus mittet, necabitque omne animal, orbe ſubmerſo; & ignibus vaſtis torrebit, incendetque mortalia: &, cum tempus advenerit, quo ſe mundus renovaturus extinguat, viribus iſta ſe ſuis cedent; & ſidera ſideribus incurrent; &, omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.

LUCANUS LIBRO PRIMO PHARS.

- Sic cum compage ſoluta,
Saecula tot mundi ſuprema coëgerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia miſtis
Sidera ſideribus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum, fratri contraria Phoebe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi: totaque diſcors
Machina divulſi turbabit foedera mundi.

Exemplum centonis in Pſalmum centeſimum decimum ſextum, ex Virgilii carminibus olim a nobis concinnati: in qua invitatur univerſum mortalium genus ad celebrandum Deum propter Miſericordiam, generi humano in Chriſti nativitate exhibitam.

a *QUAE terras, tractuſque maris* b *longo ordine gentes*
c *Incolitis*, d *variae linguis*, *habituque* e *per orbem*,
f *Qua redit a nobis Aurora, diemque reducit*,
g *Et qua ſera rubens accendit lumina veſper*,
h *Communem celebrate Deum*, i *paeana canentes*.
k *Magnanimi heroës*, l *pueri*, *innuptaeque puellae*,
m *Matres, atque viri*, n *tantarum in munere laudum*
o *Ipſi laetitia voces ad ſidera ferte*,
p *Quod nova progenies coelo deſcendit ab alto*,
q *Attulit & nobis* ☙ *longo poſt tempore tandem*
r *Auxilium, adventumque Dei*, s *cum foemina primum*
t *Virginis os, habitumque gerens*, u *mirabile dictu*,
x *Nec generis noſtri puerum, nec ſanguinis edit*
y *Naſcentem puerum*, z *coeli cui ſidera parent*.

a Aen. 6.
b Aen. 8.
c Aen. 6.
d Aen. 8.
e Aen.
f Gen. 1.
g Gen. 1.
h Aen. 8.
i Aen. 6.
k Aen. 6.
l Aen. 6.
m Aen. 6.
n Aen. 8.
o Eccl. 44.
p Egl. 4.
q Aen. 8.
r Eccl. 1.
r Aen. 8.
s Aen. 8.
t Aen. 1.
u Aen. 2.
x Egl. 8.
y Eccl. 4.
z Aen. 10.

DE SYLLEGMATE.

SYLLEGMA, id eſt ſenſuum collectio, eſt ex diverſis expoſitorum commentariis juxta ſenſum tantum collecta expoſitio: in qua ſervata ſolum veritate ſenſus, quae ex expoſitionibus aliorum educta eſt, variatur dictionis genus: & ſtylus diverſus aſſumitur: ſicut apud Latinos fecerunt Haymo Alberſtatenſis epiſcopus, & Rupertus Tuitienſis abbas, &, ut etiam quibuſdam videtur, divus Hieronymus, qui omnia Graecorum expoſitorum commentaria defloravit.

DE ABBREVIATIONE.

ABBREVIATIO ab Epitome, de qua ſuperius diximus, hoc tantum differt, quod illa ſcripturas divinas in brevitatem colligit: haec vero expoſitorum divinae ſcripturae prolixas explanationes, latiſſimaque volumina in compendium, ſummamque perſtringit, ſuccincta ac dilucida brevitate, ut & ab occupatis, & a ſimplicioribus parvo temporis, ac laboris diſpendio facilius legi, & intelligi poſſint. Elaborarunt in hac parte felicius apud Graecos Theophylactus Chryſoſtomi abbreviator, & ex Latinis Odo Abbas (a); qui triginta & quinque libros commentariorum Gregorii in Job intra unius parvi voluminis anguſtias coarctavit.

(a) Quum plures in litteraria hiſtoria occurrant hujus nominis Scriptores Eccleſiaſtici, iique Abbates, ne fortaſſe quis erret, non immerito adnotandum duxi Odonem a N. Xyſto laudatum eſſe Cluniaceuſem Abbatem, qui Anno a partu Virginis 492. ad ſuperos evolavit.

Digitized by Google

DE COACERVATIONE METHODUS VIGESIMAPRIMA.

COACERVATIO, sive Coacervatus exponendi modus duplex est; alter in sensuum, alter in testimoniorum accumulatione consistens. Primus est, qui ad elucidationem assumpti loci quatuor, sive sex praecipuas divinae scripturae expositiones, aut simul permistas & confusas coacervat, aut singulas separatim collectas alteram post alteram subnectit, & in unam continuatae explanationis seriem jungit. Siquidem ex expositoribus quidam sunt, qui nullum servantes ordinem, Historicas, Ethicas, Mysticasque explicationes absque ullo discrimine in unum acervum confundunt: contra vero quidam, quibus ordo placet, in primis Historicam enarrationem, ceu basim totius explanationis, substernunt, secundo loco Moralem ad utilitatem legentium superponunt, tertio Allegoriam, quarto Anagogiam ad delectationem & ornatum addunt: quod ex recentioribus Dionysius Carthusianus in commentariis Psalmorum, & Guillelmus Pepinus in commentariis Geneseos, & Exodi diligentissime observarunt: ex vetustis vero D.Gregorius in commentariis super Job statim post Historicam expositionem Allegoricam, & Anagogicam, quae idem apud eum sunt, subnectit: & ex his postremo Ethicae enarrationis fontes ad mores informandos deducit.

SECUNDUS coacervationis modus in testimoniorum aggregatione positus est, qui ad enodationem & confirmationem propositi loci varia scripturarum testimonia, auctoritates, & locos ex divinis literis similes in unum contractos adducit; & hos rursum, praesertim si obscuri fuerint & impliciti, superaddita novae expositionis interpositione, particulariter edisserit: quo fit, ut dum expositor per singula prolata scripturae testimonia exponendo progreditur, explanationis corpus quodammodo in immensum excrescat, vixque finem inveniat. Desudarunt in hoc exponendi genere inter scholasticos Henricus Langesteinus, qui, consumptis multis annis in publica enarratione Geneseos vix ad quartum ejus libri caput post quatuor integros annos pervenire potuit, editis super his quatuor magnis voluminibus; in quibus omnes fere utriusque testamenti libros interpretatus est. Hunc longe prolixiore opere superavit Thomas Hasselbachius, qui cum uno & viginti annorum spacio nondum perveniisset ad finem primi capitis Esaiae, quem continue enarraverat, demum reliquit Enarrationis suae in primum Esaiae caput libros vigintiquatuor. Ex Patribus vero majori cum laude in hoc labore versatus est D.Gregorius, qui in omnibus scriptis suis, praecipue autem in quinque ac triginta libris commentariorum in Job tot divinorum eloquiorum sententias, fragmentaque congessit, & congesta exposuit, ut ex his, veluti ex ditissimo promptuario, multi non ignobiles expositores integras omnium fere scripturae sanctae voluminum expositiones acceperint: quales sunt Patherius D.Gregorii notarius, Claudius Classitanus abbas, Beda presbyter, Alalphus monachus, Guernerus Parisiensis, ac plerique alii Gregorianae lectionis studiosi, qui ex Gregorii sententiis in utrumque testamentum explanationes collegerunt. Hujus Methodi exemplum cum absque multa prolixitate referri nequeat, remittimus curiosum lectorem ad commentarios D.Gregorii super Job, praesertim vero ad secundum ejusdem operis librum, in cujus vigesimo nono, trigesimo, ac trigesimo octavo capitibus ad expositionem sententiae illius, *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit, &c.* afferuntur, & explicantur duodecim divina testimonia ex variis Bibliorum locis congregata.

DE THEMATICA EXPOSITIONE METHODUS VIGESIMA SECUNDA.

THEMATICA explanandi Methodus est, quae peculiares divinae scripturae partes una cum earum expositionibus applicat ad alicujus particularis argumenti tractationem; ostendens totum suscepti argumenti corpus, membra, partesque singulas in propositis scripturae sanctae locis veluti in tabula depictas inveniri. Hujus interpretationis artificium subindicat D.Ambrosius emanasse a Xe-

Digitized by Google

nophonte, Socratis auditore; qui in eo libro, quem Κύρου παιδίαν, hoc est CYRI INSTITUTIONEM inscripsit, proposita sibi Cyri Persarum regis persona, & rerum ab eo gestarum narratione, justi ac sapientis regis disciplinam ex intimo philosophiae sinu descripsit: quem postea aemulati sunt insignes divinorum voluminum expositores: ex quibus Philo apud Judaeos, tractaturus argumenta duplicis vitae, contemplativae scilicet, ac politicae, duos libros separatim conscripsit, in quorum priore, cui DE VITA SAPIENTIS PER DOCTRINAM PERFECTI, sive DE ABRAHAMO titulus est, Abrahae vitam ex duodecimo usque ad vigesimum tertium caput Geneseos collectam, summatim exponit, demonstrans Mosem in Abrahamo pingere voluisse imaginem viri per contemplationem perfecti: in posteriore vero libro, qui DE VIRO CIVILI, sive DE JOSEPH attitulatur, exponens carptim gesta Joseph a trigesimo septimo capite Geneseos usque ad quadragesimum octavum docet Josephum esse exemplar viri civilis, & ad Reipublicae gubernacula idonei. Hoc idem apud Graecos praestitit Gregorius Nyssenus in libro, cui titulum indidit DE PERFECTA HOMINIS VITA, sive DE VITA MOSIS, in quo breviter explicans, quae Moses de se ipso in Pentateucho scripsit, quaecunque ad perfectum vitae genus expediunt, in Mosis simulacro expressit: id ipsum quoque apud Latinos fecit Ambrosius in variis libris, quos sub diversis titulis, & argumentis in explanationem veteris testamenti composuit, praecipue vero in duobus voluminibus DE ABRAHAM PATRIARCHA, sive DE VIRO PER ACTIONEM PERFECTO praenotatis: in quibus explanans gesta Abrahae a duodecimo usque ad decimum octavum Geneseos caput delineavit viri moralis, ac vere activi ideam. In his itaque auctoribus legere poteris exemplum praesentis methodi, quod hic propter ejus prolixitatem inseri non potest.

Philonis libri de vita contemplativa, & civili.

DE SCHOLASTICE METHODUS VIGESIMA TERTIA.

SCHOLASTICUM expositionis genus duplex est, Vetus, ac Novum. Porro Vetus est, quo olim in enarrandis sanctis literis usi sunt eloquentissimi illi patres, qui post longam eloquentiae exercitationem de scholis Rhetorum ad sacra studia venientes, enarrationes suas rhetoricis, quae secum detulerant, ornamentis delectandi gratia exornabant, intermistis etiam ad concitandos animos gravissimis affectibus: ut, quae dicebant, non solum ab auditoribus intelligerentur, sed etiam amarentur: & in hac significatione Beda presbyter in libro De arte metrica Prudentium appellavit nobilissimum Hispanorum Scholasticum: & Gennadius in catalogo Scriptorum illustrium recensuit Musaeum, Julianum, Eucherium, ac plerosque alios inter Scholasticos, hoc est inter summos scholasticae eloquentiae professores. Hieronymus quoque scribit se, calentibus adhuc in ipso Rhetorum studiis, multa de sacris rebus scholastico flore pinxisse; & in Commentariis epistolae ad Titum ait, Paulum Apostolum, cum in Areopago concionaretur, argumentum concionis ab inscriptione Arae Athenienſium scholastica quadam elegantia traxisse.

ALTERUM scholasticae explanationis genus, quod nunc habemus ex theologia sacra, & philosophia, praesertim Peripatetica, conflatum, recens ac novum est, annis abhinc circiter quadringentis enatum, paulo post tempora Lotharii II. Imperatoris, qui anno Domini MCXXX. libros legum Romanarum pulveribus obsitos reperit, & in lucem reduxit; mandavitque publice in scholis legi, & secundum eas leges jus dici: itaque per hanc occasionem in usum revocatus est thesaurus legum: unde multi commentaria multa scripserunt in leges. Caeterum, floreſcentibus jam ubique legum studiis, eaque doctissimis quibusque, quemadmodum in re nova fieri solet, amplectentibus, animadvertentes pii quidam clerici, ac monachi scripturae sacrae cognitionem frigescere, & contemni prae studio legum, ipsi quoque theologicum studium aggressi sunt, atque exemplo jurisconsultorum coeperunt sanctos libros exponere, & expositiones suas scriptis edere: ex quibus quae usque in hanc diem in scholis ipsorum usitatiores fuerunt, in decem distribuuntur ordines.

Quo tempore coeperint edi Scholastica Commentaria in Romanorum Leges, & in S. Scripturam.

QUORUM primus complectitur Concordantias,

Digitized by Google

SECUNDUS Dictionaria,
TERTIUS Historias,
QUARTUS Postillas,
QUINTUS Quaestionaria,
SEXTUS Lecturas,
SEPTIMUS Compendia,
OCTAVUS Sermonaria,
NONUS Metrica,
DECIMUS Meditationes.

1 PRIMUM igitur in Concordantiis omnes dictiones tam declinabiles, quam indeclinabiles, divinis voluminibus comprehensas, in ordinem alphabeticum digesserunt, annotatis libris, capitibus, & lineis omnibus, ac singulis, in quibus quaecunque voces, quaesitae voci similes & concordes, habentur.

2 IN Dictionariis, quae & Distinctionaria propter multiplices dictionum distinctiones, quae in his sunt, appellarunt, omnes divinae scripturae voces alphabetica serie dispositas, multiplici sensu tam literali, quam spirituali exposuerunt, singularum vocum significata dividentes, distinguentes, definientes, dilatantes, & juxta uniuscujusque dictionis naturam diversas materias pertractantes.

3 IN Historiis omnes historicos utriusque testamenti libros redegerunt in unum continuatae atque absolutae historiae corpus, intermiscentes, ubicunque rerum series exposcere videbatur, multas non solum externas historias ex indubitatis scriptoribus mutuatas; sed apocryphas etiam narrationes, veterum potius traditione, quam scripto ullo acceptas; adjectis insuper ad explicandum obscuros historiae locos brevibus annotatiunculis, ex dictis sanctorum patrum collectis.

4 IN Postillis divinas scripturas juxta literalem, ac spiritualem intelligentiam simpliciſſime, ac breviſſime elucidarunt, omissa prorsus omni disputationum subtilitate.

5 IN Quaestionariis è contra, posthabitis omnibus fere Scripturae expositionibus, dubitationes, & quaestiones obscuras ex variis Scripturarum locis proposuerunt; &, adhibitis hinc inde contrariis tam philosophicis, quam theologicis argumentis, subtiliſſime, ac pleniſſime de propositis locis disputarunt.

6 IN Lecturis vero utranque partem amplexi, multiplices Scripturarum sensus latius ac fusius, quam in postillis feciſſent, exposuere; & quaestiones, quas latiſſime in Quaestionariis tractaverant, in arctum restringentes, explanationibus suis immiscuerunt.

7 IN Compendiis libros divinae scripturae vel omnes, vel aliquos generali quadam partitione in partes, & membra diviserunt; & sic membratim divisos, in breves summas coarctarunt.

8 IN Sermonariis, super diversos divinae scripturae locos populares sermones, & conciones ex scholasticis dubitationibus, & moralibus documentis contextos exhibuerunt.

9 IN Metricis exposuerunt libros sanctos multiplici novorum carminum, & Rythmorum varietate ab ipsis primum inventa.

10 IN Meditationibus, quae & affectivae contemplationes dicuntur, explicant divinas literas per imaginarias quasdam repraesentationes, quas ad commovendos & inflammandos animos excogitarunt.

CAETERUM, quod ad phrasim attinet, idem est omnibus loquendi modus: nullo utuntur fuco saecularis eloquentiae, nullo accuratae elocutionis delectu: quippe qui nec delectare, nec flectere desiderant, sed tantum docere: narrationem habent simplicem, brevem, ac pressam; sermonem vero demissum, apertum, maximeque vulgarem, protritum, & juxta vulgi consuetudinem barbarismis, ac soloecismis refertum; sed in Lecturis, & in Quaestionariis praesertim obscurum, & abstrusum, cum propter subtilitatem Quaestionum difficillimarum, tum propter novas, & barbaras quasdam voces latinis auribus inauditas, & in Scholis ipsorum nuper enatas: quibus fit, ut nonnulli Rhetorum, eloquentiae addicti, non solum ab ipsorum lectione abstineant, sed & ipsum scholasticum nomen, ut barbarum, ineruditum, & nulla dignum existimatione abhorreant:

qui

Digitized by Google

qui sane mihi graviter in hoc videntur errare, & Ciceronis sui judicium, quod tantopere admirantur, contemnere: is enim a philosopho non eloquentiam, sed eruditionem requirit: nam libro primo de finibus bonorum & malorum, Epicuri mentionem faciens, ORATIO me, inquit, istius philosophi non offendit: nam & complectitur verbis quod vult, & dicit plane quod intelligam. Et tamen a philosopho, si affert eloquentiam, accipio: si non habet, non admodum flagitem. Cum igitur Cicero a philosophis eloquentiam minime exposcat, non video cur eadem tantopere a Scholasticis theologis exigi debeat: qui licet juxta Pauli sententiam imperiti sint sermone, non tamen scientia: sed quanto magis elocutionis elegantia destituuntur, tanto magis eruditione praestant, proponentes non picta, sed solida, docentes quae maxime prosunt, & quae ad destinatum finem pertinent; & ita docentes, quemadmodum oportet, & cum rudibus, & cum eruditis. Sed de his alias: non enim institui praesenti loco Scholasticorum, in quorum scholis educatus & evectus sum, defensionem suscipere; sed ipsorum dumtaxat exponendi rationem explicare.

Cicero non eloquentiam, sed eruditionem in Philosopho requirit.

2. Cor. 11. 6.

QUANTUM ergo attinet ad docendi modum, totius explanationis Methodus apud ipsos quinque potissimum innititur fulcimentis, videlicet Divisione, Distinctione, Definitione, Argumentatione, & Allegatione, juxta Peripateticorum, & Jurisconsultorum consuetudinem. Divisionibus usque adeo abundant, ut nullam quantumvis brevem divinae scripturae periodum explicent, nisi prius in diversas partes, ac membra dividant, atque distribuant. Distinctionum apud eos tanta vis est, ut singulas pene assumpti loci dictiones in varia diversaque vocum ac rerum significata distinguant; distinctas vero suis unamquanque definitionibus ac descriptionibus explicent. Allegationum ita sunt copiosi, ut in quavis proposita re numerosam testium, ac testimoniorum multitudinem adducant in medium, citato semper nomine auctorum, inscriptione librorum, & numero capitulorum, ex quibus testimonia proferuntur. Praefationes commentariorum suorum, sive hi Postillae, sive Lecturae, sive Compendia, sive quaecunque alia sint, semper auspicantur ab aliqua sanctarum scripturarum sententia, sed extra librum, quem exposituri sunt, & ab alio quopiam sacro volumine petita: ex cujus sententiae verbis totius libri argumentum, quod subjectum vocant, & quatuor ejusdem operis causas deducunt, quas Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem appellant. Quibus explicatis, universum opus dividunt in duas partes principales, nempe in Prooemium, & Tractatum; & rursum harum singulas in tres, aut quatuor minus principales subdividunt, easque iterum in alias minores particulas dissecant; & in hunc modum nunc dividendo, nunc divisa explicando, ad finem usque libri perveniunt.

HOC FERE modo pertractant eam partem, quae pertinet ad sermones populares, quos Praedicationes appellant, dividentes eos in Exordium, & Narrationem. Exordium aggrediuntur ab aliqua sententia, desumpta pene semper aut ex lectione Evangelica, aut ex epistola eodem die in sacris mysteriis praelecta, quam Thema appellant: mox breviter proposito sermonis argumento, ea, quae dicenda sunt, dividunt partitione potissimum trimembri, vel quadrimembri in tres, aut quatuor partes; quas alii Mysteria, alii Doctrinas, alii Veritates, alii Advisamenta nuncupant; terminantes membra singula partitionis in rythmicam consonantiam, ut facilius animo apprehendantur, ac tenacius memoria retineantur. In Narratione deinde, quam Familiarem vocant, ordinem propositae partitionis sequentes, in principio cujusque Mysterii, seu veritatis, dubia quaedam scholastica, vel ex Summis theologicis D. Thomae, Alberti, Alexandri, Bonaventurae, & Scoti, vel ex dogmatibus Peripateticorum petita, & ex multis tam divinae scripturae, & ecclesiasticorum patrum, quam poëtarum, oratorum, ac Gentilium scriptorum testimoniis, aut ex Manipulo Florum, aut ex Polyanthea collectis, & nominatim ac numeratim citatis copiosissime confirmata ad enarrationem propositi loci accommodant: quibus explicatis, tandem in fine mysterii convertunt se ad detestationem vitiorum, quam Practicam, & Fervorem vocant, protritis, & quammaxime vulgaribus reprehensionibus, objurgationibus, & increpationibus utentes.

HAEC

Digitized by Google

HAEC est ergo scholastica Methodus juxta suos ordines, partesque descripta: in qua praestantiores fuerunt, quantum ad Concordantias pertinet, Hugo Carensis, & Conradus Alberstadius; in Dictionariis vero Petrus Bertorius Gallus, & Marcus Ulmensis; in Historiis Petrus Comestor, Scholasticae historiae auctor; in Postillis Hugo Carensis, & Nicolaus Lyranus; in Lecturis Albertus Magnus, & Thomas Aquinas; in Sermonariis D. Vincentius Hispanus, & Robertus Licien-sis; in Metricis Godefridus Viterbiensis, & Petrus Riga Remensis; in Meditationibus scholasticis Bonaventura Cardinalis, & Landulphus Carthusianus, Joannes Gerson, & Dionysius Carthusianus. Ex his igitur insigniora quaedam apud ipsos scholasticae varietatis exempla, ad exactam praesentis artificii cognitionem, hunc in locum duximus inserenda.

Exemplum expositionis, ex concordantiis desumptae, superius videre poteris Methodo tertia.

Exemplum expositionis Dictionariae, sive Distinctionariae expositionis, ex Dictionario Petri Bertorii Galli, cognomento.

DICTIONARII.

Expositio in literam A, sive de litera A.

IN PRIMIS notare possumus, quod haec litera, vel syllaba A tripliciter sumi potest: sumitur enim pro litera principiativa, pro interjectione dolendi & lamentativa, & pro praepositione ablativa: per primam possum intelligere rerum omnium principiatorem: per secundam possum accipere hominem miserum & viatorem; per tertiam autem hominem impium & peccatorem. Primo enim modo A est prima litera alphabeti, significans illum, qui in ordine rerum est primus, scilicet Deus, qui de se ipso dicit Apocalypsis primo: EGO sum alpha & omega, principium & finis. Alpha enim Graece idem est, quod A latine. Secundo modo A est interjectio dolentis: & sic potest significare humanam conditionem, quae scilicet est flebilis & inanis: unde ista est illa prima vox, quam puer, ad hanc miseriam veniens, statim clamat, dicens A, A, quasi dolendo pro mi-
Sap. 7. 3. seria, quam intravit: de qua Sapientiae capite 7. scribitur, Ego natus accepi aërem, & primam vocem similem aliis emisi plorans. Tertio modo A est praepositio ablativa, deserviens Ablativo, id est mundi principibus: & sic potest significare mihi viros superbos, qui semper aliis se volunt praeponi, & maxime praepositos & balivos, qui deserviunt ablativo, id est mundi principibus; qui non
2. Cor. 11. 32. cessant auferre bona subditorum suorum: 2. Corinth. 11. DAMASCI praepositus gentis Arethae regis voluit me comprehendere, &c. unde de tali A potest dici il-
Psal. 139. 1. lud, quod scribitur in Psalmo 139. A VIRO iniquo eripe me. De primo iterum A initiativo potest dici quicquid dicitur de Deo, vel etiam de principio. De secundo A lamentativo potest dici omne, quod dicitur de humana miseria. De tertio vero A dici potest, quicquid de malis principibus dicitur, &c. Praetereo brevitatis causa caeteras hujus literae significationes, quas idem auctor multis ac prolixis verbis in principio sui Dictionarii prosequitur.

Exemplum Scholasticae historiae, quod brevitatis causa hic omittimus, videre poteris in historia Petri Comestoris, qui per excellentiam quandam Magister historiae Scholasticae a Scholasticis appellatur.

Exemplum Quaestionis Scholasticae in Psalmum centesimum decimum sextum.

QUAERITUR, utrum Deus sit laudandus, & praesertim oris laudatione? Et videtur quod non: dicit enim Philosophus in primo Ethicorum, Optimorum non est laus, sed majus aliquid, & melius: sed Deus est super omnia opti-
ma:

Digitized by Google

ma: ergo Deo non debetur laus, sed aliquid majus laude: unde Ecclesiastici quadragesimo tertio dicitur, quod Deus major est omni laude. Eccl. 43. 33.

PRAETEREA, Laus Dei ad cultum ipsius pertinet, est enim religionis actus: Sed Deus mente colitur magis, quam ore: unde Dominus Matthaei quintodecimo contra quosdam inducit illud Esaiae, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*: Ergo laus Dei magis consistit in corde, quam in ore. Mat. 15. 8.

PRAETEREA, Homines ad hoc ore laudantur, ut ad meliora provocentur: sicut enim mali ex suis laudibus superbiunt; ita boni ex suis laudibus ad meliora provocantur: unde dicitur Proverbiorum vigesimo septimo, *Quomodo probatur in conflatorio argentum, sic probatur homo ore laudantium*: Sed Deus per verba hominum non provocatur ad meliora, tum quia immutabilis est, tum quia summe bonus est, & non habet quo crescat: Ergo Deus non est laudandus ore. Prov. 27. 21.

SED CONTRA est quod dicitur in Psalmo 116. *Laudate Dominum omnes gentes, &c.* & in Psalmo sexagesimo secundo, *Labiis exultationis laudabit os meum.* Psal. 62. 6.

RESPONDEO, dicendum, quod verbis alia ratione utimur ad Deum, & alia ratione ad hominem. Ad hominem enim utimur verbis, ut conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere nisi verbis nostris, ei exprimamus: & ideo laude oris ad hominem utimur, ut vel ei, vel aliis innotescat, quod bonam opinionem de laudato habemus: ut per hoc & ipsum, qui laudatur, ad meliora provocemus; & alios, apud quos laudatur, in bonam opinionem & reverentiam & imitationem ipsius inducamus: sed ad Deum verbis utimur, non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus; sed ut nos ipsos, & alios audientes ad ejus reverentiam inducamus: & ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipsius, secundum illud Psalmi, *Sacrificium laudis honorificabit me*: & in quantum homo per divinam laudem affectu ascendit in Deum, in tantum per hoc retrahitur ab his, quae sunt contra Deum, secundum illud Esaiae quadragesimo octavo, *Laude mea infrenabo te, ne intereas*. Prodest etiam laus oris ad hoc, quod aliorum affectus provocetur in Deum: unde dicitur in Psalmo, Semper laus ejus in ore meo: & postea subditur, Audiant mansueti, & laetentur. Magnificate Dominum mecum. Psalm. 49. 23. Esa. 48. 9. Psal. 33. 2. 3.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod de Deo dupliciter possumus loqui: uno modo, quantum ad ejus essentiam: & sic, cum sit incomprehensibilis & ineffabilis, major est omni laude: debetur autem ei secundum hanc comparationem reverentia, & latriae honos: unde & in Psalmo secundum translationem Hieronymi dicitur, *Tibi silet laus Deus*, quantum ad primum: *Et tibi reddetur votum*, quantum ad secundum. Alio modo, secundum effectus ipsius, qui in nostram utilitatem ordinantur: & secundum hoc debetur laus Deo: unde dicitur Esaiae sexagesimo tertio, *Miserationem Domini recordabor: laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus*: & Dionysius dicit primo capitulo de divinis nominibus, OMNEM sanctum theologorum hymnum, id est divinam laudem, invenies ad beatos Thearchiae, id est divinitatis processus, manifestative & laudative Dei nominationes dividentem. Psal. 64. 1. Esa. 63. 7.

AD secundum dicendum, quod laus oris inutilis est laudanti, si sit sine laude cordis: tunc enim loquitur Deo laudem, dum magnalia operum ejus recogitat cum affectu: valet tamen exterior laus oris ad excitandum interiorem affectum laudantis, & ad provocandum alios ad Dei laudem, sicut dictum est.

AD tertium dicendum, quod Deum non laudamus propter utilitatem suam, sed propter utilitatem nostram, ut dictum est.

EXEMPLUM SCHOLASTICAE LECTURAE IN PSALMUM CXVI.

VERBUM *abbreviatum fecit Dominus super terram*: Esaiae capite decimo, & ad Romanos capite 9. Esa. 10. 22. Rom. 9. 28.

IN ISTA sententia Esaiae tanguntur quatuor causae hujus Psalmi, videlicet Materialis, Formalis, Agens, & Finalis: & primo Materialis innuitur per ly VERBUM; quia materia, de qua agitur in hoc Psalmo, est misericordia & veritas

Digitized by Google

tas Dei, oſtenſa in Verbo incarnato. Formalis tangitur in dictione ABBREVIATUM; quia forma hujus Pſalmi eſt brevitas compendioſa, comprehendens omnes divinas laudes, quae in toto libro Pſalmorum diſperſae ſunt. Agens tangitur ibi, FECIT DOMINUS; nam Deus fuit cauſa agens, quae fecit hunc Pſalmum per os David. Finalis tangitur in verbo SUPER TERRAM; quia finis, qui movit Deum ad mittendum Verbum incarnatum, & ad pronunciandum hunc Pſalmum de Verbo incarnato, fuit utilitas totius terrae. Dividitur autem praeſens Pſalmus more aliorum Pſalmorum in duas partes, videlicet in Titulum, & Tractatum, qui incipit, *Laudate Dominum, &c.* Titulus eſt *Halleluja*: in quo innuitur, quod iſte Pſalmus eſt hallelujaticus, hoc eſt laudatorius, invitans totum mundum ad laudandum Deum pro miſericordia obtenta in adventu Verbi incarnati. In tractatu vero auctor exequitur, quod propoſuerat in titulo: & dividitur in duas partes: in prima invitat omnes homines ad laudandum Deum: in ſecunda reddit cauſam invitationis ibi, *Quoniam confirmata*. Prima pars adhuc dividitur in duas: ſecunda incipit ibi, *Laudate eum omnes populi*: prima vero ibi, *Laudate Dominum omnes gentes*: in qua invitat nationes Gentiles, quae Gentes dicuntur ad Dei laudem. Sed oritur difficultas, utrum Deus ſit laudandus? & videtur quod non: dicit enim Philoſophus in primo Ethicorum, quod optimorum non eſt laus: ſed majus aliquid & melius: ſed Deus eſt ſuper omnia optima: ergo
Eccl. 43. 33. Deo non debetur laus, ſed aliquid, majus laude: unde Eccleſiaſtici 43. dicitur, quod Deus eſt major omni laude. Sed contra eſt quod hìc dicitur in Pſalmo, *Laudate Dominum omnes gentes*: Reſpondeo, dicendum, quod de Deo dupliciter poſſumus loqui, Uno modo, quantum ad ejus eſſentiam: & ſic, cum ſit incomprehenſibilis & ineffabilis, major eſt omni laude: debetur autem ei ſecundum hanc comparationem reverentia, & latriae honor. Alio modo, ſecundum effectus ipſius, qui in noſtram utilitatem ordinantur, ut ſunt miſericordia & juſtitia: & ſecundum hos Deus laudandus eſt, & de facto laudatur in praeſenti Pſalmo, &c.

DE COMPENDIO SCHOLASTICO.

SCHOLASTICUM Compendium dividitur in Proſaïcum, & Metricum: ex his autem Proſaïcum duplex eſt, alterum univerſale, quod ſumma tantum capita totius operis dividit, enumerat, & colligit: alterum Particulare & diſtinctius, majori induſtria elaboratum, quod partes totius operis primarias in minores particulas, & particularia membra uſque ad minimos articulos, & articulorum inciſuras dividit, enumerat, & ſummatim perſtringit ad faciliorem apprehenſivae virtutis commoditatem, & memoriae auxilium. Hoc autem rurſus in duo diſtinguitur, nempe in Arboreum, & Columnare: ex quibus Arboreum dicitur, quod per plures linearum ac ramorum, ab uno ſtipite prodeuntium, deductiones ac diviſiones digeſtum, ramoſae arboris ſpeciem figuramque repraeſentat. Columnare vero appellatur, quod in duabus ejuſdem paginae columnis conſcribi ſolet: in quarum prima ſingula compendii commata, membra & inciſa decenti ordine alterum ſub altro coaptantur; in altera vero columna verba, vel ſententiae ſacrae ſcripturae, ſingulis Compendii membris reſpondentes, è regione collocantur. Utriuſque exempla haec ſunt.

Exemplum Compendii Scholaſtici univerſalis ex compendio Petri Aureoli Cardinalis in univerſam Scripturam.

SCRIPTURA divina dividi poteſt in partes octo principales ſecundum octo modos docendi, quos aſſumit: docet namque politice & legislative in prima ſui parte, ſcilicet in Pentateucho: docet vero ſecundo chronice ſeu hiſtorice & enarrative in altera ſui parte, videlicet in decem libris, Joſue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Eſdra, Tobia, Judith, Eſther, & caetera, quae ſequuntur: in quibus auctor aliarum partium diviſionem breviter proſequitur: quibus expletis, rurſus aggreditur diviſionem primae partis his verbis:

ITAQUE prima pars, quae eſt Politica, & legislativa, ſub librorum quinario

Digitized by Google

rio continetur. Tractatur enim primo de qualitate Domini legem injungentis, secundo de qualitate famuli legem proponentis, & tertio de qualitate cumuli legem continentis, & quarto de qualitate populi legem admittentis, & quinto de brevitate epilogi legem exponentis. Incipit ergo Geneſis partem politicam, & tractat de Domino legem injungente, deſcribens ejus omnipotentiam pro eo, quod creator fuit omnium a principio, quod declarat in quinque capitulis: pro eo, quod Salvator fuit hominum ſub diluvio, quod declarat in aliis quatuor capitulis: pro eo, quod diſſeminator fuit omnium gentium, confuſo labio per univerſum mundum, quod declarat in duobus capitulis, deſcribens ejus benevolentiam, amicitiam ad homines, praecipue ad patres Israëlis ſpiritualis: quod oſtendit ex Abrahae ſegregatione. Quantum ad locum, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua*, quantum ad ſignum circunciſionis; quantum ad factum oblivionis filii: & hoc a duodecimo capite uſque ad vigeſimum quintum. Similiter ex Iſaac cuſtoditione, quem ſervavit, & cuſtodivit inter illas nefarias nationes: & hoc a vigeſimo quinto capitulo uſque ad vigeſimum nonum: ſimiliter de Jacob praeelectione, & multiplicatione a vigeſimo nono capitulo uſque ad trigeſimum nonum: ſimiliter in Joſeph exaltatione a trigeſimo nono capite uſque ad finem: ac ſi vellet ita arguere liber ille: Leges illius Domini, qui eſt omnipotentiſſimus, & ſolus Deus benevolus, ſunt ab hominibus obſervandae: ſed ille Dominus, qui leges, quae ponentur in hoc tractatu politico, inſtituit & injunxit, eſt ſolus Deus omnipotentiſſimus, & humano generi ſumme benevolus, & maxime patribus ſanctis: ergo illius leges ſunt ab hominibus obſervandae: ut ſicut politicae, humanitus adinventae, incipiunt a fine omnium actuum humanorum: ſic iſta politica, divinitus revelata, incipiat a principio productivo univerſorum; a quo, tanquam ab injungente, omnes leges & bonitatem & rectitudinem ſortiuntur. Hucuſque Geneſis: cui accedit Exodus, quaſi liber ſecundus, & tractat, &c. & ſic deinceps ſingula divinae ſcripturae volumina percurrit uſque ad ultimum. Gen. 12. 1.

Exemplum Compendii Scholaſtici particularis, quod columnare dicitur, in principium epiſtolae ad Romanos, ex compendio, quod in eandem epiſtolam collegimus anno M. D. LVII. in gratiam ampliſſimi Cardinalis Joannis Baptiſtae Cicadae, Genuenſis, titulo S. Clementis.

PRIMA Pars hujus epiſtolae, ſalutationi deſerviens, tria complectitur, quae epiſtolam fide dignam & acceptabilem reddunt, videlicet,

1 Salutantem,
2 Salutatos,
3 Salutem.

PRIMO continet perſonam ſalutantem, quae deſcribitur ex quatuor, videlicet,

1 Ex nomine, — 1 *Paulus*,
2 Ex conditione, — 2 *Servus Jesu Chriſti*,
3 Ex dignitate, — 3 *Vocatus Apoſtolus*,
4 Ex officio praedicandi Evangelium: quod quidem Evangelium laudatur ex quatuor, videlicet, — 4 *Segregatus in Evangelium*.
1 Ex origine, — 1 *Dei*
2 Ex vetuſtate, — 2 *Quod ante promiſit*
3 Ex veritate teſtium, — 3 *Per Prophetas in ſcripturis ſanctis*
4 Ex fructu, qui quidem eſt filius Dei pro nobis incarnatus: quem Dei filium commendat ex duobus, videlicet, — 4 *De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*.
1 Ex potentia virtutis, — 1 *Qui declaratus eſt filius Dei*,
2 Ex liberalitatis largitate. — 2 *Per quem accepimus gratiam*.

Digitized by Google

SECUNDO continet personas salutatas, quas quidem duplici titulo exprimit & honorat, scilicet,
1 Aeterno,
2 Temporali.

II
Omnibus, qui sunt Romae,
1 *Dilectis Dei,*
2 *Vocatis sanctis.*

TERTIO salutem, vel salutandi formam continet: in qua duo maxima bona Romanis precatur, videlicet,
1 Principium omnium bonorum,
2 Finem ultimum omnium bonorum.

III
1 *Gratia vobis, &*
2 *Pax a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo.*

Exemplum Compendii Scholastici particularis, quod arboreum dicitur, ex expositione Evangeliorum Joannis Abbatis Vincellensis, quae inscribitur VADE MECUM.

Luc.21.28. *Respicite, & levate capita vestra.* Luc.21. In his verbis tria tanguntur,

scilicet { Intentio cordis / Elevatio corporis / Inclinatio capitis } ad { Deum / bonum / profundum } cum { affectione. / occupatione. / subjectione. }

ut scilicet { Cor aspiciat / Corpus assurgat / Caput se prosternat } { Intra / Extra / Infra } per ——— { credulitatem. / sanctitatem. / humilitatem. }

quasi dicat { Respicite / Levate / Inclinate capita } { Interius / Exterius / Inferius } { per fidei claritatem. / per vitae honestatem. / pensando vestram fragilitatem. }

Luc.18.42. Pro primo, Luc.18. *Respice: fides tua te salvum fecit,* scilicet fides etiam sacramenti.
1.Tim.2.8. Pro secundo, 1.Ti.2. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* i. sine crimine.
Psal.109.6. Pro tertio, Psal.109. *Conquassabit capita in terra multorum,* scilicet humiliatorum.

Respicite Christū venientem in { Carne / Mente / Fine } cum { humilitate / benignitate / majestate } ut ——— { confidamus. / diligamus. / revereamur. }

Cum sit noster { Socius / Medicus / Dominus } ex ——— { assumpta humanitate / visitandi urbanitate / judicandi potestate } per { incarnationem. / consolationem. / remunerationem. }

Ne { Paveamus / Langueamus / Lateamus } { a culmine / ex crimine / ab examine } ——— { divinitatis. / carnalitatis. / rigorositatis. }

Luc.1.48. Pro primo, Luc.1. *Respexit humilitatem ancillae suae,* scilicet potenter.
Luc.22.61. Pro secundo, Luc.22. *Conversus Dominus respexit Petrum:* sequitur, *Et flevit amare,* scilicet poenitendo.
Psal.103.31. Pro tertio, Psal. *Qui respicit terram, & facit eam tremere,* scilicet propter culpam.

Le va te { Linguam / Manus / Pedes } ad ——— { sobrietatem / utilitatem / aeternitatem } per ——— { jejunii acceptationem. / exercitii occupationem. / desiderii elevationem. }

Ut { Lingua capiat / Manus faciat / Pes effugiat } ——— { cibum parcitatis / opus sanctitatis / ad locum securitatis } ——— { jejunando. / operando. / anhelando. }

De

Digitized by Google

De poſtremo Scholaſtici Compendii Modo, quem Metricum vocant.

COMPENDIUM Metricum eſt ſtrictiſſima ſacrorum voluminum ſumma, pauciſſimis verbis comprehenſa; in quorum ſingulis verbis ſingulorum divinae ſcripturae capitum argumenta, artificioſiſſima brevitate coarctantur: talis eſt brevis illa totius veteris, ac novi teſtamenti ſummula, ab Alexandro Villadeo Dolenſi centum atque duodecim hexametris breviſſime concluſa: in quibus ſingulae dictiones, ſingulorum capitum ſacrae ſcripturae argumenta perſtringunt: &, ne brevitatis anguſtia verſuum intelligentiam adimat, cuilibet dictioni numerus capitis, cujus ſumma in ipſa continentur, arithmetica notula ſubſcribitur, adjectis etiam interlinearibus minutioris ſcripturae gloſſulis, uniuſcujuſque dictionis ſignificationem indicantibus. Hujus compendii exemplum, ex ipſo Alexandro acceptum, hoc eſt.

COMPENDIUM METRICUM IN LIBRUM GENESEOS.

Sex. Prohibet. Peccant. Abel. Enoch. Et arca fit. Intrant.
1.dies 2.lignum vitae. 3.primi parentes. 4.occiditur. 5.transfertur. 6.a Nohe. 7.in arca.
Egreditur. Dormit. Variantur. Turris. Et Abram.
8.Nohe de arca. 9.nudatus coram filiis. 10.filii & filiae Nohe. 11.Babel aedificatur. 12.egreditur de terra.
Loth. Reges. Credidit. Fuga. Circunciſio. Riſus.
13.ſeparatur ab Abraham. 14.ab Abrahã vincuntur. 15.Deo Abrahã. 16.Agar. 17.Abrahae & ſuorũ. 18.Sarae poſt oſtium.
Sulphur. Rex Gerarae. Parit. Offert. Sara. Rebecca.
19.pluit ſuper Sodom. 20.abſtulit Saram. 21.Sara Iſaac. 22.Abraham filium. 23.moritur. 24.Iſaaco jungitur.
Poſtgeminos. Putei. & caetera, quae ſequuntur.
25.Eſau & Jacob. 26.quos fodit Iſaac.

DE METRICA SCHOLASTICORUM EXPLANATIONE.

NON me latet Scholaſticorum Poëticen ab omnibus eruditis contemni, & prorſus explodi, tanquam ineptam, ſuperſtitioſam, & riſu dignam: tamen, ne deeſſe videar ſuſcepti operis inſtituto, in quo omnes expoſitionum varietates, qualeſcunque illae ſint, indicare propoſui, non gravabor & hanc quoque partem breviter explicare, cujus haec fuit occaſio. Cum per totam Europam mos jam inoleviſſet, ut Rythmi, hoc eſt, inconditi verſus, in eandem finalis ſyllabae conſonantiam deſinentes, vulgari uniuſcujuſque provinciae idiomate compoſiti, cantarentur; coepit vulgarium Rythmorum poëſis tanto in precio haberi, ut nullum poëma vel plauſu, vel laude aliqua videretur dignum, quod eſſet rythmica harmonia deſtitutum: quo circa Scholaſtici cum deſiderarent homines ſui ſaeculi, rythmis deditos, ad ſtudia ſacrarum literarum allicere, accepta hinc occaſione, excogitarunt & ipſi novam Metricae artis rationem ex veteri latina, & recenti vernacula poëſi compoſitam: ex veteri acceperunt ſyllabarum quantitatem, numerum pedum, ac totius carminis leges, ac menſuras diligentiſſime ſervandas: ex nova autem, ac vulgari ſumpſerunt rythmorum conſonantias, ſyllabarum aſſimiles deſinentias, & parem nonnunquam ſyllabarum, ac literarum in diverſis carminibus numerum. Diſtinxerunt autem hanc novam Poëſim, ſive Metricam divinae ſcripturae expoſitionem in binas ſpecies, nempe in Proſocarmineam, quae ex carminibus proſa intermiſtis componitur; & in Carmineam, quae ſolo carmine conſtat: hanc vero iterum diviſerunt in partes duas, hoc eſt Rythmicam, & Leoninam: quarum hìc & deſcriptiones, & exempla ponemus.

Rythmorum uſus in Europa celebris.

DE RYTHMICA EXPLANATIONE.

RYTHMICA Expoſitio conſtat ex inconditis & rudibus verſibus, qui ſibi ipſis pari ſyllabarum numero, & finalium ſyllabarum ſimilitudine reſpondent: cujus exemplum, deſumptum ex expoſitione Dioniſii Carthuſiani, in principium Evangelii ſecundum Joannem, ſic ſe habet.

Digitized by Google

In principio erat Verbum, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Tu Verbum in principio
Eras nullo initio,
In parte aeternaliter
Manens intemporaliter.
Confusi sunt haeretici,
Te ex matre, aut tempore
Incepisse maledici
Astruentes, & corpore.
Sed quod prius non fuisti,
Hinc mentiti extant isti.
Per te cuncta sunt plasmata,
Christe, virtus increata.

Omnia per ipsum facta sunt,

Per te facta sunt omnia,
Qui doces & per somnia,
Sempiternaque gloria,
Lux summe amatoria
Eras apud Patrem Deum,
Deus verus apud eum,
Non ut per instrumentalem
Causam Patri diversalem.
Est creatus per te Mundus,
Sed ut per comprincipalem
Causam primam exemplarem
Per te bonis firmabandus.

Et sine ipso factum est nihil.

Abs te nihil & peccatum
Factum est, non habens ratum
Esse quantum ad formale,
Quod non est quid positale.

Quod factum est, in ipso vita erat.

Creaturae in te vita
Erant: o lux infinita.
Nam in te idealiter
Exiterunt vitaliter.

DE LEONINA EXPOSITIONE.

LEONINA sic dicta a Leone, primo ejus inventore, est ea, quae, servatis metricis Latinorum poëtarum legibus, rythmicam consonantiam versibus addit: haec autem bipartita est, videlicet Heroica, hexametro carmine constans, & Elegiaca hexametris ac pentametris versibus excurrens: rursum Heroica triplici partitione distinguitur, nempe in Monorythmicam, Dirythmicam, & Isogrammaticen: quarum definitiones, & exempla hic sequuntur.

DE MONORYTHMICA.

MONORYTHMICA est, cum singuli quique duo hexametri, in similiter desinentibus syllabis extremum carminis pedem terminantes, rythmicam lymphoniam efficiunt: cujus exemplum in expositione Petri Rigensis super principio libri Job, his versibus comprehensum, tale est.

Librum Job Mosi quidam tribuere magistri
Ejus ut auctori: sed opinio falsa siniştri
Judicii geritur, alii voluere libelli
Auctorem non esse natum: sed & ista refelli,
Tanquam falsa, solet, &c.

DE DIRYTHMICA.

DIRYTHMICA est, cum in duobus carminibus hexametris tam in medio carminis versu, quam in fine rythmica servatur consonantia: qualia multa sunt apud

Digitized by Google

apud eundem Petrum Rigenſem, praecipue in expoſitione quartidecimi capituli Job: ubi auctor ſententiam illam, *Quis poteſt facere mundum de immundo conce-* Job 14.4. *ptum ſemine, niſi tu, qui ſolus es?* exponit his verſibus:

Pandit ſcriptura Chriſti myſteria pura,
De ſacro flatu qui prodiit abſque reatu,
Non ex immundo, procedens ſemine mundo,
Mundans immunda, per quem mens, & caro munda.

Talis eſt etiam expoſitio poſtillaris Alexandri Dolenſis in Acta Apoſtolorum ſic incipiens:

Si vis tranſacta Apoſtolica noſcere facta,
Haec tibi Poſtilla tractabit verſibus illa.

DE ISOGRAMMATICE.

ISOGRAMMATICE, hoc eſt Aequilitera expoſitio, eſt, in qua duo quilibet hexametri, ſibi invicem ſuccedentes, una cum rythmi conſonantia parem quoque habent literarum numerum; & tot in uno, quot in altero verſu, literae numerantur. Hanc autem partiri ſolent in Simplicem, & Picturatam, ſive Figuratam. SIMPLEX eſt, cui praeter rythmum, & aequalem literarum numerum nullum ultra additur artificium. Tales multi ſunt verſus apud Rigenſem in expoſitione libri Job, praeſertim ſuper illis verbis capituli tertii, *Pereat dies in qua* Job 3. 3. *natus ſum*, quae his carminibus exponuntur;

Illa dies pereat, quae me produxit ad ortum,)
Nec videat nox illa Aurorae nobilis ortum.) 34
Sit nox illa gravis, nec laudis digna favore,)
Stet disjuncta procul a verae lucis honore.) 36

Horum verſuum literas ſi numeres, invenies in ſingulis carminibus prioris diſtichi literas 34. in ſingulis vero poſterioris diſtichi verſibus literas 36.

FIGURATA expoſitio eſt, quae ultra rythmicas conſonantias, & parem literarum numerum aliud addit novum carmini artificium curioſiſſimae ſubtilitatis, & laboris, ac temporis immenſi: exprimit enim per diſpoſitionem & ſitum literarum, in carminibus poſitarum, varias figurarum imagines, veluti angelos, homines, aves, quadrupedes, arbores, cruces, annulos, aliaſque his ſimiles figuras: quas literae carminum minio, vel quolibet alio colore diſtinctae, effingunt, & ejuſdem figurae hiſtoriam, myſteriumque explicant. Mutuati ſunt Scholaſtici poëtae hujuſmodi inventum (quod ludentium magis, quam exponentium vanitas videri queat) a Rabano Mauro, Moguntino epiſcopo, cujus adhuc extat poëma conſimili induſtriae artificio elaboratum, cui DE SANCTAE CRUCIS LAUDIBUS titulus eſt: ex quo tibi ſubjectum exemplum in figura crucis expreſſum oſtendimus.

Arbor, odore potens,	f r o	ndoſo vertice nata,
Qua ſumma vere ſacr	o u f	luit ordine bertas,
Hortus ditatus: & pa	r c u	i nullus in orbe eſt,
Floribus & foliis	m i l	leno germine dives,
Omnes excedens alt	a s g.	ravitudine ſylvas,

Cum totam pie	magnu s v e ſtit h	onoſque decuſque
Ambit verus h	onor: l a e t us loq	uitur ea voto
Stans homo: li	vor ho c n a tio ni	denegat atrae

Daemonis horrendus	r e m	ſcire laude moveri.
Arbor ſola tenens v	a r i	os virtute colores,
Purpureo regis ſub	t a c	tu roſcida fulgens
Aeterno es radio: ſt	a n t	in te nam pie vinctae
Aedes turritae, ex ho	c d u	dum es nomne beata.

Si

Digitized by Google

Si animadvertis, omnes hi versus aequali constant literarum numero: & in medio ipsorum descendendo legitur carmen hoc,

Forma sacruta crucis venerando fulget amictu.

& rursum dum a dextra in sinistram tendis, hoc aliud,

Magnus vestit honor, laetus loquor hoc nationi.

Robertus, Aquilianus episcopus, est Robertus Caracciolus Lyciensis, de quo infra.

Exemplum Sermonis, sive Concionis Scholasticae ex Roberto, Episcopo Aquilano.

Sermo de ira Dei in illud, *Venit ira Dei in filios diffidentiae.* Ephes. capite quinto.

VENIT ira Dei in filios diffidentiae: doctoris gentium verba sunt ista originaliter ad Ephesios quinto capite, & in epistola praesentis Dominicae.

EFFICACISSIMUM remedium arbitratus sum peccatoribus, ut ad poenitentiam redeant, ante illorum faciem proponere terribilitatem, & horrorem iracundiae Dei: nam, ut Augustinus ait, quarto libro De doctrina Christiana, pleroque incredulos misericors Dei patientia longa peccare facit intrepidos: quia Deum non arbitrantur peccatorum suorum ultorem: nos igitur, huic periculo providere volentes, in praesenti sermone de ira Dei erimus verba facturi: & licet multis, infectum gustum habentibus, gravia sint hujusmodi verba: tamen humilibus, & devotis videbuntur animarum languentium medicina, inquit Augustinus vigesima tertia, quaestione quarta, capite Ipsa quoque pietas: MOLESTUS est medicus furenti frenetico, & pater indisciplinato filio: tamen non propterea neganda est infirmo medicina, nec a filio disciplina est auferenda. Ad hoc vocati sumus, ut clamemus, & arguamus, & detestemur delicta, annunciemusque tremenda judicia Dei: per Esaiam enim quinquagesimo octavo capite Dominus ait: CLAMA, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo meo scelera eorum. Pro salute itaque, & correctione peccatorum de ira Dei securè loquimur: de qua tria mysteria principalia erunt contemplanda.

Primum dicitur contemptibilitas.
Secundum terribilitas.
Tertium propinquitas.

Sed saluretur prius virgo Maria. Ave Maria, gratia, &c. Primum mysterium contemplandum de ira Dei dicitur Contemptibilitas: in quo videre libet, quare est, quod multi, audientes loqui de tremenda ira Dei, illam non timent; sed potius, ut experientia docet, ridendo contemnunt. Et colligi possunt hujus erroris tres principales rationes.

PRIMA dicitur stultae cogitationis.
SECUNDA falsae opinionis.
TERTIA diuturnae expectationis.

PRIMA ratio, quare a multis non timetur ira Dei, dicitur stultae cogitationis: quoniam putant, quod in Deo ira non sit. Pro quibus quaerimus, utrum in Deo sit ira? Quidam arguunt, quod non. Quia nulla passio cadit in Deo: sed ira est passio quaedam: ergo non cadit in Deo. Et confirmant errorem suum. Quia omne peccatum a Deo est removendum: sed ira est unum ex septem vitiis capitalibus: ergo est a Deo removenda.

VERUNTAMEN contra sic tenentes sunt autoritates & dicta, sive Scripturae sacrae, sive gentilium, & moralium philosophorum: unde Exodi decimo quinto, IN multitudine gloriae tuae deposuisti omnes adversarios nostros: misisti iram tuam, quae devoravit eos: & vigesimo tertio capite Moses, ad Deum orans, ait: QUIESCAT ira tua: & esto placabilis super malitia populi tui: & quarto Regum vigesimo secundo, MAGNA ira Dei succensa est contra nos: & Deuteronomii undecimmo capite, IRATUS Dominus clausit coelum, & pluviae non descendunt: & caetera, quae sequuntur, divinae Scripturae testimonia. Et Valerius Maximus lib. 1. LENTO enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat: & Ovidius de arte amandi,

Exod. 15. 17.
Exod. 32. 12.
4. Reg. 22. 14.
Deut. 11. 17.

Fle-

Digitized by Google

Flectitur iratus voce rogante Deus.

& Auguſtinus decimo octavo de civitate Dei capite duodecimo, APOLLINI Delphico inſtituti ſunt ludi muſici, ut placaretur ira ejus; qua putabant afflictas eſſe ſterilitate Graeciae regiones: quia non defenderunt templum ejus, quod rex Danaus, cum eaſdem terras invaſiſſet, bello incendit: & in primo libro, ubi ſupra capitulo ſecundo dicitur de Junone, quae apud Gentiles colebatur pro dea: APUD Virgilium nempe Juno inducitur infeſta Trojanis, Eolo, ventorum regi, adverſus eos irritando dicere,

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor.
Ilium in Italiam portans, victoſque penates.

haec ille: & idem Virgilius commemorat in principio primi libri Aeneidos ob iram Junonis Aeneam profugum fuiſſe cum reliquis Trojanis, dicens:

Arma, virumque cano: Trojae qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Littora, multum ille & terris jactatus, & alto,
Vi ſuperum, ſaevae memorem Junonis ob iram, &c.

PRO ſolutione itaque objectorum tria ſunt notanda: primum, ſecundum Bonaventuram in tertio Sententiarum, diſtinctione trigeſima tertia, & Richardum in quarto, diſtinctione vigeſima ſexta, & Thomam prima parte, quaeſtione vigeſima, quod quandocunque dicitur aliquid de Deo, quod in nobis denotat paſſionem, de Deo dicitur ſecundum effectum, & non ſecundum paſſionis defectum: odium ergo, amor, ira, & ſimilia, quae in nobis ſunt paſſiones, in Deo dicuntur ſecundum effectum quo ad nos: ut tunc dicatur odire, cum effectum odii nobis exhibet: tunc iraſci, cum effectum irae nobis oſtendit: ipſe autem Deus ſtabilis, manens, ſine paſſione, & caetera, quae ſequuntur.

DICIMUS ergo: quod Deus, qui eſt clementiſſimus, ſine ſui mutatione, ſine paſſione, ſine peccato ſua exigente juſtitia iraſcitur, ſaepe peccatores obſtinatos in ira conculcans, quando eis effectus irae demonſtrat: hinc ſunt guerrae, peſtilentiae, tempeſtates, grandines, ſterilitates terrae, fames, terrae motus, terrores de coelo, & ſigna magna. O praeſumptuoſi peccatores audiſtis jam, quod falſa eſt opinio veſtra: dicebatis enim, quod non iraſcitur Deus: & ecce tot praeconia Scripturarum clamant iram Dei ab omnibus eſſe timendam, & non ſolum timendam, ſed quod etiam graviſſima ſit & propinquiſſima. O ſi poſſem in talem aſcendere ſpeculam, de qua omnem Italiam cernerem, omnesque meam vocem poſſent audire, profecto clamarem: O Italia plange, o Italia time, o Italia cave, ne propter obſtinationem tuam in te deſaeviat ira Dei: vocavit ipſe te multis annis: dotavit amplius beneficiis: miſit ad te praedicatores ſuos: terruit te ſignis, & prodigiis: ſenſiſti terrae motus, peſtilentias, & temporum ſterilem conditionem: comminatus eſt tibi Deus: ſic certe hoc fecit, ut te induceret ad poenitentiam: & tu in dies durior efficeris in peccatis, & in malitia perſeverando: fiunt jam ubique uſurae publicae: omnia foedata ſunt ſpurciſſimis vitiis carnis, & ignominioſae ſodomiae: ſuperbia pomparum jam occupavit omnes civitates, & terras: blaſphemiae Dei, perjuria, mendacia, injuſtitiae, violentiae, oppreſſiones pauperum, & ſimilia ſuperabundant. O Italia decora, o regio, divitiis plena, noli contemnere Deum, noli exacerbare majeſtatem ejus. Horror itaque omnes populos, ut ceſſent a via ſua mala; ne forte ſi in illa perſeveraverint, repente ſuperveniat ira, & indignatio Dei: a qua ipſe nos liberet, qui eſt benedictus, & laudabilis per infinita ſaecula ſaeculorum. Amen.

DE SCHOLASTICA MEDITATIONE.

MEDITATIONIS Scholaſticae duplex eſt genus, Demiſſum, & Sublime: DEMISSUM, quod ſimplicibus & humilibus Lectoribus magis accommodatum eſt, circa hiſtoricam rei contemplationem potiſſimum verſatur, ponens prae oculis praeterita dicta, factaque, ac ſi eſſent praeſentia: &, quo majorem faciat in animo impreſſionem, repraeſentat imaginationi Lectoris non ea tantum, quae in divinis literis ſcripta ſunt, & quae certe contigerunt, ſed ea etiam, quae

Digitized by Google

quae pro varietate locorum, personarum, ac temporum circa res in Scripturis sanctis narratas contingere potuerunt. Admonent tamen, qui hac utuntur meditandi forma, cogitationes suas non ita accipiendas, ut res indubitate assertas, ac firmiter definitas, sed ut pias & devotas meditantis animi contemplationes.

SUBLIME vero Meditationis genus, quod & Mystica theologia dicitur, & his duntaxat, qui in Scholastica theologia detriti sunt, cognitum est, versatur fere semper in explanatione anagogica scripturarum: continet autem subtiles, abstrusas, ac sublimes quasdam cogitationes, ex intimis Scholasticae theologiae penetralibus haustas, & scholastico sermone expressas: quibus illi potissimum permoventur, & in admirationem, atque amorem divinae bonitatis excitantur, qui in scholasticis studiis longa sunt exercitatione consumpti. Utriusque generis exempla haec sunt.

Exemplum Meditationis demissae ex Meditationibus in vitam CHRISTI Landulphi Carthusiani, super verbis Matth. cap. 2. *Secessit in Aegyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, &c.*

Mat. 2. 14. 15.

IVERUNT ergo Maria & Joseph cum puero ad quandam civitatem Aegypti, quae vocatur Heliopolis; & ibi aliquam domunculam conducentes, habitaverunt per septem annos tanquam advenae & peregrini, pauperes & egeni. Sed hìc occurrit pulchra, pia, & compassiva valde meditatio: unde enim, & quomodo vivebant isti tanto tempore: nunquid mendicabant? Legitur autem de domina, quod colo & acu quaerebat sibi & filio necessaria: suebat ergo, & filabat mundi domina, paupertatis amatrix, multum per omnem modum isti paupertatem dilexerunt; & eidem perfecte usque ad mortem servaverunt fidem. Sed nunquid ibat ipsa per domos petendo pannum, & alia, in quibus operaretur? oportuit enim hoc per viciniam innotescere: alias vacasset a talibus operibus: quia illae mulieres non poterant divinare. Sed, & cum JESUS coepit esse quinquennis, vel sic; nunquid & ipse portabat ambasciatas matris, petendo pro ipsa ea, in quibus operari valeret? non enim habebat alium scutiferum. Sed & nunquid reportabat opera facta, petens ex parte matris solutionem & precium? nonne in talibus erubescebat puer Jesus, filius Dei altissimi, & etiam mater ipsum mittens? Sed quid, si aliquoties, dum opus reddidisset, & precium peteret, mulier aliqua superba, rixosa, & loquax injuriose respondit; opus factum accepit; eum sine pretio expulit; & sic vacuus domum rediit? O quot, & quantae fiunt injuriae advenis; quas Dominus vitare non venit, sed suscipere. Quid etiam, si aliquando domum rediens, & famem patiens more puerorum, petivit panem; nec, unde daret, habuit mater? nonne in his, & similibus totaliter concutiebantur viscera sua? Consolabatur verbis filium suum, & opere, ut poterat, procurabat; & sibi forte aliquando subtrahebat de victu, ut filio reservaret. Et, si ex opere manuum oportebat quaerere victum, quid dicemus de vestimentis? quid de utensilibus, scilicet, lectis, & aliis intra domum oportunis, nunquid duplicia? nunquid superflua? nunquid curiosa habebat? Haec contra paupertatem sunt: & haec si habere posset; nollet ea paupertatis amatrix. Sed nunquid domina suendo, vel alia opera faciendo, faciebat more quarundam opera curiosa? absit: est enim hoc periculosum, & valde magnum vitium. Conspice ergo nunc dominam in laboribus & operibus filando, incidendo, suendo, texendo solicitam; quomodo facit ea fideliter atque humiliter cum diligentia; & nihilominus super filio suo, & domo sua gubernationem habendo, vigiliisque, & orationibus juxta posse semper intendendo, & toto affectu comparere sibi: & considera, quod non habuit omnino gratis regnum Dei domina regni. Sed & Joseph sanctus, faber lignarius, aliquid operatur & ipse in arte lignaminis: unde, quia compassionis occurrit materia, tandem, cum aliquam moram cum eis contraxeris, pete recedendi licentiam; &, benedictione accepta, primum a puero Jesu, deinde a matre, postea a Josephi genibus flexis; & cum lacrymis compassione magna vale facias eis: quia tanquam exules a patria sine aliqua causa, & exbanniti remanent ad pe-

Digitized by Google

peregrinandum ibidem per annos ſeptem, in ſudore vultus ſui victuri, &c. Haec Landulphus ex divo Bonaventura, qui in libro Meditationum vitae Chriſti capite decimo quarto admonens Lectorem, ne hujuſmodi meditationum humilitatem contemnat, ſic ſcribit: HAEC, & his ſimilia hoc in loco de exilio pueri Jeſu meditari poteris, & fieri parvulus cum parvulo Jeſu: nec parvipendas talia humilia, &, quae puerilia videntur, meditari de ipſo: videntur enim dare devotionem, augere amorem, accendere fervorem, inducere compaſſionem, puritatem & ſimplicitatem conferre, & humilitatis & paupertatis vigorem nutrire & conſervare, familiaritatem & conformitatem facere, ac ſpem elevare: nam ad ſublimia aſcendere non valemus; ſed, quod ſtultum Dei eſt, ſapientius eſt hominibus; &, quod infirmum, potentius: videtur etiam talium meditatio ſuperbiam tollere, cupiditatem enervare, ac curioſitatem confundere. Vides, quot bona inde proveniunt? ſis ergo, ut dixi, cum parvulo parvulus, ut cum grandeſcente grandeſcas, & ſequaris eum, quocunque jerit, & intuearis faciem ejus ſemper.

Haec ille. VIDENTUR non abhorruiſſe ab hac explanandi forma veteres expoſitores, praeſertim eloquentiores illi, quibus praecipua cura fuit ad clariorem, & jucundiorem divinae ſcripturae elucidationem inducere, juxta Rhetorum leges, dicta vel facta quaedam, quae pro diverſitate ingeniorum in ſacris literis deſcriptorum, aut dici, aut fieri potuiſſe viderentur: inter hos Philo Judaeus mirum in modum explanationis hujus compoſitione delectatus, effinxit ſaepenumero varii generis oratiunculas ex perſona eorum prolatas, quorum maximae virtutes, vel vitia ſtudebat exprimere. Ex his duximus unam huc exempli gratia apponere, ut ex ejus collatione appareat quid ſimilitudinis, quidque diſcriminis ſit inter priſcorum Rhetorum, & recentium Scholaſticorum artificium.

Exemplum Meditationis Rhetoricae ex libro Philonis Judaei, De vita viri civilis, in illud Geneſ. 37. *Tulerunt tunicam Joſeph*: quam cum vidiſſet pater ait:

Tunica filii mei eſt, Fera peſſima devoravit eum, ſciſſiſque veſtibus lugebat longo tempore. Geneſ. 37. 31. 33.

CAETERUM ubi ad patrem perlatum eſt, non quod verum erat, venditum eſſe filium, ſed commentum illud de abſumpto a beſtiis, ictus aures nuncio, ſimulque oculos ſpectaculo, allata enim fuerat tunica laſſa, cruentaque foedum in modum, dolore turbatus obmutuit per longum temporis ſpacium, ne caput quidem valens attollere oppreſſum tanta calamitate: tandem repente effuſus in lachrymas, velut e fonte prorumpentes, plangebat: pectus & faciem ſciſſis veſtibus lanians: Non tam mortem tuam fili mi doleo, quam ſepulchri jacturam. Nam ſi tibi ſepulchrum contigiſſet in terra propria, nec mihi deeſſet ſolatium, officioſe aſſediſſem aegrotanti ante mortem, impendiſſemque morienti extrema oſcula, clauſiſſem oculos, mortuum perfudiſſem lachrymis, extuliſſem magnifice, nihil omiſiſſem e juſtis funebribus. Atque etiam ſi peregre defunctus eſſes, dixiſſem ad meipſum: Perſolutum eſt naturae debitum, noli triſtari. Vivi habent ſuas patrias, mortuorum omnis terra ſepulchrum eſt, brevis aevi ſunt omnes homines: nam qui maxime longaevus fuit, quantillum temporis vixit ſi ad aeternitatem id conferas? vel ſi omnino moriturus eras, per vim & inſidias, levius fuiſſet extingui manibus hominum, qui mortuum ſaltem miſerati obruiſſent terra, & cadaver tumulaſſent: aut ut crudeliſſimi fuerint, quid amplius potuiſſent, quam inſepultum projicere? quem mox viator aliquis praeteriens, memor naturae communis, humaſſet tactus miſericordia. Nunc, ut fertur, immites & carnivoras beſtias paviſti, & ſaturaſti meis viſceribus: Hactenus multos labores inopinatos exantlavi, in his miſeriis abunde ſum exercitus, errando, peregrinando, mercede ſerviendo, dura ferendo imperia, uſque ad vitae periculum exagitatus a quibus minime oportuit: multa vidi, multa audivi, multa paſſus ſum gravia, quibus ad patientiam eruditus perduravi. Sed nihil praeſenti caſu intollerabilius, qui totum animi mei robur ſubvertit, atque dejecit: quis enim luctus poteſt eſſe major, aut miſerabilior? veſtis pueri ad patrem perlata eſt, ex ipſo non membrum, non fruſtum, non vel minimae reliquiae; totum devorarunt beſtiae, nihil ſupereſt, quod ſepulchro in-

Digitized by Google

inferatur, ac ne veſtem quidem, recepi, niſi ut ad ejus aſpectum, recrudeſcat doloris memoria, ne unquam tantae calamitatis oblivio poſſit obrepere. Sic ille ſortem ſuam deplorabat.

Exod. 3. 14. **Exemplum Meditationis ſublimis, in dictum illud Exodi cap. 3. *Ego ſum qui ſum*, ex meditationibus Dionyſii Carthuſiani.**

O ENS, in omni genere entium primum ac ſupremum; ens increatum, incauſatum, ens fontanum, ſumme ſimplex, ſinceriſſimum, formaliter infinitum; totaliterque perfectum, tibi ſoli vere, plene, proprie verum eſſe in perpetuà & indeficienti aeternitate ineſt: unde interroganti Moſi, quod eſſet nomen tuum, recte reſpondiſti, EGO SUM QUI SUM. Certe o ſuperbenedictum, o infinitum & incircumſcriptum Ens, tuum eſſe, tanquam pelagus immenſum in ſe fluens, comprehendit in ſe eminentiſſime omnem perfectionem, & eminentiam cujuſcumque entis; & omnibus entibus ſuum cuique eſſe, & exiſtentiam tribuit. Tu o ſuperglorioſiſſimum fontale Ens, ita ſincerum in tua puritate & ſimplicitate immenſa conſiſtis, ut nihil tibi de imperfecto eſſe admiſceatur. Tu eſſe, idemque eſſentia es; nec ulla utriuſque in te differentia eſt: qui es eſſe ideale, per ſe ſubſiſtens, primum, unum, & omnino ſimplex: tanta eſt excellentia tui ſuperlaudabilis eſſe, ut creata eſſentia, illi comparata, tanquam nihil prorſus ſit & inane; & ſubſiſtentia noſtra ſit tanquam umbra vaniſſima, quae praeterit. Tu, qui ſemper idem ipſe es, o finale Ens, in quod finaliter reſolvuntur omnia entia de non eſſe ad eſſe per te deducta, comple imperfectum entitatis noſtrae, aufer a nobis non eſſe defectuum noſtrorum, infunde in nobis verum eſſe gratiae tuae: ut, poſtquam mortale hoc eſſe depoſitum fuerit a nobis, quieſcamus in beatifico objecto eſſentiae tuae: cui laus, & gloria. Amen.

DE PANDESIA METHODUS VIGESIMA QUARTA.

PANDESIA, ſive Pandeſiaca Methodus eſt latiſſima & copioſiſſima divinae Scripturae elucidatio, aut ex omnibus, aut ex praecipuis expoſitionum Methodis potiora & optima quaeque in unum locupletiſſimae explanationis corpus non ſine acri judicio colligens: in qua nihil praetermittitur, quod ad integram, perſpicuam, ditiſſimamque explicandae rei notitiam, examinationem, comprobationem, & exornationem conferre poſſit, aſcitis undequaque ex omni linguarum diſciplinarum, & artium varietate opibus & ornamentis ad illuſtrandam, exornandam, & amplificandam explanandae rei dignitatem. Voluimus autem expoſitionem hujuſmodi Pandeſiam appellare, quia ſimilis ſit communi convivio, & publice collatis cujuſque partibus parato, ac tanta ciborum omnis generis varietate affluentiaque inſtructo, ut nihil in eo deſiderari queat ad explendam ſenſuum omnium voluptatem: tale enim convivium a Graecis πανδοσία nuncupatur. Acceſſiſſe quodammodo videntur ad hujus explanationis amplitudinem ea, quae D. Auguſtinus, explicans tria prima Geneſeos capita, congregavit in Homiliis decem, & in libris viginti, omnium divinarum, atque humanarum rerum affluentiſſima copia exundantibus. Exemplum praeſentis Methodi poterit ſibi ingenioſus Lector ex omnibus jam deſcriptis Methodis in unum contractis parare.

PERORATIO.

HAEC de Methodis explanandi Sanctas literas, a nemine ante nos perſcripta, hoc tertio Bibliothecae Sanctae libro utcunque comprehendimus: in quibus, ſi quas forte explanationum formulas inveneris, aut ſuperfluo propoſitas, aut ſupervacaneis, aut prolixioribus, quam optaſſes, demonſtrationibus, & exemplis explicatas; ſcias amice Lector, nos hujuſmodi laborem impendiſſe, non doctis tantum & exercitatis, ſed ineruditis quoque, ac praecipue tyronibus, quibus permulta in hoc genere ignota, & prorſus inaudita eſſent, quae tibi forſan, caeteriſque tibi ſimilibus jamdudum fuerant meridiana luce clariora: proinde boni conſule,

Digitized by Google

ſule, quicquid a nobis hac parte deſudatum eſt: & hunc ſaltem conatum noſtrum, ſi non rem ipſam, libenti animo amplectere, excipiens hilari fronte hoc ſequens judicium, quod tibi de Catholicis divinorum Voluminum expoſitoribus, pro ultima hujus libri coronide, apponimus.

Quos Divinae Scripturae Expoſitores praecaeteris eligere, ac parare ſibi debeant ſtudioſi Sacrarum literarum,

F. SIXTI SENENSIS JUDICIUM.

CUM aliquando legerem Parerga Juris ab Andrea Alciato Juriſconſultorum noſtri temporis principe conſcripta, inter caetera Judicium ejus inveni de ſummis civilium legum interpretibus, hoc eſt, de ea utilitate, quam quiſque ex primariis legum expoſitoribus conſequi poſſet: id ille hiſce carminibus, eruditorum omnium aſſenſu comprobatis, pronunciaverat:

In jure primas comparatus caeteris
Partes habebit Bartolus.
Deciſiones ob frequentes actio
Baldum forenſis ſuſtinet.
Non negligenda maxime eſt tyronibus
Caſtrenſis explanatio.
Opinionum tutius Symplegadas
Superabis Alexandro duce.
Ordinis Jaſon, atque lucis nomine
Videndus eſt properantibus.
His ſi quis alios addiderit interpretes,
Onerat, quam honorat, verius.

LICEAT & mihi, qualiſcunque ipſe ſim, hujus clariſſimi viri exemplo judicium ferre de praecipuis divinarum legum, & Sanctarum Scripturarum interpretibus, non de eorum doctrina (hoc enim ego infimae claſſis homunculus audere non debeo) ſed de fructu, quem quiſque majorem ex eorum ſcriptis colligere queat: hoc, omnibus, qua valuimus diligentia, perpenſis, opinamur recte fieri poſſe hunc in modum:

Hiſtoriam Hebraeis, & Graecis fontibus hauſtam
Hieronymo diſces duce.
Allegorias, Anagogenque recludent
Origenes, Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis moribus aptos
Chryſoſtomus, Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine merſis
Aurelius lucem feret.
At brevis, & facilis non eſt ſpernenda tyroni
Lyrenſis expoſitio.

Digitized by Google

Tituli totius artis exponendi sacra volumina.

- ARS exponendi sancta volumina tres habet partes, Definitivam, Inventivam, & Dispositivam: ex quibus
  - Definitiva est, quae divinae scripturae sensus & expositiones describit: sunt autem divinae scripturae —
    - Sensus duo, videlicet —
      - Literalis, qui duplex est, —
        - Proprius,
        - Metaphoricus.
      - Mysticus, qui triplex est, —
        - Moralis,
        - Allegoricus,
        - Anagogicus.
  - Inventiva est, quae jam descriptos divinos Scripturae sensus inquirere & invenire docet: cujus species sunt
    - Expositionum genera duo sunt, videlicet
      - Universale, quod quadruplex est —
        - Historicum,
        - Morale,
        - Allegoricum,
        - Anagogicum.
      - Particulare, quod triplex est, —
        - Elementare,
        - Physicum,
        - Propheticum.
    - Tropica,
    - Topica,
    - Chronologica,
    - Physica,
    - Mathematica,
    - Ethica.

Dispositiva, sive Methodica est, quae inventas sensuum expositiones in varias redigit Methodos: quarum praecipuae sunt hae —

Digitized by Google

qui hoc tertio Bibliothecae Sanctae libro explicantur.

- 1 Translatio — Tetrapla, Hexapla, Octapla.
- 2 Stigmatica,
- 3 Syllabica,
- 4 Partitio — Dividens, Colligens.
- 5 Epitome,
- 6 Egloge — Speculum, sine expositione; Loci communes, cum expositione.
- 7 Notariaca, — Harmonia — Literalis, Numeralis.
- 8 Paraphrasis — Pressior, Latior,
- 9 Lexice,
- 10 Annotatio — Marginalis, Interlinearis,
- 11 Commentatio,
- 12 Sciographica,
- 13 Tabellaria,
- 14 Enarratio — Homilia, Declamatio.
- 15 Collatio — Continuata, Interrupta.
- 16 Meditatio,
- 17 Poëma — Carmineum, Prosocarmineum.
- 18 Epistola,
- 19 Inquisitio — Problema, Quaestio, Disputatio,
- 20 Coacervatio — Sensuum, Locorum communium.
- 21 Thematica,
- 22 Collectanea — Rapsodia, Syllegma, Abbreviatio.
- 23 Scholastica — Vetus, Nova. — Agiographica, Ecclesiastica — Anonyma, Prononyma; Ethica — Catena, Cento.
- 24 Pandesiaca. — Concordantiaria, Dictionaria, Historica, Postillaris, Quaestionaria, Lecturalis, Cōpendiaria — Prosaica — Universalis, Particularis — Columnaris, Arborea; Metrica. — Metrica — Carminea, Prosocar. — Rythmica, Leonina — Monorythmica, Dirythmica, Aequilitera — Simplex, Picturata. — Sermonaria, Meditativa — Demissa, Sublimis.

FR. SIXTI

FR. SIXTI SENENSIS
EX
ORDINE PRAEDICATORUM,
DE CATHOLICIS DIVINORUM VOLUMINUM EXPOSITORIBUS
BIBLIOTHECAE SANCTAE,
LIBER QUARTUS.

PRAEFATIO.

TERTIUS Bibliothecae noſtrae liber artem exponendi Sacras literas, modoſque omnes explicandi ſancta Volumina divinis expoſitoribus familiares, enarravit: quartus, quem nunc juxta alphabeticum literarum ordinem digerimus, liber comprehendet omnium Catholicorum expoſitorum extantium, & non extantium, qui ab anno trecenteſimo ante Chriſtum uſque in hanc diem divina Volumina expoſuerunt, nomina, cognomina, genus, dignitates, tempora, commentariorum numerum, ac varietatem, linguam, ſtylum, expoſitionis genus, & exponendi methodum, ac virorum illuſtrium, de pleriſque nobilium expoſitorum ſcriptis judicia: his, veluti appendicis loco, ſuccedet in fine voluminis Catalogus Hebraeorum expoſitorum, qui Hebraïcas veteris Teſtamenti Scripturas Hebraïce explanarunt; itemque de falſarum inſcriptionum cauſis, & quibus conjecturis earum deprehendatur falſitas, brevis admonitio. Quae quidem omnia collegimus, tum ex approbatiſſimis hiſtoriae Eccleſiaſticae auctoribus Euſebio, Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Evagrio, Zonara, & Nicephoro, tum ex iis, qui Catalogos illuſtrium Eccleſiae Scriptorum ediderunt: in quibus maxime ſecuti ſumus Hieronymum, Gennadium, Iſidorum, Honorium, Sigibertum, Notgerum, ac Tritemium: caetera utcunque ſupplevimus ex variis Italiae, Galliae, Hiſpaniae, & Graeciae Bibliothecis; quas partim per amicos, partim per nos ipſos, multis per Italiam & Galliam ſuſceptis peregrinationibus, non ſine magno labore, perluſtravimus. Ne quis vero miretur, aut mihi vitio vertat, quod in hoc volumine praetermiſerim quamplurima varii generis opera, a Catholicis expoſitoribus conſcripta: ſciat id mihi ſolum fuiſſe curae, ut Exegetica dumtaxat colligerem ſcripta, quae orthodoxi explanatores ad Sanctorum potiſſimum voluminum explanationem ex profeſſo deſtinaſſent; caetera vero, quae ab eis ob alias occaſiones, & in alios fines emanaſſent, veluti exoterica, omitterem, non quidem, ut viros illos praeſtantiſſimos aliqua ex parte laboribus ſuis fraudarem (quibus, utpote Solis luce clarioribus, neque ſilentium meum adimere poteſt quicquam, neque addere quicquam mea poteſt oratio) ſed quia praeſentis Operis ratio ea tantum admitteret, quae ad interpretativum ſcribendi genus pertinerent. Diſtulimus autem cenſuras & caſtigationes nobilium Eccleſiae Patrum in varia illuſtriorum expoſitorum Commentaria in proxime ſequentem librum, ne plus aequo praeſentis magnitudo voluminis excreſceret, quod nunc a prima Alphabeti litera auſpicamur.

AB-

Digitized by Google

A

ABBAS Vercellenſis, cujus adhuc nomen invenire non potui (a), vir, ut ejus in Dionyſium Areopagitam Paraphraſis indicat, eruditionis ac religionis ſummae, compoſuit in Cantica Canticorum Salomonis expoſitiones ſtyli non contemnendi; in quibus maxime inſtitit circa ſenſum anagogicum, accepta ſimilitudine ſupremi amoris creati, qui eſt in ſeraphicis ſpiritibus; ad cujus ſublimitatem animam elevare conatus eſt, & quodammodo in Deum transformare. Meminit hujus Operis Joannes Gerſon in Praefatione Commentariorum ſuorum in Cantica. Claruit anno Domini MCCCC.

ACACIUS (quem, quia luſcus erat, μονόφθαλμον, id eſt, Unoculum nuncupabant) Caeſarienſis eccleſiae in Palaeſtina epiſcopus, Euſebii Caeſarienſis epiſcopi diſcipulus, & in epiſcopatu ſucceſſor, vir in divinis Scripturis exercitatus, ſed Arriana impietate perverſus, in tantum ſub Conſtantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romae Felicem Arrianum epiſcopum conſtitueret: elaboravit autem in diverſos divinae Scripturae locos συλλεκτῶν ζητημάτων, hoc eſt, Selectarum quaeſtionum volumen, ex quibus fragmenta multa ſervantur in Catena Graeca explanationum in Geneſim: meminitque hujus Operis Hieronymus in epiſtola ad Minerium, & Alexandrum. Compoſuit etiam in Eccleſiaſten decem & ſeptem Commentariorum volumina. Hunc ego non recenſuiſſem, niſi id prior Hieronymus feciſſet. Claruit anno Domini CCCL. Scribuntur ejus acta libro 5. Hiſtoriae tripartitae. (b)

ADAM Sasbuoth ordinis Minorum, qui multos annos in Academia Lovanienſi publice literas Sacras profeſſus eſt, edidit ſuccinctam expoſitionem in Eſaiam, & in omnes Paulinas epiſtolas, ex omnibus, tam Graecis, quam Latinis orthodoxis Patribus collectam; in qua multos haereticorum errores confutavit. Claruit anno Domini MDXL.

ADAMANNUS Presbyter, & Abbas monachorum commorantium in inſula Hua, ultra Britanniam, ſcripſit ad Alphridum, Anglorum regem, librum de locis Sanctis, ad intelligentiam totius Scripturae utiliſſimum, quem collegit ex colloquiis Arculfi, Galliarum epiſcopi, qui omnem terram ſanctam propriis oculis perluſtraverat. Claruit ſub Juſtiniano Juniore Auguſto, anno Domini DCXC. (c)

ADILREDUS (d), Abbas cujuſdam coenobii Ciſtertienſis, Scripturarum ſanctarum ſtudioſus, & ſaecularis philoſophiae non ignarus, multa Opuſcula ſcripſit ad utilitatem fratrum ſuorum, inter caetera vero Homiliam unam de puero Jesu duodenni in Lucae caput ſecundum: quae incipit, *Cum eſſet Jesus annorum duodecim*: & habetur inter Opera Bernardi. Claruit ſub Henrico VI. anno Domini MCC.

AEGIDIUS, Archiepiſcopus Bituricenſis, patria Romanus, ex illuſtri familia Columna, Prior quondam generalis ordinis Eremitarum, D. Thomae Aquinatis

(a) Hunc Vercellenſem Abbatem *Thomam* fuiſſe nominatum tradit Auguſtinus Calmet in *Dict. Biblic. T.I. in praef.* additque laudatos Commentarios in Cantica haberi inter Anecdota Pezii *Tom.II. pag.503, 689.*

(b) Vide quae de Acacio ſcribunt Epiphanius *Haeref.LXXI.* Socrates *Lib.II. c.40.* & Theodoritus *Lib.II. cap.17.* Conſule itidem quae adnotant recentiores Critici, & praeſertim commentatores lib. S. Hieronymi *de Scriptoribus Eccleſ.* ex quibus eſto habeas, quod Acacius varius fuerit in fide, & vater in dogmate, habes etiam quod corrigendus ſit textus S. Hieronymi, ubi legitur „ ut in Liberii locum Romae Felicem Arianum Epiſcopum conſtitueret „, quem integre N. Xyſtus tranſcripſit. Menda certe irrepſiſſe in laudatum textum, quem in praeſentiarum habemus, vel ex eo clariſſime conſtat, quia το' *Arianum* neque Sophronius habet, neque reperitur in Codicibus Mediceo, & Feſulano; ideoque eradendum omnino fore Marianus Victorius ſapienter nimis adnotavit, & Aubertus Miraeus ita adcurate rem totam expreſſit: „ Liberio Papa ab Arianis in exilium pulſo, Felix II. eſt ſubrogatus ab eiſdem. Manſit tamen hic orthodoxus, etſi cum Arianis communicaret, ut Baronius ad An.353. dicit. Idem Felix poſtea Conſtantium Imperatorem damnavit, ac demum martyr occubuit, Martyrologii Romani tabulis ad diem 29. Julii adſcriptus. Cujus quidem „ ſacrae reliquiae anno 1582. in Diaconia SS. Martyrum Coſmae, & Damiani in foro Romano fuerunt inventae, cum hac inſcriptione in lapideo laterculo: CORPUS S. FELICIS PAPAE, ET „ MARTYRIS, QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM „. Legeſis praecipue Eminentiſſimum Annalium Parentem, Ad *An.357.* & Antonium Poſſevinum *Tom.III. Apparatus pag.228.*

(c) De Admando, ſeu Adamando Monacho & Presbytero Scoto-Hiberno Hayenſi Abbate lege praeſertim quae tradit Johannes Mabillonius *Secul. Benedict. III. P.II. p.502.*

(d) Adilredus, aliis etiam Aelredus, vel Ealredus, vel Ethelredus Anno 1166. diem obiit extremum ex Johanne Alberto Fabricio in *Bibliothec. Sacr.*

Digitized by Google

natis discipulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sermone scholasticus, & ob doctrinae constantiam FUNDATISSIMI cognomen adeptus, scripsit in Sacras literas multas egregias explanationes, de quibus feruntur

IN Hexaemeron libri duo, quaestionum scholasticarum multitudine repleti; quos proximis annis Venetiis tum primum impressos legimus: horum initium est, *Quoniam de operibus sex dierum*.

ITEM in Canticum Canticorum Lecturam scholasticam, decem & novem lectionibus distinctam; quae incipit, *Sonet vox tua, &c. in principio cujuslibet libri*.

IN Epistolam ad Romanos Lecturam 53. lectionum. *Enoch placuit Deo*.

IN Ave Maria Opusculum.

CLARUIT sub Rodulpho Imperatore, anno Domini MCCLXXX.

AGATHIUS Guidiacensis, sacrae Theologiae in originalibus linguis regius Professor, scripsit in quatuor & viginti primos Davidicos Psalmos Commentaria; in quibus maxime Hebraïcum Psalmorum contextum examinat: idem Canticum Canticorum succincta explicatione complexus est. Claruit anno Domini MDXL.

AGRIPPA cognomento Castor, vir valde doctus, scripsit sub Antonino Pio adversus XXIIII. Basilidis haeretici volumina, quae in Evangelium confecerat, libros valde difertos; in quibus insanas Basilidis blasphemias fortissime confutavit. Claruit anno Domini CLX. (a)

ALALPHUS, sive Alulphus Tornacensis, monachus Benedictinus, ex operibus D. Gregorii collegit Opus Excerptionum in novum Testamentum, quod inscribitur GREGORIANUM.

ALANUS Insulensis, Germanus, orator, poëta, philosophus, & theologus, inter omnes sui temporis excellentissimus, sacrae Parisiensis Academiae moderator, qui ob omnigenam rerum omnium eruditionem DOCTORIS UNIVERSALIS cognomen promeruit, inter multa laborum suorum illustria monumenta reliquit

COMMENTARIORUM in totum Pentateuchum libros quinque.

ITEM in Canticum Canticorum librum unum, cujus initium est, *Multi ad ornandum*.

SED & utrunque Testamentum parvo compendio, quod OCULUS SACRAE SCRIPTURAE inscribitur, perstrinxit: ejus exordium est, *Reverendissimo patri & domino*. Floruit sub Alberto Imperatore, anno Domini MCCC. (b)

ALANUS Rupensis, Germanus, ordinis Praedicatorum, vir in divinis Scripturis eruditus, in declamationibus sacris egregius, vita & conversatione venerandus, & B. Mariae semper Virginis amator praecipuus, sodalitii quoque illius, quod sub nomine ROSARII Divae Virgini dedicatum est, instaurator ac promotor, scripsit in Canticum Canticorum librum unum; quo singula Salomonis verba ad Mariam Virginem, & Christum ejus Filium, invicem colloquentes, decentissime accommodavit. Claruit sub Friderico III. Imperatore, moriturque anno Domini MCCCCLXXIIII. (c)

ALAR-

(a) Agrippa non sub Antonino Pio scripsit *confutationem τ ἐξηγητικῶν Basilidis*, sed sub Hadriano, sub cujus Caesaris principatu floruit circa An. 132. ut constat ex Hieronymo *de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 21.* Eusebio *lib. IV. c. 7.* & aliis. Legesis notas Henrici Gravii, & Auberti Miraei. Basilidem vero obiisse non sub Hadriano, sed sub Antonino Pio, certum est: quo ex momento corringendum esse, quem nunc impressum habemus, textum S. Hieronymi, & ubi ille habet „ *mortuus est autem* Basilides „ temporibus Hadriani „ legendum esse *moratus est autem* &c. constat ex quinque selectissimis MSCC. codicibus, in quibus non *mortuus*, sed *moratus* legitur; constatque mendum hoc inrepsisse incuria transcriptorum, seu amanuensium, quia ex Clemente Alexandrino *Lib. VII. Stromat.* habetur Basilidem adhuc tempore Antonini natu Majoris supervixisse, ut optime adnotavit Joh. Baptista Cotelerius *Nota ad PP. Apostolic. p. 265.* Vide etiam Joh. Ernestum Grabbe *Not. ad Tom. I. Spicileg. Secul. II. p. 37.*

(b) Alanus hic natione Flander, primum Academiae Parisiensis Doctor, & Moderator postea ex humilitate Conversus, seu frater laicus Cisterciensis, claruit An. 1215. quo adversus Almerici Carnotensis discipulos in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. solertissime disputavit. De operibus ab eo editis legesis quae scribit Carolus Vischius in *Bibliothec. Scriptor. Cistercienf. Colon. 1656.* Certe tamen ejus commentarius in Pentateuchum non fuit typis mandatus.

(c) Alanus de Rupe, Gallice *de la Roche* (non Teuto, nec Batavus, sed Gallus in Armorica, ut scribit Cornelius de Snexis ejus discipulus in *Sermonibus*

Digitized by Google

ALARDUS Amſtelredamus, natione Hollandus, cujus extat celebris liber Sacrorum ſimilium, ex orthodoxis Patribus collectus, & alter, De miraculis per venerabilem Euchariſtiam factis: collegit ex omnibus operibus Catholicorum doctorum omnes tropos, phraſes, idiotiſmos, & locutionum varias figuras, in divinis Scripturis uſitatas; easque in unicum volumen juxta alphabeticum ordinem convenientiſſime diſpoſuit. Claruit ſub Carolo V. Auguſto MDXXXVIII.

ALBERTUS cognomento Magnus, archiepiſcopus Ratiſponenſis, ordinis Praedicatorum, natione Svevus, ex oppido Langigenſi, vir eruditionis admirandae, quem divinarum rerum pauca, humanarum fortaſſe nulla latuerunt, ſublimibus ingenii ac memoriae viribus uſque ad miraculum praeſtans, in divinis ſtudiis longe eruditiſſimus, & philoſophorum omnium, quos vel ante, vel poſt eum univerſa Germania protulit, princeps, ob eximiam ſcientiarum ejus multitudinem, magnitudinemque MAGNI cognomen, quod nulli unquam eruditorum contigit, ante mortem adeptus, docuit multis annis Peripateticam philoſophiam, & Scholaſticam theologiam in florentiſſimis Pariſiorum & Agrippinenſium Academiis: in quibus inter alios egregios auditores Thomam Aquinatem divinae indolis, & praeſtantiſſimi ingenii diſcipulum habuit: vocatus deinde, imo pene invitus ad archiepiſcopatum Ratiſponenſis eccleſiae a Rodulpho Imperatore, & a ſummo Pontifice Urbano IIII. pertractus, cum ei aliquot annis magnifice praefuiſſet, rurſum veterum ſtudiorum gratiſſima recordatione ad priſtina literarum exercitia revocatus, curam eccleſiae ſponte abdicavit: abjectaque dignitate epiſcopali, ad coenobium ſuum Colonienſe privatus rediit: ubi, quod reliquum vitae ſuperfuit, legens, ſcribens, docens, & diu noctuque Deo deſerviens, feliciſſime traduxit, decedens ex humanis anno aetatis ſuae LXXXI. ſepultuſque eſt in medio choro templi ſui Dominicani, regnante Rodulpho Imperatore anno ab orbe redempto MCCLXXX. Ex cujus infinitis operibus in totam divinam Scripturam, Scholaſtico explanationis genere congeſtis, haec duntaxat vidi, videlicet,

IN Duodecim Prophetas libros 12.	*Oſſa duodecim Prophetarum.*
IN Matthaeum librum unum,	*Sume tibi librum grandem.*
IN Marcum librum unum,	*Ecce vicit Leo de tribu Juda.*
IN Lucam librum unum,	*Ubi apparent plurimae ſegetes.*
IN Joannem librum unum,	*Aquila grandis magnarum alarum.*
SUPER Miſſus eſt librum unum.	
SUPER Magnificat librum unum.	

ALBERTUS Patavinus, Eremitanus, AEgidii Romani doctoris praeſtantiſſimi diſcipulus, tam ſacris, quam prophanis literis, exquiſite doctus, & in praedicationis munere celebratiſſimus, haec ſcripſit, videlicet

COMMENTARIORUM in Pentateuchum Scholaſtico more libros quinque, incondita ſacrarum auctoritatum farragine refertos.

IN quatuor Evangelia libros quatuor.

IN omnes Pauli epiſtolas libros quatuordecim.

QUADRAGESIMALIUM ſermonum ſuper 42. manſiones ex Exodo, & quotidiana Evangelia volumen ingens. Vixit temporibus Alberti Imp. anno Dom. MCCC.

ALBERTUS, Patriarcha Hieroſolymitanus: vir ſanctitatis & doctrinae admirandae, qui fratribus Carmelitis, adhuc in terra ſancta commorantibus, vivendi formam, regulamque dedit juſſu Innocentii Papae, ejus nominis Tertii, ſcripſit de ſitu & ſtatu terrae ſanctae, non contemnendos Commentarios. Claruit ſub Henrico Imperatore VI. anno Domini MCXC. (a)

ALBINUS Flaccus, cognomento Alcuinus, monachus, diaconus, & abbas monaſterii S. Martini Turonenſis, natione Anglicus, Bedae presbyteri auditor, vir in omni ſcientiarum genere ſuo tempore celebratiſſimus & Caroli Magni Auguſti praeceptor, ſcripſit in Sacras literas infraſcripta volumina,

nibus de Roſario) non eſt author *Commentarii in Cantica Canticorum*, etſi illum ei adjudicent NN. Sixtus, Luſitanus, & Altamura, quos error invaſit ex ſimilitudine nominis alterius Alani, Inſulenſis, nimirum, de quo nuper eſt actum, cuique reſtituendum eſt praefatum opus, ut erudite adnotavit N. Jacobus Echard *Tom. I. Script. Ordin. fol.* 851.

(a) Ita ſcribit Joh. Trithemius cap. 406. nec refragatur Antonius Poſſevinus, qui *in Appar. Sacr.* tradit Albertum ſub Innocentio III. floruiſſe: quare dum poſtea dicit eundem claruiſſe An. 1300. vitio Typographorum vertendum eſt.

Digitized by Google

AD Sigulphum presbyterum interpolatae expositionis ex Patrum sententiis in Genesim brevem Commentariolum, per interrogationem & responsionem simplici & historica narratione dispositum: cujus initium est, *Dilectissimo in Christo fratri Sigulpho*.

In quindecim Cantica graduum, hoc est, a Psalmo 119. usque ad 133. moralium annotationum brevem Commentarium: qui incipit, *Gradus sunt*.

IN septem Psalmos poenitentiae juxta sensum moralem succinctas, argutas, ac mire significantes annotationes: quarum initium, *Titulus Psalmi*.

IN Ecclesiasten ad Oriam, & Candidum librum unum.

IN Canticum Canticorum librum unum.

IN Joannis Evangelium succinctae lucidaeque brevitatis Commentariorum libros septem.

IN omnes Pauli epistolas libros quatuordecim.

IN Apocalypsin librum unum.

COLLEGIT etiam, & in ordinem redegit jussu Caroli Magni praestantissimorum Ecclesiae doctorum Homilias in Evangelia, quae per anni ambitum publice in templis leguntur: sunt autem hae,

Augustini 48.
Hieronymi 6.
Ambrosii 10.
Hilarii 1.
Fulgentii 2.
Origenis 4.
Maximi 17.
Chrysostomi 11.
Severiani 1.
Leonis 21.
Gregorii 39.
Bedae 48.
Isidori 1.

SUMMA omnium Homiliarum 209.

IN his autem, quae sub Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, & interdum Bedae titulo inscribuntur, homiliae non sunt, sed centones explanationum ex horum auctorum commentariis dissuti, & in hoc volumine inter eas, quae veteres sunt, homiliae, annumerati.

CLARUIT sub Carolo Magno Augusto, anno Domini DCCLXX. (a)

ALEXANDER, Episcopus Cappadociae & Martyr, vir sanctitate, & sacrarum literarum eruditione eximius, inter alia ingenii sui monumenta reliquit Commentarium in epistolam ad Galatas (b); ex quo Hieronymus nonnulla in suos Commentarios super eandem epistolam derivasse fatetur: septima autem persecutione sub Decio, quo tempore Babylas Antiochiae passus est, ductus Caesaream, & clausus in carcere, ob confessionem Christi Martyrio coronatur, anno Domini CCLV.

ALEXANDER, Cestriensis episcopus, scripsit Scholasticam Postillam in omnes Psalmos, anno Domini MCCXXXVIII.

ALEXANDER Villadeus, patria Dolensis, Franciscanus, poëta Leonini carminis, quod olim in pretio fuit, facile princeps, cujus adhuc supereſt Opus, DOCTRINALE inscriptum, pueris olim ad Grammatica rudimenta capessenda in ludis literariis usitatum, composuit in Acta Apostolorum Scholasticam Postillam, Leoninis hexametris concinnatam, quae incipit,

Si vis transacta Apostolica noscere facta,

Haec

(a) Plura sub nomine Alcuini N. Sixtus percenset, quae tamen omnia ei adjudicari non possunt. Profecto inter ejus Homilias plures extant, quae Paulo Diacono sunt restituendae, nec expositio Apocalypseos ei potest adscribi. Ad exactam tamen notitiam operum Alcuini legenda est adcurata editio Lucae Dacherii.

(b) Commentarius in Epistolam ad Galatas, qui Alexandro Cappadociae Episcopo adjudicatur a N. Xysto, spurius omnino censendus est, & faciliter fucum ei feciſſe Pseudo-Hieronymum *in Epistol. ad Gal.* (de quo alibi est actum) certo certius est judicandum: Hieronymus quippe *Lib. de Script. Eccles. c. 62.* dum percenset opera ab hoc Alexandro edita nec verbulum habet de praefato Commentario.

Digitized by Google

Haec tibi Poſtilla tractabit verſibus illa.

SCRIPSIT item ad commoditatem eorum, qui divinorum Voluminum ſummam memoriae mandare, ac retinere deſiderant, breviſſimum & arctiſſimum totius divinae Scripturae Compendiolum, duodecim ac ducentis hexametris carminibus arctiſſime incluſum, in quibus dictiones ſingulae ſingula Sanctorum librorum capitula comprehendunt: quorum verſuum dictiones, ut planius intelligerentur, cuilibet earum numerum capitis in ipſa contenti inſcripſit, ſubterpoſitis quoque nonnullis interlinearibus minutioris characteris gloſſematibus, quae cujuſque dictionis ſignificatum in hunc modum indicarent:

Sex. Prohibet. Peccant. Abel. Enoch. Et arca fit. Intrant.
1.dies. 2.lignum vitae. 3.primi parentes. 4.occiditur. 5.transfertur. 6.a Noha. 7.in arca.

CLARUIT ſub Federico II. Imperatore, anno Domini MCCXL.

ALEXANDER, ex oppido Halenſi, quod in inſula Britannia eſt, Franciſcanae religionis profeſſor, D. Bonaventurae Cardinalis praeceptor, in gymnaſio Pariſiorum publicus theologiae doctor, in Scholaſticis artibus, & in cognitione divinarum ſcientiarum tantum nominis & gloriae conſecutus, ut ab eruditiſſimis ſui temporis Fons vitae appellari meruerit, praeter illam nobilem Theologiae ſummam, quam, jubente Innocentio Pontifice, ejus nomine IIII. conſcripſit, utrunque ſacrum Teſtamentum variis hinc inde annotationibus, veluti ſtellulis, illuſtravit: quod Opus ipſe POSTILLAM SUPER TOTAM BIBLIAM inſcripſit. Claruit ſub Friderico II. anno Domini MCCXL.

ALEXANDER Nechan (a), Anglus, ſcripſit Poſtillam in Cantica Salomonis, anno Domini MCCX.

ALFONSUS a Caſtro, Zamorenſis, Hiſpanus, ordinis Minorum, acri ingenio vir, & haereticorum hoſtis acerrimus, adverſus quos etiam plura Volumina conſcripſit, nonnullos Pſalmos expoſuit; particulariter autem edidit in Pſalmum trigeſimum primum librum unum, itemque in Pſalmum quinquageſimum librum unum, anno Domini MDXLVI.

ALFONSUS Martinez, Bethicus, ordinis Praedicatorum, cenſuram edidit Bibliorum ſub nomine Sanctae in haereticos Inquiſitionis, anno Dom. MDLVIII.

ALFONSUS Toſtatus, epiſcopus Abulenſis, natione Hiſpanus, ex oppido Madrigal, vir inter omnes Scholaſticae theologiae Profeſſores in gymnaſio Salamanticae urbis ſuo tempore eruditiſſimus, in divinis Scripturis longa & continua exercitatione peritiſſimus, & in aſſiduis vigiliis, & graviſſimis legendi, docendi, ſcribendique laboribus indefeſſus, ac prope adamantinus, elaboravit in utrunque Teſtamentum immenſae magnitudinis Volumina: in quibus poſt ſimplicem & hiſtoricam literae expoſitionem, quam ſolam proſecutus eſt, tot tantoſque Scholaſticarum diſputationum cumulos coacervavit, ut crebro in unius tantum vel brevis capituli explanatione ſupra centum & ſeptuaginta Scholaſticas quaeſtiones, variis ejuſdem capituli ſententiis reſpondentes, attulerit, novam ſemper ac diverſam ſuper unaquaque vel minima divinae ſcripturae particula difficultatem inquirens. Quantae vero molis fuerint olim horum Voluminum ſarcinae, indicio ſunt ipſius in Matthaeum Commentarii, quos cum Petrus Xymenes, Hiſpanus, epiſcopus Caurienſis, auditor ac diſcipulus ejus, conatus fuerit redigere in parvum compendium, quod quintam tantum partem horum Commentariorum contineret, non potuit tamen ita eos coarctare, quin a ſe abbreviatum opus adhuc ingens & vaſtum remanſerit: complectitur enim mille ac viginti paginas ampliſſimi folii, quod Regium appellant, minutis ſtrictiſque characteribus excuſas. Caetera quoque ejus Commentaria, conſimili ſtudio a diverſis Scriptoribus abbreviata, pluribus magniſque Tomis extenduntur: de quibus haec ſola ad notitiam meam pervenerunt.

IN quinque Moſis volumina libri quinque, *Altiſſimum enim negotium eſt.*
IN Joſue liber unus, *Sacrarum ſcripturarum.*
IN Judicum liber unus, *Hunc librum, quem nos.*

(a) De eo ita ſcribit Poſſevinus „ Alexander „ Heckam Anglus majorem Bibliorum partem expo„ ſuit. Vixit An. 1220. Eiſingrenus „. Hayus addit „ libros VI. in Eccleſiaſten, libros II. in Prover. Sa„ lomonis, librum I. in Ezechielem „.

Digitized by Google

IN Ruth liber unus, *Hic incipit liber Ruth.*
IN Regum libri quatuor, *Temporalium eventuum.*
IN Paralipomenon libri duo, *Magno jam decurso.*
IN Matthaeum libri viginti quinque. *Veteribus magna ex parte explicitis.*

Claruit temporibus Concilii Basilienſis & Eugenii Papae IIII. anno Domini MCCCCXL.

FRANCISCUS Fontanus, oppido Erena in Hiſpania natus, Canonicus Complutenſis, Indicem edidit in omnia praedicta Opera duobus grandibus voluminibus contentum: quo ſingula, quae ſive ad Scripturam ſacram, ſive ad variam hominis eruditionem pertinerent, laborioſiſſime complexus eſt.

ALOYSIUS Lippomanus, Venetus, Methonae primum, ac poſtea Veronae epiſcopus, a pueritia omnibus optimis artibus inſtructus, & per omnem vitam in aſſidua, tam Graecorum, quam Latinorum eccleſiae doctorum lectione verſatus, inter multos infatigabilis ingenii ſui labores collegit in totum librum Geneſeos ingens locupletiſſimumque explanationum volumen: in quo aemulatus D. Thomae Aquinatis ſtudium, contexuit ad commoditatem eorum, quibus nec otium, nec facultas eſt innumera & immenſa Patrum volumina revolvere, Catenam expoſitionum libri Geneſeos ex auctoribus, tam Latinis, quam Graecis, tam antiquis, quam recentioribus, ſibi invicem ſecundum temporum ſeriem ſuccedentibus, interjectis etiam de ſuo non ſpernendis annotationibus: digeſſit autem totius Operis farraginem ordine decentiſſimo in hunc modum. Primo praepoſuit explanationes Patrum, quae ad intelligendos obſcuros literae ſenſus conducunt, allatis in medium Hebraïcis Graecisque exemplaribus, una cum Chaldaïca editione: deinde ſub unius myſticae explanationis nomine collegit quaecunque pertinent ad reliquos tres divinae Scripturae ſenſus, Allegoricum videlicet, Tropologicum, & Anagogicum; omiſſis tamen longis illis digreſſionibus, quibus Patres vel ad rerum difficilium diſputationem, vel ad morum inſtructionem evagari ſolent, ne volumen, in immenſum excreſcens, lectoribus faſtidium pareret: citavit etiam ubique non ſolum nomina auctorum, ex quibus ſententias & verba expoſitionis collegit, ſed & libros quoque, & librorum capitula ſingula fideliſſime recenſuit, quibuſdam exceptis, quorum ſententias deſumpſit ex Catena Graeca bibliothecae Vaticanae, in qua, praetermiſſis librorum titulis, tantum veterum auctorum dicta, praepoſitis eorum nominibus, leguntur. Eundem quoque laborem in librum Exodi feliciter abſolvit, pollicitus itidem ſe in univerſam divinam Scripturam conſimili ſtudio elaboraturum. Claruit ſub Carolo V. Auguſto in Concilio Tridentino illuſtris: moriturque ſub Ferdinando Imperatore I. anno MDLIX. Operis initium eſt, *Gloſſa: Auctor hujus libri Moyſes*: nomina vero auctorum, quorum expoſitiones in ipſo habentur, haec ſunt.

GRAECI.	LATINI.
Philo Judaeus,	Zeno epiſcopus Veronenſis,
Melito epiſcopus Sardenſis,	Hilarius,
Apollinaris epiſcopus Hieropoleos,	Ambroſius,
Irenaeus,	Hieronymus,
Origenes,	Auguſtinus,
Hippolytus Romae,	Eucherius,
Theodorus,	Leo Papa,
Euſebius Caeſarienſis epiſcopus,	Proſper Aquitanus,
Euſebius Emeſenus epiſcopus,	Gregorius Papa I.
Euſtathius Antiochenus epiſcopus,	Iſidorus Iſpalenſis epiſcopus,
Acacius,	Junilius,
Serapion,	Beda,
Didymus,	Strabus,
Philo epiſcopus,	Albinus, qui & Alcuinus,
Apollinaris Laodicenus,	Rabanus,
Efrem,	Nicolaus Papa,
Baſilius,	Bernardus,
Gregorius Nanzianzenus,	Hugo Victorinus,

Gre- Ro-

Digitized by Google

Gregorius Nyſſenus,
Iſidorus Peluſiota,
Epiphanius,
Diodorus,
Theophilus epiſcopus Alexandrinus,
Theodorus Mopſueſtiae,
Joannes Chryſoſtomus,
Joannes Caſſianus,
Joannes Damaſcenus,
Severianus Gabalorum,
Cyrillus,
Theodoretus,
Gennadius,
Iſidorus Abbas,
Graecus incertus auctor,
Gloſſa Graeca.

Rupertus Tuitienſis,
Gratianus,
Magiſter Sententiarum,
Bonaventura,
Thomas Aquinas,
Gloſſa ordinaria,
Gloſſa Interlinearis,
Cajetanus,
Auctor Catenae.

Quae vero in Catena Exodi habentur doctorum expoſitiones & nomina, haec ſunt:

GRAECI.

Dionyſius Areopagita,
Irenaeus epiſcopus Lugdunenſis,
Antonius Abbas,
Athanaſius,

Irenaeus Antiochenus,
Euthymius Zigabenus,
Dionyſius alter,
Severus Antiochenus epiſcopus,

Severus alter,
Oecumenius,
Sexta Synodus.

LATINI.

Cyprianus,
Maximus epiſcopus Taurinenſis,
Eſychius,

Gilbertus,
Xyſtus Papa,
Gillebertus Hollandus,

Guerricus abbas Igniacenſis. (a)

ALREDUS Rievallis, Anglus, monachus Ciſtertienſis, ſcripſit in 13. caput Eſaiae ſuper *Onus Babylonis*, Homilias Latinas tres ac triginta, anno Domini MCLXIIII.

ALVARUS Gomes, Hiſpanus, vir non indoctus, Proverbia Salomonis carminibus deſcripſit.

AMBROSIUS Alexandrinus, Didymi Alexandrini auditor & diſcipulus, cujus ſunt libri adverſus Apollinarium, ſub Theodoſio Auguſto, anno CCCC. Commentarios valde probandos edidit in librum Job. (b)

AMBROSIUS Amsbertus, monachus & presbyter ordinis Benedictini, vir in divinis literis exquiſite doctus, & oratione elegans & ſuavis, ſcripſit ſub Arnoldo Auguſto explanationis in Pſalterium librum unum, in Canticum Canticorum librum unum, in Apocalypſin libros decem, Coloniae excuſos, anno MDXXXVI. Claruit ſub Arnoldo Imperatore anno Domini.

AMBROSIUS Catharinus Politus, Minorenſis primum epiſcopus, & poſtea Compſae archiepiſcopus, natione Hetruſcus, patria Senenſis, concivis meus, & mihi primus in divinis Scripturis Praeceptor, vir ingenii viribus valens, diſciplinarum opibus excellens, & eloquii, tam Hetruſci, quam Latini facundia praepotens, relicto publico juris Caeſarei Gymnaſio, in quo inter multos illuſtres doctrinae ſuae auditores, Julium quoque Tertium, Pontificem Maximum, diſcipulum habuit, Chriſto ſe dedicavit, ſacrum divi Dominici ordinem ingreſſus: in quo dies noctesque in divinis Sacrarum literarum ſtudiis, ſumma cum vitae ſanctitate perſeverans, & adverſus omnes haereſes noſtri temporis, tanquam in ſtadio fortiſſime dimicans, a Julio Pontifice ad Epiſcopatus curam evectus eſt, & ad onus Cardinalatus, quod ei mors praeripuit, deſtinatus: hic itaque inter multa nobiliſſima Opera, quae in Scripturas ſanctas jam ſenex maxima elaboravit induſtria,

(a) In laudata Lippomani Catena advertendum eſt enumerari aliquot, vel haereticos, vel ſuſpectae fidei, Acacium videlicet, Euſebium Caeſarienſem, & Emiſenum, Theodorum Mopſueſtenum, Apollinariumque Laodicaenum. Edidit etiam Lippomanus Catenam in Pſalterium.

(b) Commentarium in *Lib. Job* nullus veterum Ambroſio Alexandrino adjudicavit, & Hieronymus, qui de eo ſermonem habuit, nec quidem vel eminus indigitat illum. Subdit autem: „Ad hunc infinita „Origenes dictavit volumina„: ex quo ſapienter colligit Joh. Albertus Fabricius, quod ex innumeris, quae fuerunt ab Origene edita, voluminibus aliqua perperam fuerunt adjudicata Ambroſio Alexandrino, hiſce adenſe Commentarium in librum Job ab Authore noſtro laudatum.

Digitized by Google

ſtria, reliquit nobis eruditiſſima in omnes divi Pauli epiſtolas Commentaria: in quibus illud ei potiſſimum curae fuit, ut verum Apoſtoli ſenſum pro viribus explanaret, ac ſimul oſtenderet, nullum magis cum noſtrae aetatis haereticis pugnare, quam Paulum, quem illi ſuarum haereſum propugnatorem impudentiſſime faciunt: qua occaſione permotus multas, difficiles, & arduas noſtrae religionis difficultates, ex ſententiis Pauli naſcentes, diſſolvit: inter alias vero opinionem illam de maſſa perditionis, abſque ulla operum conſideratione, ex ſolo Dei beneplacito in ſuis ſempiternis miſeriis derelicta, magna multorum argumentorum mole opprimere conatur; ſicut ſexto volumine in cenſuris ſuper epiſtolis Pauli fuſius explicabimus. Opus incipit, *Ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum Julium III. Pont. Max. Quod tam multa cum veterum, &c.*

SCRIPSIT item in omnes Catholicas epiſtolas breviores Commentarios, quorum initium eſt, *Temporis corruptiſſimi.*

IN prima quinque Geneſeos capita explanationis ad literam dilucidos & eruditos Commentarios.

IN Apocalypſin ad literam librum unum.

DE auctoribus, & auctoritate librorum ſacrae Scripturae librum unum.

MORITUR anno Domini MDLII. (a)

AMBROSIUS, Epiſcopus Mediolanenſis, patria Romanus, Liguriae, & Inſubriae primum praeſes, deinde vero Mediolanenſis eccleſiae Pontificatum divinitus adeptus, ea inter ſui temporis epiſcopos fidei ſtabilitate, morum integritate, & eruditionis admiratione excelluit, ut Imperator Theodoſius, virtutum illius celſitudine commotus, publice in ſummo templo Conſtantinopolitanae urbis exclamaverit, Ἀμβρόσιον οἶδα μόνον Ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον, hoc eſt, *Ambroſium novi unum, qui ſolus digne vocetur Epiſcopus.* Hujus tantam fuiſſe Chriſtianae doctrinae auctoritatem, ſcribit Auguſtinus, ut nec ab inimicis quidem in ejus ſcriptis, quod reprehenderetur, potuerit inveniri. Explicavit autem omnes fere divinas Scripturas ſumma cum laude, ſequens in eo labore Philonem Judaeum, Hippolytum, Apollinarium utrumque, Euſebium, & Baſilium, ſed maxime Origenem; cujus ſermonibus, ut Hieronymus in epiſtola ad Pammachium & Marcellam teſtatur, omnes pene ejus libri pleni ſunt: unde & longe melior, ſicut ipſe Ambroſius de Origene dixit, in veteri, quam in novo Teſtamento apparet. Eſt autem genus expoſitionis ejus varium, ſed myſticis praecipue ſenſibus inſiſtens; ſic tamen, ut interdum literae ſenſus non negligatur omnino. Dicendi genus, prout rerum varietas expoſtulare videtur, varium eſt, ſed ubique lucidum ac perſpicuum eloquentiae flumen effundens, ut ait Auguſtinus: qui etiam in quarto De doctrina Chriſtiana volumine profert ex Operibus Ambroſii pulcherrima quaedam exempla triplicis Ambroſianae elocutionis, hoc eſt, ſummiſſae, temperatae, & grandis; ex quibus oſtendit eum de humilibus ſummiſſe, de mediocribus temperate, de magnis ſublimiter pro rerum diverſitate ac dignitate dixiſſe. Adamavit tamen peculiari ac naturali quodam affectu gravem & argutam brevium ſententiarum copiam, delectatus mirum in modum oratione, commatis & colis interdum numeroſis diſtincta, & floſculis picturata. Caeterum ipſius ſcripta, ad divinae Scripturae expoſitionem pertinentia, in quatuor diſcernuntur ordines, nimirum in Libros, Commentarios, Tractatus, & Epiſtolas. In libris, in quibus crebro Thematicae expoſitionis methodum ad imitationem Philonis amplectitur, praetermiſſa continuitate hiſtorici contextus, interruptum explanationis ordinem ſequitur, & hiſtoriarum capita ſummatim perſtringens, variis ſeparatiſque diverſorum argumentorum, & titulorum voluminibus eadem explicat: quorum numerus, argumenta, & inſcriptiones haec ſunt:

IN Geneſeos primum caput, Hexaemeron, vel, De ſex dierum opificio libri, ſive ſermones ad populum ſex: de quibus Hieronymus, ad Pammachium & Oceanum ſcribens, ait: NOSTER ſanctus Ambroſius ſic Origenis Hexaemeron compilavit, ut magis Hippolyti ſententias Baſiliique ſequeretur. Quam Hieronymi ſententiam aperte comprobat eadem Ambroſii expoſitio: quae ſane nihil aliud eſt,

(a) De Ambroſio Catharino legeſis N. Echardum, Bellarminum, & Poſſevinum, & praeſertim adverte duas in eo quaeſtiones fuiſſe nigro theta ſignatas a Clemente VIII.

Digitized by Google

eſt, quam id ipſum Baſilii Hexaemeron Latine verſum, iiſdem ubique ſententiis ac verbis, tranſpoſito tamen linearum ac ſententiarum quarundam ordine, atque additis vel ex Hippolyto, & Origene, vel ex alio quopiam, vel de ſuo fortaſſe nonnullis digreſſiunculis. In quo Opere vertendo & imitando tam diligens fuit Ambroſius, ut ne artificioſum quendam memoriae lapſum praetermiſerit, quem Baſilius Homilia octava Hexaemeron ſatis rhetorice ſimulaverat, fingens ſe in media concione memoria deſtitutum. Hos ſermones neſcio quis primus in libros transformaverit, & in multa capitula diſſecuerit (nam & Beda in Opuſculo de temporibus, & Junilius in Praefatione Hexaemeron eos ſub librorum nomine citant) cum tamen libri non ſint, ſed ſermones ad populum habiti, & ab auditoribus excepti: quod & eorum inſcriptiones in vetuſtiſſimis codicibus indicant, & Praefatiunculae ipſae demonſtrant, ad praeparandos auditorum animos inſtructae, item perorationes in doxologiis deſinentes, contra Ambroſii conſuetudinem, qui nullum ex libris ſuis ſic finire conſuevit: ſed & ea verba, quae habentur circa medium quinti ſermonis, ſive libri quinti capite duodecimo, evidentius arguunt Ambroſium haec pro concione dixiſſe, & inter dicendum, ſimulato memoriae lapſu, parumper de induſtria conticuiſſe, ad imitationem ſcilicet Baſilii Magni, qui in enarratione ejuſdem loci ſe memoria deſtitutum artificioſe finxerat: nam id annotans Notarius, qui tum dicta loquentis excipiebat, interrupto curſu Scripturae hanc clauſulam de ſuo inſerit, inquiens: *Et cum hìc paululum conticuiſſet, iterum ſermonem adorſus, ait*: FUGERAT NOS FRATRES DILECTISSIMI NECESSARIA DE NATURA RERUM DISPUTATIO, ET SERMO HUJUSMODI NOBIS CUM IPSIS AVIBUS EVOLAVERAT, &c. quae verba primus ille horum ſermonum transformator, reclamantibus paſſim vetuſtis exemplaribus, ipſaque rei ſententia reluctante, ad ipſam Ambroſii perſonam ſatis inepte accommodavit in hunc modum: *Et cum hìc paululum conticuiſſem: iterum ſermonem adorſus, ajo*, FUGERAT NOS, &c.

HABETUR etiam in idem primum Geneſeos caput, De dignitate humana liber unus (a), enarrans locum illum, *Faciamus hominem*, ſimulque explicans dignitatem humanae conditionis, tum ratione imaginis, tum ratione ſimilitudinis.

IN GENESEOS caput ſecundum & tertium, De Paradiſo liber unus: in quo inveſtigatur, quid ſit Paradiſus, ubi ſit, qualiſve ſit; atque de his, quae in eo primis parentibus contigerunt, eleganter, ſed allegorice potiſſimum diſſeritur, deſumptis ex libro Allegoriarum Philonis Judaei pulcherrimis quibuſdam allegoriis.

IN Geneſ. caput quartum, De Caino & Abele libri duo: in quibus juxta myſticam intelligentiam exponit ortum, vitam, mores, & cultum duorum fratrum, quos Moſes praeſenti capite deſcripſit: mutuatus eſt & hic nonnulla ex libro Philonis Judaei, qui De ſacrificiis Cain & Abel inſcribitur.

IN Geneſ. caput quintum uſque ad undecimum, De Nohe & Arca liber unus: in quo ſancti viri Nohe vitam, mores, geſta, altitudinem quoque mentis, ac temporum ejus eventus enarrat, exponens allegorico ſenſu hiſtoriam ferme ſex capitum, videlicet a fine quinti capituli uſque ad finem decimi.

IN Geneſ. caput 12. uſque ad 18. De Abraham Patriarcha libri duo, quos ad imitationem Xenophontis, atque Philonis, compoſuit: nam Xenophon, Platonis condiſcipulus, & Socratis auditor, in eo libro, quem *Κύρου παιδείαν* inſcripſit, ſub conficta Cyri Perſarum regis perſona, juſti ac ſapientis regis diſciplinam ex intimo philoſophiae ſinu deſcripſit: hunc aemulatus Philo Judaeus, ſcripſit librum de Abraham Patriarcha, oſtendens eum fuiſſe imaginem & exemplar viri ſapientis per contemplationem perfecti, unde omnis ſapientis vitae inſtitutio petenda eſſet: utrunque ſecutus eſt Ambroſius duobus his libris; in quibus ſub narratione totius vitae, ac geſtorum Abrahae exprimit nobis viri moralis, vereque activi ſimulacrum. Continent autem haec duo Volumina hiſtoriam Geneſeos ab initio duodecimi capitis uſque ad dimidium capitis 18.

IN

(a) Liber de *dignitate animae* non eſt genuinus Ambroſii foetus: fuit enim olim tributus Auguſtino ſub hoc titulo *Sermo in Creatione primi Hominis*, quem Alcuinus laudat ſub nomine Albini, & qui totus inſertus eſt *Libro de Spiritu & Anima*: Ita Dupinius *Biblioth. Nov. in Ambroſ.* & ita etiam alii Critici, Vide editionem noviſſimam operum S. Ambroſii PP. BB.

Digitized by Google

IN Geneſ. caput 21. De Iſaac, & anima, libri duo: in quorum priore, accepta occáſione ex his, quae de nativitate Iſaac, & deſponſatione ejus cum Rebecca, capite 21. & 24. referuntur, diſſerit juxta allegoricam & anagogicam intelligentiam de amore inter Chriſtum ſponſum praefiguratum in Iſaac, & animam ſponſam in Rebecca deſignatam: in ſecundo libro occaſione eorum, quae de anima in ſuperiore libro praedixerat, tractat de bono mortis, quae animam ſponſo ſuo Chriſto in ſempiternum victuram conjungit.

IN Geneſ. caput 27. uſque ad 35. De Jacob, & vita beata, libri duo: in quibus breviter percurrens narrationem Moſis, novem capitibus diffuſam, oſtendit ſapientis beatitudinem in ſummis vitae periculis non ſolum non amitti, ſed etiam acquiri poſſe, exemplo beati Jacob, cui, in exilio, perſecutione, & ſervitute viventi, nihil eorum defuit, quae ad rationem beatitudinis ſpectant.

IN Geneſ. caput 37. uſque ad 49. De Joſeph Patriarcha liber unus: quo univerſam hiſtoriam Joſeph, duodecim capitibus a Moſe comprehenſam, allegorica & anagogica explanatione differens, proponit nobis in Joſeph multarum virtutum, ſed praecipue caſtitatis exemplum.

IN Geneſ. caput 49. De benedictionibus Patriarcharum liber unus, continens myſticam explanationem benedictionis Jacob erga filios ſuos.

SCRIPSIT etiam, praeter hos libros, in varios Geneſeos locos epiſtolas tres,

PRIMAM ad Horontianum, De diviſione operum ſex dierum, quae incipit, *Diviſionem*.

SECUNDAM ad eundem, De homine poſt beſtias producto, quae incipit, *Moveri te*.

TERTIAM De Paradiſo ad Sabinum, quae incipit, *Lecto Hexaemero*.

ITEM in Exodi octavum caput, De his, quae AEgyptii abominantur, ad Irenaeum epiſtolam unam.

IN Exodi 21. de celebratione Paſchae ad Epiſcopos Aemiliae, epiſtolam unam.

IN Exodi 24. De ſanguine victimae bifariam diviſo, ad Simplicianum epiſtolam unam.

IN Exodi 30. De ſignificatione Didragmatis, ad Juſtum epiſtolam unam.

IN Exodi 32. De Vitulo aureo, ad Romulum epiſtolam unam.

IN Levit. 10. De Moſe, conſilium Aaronis approbante, ad Simplicianum epiſtolam unam.

IN Numer. 23. De verbis Dei ad Balaam, ad Chromatium epiſtolam unam.

IN Deuter. 28. De coelo aeneo, & terra ferrea, ad Romulum epiſtolam unam.

IN Deuter. 32. De muliere, virili veſte non induenda, ad Irenaeum epiſtolam unam.

IN 2. Regum capite 21. De Apologia Davidis librum unum, adulterium Davidis pie excuſantem, & Pſalmum quinquageſimum pulcherrime exponentem.

IN 3. Reg. 21. De Nabuthe librum unum adverſus injuſtam Nabuthis caedem, & inexplebilem avaritiam ejuſdem caedis cauſam.

IN Tobiae hiſtoriam adverſus foeneratores librum unum.

IN Job De interpellatione libri tres, continentes expoſitionem interpellationum, & querelarum, quibus Job toto paſſim volumine Deum interpellat.

IN Pſalterium libros undecim citat Tritemius, nec ipſi, nec mihi conſpectos: ſuperſunt nunc in ſexdecim Pſalmos Tractatus ſexdecim, ſinguli in ſingulos Pſalmos, videlicet in 1. 21. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 49. 61. 109.

ITEM in Pſalmum centeſimum decimum octavum, Tractatus 22.

IN Proverbiorum trigeſimum caput, De tribus problematibus, ſcitu difficillimis, librum unum, DE SALOMONE praenotatum.

IN Eſaiam Commentariorum librum unum, a B. Auguſtino in ſecundo libro adverſus Julianum, & in quarto libro contra duas epiſtolas Pelagianorum citatum.

IN Jeremiae 17. De Perdice clamante, ad Irenaeum epiſtolam unam.

IN illud Mich. 5. *Et tu Bethlehem terra Juda*, ad Horontianum epiſt. unam.

ATQUE hae ſunt, quas in vetus teſtamentum habemus Ambroſii lucubrationes: quae vero in novum extant, hae ſunt:

Ex

Digitized by Google

Ex variis Matthaei locis ſermones octo, hoc eſt,
IN Matth. cap. 4. De Chriſti jejunio, ſermo unus.
IN Matth.7. De Margarita, ſermo 1.
IN Matth.8. De Vulpibus foveas habentibus, ſermo 1.
IN Matth.14. De Petro ambulante ſuper aquas, ſermo 1.
IN Matth.18. De eo, qui major ſit in regno coelorum, ſermo 1.
IN Matth.19. De Camelo per foramen acus tranſeunte, ſermo 1.
IN Matth.22. De reddendis, quae ſunt Caeſaris Caeſari, ſermo 1.
IN Matth.27. De Juda proditore, ſermo 1.

IN Marcum commentariorum volumen, temporum culpa deperditum; ex quo Beda multa ſe decerpſiſſe teſtatur.

IN Lucae Evangelium commentariorum interruptae expoſitionis libri XI. juxta myſticam intelligentiam ſuccincte digeſti: de quibus Rufinus invectivarum libro 2. refert Hieronymum in praefatione homiliarum Origenis in Lucam, & in epiſtola quadam, cujus ipſe apud ſe haberet exemplar, ſcripſiſſe auctorem horum commentariorum ludere in verbis, & dormitare in ſenſibus: quod ego credederim magis a Rufino in odium Hieronymi confictum, quam ab Hieronymo talem prolatum eſſe judicium de eruditis, & eruditiſſimi viri commentariis: de quibus Acca, epiſcopus Cantabrigienſis, in epiſtola ad Bedam Venerabilem presbyterum ſcribit in hunc modum: SUNT quaedam in expoſitione beati Ambroſii in Lucam tam diſerta ſimul & excelſa, (quod tuam quoque ſanctitatem vidiſſe non ambigo) ut a doctioribus ſolum intelligi queant; a rudibus vero, faſtidioſisve lectoribus (quales in praeſenti aevo plures invenies) prae difficultate aſſequendi ea, quae diſerta ſunt, vel capiendi, quae alta, ne quaerenda quidem quaſi celſiora, nec quaſi ſe fortiora putentur eſſe ſcrutanda: nec parum dedit judicii doctiſſimus pater Auguſtinus, qui ad Paulinam, Dei famulam, de videndo Deo ſcribens, non aliis magis, quam ex hoc opere ſumptis beati Ambroſii teſtimoniis utendum putavit, & ea pariter non ſolum ponenda ſimpliciter, ſed etiam exponenda judicavit; adeo ut ex pauciſſimis memorati tractatoris ſententiolis non parvum volumen retractando confecerit: quaedam tamen S. Ambroſius in hoc opere indiſcuſſa praeteriit, quae illi, quaſi ſummae eruditionis viro, plana, nec quaeſitu digna videbantur. Hactenus Acca. Apparet hoc opus ab ipſo auctore non fuiſſe diviſum in libros, ſed perpetua continuationis ſerie exaratum: nam Auguſtinus, qui plurimis ubique ex hoc volumine teſtimoniis utitur, & praeſertim in libris adverſus Pelagianos, nuſquam libri alicujus numerum citat: conſtat tamen antiquam eſſe hanc, quam nunc habemus, operis in libros diviſionem ex ſexta Synodo Conſtantinopolitana; in cujus decima actione producitur Ambroſii auctoritas, nominatim ex ſexto libro commentariorum in Lucam citata.

SUPERSUNT etiam poſt hos commentarios in idem Evangelium ſermones ſeptem, videlicet.

IN Lucae caput ſextum De curatione manus aridae ſermo unus.
IN Luc.12. De homine, cujus ager fructus uberes tulit, ſermo unus, ex D. Baſilii in eundem locum oratione pene ad verbum translatus.
IN Luc.13. De grano ſinapis, ſermo 1.
IN idem caput De fermento, ſermo 1.
IN Luc.17. De fulgure ab oriente in occidentem emicante, ſermo 1.
IN Luc.23. De latrone ſermo 1.
DE negatione Petri ſermo 1.
DE ſepultura Domini ſermo 1.
IN Joannis 4. De Samaritana ſermo unus.
IN Joannis 9. De coeco nato ad Bellicium epiſtola una.
IN Joannis 19. De Chriſto accuſato ad Pilatum, ſermo unus.
IN illud Joannis 20. *Noli me tangere*, ſermo unus.

Inter VII. Ambroſianos Sermones In Lucam II. ordine, utpote ex Baſilii verbis concinnatus, haud numerandus occurrit, ut Xyſtina numeratio verificetur, eaque ex adcuratioribus editionibus hic retenta.

IN omnes Pauli epiſtolas libri XIIII. breves quidem in verbis, ſed ſententiarum pondere graves. (a)

(a) Falſo fuiſſe adſcriptos S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo Commentarios in Paulinas Epiſtolas con-

FERUNTUR quoque sub Ambrosii nomine in Apocalypsin commentaria, nuper Lutetiae impressa: sed praeterquam quod styli diversitas manifeste reclamat, multae sunt etiam toto opere insperſae Gregorii sententiae, quae opus ostendunt non esse Ambrosii: & auctor ipse in explanatione capitis 17. aperte fatetur se scripsisse post Romanum imperium, a Longobardis occupatum: quod plus quam ducentis annis post Ambrosium contigit. Opus incipit, *Beatum Joannem Apostolum*. (a)

CLARUIT Ambrosius sub Theodosio Magno circa annum Dom. CCCLXXX. cujus vitam Paulinus (b), Nolae episcopus, descripsit.

AMMONIUS Alexandrinus, Origenis Adamantii in philosophia praeceptor, vir disertus, & in saecularibus disciplinis eruditissimus, temporibus Alexandri Severi Imperatoris clarus, inter multa ingenii sui monumenta etiam de consonantia Mosis, & JESU elegans opus compositit: in quo omnia loca veteris & novae legis inter se conformia collegit. Volumen quoque confecit, quod HARMONIAM EVANGELICAM, seu MONOTESSARON, hoc est Unum ex quatuor, attitulavit: in quo veluti quadam catena ex quatuor incompletis Evangeliorum historiis unam integram perfectamque contexuit historiam; cujus initium est, *In principio erat Verbum*. Hunc falso accusat Porphyrius in tertio libro adversus Christianos, quod ex Christiano Ethnicus fuerit; cum constet eum usque ad extremam vitam Christianum perseverasse. Eundem Volaterranus libro 13. Antropologiae refert ex Suida, asinum, animalium omnium stupidissimum, habuisse doctrinae suae auditorem. Claruit sub Alexandro Mameae anno Dom. CCXX.

AMPHILOCHIUS, Iconii episcopus, qui Hieronymo librum a se editum de Spiritu Sancto legit, temporibus Theodosii Imperatoris, hoc est anno Domini CCCXC. scripsit plures eruditas ac disertas homilias, ex quibus apud Theodoretum in Dialogis Polymorphi has citatas inveni:

IN illud Matth. 26. *Transeat a me Calix iste*, homiliam unam.
IN peccatricem, quae Domini pedes unxit, & Pharisaeum, ex Luc. 7. hom. 1.
IN illud Joan. 5. *Non potest Filius a se ipso facere quidquam*, hom. 1.
IN illud Joan. 14. *Pater major me est*, hom. 1.
IN illud, *Qui sermonem meum audit, & credit ei*, hom. 1. (c)

ANA-

concors est omnium Criticorum sententia. At cuinam sint restituendi, dubium est; etsi universim eos adjudicent Hilario Sardo Romanae Ecclesiae Diacono, nec sine gravi momento, quia S. Augustinus *lib. 17. ad Bonifacium cap. 4.* sub nomine Hilarii laudat commentarium in hunc Apostoli locum; *In eo omnes peccavimus*, qui certe commentarius inter jam laudatos reperitur, nec alteri ab Hilario Sardo potest adjudicari, quum nec Hilario Arelatensi, qui post Augustinum floruit, nec Hilario Pictavienſi, cujus longe dissimilis est stylus, aliaque versio Scripturarum, possit adjudicari: quapropter nonnisi Hilario Sardo adcenseri possunt; conveniuntque in eo criterio temporis circumstantiae, eo quod laudet Damasum Papam, sub quo Romae fuit, ut patet ex *Comment. in Cap. III. I. ad Timoth.* „ Cum totus mundus Dei sit, Ecclesia „ tamen domus ejus dicenda, cujus hodie Rector „ est Damasus „. Et ita sentiunt quamplures Critici N. Natalis Alexander, Guillelmus Cave, & innumeri alii. Verum Dionysius Petavius vel ex eo eliminat Hilario Sardo Commentarios hosce, quia, nimirum, eorum author magnifice loquitur de Damaso, quod dici non potest de Hilario Sardo schismatico, qui ex parte Luciferianorum stetit, & ut S. Hieronymus scribit „ quique extra communionem Ecclesiae mortuus est „ idipsum quoque adstruit L. Elias Dupin; quod argumentum validum certe foret ablegandi ab Hilario laudatos Commentarios si certe quoque posset probari Hilarium non resipuisse e schismate, sed in pertinacia erroris diem clausisse extremum, quod utique nec Hieronymus, nec alii Vetores adseruerunt, & ex laudato Natale Alexandro probabilius est Hilarium resipuisse ab haeresi & schismate, Sanctaeque Romanae Sedi adhaesisse. Cujusvis autem sit opus, quampluribus scatet erroribus, quare nullimode potest S. Ambrosio adjudicari. Extra dubietatis aleam quoque est Commentarium in duo priora Capita Epistolae ad Hebraeos alterius authoris esse, quum sit excerptum ex Commentariis S. Johannis Chrysostomi. Videsis praecipue Cl. N. Natalem *Hist. Eccles. Sec. IV.* De hoc Hilario iterum infra redibit sermo in priori Elencho addito a nobis.

(a) Commentarii in Apocalypsin S. Johannis suppositicium ne dum, verum & spurium S. Ambrosii opus sunt judicandi, quum in eisdem non semel Gregorii M. dicta laudentur. In quamplurimis MSS. Codicibus Berengando inscribuntur. Quisnam autem hic Berengandus, an Berengarius Andegavensis (ut vult Balaeus) an alius quispiam? non satis liquet ex Judicio Guillelmi Cave, aliorumque. Du-Pinius autem adserit hunc esse Berengandum, quem Dionysius Carthusianus laudat cum Beda, & Aimonio in *Comment. Cap. X. Apocalypsis*. Sed quum de authore hujusce commentarii alibi sit actum, consule superius dicta, quibus haec addas.

(b) Paulinus Author vitae S. Ambrosii non est ille Nolanae Ecclesiae Episcopus, qui, ut Card. Baronius inquit, ad Superos evolavit Anno 431. sed alius, Diaconus nimirum S. Ambrosii, ut eruditi Critici una voce fatentur, & diserte tradit S. Isidorus *Lib. de Viris Illustribus*, constatque pariter ex stylo longe diverso ab illo Paulini Nolani.

(c) De Amphilochii operibus lege prae ceteris Dupinium, & novissimam editionem N. Francisci Combefisii.

Digitized by Google

ANASTASIUS, Antiochiae episcopus, propterea quod in Sinaï monte philosophatus sit, & sensum ibi carnis domuerit, SINAITAE cognomen adeptus, lucubrationes multas reliquit; è quibus Nicephorus refert se legisse librum eruditum in Psalmum sextum, quem in ingressu jejuniorum edidit. Claruit sub Mauritio Augusto, moriturque sub Phoca Imperatore in Antiochena urbe obtruncatus a Judaeis: qui, excitata seditione adversus Christianos, beatissimum hunc episcopum, e throno suo deturbatum, funeque pedibus alligato, per urbem tractum, foeda morte affecerunt: pudendas nanque naturae partes, inter trahendum ense excisas, in os ejus injecere: postea vero illum perinde, atque holocaustum quoddam, igni tradidere, virum sapientia & virtute praeclarum, anno Domini D.C. Ejus opera Graeca Romae in bibliotheca Palatina servantur. (a)

ANASTASIUS, Antiochiae episcopus, Anastasii Sinaïtae in episcopatu successor, vita & doctrina venerandus, edidit in Hexaemeron duodecim Graecos sermones, venustissimis allegoriis ornatos, qui in florentissima Venetiarum accademia servantur. Claruit anno Domini D.CX.

ANDREAS Bilius, Mediolanensis, ordinis Eremitarum, philosophus & theologus, Graece ac Latine doctus, reliquit in Hexaemeron insignem commentarium; qui una cum aliis eruditissimis ejus operibus nondum impressis in bibliotheca Marciana Mediolani habetur. Claruit sub Sigismundo Imperatore anno Domini M. CCCCXXXIIII.

ANDREAS, Archiepiscopus Caesareae Cappadociae, natione Graecus, elaboravit Graeco eloquio in Apocalypsin opus insigne, quod in 24. partes, seu conciones, & has in 72. capita aptissime divisit: numerus enim 24. ter repetitus, producit 72. Caeterum numerum 24. assumpsit propter 24. seniores, qui in Apocalypsi nominantur, qui signum sunt eorum, qui Deo bene placuerunt ab initio saeculi usque ad consummationem. Triplicavit vero hunc numerum in capitulis non inconsiderate, sed propterea, quia hi, qui Deo placuerunt, tripartitam habuerunt hypostasin, nempe animam, corpus, & spiritum ad delineandam appropriationem omnipotentis Trinitatis. Claruit, ut arbitror, ante annos mille.

ANDREAS, Cretae episcopus, complures scripsit Graecos sermones: de quibus celebris est in Lazarum quatriduanum sermo. (b)

ANDREAS, Hierosolymitanus episcopus, scripsit Graeco sermone in annunciationem Deiparae Virginis, ac salutationem ex Lucae capite primo luculentissimam orationem; quae incipit, *Adest hodie gaudium omnium*. (c)

ANDREAS Gallus, ordinis Praedicatorum, scripsit in quatuor libros Regum scholasticam Postillam; cujus auctoritatem Lyranus in decimo capite primi Regum in medium allatam refellit.

ANDREAS Placus scripsit difficiliorum tam Graecarum, quam Hebraearum, caeterarumque peregrinarum dictionum, quae in sacris literis habentur, interpretationem, sive dictionarium.

ANGELOMUS, Monachus Luxovienſis, ordinis Sancti Benedicti, vir in divinis scripturis nobile sortitus ingenium, jussu Drogonis, episcopi Metensis, & Caroli Magni Imperatoris filii, collegit ex commentariis veterum patrum pium & eruditum opus, videlicet in quatuor libros Regum Stromaton libros 4. cujus initium est, *Viginti duas*: item ad Lotharium Imperatorem Ludovici Imperaris filium Stromaticam explanationem in Cantica ejusdem generis, cujus initium est, *Prius, quam Augustale decus*. Claruit anno Domini M. CCCXXX.

(a) Opera Anastasii Sinaitae post obitum N. Sixti fuerunt typis mandata, quaedam Ingolstadii a Grethsero, & Turriano, quaedam Londini ab Halloixio, quaedam Parisiis a Cotelerio, & quaedam alibi ab aliis, nimirum a N. Combefisio, & Gentiano Herveto. Vide autem Tom. IX. Bibliothecae Veterum Patrum, ubi Latine extant plura ipsius opera. Consule itidem Guillelmum Cave, apud quem etiam reperies hujusce Graeci Authoris ἀνέκδοτα, & deperdita. Apud eundem quoque Criticum reperies alia opera edita ab altero Sinaita Anastasio hujusce successore, cujus immediate meminit N. Sixtus.

(b) Andreas Cretensis plura alia edidit opuscula, quae N. Cl. Franciscus Combefisius sua editione ornavit Parisiis 1644. & 1648. Alias itidem editiones Grethseri, Petavii, aliorumque consule apud Guillelmum Cave hac in re nimis adcuratum.

(c) Andreas Hierosolymitanus, quem N. Sixtus laudat, alius non est ab Andrea Cretensi nuper laudato: Hic quippe Damascenus oriundus, primum Monachus Hierosolymitanus, deinde ex Diacono, & Orphanotropho Constantinopolitano Episcopus Cretensis, plura edidit opera, quae inter est Homilia in Annunciatione Deiparae. Vide Combefisium.

Digitized by Google

ANSELMUS Laudunenſis, Gallus, cognomento Scholaſticus, in divinis ſcripturis & ſacrorum doctorum voluminibus jugi ſtudio eruditus, & in omnibus diſciplinis non mediocriter inſtructus, ingenio acutus, eloquio preſſus, & Laconicae cujuſdam brevitatis imitator, novo & inuſitato explanationis modo utriuſque teſtamenti libros ex breviſſimis quibuſdam patrum annotatiunculis expoſuit, quas minutiſſimis characteribus deſcriptas, inter ipſas ſcripturarum lineas majoribus literis exaratas, non minus curioſa, quam utili induſtria, artificioſiſſime coaptavit; eumque laborem ad differentiam Gloſſae Strabenſis, quae in marginibus ſacrorum codicum deſcribi ſolet, Gloſſam interlinearem appellavit. Claruit ſub Henrico IIII. Imperatore anno Domini M.CX.

ANSELMUS Cantuarienſis, in Anglia epiſcopus, abbas quondam monaſterii Becenſis, ordinis Benedictini, Lanfranci archiepiſcopi Cantuarienſis diſcipulus, vir tam divinis, quam humanis diſciplinis nobiliter excultus, ſtylo mire ſimplici & puro, ſed non injocundo, inter alia monumenta ſua reliquit infraſcripta volumina,

IN Heptateuchum, hoc eſt, in priora ſeptem divinae ſcripturae volumina libros ſeptem.

IN Hexaemeron librum unum, a Tritemio citatum.

IN Canticum Canticorum librum unum, qui incipit; *In initiis librorum cauſae dicendae ſunt*. (a)

IN varios Evangeliorum locos homilias plurimas.

IN Paulum Apoſtolum commentarios, quorum initium eſt, *De epiſtolis Pauli Apoſtoli adjuvante Domino locuturi*: hos in vetuſtis exemplaribus Herveo Monacho inſcriptos invenimus.

CLARUIT ſub Henrico Imperatore III. anno Domini M. LXXX. Ejus vitam Eadmerus Anglus monachus conſcripſit.

ANSELMUS, Epiſcopus Lucenſis, vir morum ſanctitate, & divinarum atque humanarum rerum eruditione praecipuus, Gregorii Soannenſis Papae VII. cooperator indefeſſus, & contra Gilbertum Antipapam ei ab Henrico IIII. Imperatore per vim ſubordinatum propugnator acerrimus, edidit in omnes Davidicos Pſalmos librum unum, & in Jeremiam Prophetam explanationis librum alterum. Claruit ſub Henrico IIII. anno Domini M. LXXX.

ANSELMUS, Mantuae epiſcopus, ſanctitate & eruditione clarus, hortante illuſtriſſima foemina Mathilde, Pſalterium a principio libri uſque ad verſiculum Pſalmi 117. *Benediximus vobis de domo Domini*, breviter ac dilucide expoſuit. Lamentationes etiam Jeremiae conſimili ſtudio proſecutus. Moritur anno Domini milleſimo octogeſimo ſexto, epiſcopatus ſui anno tertio decimo, ſepultus Mantuae in templo D. Petri. (b)

ANTIOCHUS, Epiſcopus urbis Ptolemaidos, vir ingenii rari, eruditionis, & eloquentiae ſummae, cui Anianus, vetuſtiſſimus Joannis Chryſoſtomi interpres, plauſibilem dicendi pompam aſcribit, inter alia nobilis ingenii ſui monumenta reliquit in caput Joannis nonum De illuminatione caeci nati luculentiſſimam orationem, compunctione timoris Dei, & humilitate plenam. Claruit ſub Theodoſio, & Arcadio Auguſtis anno Domini CCCXC.

ANTIOCHUS Monachus, Graecus, in divinis ſcripturis valde eruditus, collegit inſigne opus, in tres & ſexaginta ſermones diſtinctum: quod PANDECTAS praenotavit, comprehendens expoſitiones diverſorum praeſtantiſſimorum pa-

(a) Tria opera nuper ab Authore adjudicata Anſelmo Cantuarienſi, videlicet *Heptateuchum*, *Hexaemeron*, & *in Cantica* univerſim aut Herveo, aut Anſelmo Laudunenſi tribuuntur. Vide praeſertim noviſſimam editionem PP. BB. Judicium autem, quod N. Sixtus profert de Authore Commentariorum in Epiſtolas Paulinas rectum eſt, & ita pariter ſentiunt ceteri eruditi Critici. Videſis etiam Card. Bellarminum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*.

(b) Anſelmus Mantuanus idem omnino eſt ac Anſelmus Lucenſis: Natus quippe Mantuae, ad Lucenſem Eccleſiam fuit adſumtus: quare ex duplici ſolo, nativitatis, videlicet, & Epiſcopatus ex uno duos Anſelmos fecit N. Xyſtus, quia operum ſuorum mole oppreſſus facillime non advertit quod Critici omnes adnotarunt: nec mirum, quandoque enim bonus dormitat Homerus. Opera autem, quae Anſelmo Lucenſi idem Xyſtus adcenſet, ea ſunt, quae ab Trithemio eidem adjudicantur, etſi ab aliis eadem non commemorentur; quare non horumce ſilentio, ſed Trithemii teſtimonio ſtandum omnino reor: cui namque facilius innoteſcere poterant Benedictini Scriptoris opera quam Trithemio ejuſdem Ordinis non ignobili Hiſtorico? Ut ergo jus unicuique ſervemus inlaeſum eadem opera Anſelmo Lucenſi, ſeu Mantuano iterum iterumque adjudicamus.

Digitized by Google

patrum in Decalogum, una cum reprobationibus omnium haereſeon, quae adverſus Decalogum emerſerunt. Hic quo tempore claruerit, nondum reperi. (a)

ANTIPATER, Boſtrenſis epiſcopus, qui refutationem compoſuit apologiae, pro Origene ab Euſebio conſcriptae, edidit homilias plures; inter alias vero ſuper Matthaei capitulo nono de muliere, ſanguinis fluore laborante, homiliam unam: cujus initium eſt, *Quod Judaeorum vocationem*, citatur in ſecunda Synodo Nicaena, actione quarta.

ANTONINUS, Archiepiſcopus Florentinus, ex ordine Praedicatorum, multorum operum ſcriptor, conſarcinavit in primum Lucae caput de annunciatione, ſalutatione Angelica, & cantico Mariae vaſtae prolixitatis volumen, ſcholaſtica methodo & ſtylo diſpoſitum; ipſumque poſtea in fine poſtremae partis Summae ſuae collocavit: edidit item in hiſtoriam duorum diſcipulorum, euntium in Emmaus, Trialogum: in quo, colloquentibus ad invicem Chriſto in habitu viatoris & Cleopa & Amaone, omnia vaticinia, oracula, atque praeſagia declarantur, quae de vita, & morte, ac reſurrectione Chriſti in veteri teſtamento ſcripta ſunt. Opus incipit, *Incipiens a Moſe*, Claruit anno Domini M. CCCCLX.

ANTONIUS Bitontinus, Minorita, collegit ex Nicolao Lyrenſi poſtillam in omnes lectiones veteris ac novi Teſtamenti, quae per totum annum recitantur, additis de ſuo non prorſus abjiciendis quaeſtiunculis.

ANTONIUS Bruichius a Konigſtein, obſervantiae regularis S. Franciſci apud Noviomagum guardianus, collegit breve Evangeliorum Monoteſſaron, ex quatuor Evangeliſtis decentiſſimo ordine deſumptum: idemque ſcripſit in quatuor Evangelia libros quatuor enarrationum, ſtylo fere ſcholaſtico, ſed aliquantulum cultiore: ſed & in aliquot D. Pauli epiſtolas commentaria edidit, quorum initium eſt, *Evangelicum munus*, &c. facturus id ipſum in reliquas omnes, ſi diutius vixiſſet: moritur enim ex laterum dolore anno Domini M.D.XLI.

ANTONIUS de Ghislandis de Javeno, Thaurinenſis, Inquiſitor haereticae pravitatis, ordinis Praedicatorum, ſcripſit opus quaeſtiuncularum decem millium ſuper Evangelia totius anni: ejus initium eſt, *Rev. domino Joanni Ludovico*. Claruit anno Domini M.CCCCXC.

ANTONIUS Guevara, ex monacho Franciſcano epiſcopus Mendonenſis, Alavae Hiſpaniae urbe natus, Caroli V. Auguſti concionator, & chroniſta, ſcripſit cultiore Hiſpanica lingua in hiſtoriam dominicae paſſionis, ex quatuor evangeliis collectam, opus eruditiſſimum, cui MONTIS CALVARII titulum fecit, tomis duobus diviſum: exaravit etiam in varios divinae ſcripturae locos venuſtiſſima colloquia, quae ob ſermonis elegantiam, & argutam ſententiarum gravitatem una cum caeteris ejus opuſculis Galli, Germani, Italique in ſuas quique linguas tranſtulerunt. Claruit anno Domini M.D.XL.

ANTONIUS Honcala, Hiſpanus, patria Languenſis, canonicus Eccleſiae Abulenſis, pie doctus, elegantiſſima commentaria in Geneſim emiſit anno Domini M. D. LVIII.

ANTONIUS Marinarius, Carmelita, ſcripſit de conſonantia Jesu Chriſti, & Prophetarum libros tres, ad intelligenda vaticinia Prophetarum non incommodos. Claruit anno Domini M D.XLI.

ANTONIUS Nebriſſenſis, ex Nebriſſa, oppido nobili in Bethica, annotationes edidit in locos quoſdam ſubobſcuros tam veteris, quam novi Teſtamenti.

ANTONIUS Puccius, Florentinus, cardinalis titulo ſanctorum quatuor coronatorum, major poenitentiarius, ſcripſit in verba conſecrationis, ex quatuor Evangeliſtis deſumpta, homilias 14. non minus eruditas, quam pias; quarum initium eſt, *Cum ſit cuique natura tributum*. Claruit anno Domini M.D.XLVIII.

ANTONIUS Rampegolus, Januenſis, Eremitanus, profeſſione ſcholaſticus, ſcripſit ad juvenes ordinis ſui ſtudentes in coenobio Neapolitano ſuper variis

(a) Antiochus Monachus Paleſtinus in celeberrimo S. Sabae Monaſterio, *Laura* dicto, claruit Anno DCXIV. & ſuperſtes fuit An. DCXXIX. ut conſtat ex ejus Homilia ultima, ubi indignatur prenſatam ab Athanaſio haeretico ſedem Anthiochenam. Ejus opera Latine reddidit Godefridus Tilmannus in Biblioth. Vett. PP. Pariſiis 1575. adeſt etiam eorumdem operum Latina editio peracta ab Frontone Ducaeo in *Bibliotheca* Pariſ. 1624.

Digitized by Google

riis veteris teſtamenti locis rude opuſculum, in quo omnes pene ſacras hiſtorias trito eloquio moraliter exponens, ſingulas ad ſingulas morales virtutes accommodavit. Inſcriptio operis eſt FIGURAE BIBLIAE, initium autem, *Religioſis viris in Chriſto*. Claruit in concilio Conſtantienſi adverſus Huſſitas haereticos diſputans, ſub Sigiſmundo Imperatore anno Domini M.CCCCXVIII. (a)

APION Graecae facundiae profeſſor, & ſacrarum literarum amator, ſub Severo Imperatore anno Domini CC. conſcripſit in Hexaemeron tractatus ſex, eruditos quidem, ſed in nonnullis a recta fidei regula aliquantulum recedentes.

APOLLINARIUS Antiquior, in Laodicena Syriae Eccleſia presbyterii dignitatem adeptus, graecarum literarum doctor, & grammaticae artis profeſſor, genere fuit Alexandrinus: hic primum Berythi docuit, deinde Laodiceam migravit; ibique, uxore ducta, filium Apollinarium habuit, ejuſdem poſtea Eccleſiae epiſcopum: cum quo multis annis vixit, ſacra communione interdictus a Theodoro Laodiceno epiſcopo, & a Gregorio ejus ſucceſſore, vel quod cum his nollet convenire, qui filium Dei Homiuſion, & non Homouſion docerent; vel quod Epiphanio Sophiſtae, cujus erat nomen Chriſtianis ſuſpectum, & epiſcopis odioſum, nimia familiaritate junctus eſſet. Cum igitur Julianus Apoſtata legem tuliſſet, qua Chriſtianis omnes Graecas diſciplinas & inſtitutiones vetabat, affirmans non decere eos ab his doctrinis utilitatem capere, quas ipſi pro fabulis traducerent, & quas inde petitis armis oppugnarent: Apollinarius univerſum fere vetus ac novum teſtamentum variis carminum generibus elegantiſſime reddidit; ut pueri, pro Graecis diſciplinis illa diſcentes, & Graecae linguae, & carminum peritiam conſequerentur. Feruntur autem ſacra ipſius poëmata nominatim fuiſſe talia.

Julianus Apoſtata interdixit Chriſtianis lectionem Gentilium Scriptorum.

AB exordio mundi uſque ad regnum Saulis heroici carminis libri viginti quatuor, ſinguli ſingulis viginti quatuor alphabeti literis inſcripti ſecundum Homericam conſuetudinem.

A MORTE Saulis uſque ad finem veteris teſtamenti variarum hiſtoriarum libri viginti, partim Lyrico metro ad formam Pindari, partim in morem comoediarum Menandri, & tragoediarum Euripidis elaborati.

ENCYCLICARUM lectionum, hoc eſt Earum, quae per anni circulum ex utroque teſtamento in Eccleſia leguntur, libri duo, omni carminum varietate diſpoſiti.

PARAPHRASEOS in Pſalterium liber unus, quae nuper hexametro verſu impreſſa ſic incipit,

Ὀλβίος ὃ πεπόρυται δυσσεβέων ἐπὶ βουλῇ, hoc eſt,
Felix qui non adiit impiorum concilium.

Jovinianus legem a Juliano latam abrogans, indulget Chriſtianis Ethnicorum lectionem.

HIS poëmatibus uſi ſunt Chriſtiani in locum Homeri, & aliorum poëtarum, donec Jovinianus Auguſtus legem ſtatueret, ut Chriſtiani literis gentium imbuerentur, quo facilius gentilium errores expugnarent, adverſus ipſos ipſorum armis utentes. Sozomenus libro 5. hiſtoriae de Apollinarii laboribus judicium protulit in his verbis: APOLLINARIUS parvo tempore lucubrationes compoſuit numero, virtute, conſcriptione, charactere, & diſpoſitione antiquis Graecis valde pares; & niſi vetuſtatem homines honorarent, &, quae ſunt in uſu, grata crederent, (ut ego reor) aequa veteribus Apollinarii opuſcula decreviſſent. Claruit anno Domini CCCLX. (b)

APOLLINARIUS Junior, Laodicenae Eccleſiae in Syria divinarum ſcripturarum lector, & poſtea epiſcopus, Apollinarii Senioris ejuſdem Eccleſiae presbyteri filius, ab ineunte aetate oratoriis artibus, quarum poſtea profeſſor fuit, nobiliſſime imbutus eſt ab Epiphanio, clariſſimo ejus ſaeculi Sophiſta: ob cujus etiam intimam conſuetudinem conſortio fidelium diu interdictus fuit a duobus Eccleſiae ſuae praedeceſſoribus epiſcopis, Theodoto videlicet, & Gregorio: ſed cum Julianus Imperator Graecarum literarum ſtudia Chriſtianis inhibuiſſet, ille, relicto Ephiphanio, ſe totum ſacris literis addixit: in quibus cum & acumine ingenii,

(a) Antonii Rampelogi Figurae Bibliorum prohibentur in Indice Romano donec expurgentur.

(b) Apollinarius uterque inter haereticos adnumerandus jure merito eſt, quia Verbum adſumſiſſe corpus ſine anima docuit primum, deinde animam ſine mente adſumſiſſe, Verbo vicem mentis ſupplente, effutiit. Vide N. Natalem, alioſque.

Digitized by Google

genii, & assidua exercitatione brevi tempore plurimum profeciſſet; Evangelica primum & Apoſtolica dogmata ad formam dialogorum juxta Platonis exemplum apud Graecos redegit, hac arte Imperatoris astum eludens: deinde majora aggreſſus, tantam edidit pro Chriſtiana fide voluminum multitudinem, ut recte de eo D.Baſilius dixerit, Apollinarium repleviſſe libris ſuis univerſum orbem terrarum. Hieronymus, ejus in divinis literis diſcipulus, teſtatur eum ſcripſiſſe in omnes fere ſanctos libros non aſpernanda quidem commentaria, ſed tanta brevitate perſtricta, ut magis quaſdam expoſitionum notulas, quam expoſitiones ipſas annotaverit. SIC enim, ait, expoſuit omnia, ut univerſa tranſcurrat, & punctis quibuſdam, atque intervallis, immo compendiis, grandis viae ſpacia praetervolet; ut non tam commentarios, quam indices capitulorum collegiſſe videatur: unde ob nimiam brevitatem, ſenſus magis tangentem, quam explicantem, lectorem ad perfectam intelligentiam ducere non potuit: quod & ipſe agnoſcens, cum jam ſenior eſſet, rogantibus amicis commentarios dedit in aliquot Prophetas aliquanto fuſiores ab his, quos juvenis in eoſdem Prophetas perſtrinxerat.

SCRIPSIT quoque adverſus inſanum Porphyrium libros triginta, caeteris ejus operibus omnium judicio ſuperiores: inter quos grande volumen, hoc eſt vigeſimum ſextum librum compoſuit pro defenſione libri Danielis: adverſus quem Porphyrius duodecimum librum de quindecim libris, contra ſanctas Chriſtianas ſcripturas a ſe editis, conſcripſit. Secutus eſt autem in expoſitionibus ſuis aliquando Symmachi verſionem, aliquando vero editionem quandam ex omnibus editionibus a ſe ipſo conflatam: de qua Hieronymus in ſecundo contra Rufinum libro, APOLLINARIUS, inquit, bono quidem animo, ſed non ſecundum ſcientiam de omnium translationibus in unum veſtimentum pannos aſſuere conatus eſt, & conſequentiam ſcripturae non ex regula veritatis, ſed ex ſuo judicio texere. Et iterum in commentariis duodecimi capituli Eccleſiaſtis, LAODICENUS, ait, Symmachi interpretationem ſecutus, nec Judaeis placere poteſt, nec Chriſtianis, dum & ab Hebraeis procul eſt, & Septuaginta interpretationem ſequi dedignatur. Accuſatus eſt etiam Apollinarius a multis non contemnendi nominis ſcriptoribus, quod in errore fuerit Millenariorum, quod in Trinitate introduxerit magnum, majus, maximum, Spiritum ſcilicet appellans magnum, Filium majorem, Patrem vero maximum: item quod de Chriſti incarnatione non recte ſenſerit, exiſtimans eum carnem attuliſſe de coelo, & rationali anima caruiſſe, ſupplente divinitate rationalis partis officium: ſed, cum plerique graviſſimi auctores, inter quos Theophilus Alexandrinus epiſcopus, ejus nomini maxime infenſus, referant illum Arrianos, Eunomianos, Origeniſtas, multaſque alias haereticorum ſectas multis voluminibus evertiſſe: credibile eſt has haereſes a diſcipulis ſuis excogitatas; qui, ut eis fidem conciliarent, magiſtro impoſuerunt, quod ipſi, ut Epiphanius in tertio Panarii libro teſtis eſt, neque ab ipſo didicerant, neque audiverant. Claruit ſub Gratiano Auguſto anno Domini CCCLXXX.

APONIUS, vir in ſacris literis diſertiſſimus, ſcripſit in Canticum Canticorum juxta Septuaginta editionem ad Armenium Presbyterum libros ſex; in quibus allegorico ſenſu Chriſti & Eccleſiae nuptias exactiſſime deſcripſit: hos Lucas, abbas Montis S.Cornelii, in epitomen contraxit: ſed & Angelomus Monachus in Stromatis Canticorum, a ſe editis, locos plurimos ex his decerpſit, non diſſimulato auctoris nomine. Operis initium eſt, *Magno quidem illo beatitudinis exemplo*. Claruit ſub Ludovico Imperatore anno ſalutis noſtrae D.CCCX.

APRIGIUS Hiſpanus, Pacenſis urbis in Hiſpania epiſcopus, in ſaecularibus diſciplinis exacte doctus, eloquentia eximius, & ſanctarum ſcripturarum omnium ſui ſaeculi peritiſſimus, & in explanatione divinorum voluminum nulli veterum patrum ſecundus, edidit ſub Juſtiniano Auguſto circiter annum Domini D.XXX. doctiſſimos ac venuſtiſſimos in Cantica Canticorum, & in Apocalypſin commentarios.

AQUILA, Rabbi Akibae diſcipulus, ſecundus divinorum voluminum Graecus interpres, curioſus & diligens, natione Ponticus, patria Synopaeus, vir utriuſque matheſeos peritiſſimus, & ob id Hadriano Auguſto charus; a quo etiam conſtitutus eſt praefectus operum ad extruendam urbem Hieroſolymam, a Tito di-

Digitized by Google

dirutam. Hic, inquam, cum, urbe inſtaurata diſcipuli Apoſtolorum in ea Evangelium praedicarent, in Chriſtum credidit, & baptizatus eſt: ſed, cum nimium Genethliacis intentus, quotidie geniturarum poſitiones, inſpecto naſcentium horoſcopo, deſignaret, atque ob id a patribus increpatus non deſiſteret, ſed potius ſeſe eis contumelioſe opponeret, ab ipſis de Eccleſia pulſus eſt: quam ille ignominiam ultra, quam dici poteſt, graviter moleſteque ferens, abnegato Chriſtianiſmo, proſelytus efficitur, & apud Judaeos circunciditur, brevique edoctus Hebraeorum linguam, interpretatus eſt Graece divinas ſcripturas de verbo ad verbum; irruens in LXXII. interpretum translationem, ut nonnulla teſtimonia de Chriſto in ſcripturis prolata, & ab eis translata aliter ederet, ſicque acceptam confuſionem ulciſceretur: ejus editio, ut Hieronymus in principio Hebraïcarum quaeſtionum, & Severianus Gabalenſis epiſcopus in exordio Hexaemeron annotarunt, hoc habebat initium.

Ἐν κεφαλίδι ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν· ἡ δὲ γῆ ἦν κενότης, καὶ ἀδὲς, hoc eſt, *IN capitulo, vel in ſumma, fecit Deus coelum, & terram: terra vero erat inanitas, & nihil.*

CLARUIT, ut Epiphanius ſcribit, ſub Hadriano Auguſto anno Domini CXX. ut autem Hieronymus in tertio commentario Eſaiae autumat, floruit multis annis ante ultimam captivitatem Judaïcam, fuitque Rabbi Akibae, qui ante Chriſtum vixit, diſcipulus.

ARATOR, ſanctae Romanae Eccleſiae cardinalis ſubdiaconus, poëta inſignis, ſub Juſtiniano Imperatore anno Domini D.XL. ſcripſit elegantiſſimis carminibus Apoſtolicae hiſtoriae libros duos: in quibus hexametro verſu cecinit quaecunque Lucas Evangeliſta in actibus Apoſtolorum ſoluta oratione conſcripſit, intermiſtis operi ſuo innumeris ac venuſtis allegoriarum floribus, quos Beda Venerabilis presbyter in unum colligens, commentarios ſuos in actus Apoſtolorum eorum elegantia exornavit. Horum librorum volumen cum Arator ipſe Vigilio Papae ante confeſſionem S.Petri VII. Idus Aprilis in corona multorum epiſcoporum obtuliſſet, id ipſum clara voce coram omnibus recitare a Pontifice juſſus eſt: ſed, cum jam horae tempus praeteriiſſet, Vigilius Papa codicem Surgentio venerabili primicerio in ſcrinio locandum tradidit, ut ejus lectionem vacante tempore perficeret, obnixe efflagitantibus omnibus, ut liber publice coram omnibus ex integro legeretur, annuente Pontifice, intra Eccleſiam Sancti Petri ad vincula in magna doctiſſimorum omnium frequentia, ipſo Aratore diſtinctis verbis recitante, ambo libri quatuor vicibus ſunt auditi; cum uno die unius tantum libri dimidium vix legi poſſet ob aſſiduas repetitiones, quas auditores fauſtis crebriſque acclamationibus expetebant. Operis initium eſt,

UT ſceleris Judaea ſui polluta cruore.

ARETHAS, Caeſareae Cappadociae epiſcopus, collegit brevem quandam explicationem in Apocalypſim; quam ex commentariis divinitus inſtitutis beatiſſimi Andreae, archiepiſcopi Caeſareae Cappadociae, in ordinem redegit: ejus initium eſt, *Sciendum, quod univerſum, &c.* Joannes Hentennius Hieronymianus hoc opus latinum fecit.

ARIBO (a), Moguntinus archiepiſcopus decimus nonus poſt S.Bonifacium martyrem, vir divinae legis ſtudio clariſſimus, cujus juſſu Synodus Provincialis apud Salgenſtadium in Germania ſub Conrado Juniore Auguſto collecta eſt, ſcripſit librum unum in 15. Pſalmos graduum. Claruit ſub Conrado Imperatore Juniore anno Domini M.XXXI.

ARISTOBULUS Antiquior, natione Judaeus, ex Paneade Phoeniciae urbe, quae Caeſarea Palaeſtinae, vel Philippi dicitur, Agathobuli Judaei viri ſapientiſſimi, qui & ipſe in Pentateuchum ſcripſit, diſcipulus, vir ſingulari doctrina & ſanctitate celebris, unus ex illis ſeptuaginta ſenioribus fuit, qui ab Eleazaro Hieroſolymitano Pontifice miſſi ſunt ad Ptolemaeum Philadelphum, ſecundum regem AEgypti, ut Hebraïcos divinae legis libros in Graecam linguam transferrent; multaque ex traditionibus Moſis proponenti regi percontantique reſponderunt:

(a) Aribo, aliis CYRINUS, & HAERES, Monachus Benedictinus primum certe Fiſingenſis Epiſcopus fuit, & tandem Moguntinus Archiepiſcopus. Vide Joh. Mobillonium *Sec. III. Benedict. P.I.*

Digitized by Google

derunt: is ergo edidit in Pentateuchum Graeco ſermone ad Ptolemaeum Philadelphum Quaeſtionum libros quinque, quorum Anatolius, Laodicenus epiſcopus, mentionem fecit in libro de Paſchate, ex quo Euſebius in ſeptimo Eccleſiaſticae hiſtoriae longum teſtimonium profert, Ariſtobuli verba complectens. Claruit olympiade 124. hoc eſt anno ante Chriſti adventum CCCL. (a)

ARISTOBULUS Junior, gente Hebraeus, de genere ſacerdotum, Ptolaemei Philometoris ſexti regis AEgypti praeceptor, profeſſione philoſophus, ſecta Peripateticus, ſed ante omnia ſanctarum ſcripturarum eruditione a teneris annis imbutus, ſcripſit Graeco diſertoque eloquio ad Ptolemaeum Philometorem regem, diſcipulum ſuum, in Pentateuchum Moſis commentarios, doctrina & eloquentia praeſtantiſſimos: in quibus oſtendit univerſam peripateticam philoſophiam fuiſſe ex lege Moſaïca hauſtam. Meminit horum Clemens in quinto libro Stromatum, & Euſebius in octavo De praeparatione Evangelica, & in Chronicis. Extat ad hunc Ariſtobulum epiſtola, in principio ſecundi libri Maccabaeorum praefixa, quam Senatus, populusque Hieroſolymitanus ad ipſum tranſmiſit in haec verba: POPULUS, qui eſt in Hieroſolymis & Judaea, Senatuſque, & Judas Ariſtobulo, magiſtro Ptolemaei regis, qui eſt de genere Chriſtorum ſacerdotum, & his, qui in AEgypto ſunt, Judaeis ſalutem & ſanitatem. DE magnis &c. Claruit ſub eodem Ptolemaeo Philometore olympiade 151. hoc eſt anno ante Chriſtum natum CCXV.

Philoſophia Peripatetica ex libris Moyſis hauſta.

II. Mac. 1. 10.

ARLOTTUS, Miniſter generalis ordinis Minorum, natione Thuſcus, vir egregie doctus, & diſputator acutus, collegit librum inſcriptum CONCORDANTIAS VETERIS, AC NOVI TESTAMENTI: in quo teſtimonia utriuſque teſtamenti ſibi invicem conſona decenti ordine coaptavit. Claruit ſub Adolpho Imperatore anno Domini M. CCXC.

ARMANDUS Belloviſus Dominicanus, cujus extat opus difficilium terminorum tam philoſophiae, quam theologiae, ſcripſit in Pſalmos Scholaſticam poſtillam.

ARNOBIUS Afer, qui ſub Diocletiano Auguſto in urbe Africae Sicca florentiſſime rhetoricam docuit, & inter caeteros juvenes, quos ad declamandum exercebat, Lactantium Firmianum magno excellentique ingenio & eloquio diſcipulum habuit, cum adhuc ethnicus ad fidem Chriſti occultis inſpirationibus vocaretur, & ad credulitatem quodammodo compelleretur, ab epiſcopis Africae ſacramentum regenerationis efflagitavit: quem cum illi rejicerent, veriti, ne vir, ſaeculari eloquentia tumens, religioni Chriſtianae, quam ſemper oppugnaverat, illudere vellet, obtulit eis in argumentum ſinceritatis ſuae praeſtantiſſima adverſus priſtinam religionem diſputationum volumina, tanquam fidei ſuae obſides; quo tam fauſto pignore in Eccleſiam receptus, nonnullas poſtea in divina ſcripta dicitur reliquiſſe lucubrationes; e quibus Tritemius commentaria in Pſalterium recenſuit: quorum tamen Hieronymus, Arnobii opera indicans, non meminit. Extant parvi quidam ac breviſſimi in omnes Pſalmos commentarii juxta tropicum & allegoricum ſenſum, quos Eraſmus Roterodamus typis Frobenianis impreſſos emiſit cum praefatione Arnobii cujuſdam, ad Laurentium & Ruſticum epiſcopos conſcriptos, adjecta nuncupatoria epiſtola, qua multis argumentis contendit, opus extra ullam controverſiam eſſe Arnobii illius celebratiſſimi rhetoris. Caeterum ſtylus inconditus, ac ſermo, innumeris ſoloeciſmis & barbariſmis ſcatens, palam arguit auctorem magis, quam coelum, a terra diſtare ab Arnobio illo, cujus nunc habemus ſeptem facundiſſimos contra gentes libros: quos licet Hieronymus, ad Paulinum ſcribens, reprehendat, veluti ſermone inaequales, & nimios, ac ſine ulla totius operis partitione confuſos; aliàs tamen luculentiſſimos & a florentiſſimo rhetore feliciter elaboratos fatetur. Neque admodum mihi ſatisfacit, quod Eraſmus ad excuſandam ſtyli diverſitatem affert, nimirum de induſtria voluiſſe Arnobium ſeſe in his commentariis ad infimae plebis orationem dejicere, ut, depoſito omni eloquentiae faſtu, ſe toto pectore Chriſtianum declararet apud eos, qui perſuaderi non poterant illum ſincero animo profiteri Chriſtianam religio-

Cautela veterum PP. in admittendis Ethnicis ad baptiſmum.

Septem libros tantum contra gentes ſcripſiſſe Arnobium teſtatur Hieronymus in epiſtola ad Magnum: qui vero nūc poſt ſeptem adjectus eſt, & octavus inſcribitur, dialogus eſt ejuſdem argumēti, ſed non ejuſdem corporis pars, & ejuſdem operis liber.

(a) Quae ad Criticen Graecae editionis LXXII. interpretum ſpectant infra expendentur. *V. Septuaginta duo*, ne fruſtra eandem reordiar telam.

Digitized by Google

gionem: quod etsi fieri potuisse non abnuam, temporum tamen diversitas evidentissime ostendit utriusque Arnobii discrimen: siquidem hunc Arnobium, Psalmorum interpretem, longe post alterum Arnobium fuisse facile deprehendi potest ex expositione Psalmi 109. in qua nominatim refellitur Photinus, Hebionitarum haereseos instaurator: fieri autem non potest, ut Arnobius, qui Lactantium adhuc juvenem sub Diocletiano principe, hoc est circa annum Domini CCXC. discipulum habuit, Photini haeresin audiverit: qui, ut ex quinto libro historiae tripartitae, & ex Hieronymo tam in catalogo, quam in chronicis colligitur, impietatem sui dogmatis docere coepit anno Domini CCCLVIII. hoc est anno trigesimo post interfectum Crispum Caesarem, Constantini Magni filium, cujus adolescentiam Lactantius Firmianus in extrema senectute praeceptor instituit: ad hoc accedit etiam conjectura, meo quidem judicio non improbanda, quod in explicatione Psalmi centesimi octavi & centesimi decimi septimi oppugnat, ceu haereticam, illorum sententiam, qui profitentur Deum ab aeterno alios praedestinasse ad benedictionem, alios reprobasse ad maledictionem. Constat autem ex duabus epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum, hanc assertionem adeo sub ipsis Augustini temporibus enatam, ut non pauci per Africam & Galliam sanctissimi viri conquesti fuerint, nullum unquam ex Ecclesiasticis patribus ea sensisse, quae Augustinus de aeterna praedestinatorum & reprobatorum discretione, a Deo facta, non minus nove, quam inutiliter praedicaret: apparet tamen hoc opus, cujuscunque sit, (nam Hieronymus inter Arnobiana monumenta non enumerat) perverustum esse: utitur enim Beda Presbyter in commentariis Psalmorum ejus testimoniis, ARNOBII titulo praenotatis: &, si quid suspicionibus, & conjecturis tribuendum est, conjicere possumus auctorem ipsius, qui sese in expositione Psalmi centesimi quinti inter sacerdotes collocat, fuisse Afrum (a), & Augustini aetate in Africa vixisse, atque opus suum nuncupasse Laurentio & Rustico Afris episcopis, quorum nomina in praefatione ejusdem operis ponuntur: nam & in concilio Carthaginensi comperio una cum Augustino interfuisse Rusticum quendam in Africa episcopum, & Laurentium Icositanum episcopum, provinciae Mauritaniae legatum: & in his commentariis invenio voces aliquas Augustini temporibus ubique apud Afros usitatas, quemadmodum in expositione Psalmi 131. ubi legitur, SUPER ipsum autem Christum floriet sanctificatio mea: quam dictionem Floriet Augustinus aetate sua in ore populorum fuisse scribit libro secundo de doctrina Christiana capite 13. quo in loco de vitiis sermonis disserens, inquit: ILLUD etiam, quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum, *Super ipsum floriet sanctificatio mea*, nihil profecto sententiae detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non Floriet, sed Florebit diceretur: nec quicquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium: & in explanatione Psal. 138. explicans illud, *Non est occultatum os meum*, ait. SIQUIDEM tibi occultum non est os meum, id est ossum meum: quam vocem apud suos vulgo fuisse corruptam affirmat Augustinus in enarratione ejusdem Psalmi, inquiens: Os SUUM dicit, quod vulgo dicitur ossum, & latine os dicitur: sed nos potius ossum dicamus: melius est enim, ut nos reprehendant grammatici, quam non intelligant populi. Haec pauca de commentariis Arnobii in Psalmos, quae diceremus, habuimus.

Lactantius Firmianus fuit magister Crispi Constantini M. filii.

Quaestio de praedestinatione & reprobatione ab aeterno quo tempore famosa.

Psal. 131. 18.

Psal. 138. 15.

FERUNTUR etiam sub nomine Arnobii Afri annotatiunculae quaedam mysticae non magni momenti in varios, sed paucos Evangeliorum locos; quarum initium est, *In principio erat Verbum*, Coloniae a Quentelio impressae: de quibus suum cuique judicium integrum relinquo. Claruit Arnobius sub Diocletiano usque ad Constantinum Magnum circa annum Domini CCC.

ARNOLDUS Haldrenius Vesaliensis, canonicus Ecclesiae Summae Coloniensis, vir singulari vitae sanctimonia, atque sacrae scripturae exacta cognitione conspicuus, linguarum quoque trium, Hebraïcae scilicet, Graecae, & Latinae, peritissimus, perinde carmine valens, ac prosa, edidit libellum de decem praeceptis decalogi, qui incipit, *Si vis ad vitam ingredi*. Claruit an. Dom. M. D. XXX.

ASCEN-

(a) Arnobius Junior a Cavio ad *An.* 461. adstruitur Gallus, eo quod *Commentarios* in *Psalmos* nuncupet Leontio Arelatensi, & Rustico Narbonensi Episcopis. At Sixtina momenta pro Africana Arnobii origine magni sunt ponderis.

Digitized by Google

ASCENSIUS ordinis Minorum, theologus non obſcurus, Poſtillam fecit in Apocalypſin.

ASTERIUS, Amaſiae epiſcopus, ſincerae pietatis & magnae eruditionis vir, ſcripſit in Lucae caput 16. de divite & Lazaro ſermonem unum, in ſexta actione ſecundae Synodi Nicenae citatum. (a)

ASTERIUS Scythopolitanus, quartus ex Graecis Pſalmorum omnium explanator, Arrianae factionis ſectator, quem ego in catalogo non ponerem, niſi id prior Hieronymus feciſſet, multa regnante Conſtantio Auguſto, volumina in ſacras Scripturas compoſuit, quae a ſuae partis hominibus ſtudioſiſſime legebantur: inter caetera vero ſcripſit eruditiſſimos in Pſalterium commentarios, quorum adhuc fragmenta in Catena Pſalmorum Graeca praepoſito ejus nomine ſervantur: dedit & in quatuor Evangelia, & in omnes epiſtolas Pauli breves commentariolos. Floruit anno CCCLXXX.

ATHANASIUS, Alexandrinae urbis epiſcopus decimus nonus, ſanctitatis & eruditionis eximiae, acerrimus Catholicae fidei propugnator, pro cujus defenſione multas Arrianorum perpeſſus inſidias, ad Conſtantium Auguſtum in Gallias fugit: unde reverſus cum literis, & rurſus poſt mortem ejus fugatus, uſque ad Joviniani imperium latuit: a quo recepta Eccleſiae ſuae gubernatione, moritur anno Domini CCCLXX. relictis ad poſteros multis praeclari ingenii ſui monumentis: e quibus ad divinas ſcripturas pertinentia haec ſunt,

TOTIUS divinae ſcripturae Synopſis, id eſt Contuitus: in qua omnium librorum utriuſque teſtamenti argumenta, inſcriptiones, initia, auctoritatem, & auctores quambreviſſime complexus eſt: cujus initium eſt, *Omnis noſtra qui Chriſtiani ſumus ſcriptura*.

QUAESTIONUM ex veteri & novo teſtamento ad Antiochum principem liber unus, continens quaeſtiones CLXII. cujus initium eſt, *Unde declaravi poteſt*: qui tamen Athanaſii non videtur. Suſpicor hunc ex variis patrum ſcriptis collectum a ſtudioſo quopiam, qui in quaeſtione quarta Theologiam myſticam Dionyſii allegat, Athanaſii ſaeculo, ut arbitror, ignotam; & quaeſtione XXXIII. citat Athanaſium ipſum, & ab eo etiam diverſam ſententiam profert.

IN Pſalterium Davidis commentarii.

ITEM in Pſalterium Davidis ad Marcellinum de titulis & vi Pſalmorum iſagogicus libellus: in quo ex collatione cujuſdam induſtrii ſenis breviſſime docet, quam quiſque utilitatem ex certa cujuſque Pſalmi lectione adipiſci queat: ejus initium eſt, *Laudo tuam in Chriſto voluntatem*. Meminit hujus operis Caſſiodorus in prologo, & in calce commentariorum in Pſalmos, inquiens: TESTIS eſt Athanaſii epiſcopi ſermo magnificus, qui, virtutes Pſalmorum indagabili veritate diſcutiens, omnia illic eſſe probat, quaecunque totius ſanctae ſcripturae ambitu continentur.

IN Eccleſiaſten Salomonis commentarii.

IN Cantica Canticorum commentaria.

IN illud ex Levitici capite 9. ET dixit Moſes ad Aaron, Accede ad altare, & fac holocauſtum pro peccato tuo, & pro expiatione domus tuae, ſermo unus: qui incipit, *En tibi in iſto loco*.

IN illud Matth. 11. Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo, adverſus Euſe-

(a) De Aſterio Amaſeae (quae Ponti eſt Civitas) Epiſcopo ſub initium V. Seculi claro ea N. Sixtus edixit opera, quae fortaſſe ſuo tempore innotuerant. Alias itidem Homilias, aliosque commentarios ei adjudicat Photius *Cod.* 271. ex quibus hodie habemus Homilias V. videlicet *In divitem, & Lazarum -- Adverſus avaritiam -- In feſtum Kalendarum* & in illud *An liceat dimittere uxorem quacumque ex cauſa?* Graece, & Latine edita a Rubenio Antuerpiae An. 1615. & ex ſua verſione repoſitae a N. Combefiſio in *Auctario* 1648. in quo etiam ex ejuſdem verſione habentur ſequentes Homiliae, nimirum: *In Prophetam Danielem, & Suſannam -- In coecum a nativitate -- In Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum -- In S. Martyrem Phocam -- Laudatio in SS. Martyres -- Narratio martyrii S. Euphemiae* excerpta ex Actione VI. Concilii Nicaeni II. nec non *Laudatio in S. Protomartyr. Stephanum*. Addidit quoque idem Cl. Combefiſius excerpta octo aliarum Homiliarum, videlicet *De Paenitentia* -- In illa verba *Homo quidam deſcendit de Hieruſalem ad Jericho* -- In illud -- *Duo homines aſcenderunt in Templum* -- *De Zaccheo* -- *De Filio prodigo* -- *De ſervo Centurionis a Domino ſanato* -- *De Jejunio* -- *de Jairo*, ac *de Muliere profluvio ſanguinis laborante*. Cl. Cotelerius itidem *Monum. Eccleſ. Graec. T. II.* edidit ejuſdem Aſterii Homilias VII. *in Pſalmos* cum notis. Ad pleniorem autem notitiam conſule eruditos Criticos ſaepius laudatos.

Digitized by Google

bium, & ejus ſectatores liber unus. *Non intelligentes iſtud.*

IN illud Matth. 12. Tranſibat Jesus per ſata, & diſcipuli ſequebantur vellentes ſpicas, homilia una. *In die Sabbati.*

IN illud Matth. 12. Quicunque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, De peccato in Spiritum Sanctum liber unus.

IN illud Matth. 20. Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, ſermo unus, quem apparet eſſe fragmentum commentarii cujuſpiam, & incipit, *Quia ea, ſuper terram.*

IN illud Matth. 27. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, uſque ad, Vere filius Dei erat iſte, De paſſione Domini concio eloquentiſſima. *Quod nunc recitatum eſt, &c.*

IN Lucae caput 1. De annunciatione dominica homilia de Sanctiſſima Deipara, incipiens, *Sacros ſacrarum.*

CITATUR quoque a D. Thoma in libro adverſus errores Graecorum Athanaſius in techa, ſeu volumine ſuper Joannem. PHOTIUS, archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, de ſcriptis & genere docendi Athanaſii ad fratrem ſuum Taraſium ita ſcribit: ATHANASIUS in ſermonibus ubique locutione clarus eſt, & brevis, & ſimplex, acutus tamen, & altus, & argumentationibus omnino vehemens, & in his tanta ubertas, ut admirabilis ſit: logicis autem methodis nihil tenuiter, nihil juveniliter, ut pueri & rudes, ſed philoſophice, & magnifice utitur: ſcripturarum teſtimoniis, ac demonſtrationibus ad vincendum communitus eſt: & in primis ſermo ille, qui de humanitate Verbi Dei habitus eſt, & quinque in Arrium librorum volumina, quae ſunt de omni haereſi trophaeum, ſed de Arriana potiſſimum. Et ſi quis Theologum Gregorium, & Divinum Baſilium diceret ex libro tanquam fonte quodam haurientes orationis ſuae pulchros illos ac perlucidos contra errorem fundere fluvios; non iret, ut arbitror, procul a veriſimilitudine. Scripta ſunt autem ab eo & in Eccleſiaſten commentaria, & in Cantica Canticorum, ſic & in Pſalterium, & alibi in multis: gratia tamen & ornatu vere excellunt ſermones contra Apollinarium, & epiſtolae, quotquot exilii ſui excuſationem continent. Gregorius Theologus Athanaſii vitam luculenta oratione celebravit. (a)

Photius Codice 140. Bibliothecae ſuae.

AU-

(a) Plura Athanaſii opera percenſet Xyſtus, quae non levi critice egent. Sunt enim ex eis quamplura genuina, ſed quae hodie non extant, & jam perierunt, nimirum *Commentarii in Eccleſiaſten, & in Cantica Canticorum*, quorum meminit Photius *Codice* 139. in illud: *Nunc anima mea turbata eſt*, de quo Actione XIV. Synodi VI. *Hypommemata in Pſalmos*, de quibus idem Photius, Παραμυθιον εις τους πειρασμους λογος, cujus lacíniam exhibet Damaſcenus *Orat. de Defunctis*, aliaque plura, quae ad Sacram Scripturam pertinent: de quibus videſis eruditos, ſicut & apud eos conſulas, quae a S. Thoma ſub nomine Athanaſii laudantur. Quamplura itidem ſub nomine ejuſdem Alexandrini Epiſcopi circumferuntur, quae omnino ſuppoſititia, vel ſpuria ſunt, ne autem pedem removeamus ab iis, quae N. Author percenſet. *I. Synopſis totius Sac. Scripturae* Athanaſii non eſt, ſed vetuſti alicujus Scriptoris Athanaſio poſterioris. II. Homilia *de ſemine*, ſeu potius de facto diſcipulorum, qui die Sabbati frumentum edebant &c, nil habet pulchri, nec Athanaſii ſtylo conſcripta, ut Dupinius adnotavit; eſto Cavius Athanaſio adjudicet illam. III. „Homiliam in illud: *Quicunque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum*, „ &c. S. Athanaſio abjudicant illuſtriſſimi Cardinales „ Perronius, & Coëffellus; judiciumque Eraſmi, „ & Centuriatorum Magdeburgenſium, nec non editionem Baſilieenſem, & Pariſienſem homiliam illam inter ſuppoſititia S. Athanaſii opera rejicientes „ adverſus Heterodoxos proferunt „ inquit N. Natalis Alexander *Sec. IV. Cap. 6. Hiſt. Eccleſ.* IV. Homilia in illud: *Ite in Caſtellum*, ſeu fragmentum Commentarii ejuſdem in Evangelium, non eſt Athanaſii: „Senſum ſpiritualem elicit ex omnibus Scri„ pturae locis, & allegorias, quae plus ſubtilitatis „ habent, quam ſoliditatis. Hoc multum abhorret „ a genio Athanaſii, qui gravis eſt, & ſeverus, qui„ que omnes fere Scripturae locos juxta nativum „ ipſorum ſenſum interpretatur „: ut optime adnotavit Dupinius in *Bibliotheca nova*, nec refragantur ceteri Critici. V. *Homilia de Paſſione, & Cruce Domini* penitus ableganda eſt Athanaſio, quum ejus Author omnino jusjurandum vitet interdicatque utpote a Deo abſolute prohibitum: Chriſtum quoque imbecillitatis arguit, & nimium timuiſſe diabolum inſimulat, quae omnia ſunt Athanaſio indigna, ut Natalis, Dupinius, Cavius, aliique univerſim recentiores Critici obſervant. VI. Homilia quoque *de Annunciatione B. M. Virginis* non ex eo ad ſuppoſititia amandatur, quia Sanctorum invocationem adſtruit, ut Rivetus mentitur, ſed ex nobilioribus veriſque momentis, quibus moti Cll. Romanae communionis viri eam ablegant Athanaſio, nimirum Cardinales Baronius, & Bellarminus, N. Natalis, Poſſevinus, Montfaucon, Dupinius, aliique, quibus etiam adhaerent quamplures ex Acatholicis, quos inter Cavius, qui omnes propterea alteri longe poſterioris aetatis eandem Homiliam fore adſcribendam cenſent, quia illius author diſerte impugnat haereſes Neſtorii, Eutychetis, & Monothelitarum, aliorumque nebulonum, qui omnes diu poſt Athanaſii obitum Eccleſiam perturbarunt. Et quidem ſi genuinus foret Athanaſii foetus laudata Homilia, nonne adverſus praefatos tenebriones illam objeciſſent Patres, qui eos impugnarunt, ſicut & Synodi contra eoſdem coactae? Adde quod illius Athor levem nimium adhibet interpretationem vocabuli ὁσία, quae certe dedecet Athanaſium. Ad pleniorem autem notitiam operum M. Athanaſii conſule Criticos ſaepe commendatos, ſed praecipue noviſſimam editionem operum ejuſdem cura & ſtudio Cll. BB. Bernardi Montfaucon, & Jacobi Loppini Congregationis S. Mauri in Gallia.

Digitized by Google

AUGUSTINUS Anconas, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vir in divinis ſcripturis eruditus, & in theologia Scholaſtica, & ſacroſanctis Pontificum decretis exercitatiſſimus, ſcripſit poſtillari ſtudio in totum novum teſtamentum commentariorum infraſcriptos libros, videlicet

IN Matthaeum librum unum.

IN Marcum librum unum.

IN Lucam librum unum.

IN Joannem librum unum.

IN Acta Apoſtolorum librum unum.

IN Acta Apoſtolorum iterum catenam ex Patrum explanationibus, inſertis de ſuo per opportuna loca quaeſtionibus Scholaſtico more propoſitis ac ſolutis.

IN omnes epiſtolas Pauli libros 14.

IN omnes Pauli epiſtolas catenam ex Patrum expoſitionibus.

IN epiſtolas Canonicas catenam ex Patrum explanationibus.

IN Apocalypſin librum unum.

IN Apocalypſin catenam ex Patrum explanationibus.

SCRIPSIT etiam in primum Lucae caput ſuper, MISSUS EST: utilem tractatum,

ITEM ſuper Canticum Virginis tractatum alterum: in quo triplici expoſitione verba Cantici proſecutus eſt: in utroque autem multa de ſacratiſſima divini Verbi incarnatione, & de Beatae Mariae Virginis laudibus copioſe differuit.

CLARUIT ſub Ludovico Bavaro IIII. & Joanne XXII. Papa, cui opus de poteſtate Papae dedicavit, anno Domini M.CCCXXX. (a)

AUGUSTINUS Nebienſis, in Corſica inſula epiſcopus, patria Genuenſis, ex illuſtri Juſtinianorum familia, praedicatorii ordinis profeſſor obſervantiſſimus, theologus ſincere doctus, & linguarum omnium, quae toto terrarum orbe diſperſae ſunt, peritiſſimus, novo & ingenti auſu primus omnium utrunque ſacrae legis inſtrumentum quinque praecipuis linguis Hebraea, Chaldaea, Graeca, Latina, & Arabica in unum corpus, OCTAPLA inſcriptum, redegit, tanto artificio, ut in ſingulis paginis octo columnas diſponeret; in quibus omnes praedictae linguae, propriis characteribus expreſſae, totidem lineis, totidemque verbis ſibi correſpondentes, uno eodemque aſpectu cernerentur, hoc videlicet ordine:

IN prima columnella praepoſuit Hebraeam editionem.

IN ſecunda Latinam interpretationem, reſpondentem Hebraeae de verbo ad verbum.

IN tertia Latinam communem, & vulgatam editionem.

IN quarta Graecam.

IN quinta Arabicam.

IN ſexta thargum, hoc eſt paraphraſim Chaldaïcam, ſermone quidem Chaldaeo, ſed literis Hebraïcis conſcriptam.

IN ſeptima translationem Latinam, Chaldaïcae reſpondentem.

IN octava ſcholiola, vel annotatiunculas quaſdam breviſſimas per intervalla ſparſas, & interciſas, quibus potiſſimum Judaeorum errores redarguit.

HUJUS tam praeclari operis ego duo tantum volumina videre merui, videlicet ex veteri teſtamento, ad Leonem X. Pont. Max. in totum Pſalterium Octaplum typis excuſum: cujus initium eſt, *Scio Pater beatiſſime*: & ex novo teſtamento, in univerſa quatuor Evangelia Octaplum, ipſa auctoris manu atramento, minioque deſcriptum: cujus initium eſt, *Fructum ſalutiferum, magnumque utilitatis incrementum.* (b)

FLO-

(a) B. Auguſtinum Triumphum (qui praeſertim Neapoli ſuos habuit lares, Carolo, & Roberto Regibus apprime charus, ibique diem clauſit extremum An. 1328.) omnia ab Authore laudata opera ſcripſiſſe, ſicut & plura alia ſui ingenii monumenta ad rem Theologicam pertinentia reliquiſſe perhibent de Hiſtoria litteraria Scriptores, praeſertim Joſeph Pamphilius Epiſcopus Signinus *Chronic. Eremit. S. Auguſt. p.* 46. Verum ex eis dumtaxat fuiſſe typis mandata *Summam de Poteſt. Papae, & Commentar. in Oration. Dominic. & Cantic. B. Virgin. ejuſque Angelic. Salut.* pro comperto eſt apud omnes, reliqua vero opera ejuſdem pluribus voluminibus comprehenſa, & optimo charactere conſcripta ſervari in Bibliotheca Vaticana idem Pamphilius ſcribit.

(b) Operum Auguſtini Juſtiniani Epiſcopi Nebienſis, quae tempore Xyſti Senenſis non erant edita, aut quorum editio non innotuit ei, integrum exactumque ſyllabum exhibet N. Jacobus Echard *Script. Ord. Praedic.* Tom. II. p. 98. & 99. apud quem etiam elogia laudati Scriptoris.

Digitized by Google

FLORUIT eruditiſſimus hic vir ſub Leone X. Pont. Max. Romae in concilio Lateranenſi clarus; moriturque maritima tempeſtate abſumptus anno ſalutis noſtrae M.D.XXX. dum in Corſicam ad Eccleſiae ſuae adminiſtrationem navigaret.

AUGUSTINUS Romanus, Prior generalis totius ordinis Eremitarum, in ſcholaſtica theologia eruditiſſimus, diſputator ſubtilis, & in divinis ſcripturis exercitatus, edidit ſcholaſtico ſtylo in epiſtolas Pauli commentariorum libros 14. & in Apocalypſin librum unum. Claruit anno Domini M.CCCCX.

AUGUSTINUS, Chiſami epiſcopus, patria Eugubinus, Apoſtolicae bibliothecae in Vaticano praefectus, omni ſapientiae genere inſignis, cujus extat celeberrimum illud De perenni philoſophia opus, elucubravit in Pentateuchum Moſis elegantes ac ſuccinctas annotationes, Graecae & Hebraïcae linguae phraſes, & idiotiſmos Moſaicis libris contentas diligentiſſime explicantes: quarum initium eſt, *Cum omni opera & ſtudio*, Conatur autem in toto hoc Opere ſic latinam D. Hieronymi editionem defendere, ut oſtendat nullam neque apud Graecos, neque apud Latinos fuiſſe translationem veteris teſtamenti Hieronymiana meliorem, elegantiorem, lucidiorem, ac etiam latiniorem: in qua ſi quid aut mendoſum reperitur, aut ab Hebraïca veritate diſſonum, aut additum, aut detractum, id omne demonſtrat vel nullius eſſe momenti, vel ſcriptorum vitio contigiſſe.

IDEM duo prima Geneſeos capita eloquentiſſima ac eruditiſſima explanatione illuſtravit; quam Graeca voce COSMOPOEJAM, hoc eſt Mundi fabricam inſcripſit: ejus initium eſt, *Duae ſunt res*.

ITEM in omnes Davidicos Pſalmos eloquentiſſima ac eruditiſſima commentaria ſcripſit, juxta ſenſum hiſtoricum & myſticum copioſe ac diligenter digeſta. Operis exordium eſt, *Cum omnium ſacrarum literarum*. Claruit ſub Carolo V. Auguſto anno Domini M. D. XL.

AVITUS praenomine Alchimus, Viennenſis, in Gallia epiſcopus, ſaecularibus diſciplinis copioſiſſime inſtructus, rhetor & poëta clariſſimus, vitae ſanctimonia & ſacrorum voluminum cognitione conſpicuus, ſcripſit latino ſermone, & hexametris carminibus.

IN primum caput Geneſeos De origine mundi librum unum.
DE diluvio mundi in 6. caput Geneſ. librum unum.
DE tranſitu maris rubri in 13. caput Exodi, librum unum.
CLARUIT ſub Zenone Imperatore anno Domini CCCCC.

DICUNTUR ejuſdem libri ſex heroico verſu conſcripti in Geneſim, & Exodum extare Viennae in bibliotheca Volfangi Lazii.

AURELIUS AUGUSTINUS, Hipponae epiſcopus, natione Afer, patria Tagaſtenſis, vir ſupra omnes, qui ante eum & poſt eum hucuſque fuerunt mortales, admirabili ingenii acumine praeditus, omnibus liberalibus diſciplinis inſtructus, Platonica philoſophia pleniſſime imbutus, Ariſtotelicae doctrinae non ignarus, in divinis ſcripturis longe omnium eruditiſſimus, & in earum explanatione ultra, quam dici queat, incomparabili ſubtilitate ſublimis, omnes Latinae Eccleſiae ſcriptores ſcribendi labore, & lucubrationum multitudine ſuperavit, editis plus quam mille & triginta ex omni diſciplinarum genere voluminibus; de quibus compoſuit ex profeſſo in omnes ſparſim divinae ſcripturae libros quamplurima diverſi generis exegematica, id eſt explanatoria ſcripta; quae ipſe in praefatione Retractationum ſuarum in tres partes diviſit, hoc eſt in Epiſtolas, Tractatus, & Libros.

IN Epiſtolis ſatisfecit amicis, qui eum de variis divinae ſcripturae difficultatibus conſulebant. In tractatibus, ſub quorum numero comprehenduntur homiliae, ſive ſermones, atque aliae divinorum voluminum enarrationes ad populum, ſua ipſemet voce ſacras literas publice pro concione diſſeruit. Libros vero idem in Retractationibus in quatuor ordines partitus eſt, ſcilicet in Annotationes, Quaeſtiones, Diſputationes, & Continuas expoſitiones. In libris Annotationum, praetermiſſis multis, nonnulla duntaxat, quae ad vocum & literae intelligentiam pertinent, carptim, breviter, leviterque hinc inde perſtrinxit. In Quaeſtionum libris diverſas ex variis locis ſcripturarum dubitationes quaerendas proponit, ac diſſolvit. In Diſputationum libris partem aliquam ſcripturae divinae, haereticorum

Digitized by Google

rum criminationibus oppugnatam, fortissime defendit. In libris Continuae explanationis partes aliquas utriusque testamenti continuato expositionis cursu juxta variam tam literae, quam Spiritus intelligentiam, ex integro explanat.

ET HAEC quidem omnia Augustinus in calce Retractationum testatur a se trifariam edita, nimirum dictando, dicendo, & scribendo. De genere Dictorum sunt Tractatus ad populum habiti; ad quos audiendos, ut testis est Posidonius, ipsi quoque haeretici, una cum catholicis, permoti sanctitate & eruditione viri, ex omni Africa ingenti ardore concurrebant, adductis secum notariis, qui ab ore ejus excepta describerent. De numero Dictatorum sunt epistolae multae, & Tractatus ad plebem plurimi, ac nonnulli etiam libri. De ordine Scriptorum sunt libri Continuae expositionis, libri Quaestionum, ac Disputationum; quos majori adhibita diligentia & solertia ipsemet accuratius scripsit.

NEQUE illud hoc loco praetermittendum arbitror, quod ipse in lectione opusculorum suorum voluit a lectoribus observari, nempe varietatem, & ordinem quadruplicem temporum, quibus ea scribi contigit; alia enim scripsit, cum esset Catechumenus, saecularium literarum inflatus consuetudine; alia, cum primum esset baptizatus, & adhuc in sacris literis rudis, ac tyro: alia factus presbyter exaravit, erudita magis & docta: alia demum ad episcopatum assumptus, longe omnium eruditissima. Hanc temporum distinctionem idcirco Augustinus censuit observandam, ut ex ejus consideratione adverterent lectores, quomodo ipse discentium more pabulatim scribendo profecerit: sicque facilius ignoscerent, si quid erratum in prioribus ejus scriptis invenirent, & ad ultimas ipsius lucubrationes, tanquam ad eruditiora firmioraque auctoris decreta, confugerent.

EDIDIT praeter haec & alia multa exoterica scripta, in quibus obiter & quasi aliud agens juxta varias occasiones plurima sparsim de divinis literis explicavit: quibus omissis, solum exegematica, & quae ab eo de industria in explanatione & defensione sanctorum voluminum fuerunt composita, collegi: caetera si quis scire cupit, legat libros duos Retractationum, quibus Augustinus majorem partem laborum suorum recensuit, ac retractavit.

DOCENDI modus in praedictis omnibus operibus eundem semper & ubique resipit auctorem; in libris tamen magis, quam in tractatibus est eruditus, acutus, ac sublimium rerum subtilitate usque adeo reconditus, ut Hieronymus in epistola quadam non vereatur eum obscurissimum scripturarum expositorem appellare: quaestionum praeterea, disputationum, argumentationum, ratiocinationum locupletissima copia abundat; & super omnes ecclesiasticos scriptores divinae scripturae testimoniis, & sententiis profluit, instar magni fluminis hyberna nive exundantis. In tractatibus stylus est aliquanto parcior, & apertior, magisque accommodatus ad allegoricas & morales explanationes: in quibus Augustinus propter aures imperitae multitudinis saepe se usque ad barbarismum demittit, illud frequenter dictum in ore habens, MALO, ut me reprehendant grammatici, quam non intelligant populi, eligens magis in barbarismis, etiam damnantibus grammaticis, intelligi, quam in mea disertudine auditores deserere. Utitur autem in cunctis explanationibus translatione divinae scripturae suorum temporum, quae Italica dicebatur: hanc enim ipse in secundo De doctrina Christiana tam verborum fidelitate, quam sententiarum perspicuitate caeteris praefert Latinorum editionibus.

LOCI communes, ei maxime peculiares, & quibus potissimum omnia ejus volumina exegetica replentur, haec sunt, de S. Trinitate, Praescientia, Electione, Praedestinatione, Vocatione, Justificatione, Reprobatione, Induratione, de Gratia & libero arbitrio, de Fide & operibus, de Donis & meritis, de Peccato originis, deque aliis hisce similibus dogmatibus, intermistis interdum moralibus locis, qui apud omnes enarratores sunt in usu.

ORATIONIS ejus ac dictionis genus foecundissimum & exuberantissimum est, ditissima & copiosissima, ne dicam nimia, diversarum rerum affluentia redundans, & periodis in longum productis, mistim & indiscriminatim quamplurima secum volvens ac rapiens, digressionibus, excursibus, & ambagibus vagabundum, quod ingeniosum, attentum, memorem, & patientem requirat lectorem:

Digitized by Google

rem: quem ne multiloquii taedio fastidiat, Punicis quibusdam argutiis recreare tolet, ludens saepissime in similiter progredientibus, & similiter cadentibus sententiis, aliisque non injocundis rhetorum figuris, quae longum & implicitum prolixae lectionis iter emolliant. Haec de genere lucubrationum, de modo docendi, & dicendi charactere, Augustino usitatis, dicta sint satis: quae vero in singulas & universas utriusque testamenti partes elaboravit, haec sunt.

IN TOTUM DIVINAE scripturae corpus De doctrina Christiana libri quatuor: in quibus ad institutionem ejus, qui futurus sit scripturae sanctae expositor, tradit praecepta legendi, intelligendi, interpretandique sacras literas; ostendens, quarum linguarum, artiumque praesidio, & quorum auctorum lectione, quibusve regulis opus habeat, qui scripturarum sensa inquirit; & quos enarrandi exponendique modos habere oporteat sacrorum voluminum explanatorem. Opus incipit, *Sunt praecepta quaedam*.

IN UTRUNQUE Testamentum Disputationum libri triginta sex adversus haereticos, vetus testamentum blasphemantes, & novum falsationis criminantes: de quibus, cum adhuc esset presbyter, scripsit unum contra Adimantum, Manichaei discipulum; qui adversus antiquum testamentum destructorium volumen emiserat, proponens in eo per antithesin multa de utroque testamento testimonia, veluti inter se contraria, nimirum hoc astu persuadere volens, omne vetus testamentum cum novo hostiliter pugnare, proindeque a Christianis scripturis abjiciendum. Quam machinationem hoc libro evertit Augustinus, redactis ad veram concordiam utriusque scripturae locis, qui inter se dissidere videbantur. Opus incipit, *De eo, quod scriptum est*.

DEINDE factus episcopus edidit Disputationum libros triginta tres contra Faustum, Manichaeorum episcopum: qui, evulgato adversus omnes divinas literas impio volumine, duo potissimum annitebatur demonstrare; primum, quod vetus omne testamentum esset ad deceptionem humani generis a pessimo daemone conditum, & ab ipsis postea Judaeis adauctum obscoenis & impiis narrationibus: deinde, quod omnes novi instrumenti scripturae fuissent a Semijudaeis quibusdam falsatae; qui, ut fidem veteri testamento conciliarent, Mosis & Prophetarum testimonia Evangelicis libris fallaciter inseruere. Has impias blasphemias Augustinus hisce tribus ac triginta libris fortissime confutavit: eorum initium est, *Faustus quidam fuit*.

IDEM in episcopatu composuit reliquos duos Disputationum libros contra innominatum quendam Manichaeum, qui librum adversus legem, & Prophetas emiserat: cujus cum nomen ignoraret, inscripsit opus Contra adversarium legis, & Prophetarum: ejus initium est, *Librum, quem misistis*. Scripsit item de genere Quaestionum.

IN UTRUNQUE Testamentum sparsim libros sex, videlicet ex universo veteri testamento sparsim libros duos, quorum primus incipit, *Quid est Deus*? secundus vero sic, *Adversus eos, qui negant*. In totum novum testamentum lib. 2. quorum prior incipit, *Deus certe perfectus est*: alter autem, *Cur facta & dicta*. Item ex utroque testamento mistim lib. 2. horum unus incipit, *Audistis quae contestatur*: alius vero, *Quid sit ad imaginem*. His libris superaddi potest etiam septimus, qui OCTOGINTA TRIUM QUAESTIONUM inscribitur, sic incipiens, *Omne verum*.

COLLEGIT etiam in utrunque testamentum volumen, quod SPECULUM SCRIPTURARUM attitulavit, congregans in ipso juxta ordinem divinorum librorum omnia, quae ad informandos mores in sacris literis inveniuntur. Operis exordium sic habet, *Quis ignorat*. Feruntur quoque sub titulo Augustini in omnem scripturam De mirabilibus sacrae scripturae libri tres, singulos admirandos eventus utroque testamento narratos complectentes, adjectis interdum brevibus juxta literam elucidationibus & quaestiunculis, nulla tamen fixa determinatione dissolutis. Hos Thomas Aquinas in 43. quaestione partis 3. negat esse Augustini opus: quod quidem sic incipit, *Cum omnipotentis Dei*. Atque haec sunt, quae ad totum scripturae sanctae corpus attinent, Augustini opera: quae vero ad particulares divinae scripturae partes spectant, nunc habeto.

IN

Digitized by Google

IN EPTATEUCUM post acceptum episcopatum scripsit Annotationum libros septem: quos ideo Locutionum titulo praenotavit, quia in his locutiones, idiotismos, & phrases Graecae & Hebraïcae scripturae, quae passim occurrunt in septem primis antiqui testamenti libris, annotasset. Opus incipit, *Locutiones scripturarum*. Idem, ad episcopatum assumptus, scripsit

IN EPTATEUCHUM Quaestionum libros septem: in quibus, praetermissis tribus prioribus Geneseos capitibus, alias copiosissime a se expositis, super caeteris septem voluminum capitibus quaestiones varias differuit magis inquirendi studio, quam decernendi animo. Opus incipit, *Cum scripturis &c.* laboravit etiam

IN TRIA GENESEOS capita, id est ab initio libri usque ad ejectionem primorum parentum de paradiso, continuatae expositionis libros 15. videlicet cum in Africa esset paulo post assumptum baptismatis sacramentum de Genesi juxta allegoriam adversus Manichaeos, Mosaïcae historiae oppugnatores, libros duos: in quibus cum nondum auderet naturalium divinarumque rerum secreta, in verbis Mosaïcis abdita, ad literam & secundum historiae proprietatem explicare; allegoricum sensum, utpote sibi tunc faciliorem, sectatus est. Opus incipit, *Si eligerent Manichaei.*

DEINDE factus presbyter composuit De Genesi ad literam imperfecte librum unum, volens experiri quantum valeret ingenio in historico explanandi genere, omnium difficillimo. Sed cum vix & aegre usque ad illam sententiam, FACIAMUS HOMINEM, historice explanando perveniisset, sub tanta oneris mole succubuit, & ab eo, quem sustinere non poterat, labore conquievit, imperfectum deserens librum: cujus exordium est, *De obscuris naturalium rerum.*

DEMUM post assumptionem ad episcopatum, audentior factus, conscripsit in tria prima Geneseos capitula, De Genesi ad literam libros duodecim: in quibus quanquam ipse fateatur plura a se quaesita, quam inventa, & ex inventis pauciora firmata, & tanquam adhuc diligentius perquirenda in medium relicta, tantus tamen est in eis artium, disciplinarum, ac scientiarum omnium thesaurus, ut facile appareat neque eruditius, neque sublimius in expositione horum trium capitum vel ante, vel post Augustini tempora prodiisse quicquam, neque deinceps futuris temporibus fortasse proditurum. Placuit autem Augustino nihil in hoc opere de rebus naturalibus certa asseveratione decernere, ne occasionem praeberet sapientibus ethnicis irridendi sacras literas, & viam credendi praecluderet infidelibus: qui, cum viderent quosdam ex nostris Geneseos enarratoribus graviter errare in his naturae operibus, quae ab eruditissimis viris experientia & demonstratione certissima jam fuissent ostensa, &, quod turpius est, errores suos divinae scripturae testimoniis confirmare; scriptores & scripturas nostras, ut indoctas, absurdas, falsasque deridebant, existimantes etiam caetera, quae in eis de incarnatione, morte, & resurrectione Filii Dei habentur, consimili vanitate fuisse conscripta. Ne igitur istis esset Augustinus exitio, maluit prudenter inquirendo, quam temere definiendo, praesens opus contexere: ejus initium est, *Omnis divina scriptura.*

IDEM, ut ipse in secundo Retractationum recenset, exaravit iterum in primum Geneseos caput libros tres, quos libris Confessionum a se editis inseruit: sunt que inter eos undecimus, duodecimus, & tertiusdecimus.

FERTUR item liber, sive dialogus Quaestionum 75. sub titulo Augustini: in quo, colloquentibus Orosio & Augustino, varia ex duodecim primis Geneseos capitibus loca explicantur. Praeter haec extant.

IN VARIOS GENESEOS locos Homiliae, sive Tractatus, sive sermones viginti unus, videlicet,

In Genesis caput primum Tractatus, sive Semones sex, a Tritemio citati, sed a me nondum visi.

ITEM in principium primi capitis sermo unus, qui est inter sermones de tempore centesimus trigesimus tertius.

In Gen. 2. De arbore scientiae tractatus unus, qui incipit, *Legimus in Genesi.*

Digitized by Google

In Geneſis ſextum De Cataclyſmo ſermo unus, qui eſt de tempore ſexageſimus nonus.

In Geneſis duodecimum De Abraham ſermo unus, qui eſt de tempore, quinquageſimus primus.

In Geneſis decimum quintum, De vacca trienne ſermo unus, qui eſt de tempore quinquageſimus quartus.

In Geneſis decimum octavum, De tribus viris Abrahae viſis ſermo unus, qui eſt de tempore ſeptuageſimus.

In Geneſis decimum nonum, De Loth & filiabus ejus homilia una, quae eſt de L. Homiliis numero quinta.

In Geneſis decimum nonum, De his, quae in Loth, & ejus uxore figurantur, ſermo unus, qui eſt ad Eremitas 34.

In Geneſis vigeſimum ſecundum, De tentatione Abrahae ſermo unus, qui eſt de tempore ſeptuageſimus ſecundus.

In Geneſis vigeſimum ſecundum, De immolatione Iſaac ſermones duo, qui ſunt de tempore 71. & 73.

In Gen. 25. De conceptu Rebeccae ſerm. 1. de temp. 68.

In Gen. 28. De ſcala Jacob, ſerm. 1. de temp. 79.

In Gen. 37. De ſomnio Joſeph, ſerm. 1. de temp. 81.

In Gen. 39. De Joſeph & ejus domina, ſerm. 1. de temp. 83.

In Gen. 42. de Jacob, quem latuit Joſephum in AEgypto eſſe, ſerm. 1. de temp. 83.

SUPEREST demum in Geneſ. cap. 49. exiguus Commentariolus, ſuper benedictionibus Patriarcharum Dialogo editus, ſub Auguſtini titulo, qui incipit, *Quomodo intelligendum eſt*: qui exiſtimatur a ſtudioſo quopiam collectus ex libro Quaeſtionum Hieronymi in Geneſim. Poſt haec habentur.

IN EXODUM ſermones undecim, videlicet,

In Exodi primum caput, De morte Joſeph & multiplicatione filiorum Israël, ſermo unus, qui eſt de tempore 84.

In idem caput, De paleis AEgyptiorum, ſerm. 1. qui eſt de temp. 85.

In Exod. 2. De nativitate Moſis, ſerm. 1. de temp. 86.

In Exod. 3. De apparitione Domini in rubo, ſerm. 1. qui eſt ex additis ad decimum tomum 18.

In idem, De verbis Dei, *Ego ſum qui ſum*, tractatus 1. qui habetur tom. 9.

In Exod. 4. De induratione Pharaonis, ſerm. 1. de temp. 88.

In Exod. 7. De decem plagis AEgypti, ſerm. 1. de temp. 87.

In Exod. 14. De Pharaone, ſerm. 1. de temp. 89.

In Exod. 15. De itinere trium dierum, ſerm. 1. de temp. 90.

In idem, De aqua amara & manna, ſerm. 1. de temp. 91.

In Exod. 31. De filiis Israël, ſerm. 1. de temp. 97.

IN NUMEROS ſermones ſex, videlicet,

In cap. 13. De exploratoribus & botro, ſerm. 1. de temp. 100.

In Num. 14. De populo mortuo in deſerto, ſerm. 1. de temp. 102.

In Num. 16. De thuribulis, ſerm. 1. de temp. 98.

In Num. 17. De virga Aaron, ſerm. 1. de temp. 99.

In Num. 21. De ſerpente aeneo, ſerm. 1. de temp. 101.

In Num. 22. De Balaam, ſerm. 1. de temp. 103.

IN JOSUE caput primum,

QUOD juſto Dei judicio filii Israël terram repromiſſionis acceperint, ſerm. 1. de temp. 105.

In Joſ. 6. De Raab, & ſubverſione Jericuntis, ſerm. 1. de temp. 106.

IN JUDICUM caput ſextum, De Gedeone ſermones duo; alter, qui eſt de temp. 108. alter, inter Homilias. . .

In Jud. 14. De Sampſone, ſerm. 1. de temp. 107.

IN REGUM aggreſſus eſt Auguſtinus Quaeſtionum volumen ad ſimilitudinem earum, quas in Eptateuchum ſcripſerat: ſed non multo longius in Opere progreſſus, cum ad alia, quae magis urgebant, vocaretur, laborem abrupit.

In omnibus Sixtinis editionibus deeſt numerus Homiliae, quae hic indigitatur. Exponit tamen S. P. caput VI. Judic. Serm. CXXXI. de verb. Evang. Joha. VI. nov. edition.

Me-

Digitized by Google

Meminit hujus Operis, quod nunc desideratur, secundus liber Retractationum.

SCRIPSIT & alium librum ad Simplicianum, Mediolanensem episcopum, De solutione quinque Quaestionum ex libris Regum, videlicet,

In lib.1. Reg. cap.10. De spiritu Domini insiliente in Saul, quaestio 1.

In 1.Reg.15. De poenitentia Dei, quod Saulem constituerit regem, quaest.1.

In 1.Reg.28. De Samuele per Pythonissam ab inferis revocato, quaest.1.

In 2.Reg.7. De Davide intrante & sedente ante Dominum, quaest.1.

In 3.Reg.17. De Helia expostulante cum Deo, quod filium viduae occiderit, quaest.1.

ITEM in varios locos Regum sermones 10. hoc est,

In 1.Reg.17. De David & Goliath, serm.1. de temp.196.

In idem, De Davidis monomachia, serm. 1. qui est in libro 50.hom. primus.

In 3.Reg.3. De Salomonis erga duas meretrices judicio, serm.1. de temp.200.

In 3.Reg.19. De Helia, serm.1. de temp.201.

In 4. Reg. 2. De Heliseo a pueris illuso, serm.2. qui sunt de temp.204. & 206.

In 4.Reg.5. De Naaman Syro, serm.1. de temp.207.

In idem, De Heliseo & Giezi, serm.1. de temp.208.

In 4.Reg.6. De Heliseo & securi in gurgite lapsa, serm.1. de temp.210.

In idem, De fame Samariae, serm.1. de temp.211.

IN TOBIAM, serm.1. de temp.226.

IN JUDITH, serm.2. qui sunt de temp.228. & 229.

IN JOB, cum esset episcopus, collegit Annotationum volumen: de quo ipse in 2.Retractationum sic loquitur: LIBER, cujus est titulus ANNOTATIONES IN JOB, utrum meus habendus sit, an potius eorum, qui eas, sicut potuerunt, vel voluerunt, redegere in unum corpus descriptas de frontibus codicis, non facile dixerim: suaves enim pauciſſimis intelligentibus sunt: qui tamen necesse est, offendantur multa non intelligentes: quia nec ipsa verba, quae exponuntur, ita descripta sunt in multis locis, ut appareat, quid exponatur: deinde brevitatem sententiarum tanta est secuta obscuritas, ut eam Lector vix ferre possit, quem necesse est plurima non intellecta transire: postremo tam mendosum comperi Opus ipsum in codicibus nostris, ut emendare non possem: nec editum a me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potest denegari. Opus incipit, *Et opera magna*.

IN PSALTERIUM continuae & integrae expositionis Tractatus, sive Enarrationes 205. quas partim presbyter, partim episcopus usque ad exitum vitae pro concione enarravit, nullo servato ordine, modo hunc, modo illum pertractans. Hos tractatus pii & benevoli auditores, ex ore ejus collectos, in integrum & ordinatum, quale nunc habemus, corpus digesserunt. Genus expositionis ubique allegoricum ac morale est, literalis intelligentiae parum attingens; strictius & accuratius in primis aliquot Psalmis, in posterioribus fusius, & in longas digressiones excurrens. Hieronymus in epistolis ad Augustinum taxare videtur hos Commentarios tanquam nimis obscuros, & in nonnullis etiam a recta linea, & a sua, Graecorumque omnium tractatorum mente discrepantes. Suspicor Hieronymum desideraſſe in his enarrationibus explicationem Psalmorum, juxta Hebraïcae veritatis puritatem, & Graecorum expositorum sententiam: sed, cum Augustinus Hebraïci sermonis esset ignarus, & in Graecis literis non sic esset instructus, ut Graeca Commentaria libera manu posset evolvere; necesse fuit illum saepe ex inopia literalis intelligentiae a vero ac proprio literae sensu ad extortas allegorias deflectere. Opus incipit, *Omnis scriptura*.

EXTANT praeter hos Tractatus etiam alii decem & novem sermones in varios Psalmorum versiculos, quorum Catalogus hic est.

In Psalmum primum ex integro sermo unus, qui habetur in libro quaestionum veteris Testamenti quaest.110.

In Psalmum nonum super id, Tibi derelictus est pauper, sermo 1. de tempor. 110.

In Psalmum 16. super id, Suſtine Dominum, viriliter age, sermo unus inter 50. homilias 11.

Digitized by Google

In totum Psalmum 21. ad Honoratum epistola una, quae est num.120.

In totum Psalmum 23. sermo unus, qui habetur in libro quaestionum veteris Testamenti, quaest.111.

In Psal.33. super id, Quis est homo, qui vult vitam? sermo unus, qui est de 50. homiliis primus.

In Psal.40. De principio ejusdem Psalmi, serm. unus, qui est inter 50. homilias trigesimus nonus.

In Psal.45. super id, Vacate, & videte, quia ego sum Deus, sermo unus de tempore 251.

In Psalmum 49. super id, Deus manifeste veniet, sermones duo, unus de tempore 220. alter 28. in libro 50.homiliarum.

Item in Psalm.49. super id, Sedens adversus fratrem, serm. unus, qui est inter 50. homilias secundus.

In Psalmum quinquagesimum, sermo unus, qui habetur in libro quaestionum utriusque Testamenti quaest.112.

In Psal.67. super id, Sicut deficit fumus, sermo 1. de temp.109.

In Psal.83. super id, Cor meum & caro mea, sermo unus, inter 50. homilias trigesimus tertius.

In Psal.94. super id, Venite adoremus, sermo 1. qui est De verbis Apostoli 11.

In Psal.97. super id, Cantate & psallite in cithara, sermo 1.de temp.222.

In Psal.117. De primo Psalmi versiculo, sermo 1. inter 50. hom.36.

In Psal.117. super, Haec est dies, quam fecit Dominus, sermo 1. de temp.136.

In Psal.118. super id, Bonitatem & disciplinam, & scientiam, sermo unus inter 50. homilias quartus.

In Psal.118. super id, Gressus meos dirige, sermo unus de verb. Apost.12.

IN PROVERBIORUM caput decimum tertium super id, Sunt qui se divites putant, sermo unus de tempore.

In Proverb.31. De muliere forti, sermones duo de temp.217. & 218.

In illud Sapientiae 7.Splendor est lucis aeternae, sermo unus de tempore 190.

In Esaiae 11. super id, Requiescet super eum spiritus Domini, sermo unus de Sanctis 7.

In Esa.53. super id, Ascendet sicut virgultum coram eo, sermo unus inter 50. homilias 36.

In Esa.58. super id, Clama, ne cesses, sermo unus inter 50. hom 7.

In Esa 58. super id, Frange esurienti panem, sermo unus inter 50. hom.17.

In Ezechielis caput 34. libri duo, alter de pastoribus, in quo prior pars hujus capitis exponitur; alter de ovibus, in quo pars posterior explicatur. Opus incipit, *Spes nostra*.

In Danielis 3. De tribus pueris, sermo unus de tempore 240.

In Dan.13. De Susanna, sermones duo, qui sunt de tempore 118.& 242.

HUCUSQUE perveniunt, quae Augustinus in vetus Testamentum scripsit: nunc, quae in novum composuit, sequuntur.

IN QUATUOR Evangelia De concordia Evangelistarum libros quatuor, quos factus episcopus scripsit adversus quosdam temerarios calumniatores, qui quatuor evangeliorum scriptores ignorantiae, & falsitatis nota accusabant, quod multa dixissent inter se dissona, pugnantia, ac se ipsa destruentia: ostendit autem Evangelistas nec inter se, nec sibi ipsis in aliquo fuisse discordes. Opus incipit, *Inter omnes*.

IN MATTHAEUM attulit triplex expositionis genus, hoc est, Quaestionarium, Continuum, & Homiliaticum.

In genere Continuo, cum adhuc esset presbyter, scripsit De sermone Domini in monte super quinto, sexto, & septimo capitulis libros duos, ostendens eodem sermone praecepta omnia contineri, quae ad informandam Christiani hominis vitam pertinent. Opus incipit, *Sermonem quem*.

In genere Quaestionum collegit jam episcopus Evangelicarum Quaestionum librum unum, non secundum ordinem evangelicorum capitum, sed juxta occasiones eorum, qui ipsum de talibus consulebant quaestionibus; quas postea, cum li-

Digitized by Google

librum retractaret, redegit in ordinem, additis numeris, ne Lector taedio perturbari ordinis offenderetur: at librariorum incuria iterum ordinem confudit, revulsa priore parte libri, eaque rejecta in fine voluminis Quaestionum ex evangelio secundum Lucam. Opus incipit, *Non ita scriptum est*.

In genere Homiliatico reliquit homilias, sive sermones, ad populum habitos, 43. videlicet

In Matth. cap.2. De adventu Magorum, serm. qui est de Sanctis nonus.
In idem De caede infantium, serm.1. de Sanct.10.
In Matth.3. super, Ego debeo a te baptizari, serm.1. de verbis Domini 63.
In Matth.4. super id, Poenitentiam agite, serm.1. de verb. Dom.
In Matth.5. De beatitudine pauperum, serm. 1. qui est additis ad x. tomum decimus quartus.
In idem super, Audistis quia dictum est antiquis, serm.1. de temp.59.
In idem super id, Diligite inimicos vestros, serm.1. de temp.170.
In idem super id, Luceat lux vestra, serm.1. de verb. Dom.2.
In idem super id, Qui dixerit fratri Racha, serm.1. de verbis Dom. quartus.
In Matth.6. super, Nesciat sinistra tua, serm.1. de temp.10.
In idem De oratione Dominica, sermones 3. qui sunt de temp.126. & 182. & inter 50.hom. sermo quadragesimus secundus.
In Matth.7. super illud, Qui fecerit & docuerit, serm.1. qui est de verb.Dom.3.
In Matth.7. super id, Petite & accipietis, serm.1. de verb. Dom.5.
In idem super, Nolite judicare, & non judicabimini, serm.1. de temp.202.
In idem De parabola Zizaniorum, serm.1. de Sanct.39.
In Matth.8. De puero Centurionis, serm.1. de verb. Dom.6.
In idem super, Domine sequar te quocunque iveris, serm.1. de verb. Dom.7.
In Matth.11. super, Confiteor tibi pater, serm.1. de verb. Dom.8.
In idem super, Venite ad me omnes, serm.1. de verb. Dom.9.
In idem super, Inter natos mulierum, serm.1. de 50. hom.44.
In Matth.12. De verbo in Spiritum Sanctum, serm.1. de verb. Dom.11.
In idem super, Aut facite arborem bonam, serm.1. de verb. Dom.12.
In Matth.14. De Petro ambulante super aquis, sermones 2. qui sunt de verb. Domin. 13. & 14.
In Matth.15. De Cananaea, serm.1. de temp.74.
In Matth.17. De daemoniaco, serm.1. de temp.230.
In Matth.18. De correptione fraterna, sermones 2. qui sunt de ver.Do.15.& 16.
In Matth.19. super, Si vis ad vitam ingredi, sermones 2. de temp.205. de verb. Dom. 17.
In idem super, Si vis perfectus esse, serm.1. de tem.233.
In Matth.20. De duobus caecis, sermones 2. de temp.52. de verb. Dom.18.
In Matth.22. De tributo Caesaris, serm.1. de verb. Dom.19.
In idem super, Diliges proximum, serm.1. de 50. hom.38.
In idem super id, Cujus filium dicunt esse Christum, serm.2. de temp.234.235.
In Matth.24. super, Vae praegnantibus, serm.1. de verb. Dom.30.
In idem super, De die illa nemo scit, serm.1. de verb. Dom.21.
In Matthaeum 15. De decem virginibus, sermones 3. de verbis Dom.22. & 23. & in libro 83. quaestionum quaestione 59.
In idem super, Venite benedicti patris, serm.1. de Sanctis 38.

IN MARCI caput octavum, de turba famelica, sequente Christum, serm. 1. de temp. 209.

In Marc. 16. De duobus discipulis, quibus Christus in alia effigie apparuit, serm.1. de temp.146.

In idem De undecim discipulis recumbentibus, serm.1. ex additis ad x. Tom. quintus.

IN LUCAM scripsit Episcopus Quaestionum librum unum eodem ordine, quo prius scripserat Quaestiones in Matthaeum. Ejus initium est, *Quod Zacharias*.

Item ex variis locis in Lucam sermones 26. videlicet,

In Luc. cap.1. super, Missus est, serm.1. de Sanctis 18.

In

In idem ſuper, Magnificat, ſerm.1. ex additis ad 9.tomum ultimus.

In Luc.2. ſuper, Fili quid feciſti nobis ſic, ſerm.1. ex addit. ad decimum tomum 2.

In Luc.6. ſuper, Remittite, & remittetur, ſerm.1. ex 50. hom.29.

In Luc.7. De muliere peccatrice, ſerm.1. ex 50. hom.23.

In Luc.10. ſuper, Qui vos ſpernit me ſpernit, ſerm.1. de verb. Dom.24.

In idem De Maria & Martha, ſermones 2. de verb. Dom.26. & 27.

In idem De eo, qui incipit in latrones, ſerm.1. de verb. Dom.37.

In Luc.11. ſuper, Domine doce nos orare, ſerm. 1. de verb. Dom.28. qui integre deſcriptus eſt ex capite quarto libri quinti de Sacramentis D.Ambroſii.

In Luc.12. ſuper, Quis ex vobis habet amicum, ſerm.1. de verb. Dom.29.

In idem De Phariſaeis extrinſecus paropſidem lavantibus, ſerm.1. de verb. Dom. 30.

In idem De divite agrum uberem habente, ſerm.1. ex 50. hom.48.

In Luc.13. De ficulnea, ſerm.1. de verb. Dom.31.

In idem Si pauci ſunt qui ſalvantur, ſerm.1. de verb. Dom.32.

In idem De grano ſinapis, ſerm.1. de Sanct.34.

In Luc.14. De coena magna, ſerm.1. de verb. Dom.33.

In Luc.15. De filio prodigo, ſermones 2. qui ſunt de verb. Dom.34. & ad ere.27.

In Luc.16. De mammona iniquitatis, ſerm.1. de verb. Dom.35.

In idem De divite & Lazaro, ſerm.1. de verb. Dom.25.

In Luc.17. De judice iniquo, ſerm.1. de verb. Dom.36.

In Luc.21. ſuper, Capillus de capite veſtro, ſerm.1. ex 50. hom.14.

In Luc.23. De cruce & latrone, ſerm.1. de temp.130.

In Luc.24. De diſcipulis euntibus in Emaus, ſerm.1. de temp.140.

In idem De Jesu ſtante in medio diſcipulorum, ſerm.1. ex addit. ad x.tom.4.

IN JOANNIS Evangelium edidit Tractatus ab ore loquentis per notarios deſcriptos, 124. continuatae expoſitionis, ab initio videlicet Evangelii uſque ad finem: hujus Operis nulla fit mentio in libris Retractationum, quia ſit de numero Dictorum, ſicut ſunt etiam enarrationes in Pſalmos. Ejus initium eſt, *Omnibus divinae ſcripturae*. Habuit quoque praeter hos tractatus in idem Evangelium ſermones 42. videlicet,

In Joan. caput primum ſuper, In principio erat Verbum, ſermones 2. qui ſunt de temp.134. & de verb. Dom.38.

In idem ſuper, In mundo erat, ſerm.1. de verb. Dom.39.

In idem ſuper, Cum eſſes ſub ficu, ſerm.1. de verb. Dom.40.

In Joan.2. De aqua in vinum converſa, ſermones 2. qui ſunt de verb. Dom.41. & de temp.41.

In Joan.5. de languido, ſerm.1. de verb. Dom.42.

In idem ſuper, Si ego teſtimonium perhibeo de me, ſerm.1. de verb. Dom.43.

In idem ſuper, Sicut pater ſuſcitat mortuos, ſermones 2. de verb. Dom. 44. & de 50. hom.22.

In idem ſuper, Scrutamini ſcripturas, ſerm.1. de verb. Dom.45.

In idem ſuper, Non poteſt filius hominis a ſe facere quicquam, ſerm.1. de 50. hom.32.

In idem ſuper, Venit hora, & nunc eſt, quando mortui, ſerm.1. de verb. Domin. 64.

In idem ſuper, Qui manducat meam carnem, ſerm.1. de verb. Dom.46.

In Joan.8. De adultera, ſerm.1. de verb. Dom.47.

In idem ſuper, Si manſeritis in ſermone meo, ſerm.1. de verb. Dom.48.

In Joan.9. De caeco nato, ſerm.1. de 50. hom.43.

In Joan.10. De paſtore, & mercenario, & fure, ſerm.1. de verb. Dom.49.

In idem De bono paſtore, ſerm.1. de verb. Dom.50.

In idem ſuper, Ego & pater unum ſumus, ſerm.1. de verb. Dom.51.

In Joan. 11. De Lazaro, ſermones 2. de verb. Dom.51. & de temp.104.

In idem ſuper, Qui credit in me, credit in eum, qui miſit me, ſerm.1.

In Joan.12. ſuper, Qui amat animam ſuam, ſerm.1. de 50. hom.37.

In

Digitized by Google

In Joan.13. De coena Dominica, ſerm.1. ad erem.28.

In Joan.14. ſuper, Ego ſum via, ſermones 3. de verb. Dom.54. & 55. & de 50. hom. 34.

In idem ſuper, Quae ego loquor, a me ipſo non loquor, ſer.1.de verb.Dom.56.

In idem ſuper, Pacem meam do vobis, ſermones 2. de verb.Dom.57. & de addit. ad x.Tom. ultimus.

In idem ſuper, Non turbetur cor veſtrum, ſerm.1. de verb. Dom.58.

In Joan.15. ſuper, Vos amici mei eſtis, ſermones 2.

In idem ſuper id, Surgit a coena, ſerm.1. de temp.127.

In idem ſuper, Ego ſum vitis, ſerm.1.de verb. Dom.59.

In Joan.16. ſuper, Expedit vobis, ut ego vadam, ſerm.1. de verb. Dom.60.

In idem ſuper, Ipſe arguet mundum de peccato, ſerm.1. de verb. Dom.61.

In Joan.19. De Joſeph rogante Pilatum, ſerm.1. de temp.132.

In idem De ſepulcro Domini, ſerm.1. de temp.133.

In Joan.20. De Magdalena flente ad monumentum, ſerm.1. de temp.152.

In Joan. 21. De manifeſtatione Chriſti ad mare Tyberiadis, ſerm.1. de tempor. 148.

In idem ſuper, Petre amas me, ſerm.1. de verb. Dom.62.

In idem ſuper, Diligis me plus his, ſerm.1. de ſanct.24.

IN ACTUS Apoſtolorum protulit ſermones quatuor, videlicet,

In Act.3. De aſcenſu Petri & Joannis in templum, ſerm.1. de verb. Apoſt.29.

In Act.4. ſuper, Nemo quicquam poſſidebat proprium, ſerm.1. de verb.Apoſtol. 27.

In Act.9. De converſione Pauli, ſerm.1. de Sanct.14.

In Act.10. De exceſſu mentis in Petro, ſerm.1. de Sanct.45.

IN EPISTOLAM ad Romanos dictavit libros duos, unum interpolatae expoſitionis in varios ſparſim ejus epiſtolae locos, cum adhuc presbyter eſſet apud Carthaginem: ubi cum inter familiares ſuos epiſtola legeretur, & ipſe ab illis interrogatus reſponderet, exceptus eſt ab interrogantibus ex hujuſmodi reſponſis liber hic, qui incipit, *Senſus hi ſunt*: alterum vero librum continuae expoſitionis aggreſſus eſt: ſed, cum in ſola epiſtolae ſalutatione librum unum conſumpſiſſet, deterritus futuri Operis magnitudine ac labore, deſtitit ab incepto; & librum hunc duntaxat, quem fecerat totius Operis primum, ſub titulo INCHOATAE EXPOSITIONIS reliquit: ejus initium eſt, *In epiſtola, quam, &c.*

HIS addidit in varias ejuſdem epiſtolae ſententias ſermones decem, videlicet,

In 7.ad Rom. ſuper id, Cum eſſemus in carne, ſerm. 1. de verb. Apoſt.4.

In idem ſuper, Lex peccatum operatur, ſerm.1. de verb. Apoſt.5.

In idem ſuper, Igitur ipſe ego ſervio, ſerm.1. de verb. Apoſt.6.

In idem ſuper, Non, quod volo bonum, ſerm.2. de temp.43. & 45.

In idem ſuper, Condelector legi Dei, ſerm.1. de temp.47.

In 8.ad Rom. ſuper, Si Deus pro nobis, quis contra nos? ſerm.1. de verb. Apoſt. 16.

In idem ſuper, Humanum dico propter infirmitatem, ſerm.1. de verb.Apoſtol. 17.

In idem ſuper, Spe ſalvi facti ſumus, ſerm.1. de verb. Apoſt.25.

In 9.ad Rom. ſuper, Miſerebor cui voluero, ſerm.1. de verb. Apoſt.22.

In idem ſuper, Cujus vult, miſeretur; De praedeſtinatione & gratia librum unum, incipientem, *Cum in ſacris*.

In idem ſuper, Nam & Rebecca, uſque ad illud, Niſi Dominus Sabaoth, Quaeſtionem unam, De cauſa electionis & reprobationis ad Simplicianum.

IN PRIMAM epiſtolam ad Corinthios capite ſexto ſuper, Neſcitis quia corpora veſtra, ſerm.1. de verb. Apoſt. 18.

In 1.ad Cor. 7. ſuper illud, His, qui ſunt in conjugio, praecipio non ego, ſed Dominus, libros duos ad Pollentium, oſtendens oportere eos, qui divortium fecerunt, innuptos permanere. Opus incipit, *Quaeſtio prima*.

In 1.ad Cor.9. ſuper, Non ſic pugno quaſi aërem verberans, ſerm.1.qui eſt de verb. Apoſt.21.

In

Digitized by Google

In 1. Corinth.10. ſuper, Tentatio vos non apprehendat niſi humana, ſerm.1.

In 1.Cor.12.Quomodo nos exemplo membrorum diligere debeamus, ſerm.1. de 50. hom.15.

In 2. Cor.3. ſuper, Litera occidit, ſpiritus vivificat, De ſpiritu & litera ad Marcellinum librum unum, incipientem, *Lectis opuſculis*.

In 2. Corinth.5. ſuper, Oportet omnes manifeſtari ante tribunal Dei, ſermones duos, qui ſunt de verb. Apoſt.19. & 20.

In idem ſuper, Legatione fungimur pro Chriſto, ſer.1. qui eſt de 50.hom.49.

IN EPISTOLAM ad Galatas, cum adhuc eſſet presbyter, compoſuit continuae ac ſuccinctae expoſitionis librum unum, incipientem, *Cauſa, propter quam.*

In 2.ad Galat. Cum eſſet epiſcopus, ſcripſit De Petro a Paulo reprehenſo epiſtolas duas ad Hieronymum: quarum una incipit, *Nunquam aeque*, altera, *Habeo gratiam*.

In 3. ad Galat. ſuper, Si data eſt lex, quae poſſit juſtificare, ſerm. 1. qui eſt de verb. Apoſt.13.

In 5. ad Galat. ſuper, Spiritu ambulate, ſerm.1. qui eſt de verb. Apoſt.3.

In 6.ad Galat. ſuper, Alter alterius onera portate; ſermones duos, qui ſunt de verb. Apoſt.23. & 24.

In idem ſuper, Mihi abſit gloriari niſi in cruce, ſerm.1. qui eſt ex additis ad x. Tomum 15.

IN EPISTOLAM ad Epheſios capite tertio ſuper, Ut poſſitis comprehendere, quae ſit latitudo, ſerm.1. qui eſt de 50. hom.3.

In idem ſuper, Peto non infirmari, ſerm.1. qui eſt de verb. Apoſt.7.

In 4. ad Epheſ. ſuper, Deponentes malitiam, ſerm.1. qui eſt de temp.221.

In 5.ad Epheſios ſuper, Videte quomodo caute ambuletis, ſerm.1. qui eſt de verb. Apoſt.26.

In 6. ad Epheſios ſuper, Pax fratribus & charitas, ſer.1. qui eſt de 50. hom.17.

IN EPISTOLAM ad Philippenſes capite tertio ſuper, Non ſumus circunciſi, ſerm.1. qui eſt de verb. Apoſt.5.

In idem ſuper, Secundum juſtitiam, quae ex lege eſt, ſerm.1. qui eſt de tempor. 221.

IN PRIMAM ad Theſſalonicenſes capite tertio ſuper, Qui non vult operari, non manducet, De opere monachorum ad Aurelium Carthaginenſem epiſcopum librum unum, in quo diſſeritur, An monachi, negligentes Pauli praeceptum, ad laborem cogendi ſint: ejus initium eſt, *Juſſioni tuae ſanctae frater Aureli*.

In 1.ad Theſſal.4. ſuper, Nolo vos contriſtari de dormientibus ſerm.1. qui eſt de verb. Dom.34.

IN PRIMAM ad Timotheum 1. ſuper, Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, ſermones tres, qui ſunt de verb. Apoſt.8. & 9. & 10.

In primam ad Tim.6. Quod radix omnium malorum ſit cupiditas, ſer. 1. qui eſt de 50. hom.8.

In 2.ad Timot.3. ſuper, Omnes qui volunt in Chriſto pie vivere, De conflictu vitiorum librum unum; quo oſtenditur, ſine vitiorum perſecutione neminem poſſe ſalvari; & incipit, *Apoſtolica vox*: quidam exiſtimant, eum non eſſe Auguſtini.

In 2.ad Tim.4. ſuper, Praedica verbum, inſta opportune, ſer.1. qui eſt de 50. hom. 5.

IN EPIST. Jacobi dictavit epiſcopus Annotationum librum unum, auditorum diligentia collectum, qui incipit, *Duodecim tribus*.

In Jacobi 2. ſuper, Qui offenderit in uno, ad Hieronymum epiſtolam unam, quae eſt inter epiſtolas ejus 29.

In Jacob.5. ſuper, Nolite jurare, ſerm.1. de verb. Apoſt.30.

In idem ſuper, Confitemini alterutrum, ſerm.1. de 50. hom.12.

IN EPIST. I. Petri, capite ſecundo, ſuper, Depoſita omni malitia, ſerm.1. de 50. hom.20.

In 1. Petri tertio, De Chriſto praedicante ſpiritibus, qui erant in carcere, ad Evodium epiſtola 1. quae eſt 99.

In

Digitized by Google

In 2. Petr. 1. De voce allata de coelo, ſerm. 1. de verb. Apoſt. 29.

In EPIST. I. Joannis a principio videlicet uſque ad dimidium ultimi capitis, tractatus 10. editos ad populum per octo dies Paſchalis Feſti. Opus incipit, *Meminit ſanctitas veſtra*.

In 1. Joan. 1. ſuper, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ſerm. 1. de verb. Apoſt. 31.

In 1. Joan. 4. De non credendo omni ſpiritui, ſerm. 1. de verb. Apoſt. 32.

IN APOCALYPSIN ſcripſit epiſcopus Annotationum juxta anagogen librum unum: quem neſcio quis in Homilias decem & octo diſſecuit; additis ante & poſt aliquibus verbis, in quibus incipi ac finiri ſolent Homiliae, forte ut eas, ſic diviſas, commodius in eccleſia legendas, certis aliquot anni diebus exhiberet: ſed veriſimile non eſt Auguſtinum de rebus tam obſcuris tam breviter ad populum dixiſſe. Opus incipit, *In lectionem Revelationis*.

HACTENUS Exegematica Auguſtini ſcripta: ex quibus, & aliis exotericis ejuſdem Operibus varii auctores collegerunt diverſa in divinas Scripturas explanationum Volumina, de quorum numero eſt Petrus Tripolitanus; qui, ut teſtis eſt Caſſiodorus, expoſitiones collegit in omnes Pauli epiſtolas. Beda etiam poſt eum idem fecit in totum Paulum, & in primam Joannis epiſtolam: poſtremo Barptolemaeus Urbinas Auguſtinianus congregavit in totum Bibliorum corpus explanationum Tomos duos ex dictis Auguſtini: de cujus vita & ſcriptis ſcripſerunt Poſidonius Calamenſis epiſcopus, & Jacobus archiepiſcopus Genuenſis. Moritur B. Auguſtinus in urbe Hipponae, cum a Vandalis obſideretur, temporibus Theodoſii Junioris, anno Domini CCCCXXX. (a)

(a) Quum N. Xyſtus plura exegetica M. Aurelio Auguſtino adcenſeat, quae ex concordi Criticorum calculo aliis ſunt adjudicanda, operae pretium eſt, etſi non ſine gravi labore, ſingula percenſere, & ad incudem revocare, praeſertim poſt noviſſimam editionem operum M. P. cura PP. BB. juxta quam Exegetica cuncta in Vetus & Novum Teſtamentum proſtant III. Tomo, & Sermones Tom. V. Nec dumtaxat tam inluſtrium Editorum ſententiam hic proferam, verum & aliorum, quibus tamen in nonnullis etiam laudatus N. Author, etſi in caliginoſo Seculo, facem praetulit circa non pauca, quae ad lydium lapidem probans non adjudicavit Auguſtino. Liber igitur *de Mirabilibus Sacrae Scripturae* (ut etiam paullo ante adnotavi) citra omnem dubietatis aleam alteri ab Auguſtino eſt adſcribendus, eique poſterioris aetatis, natione Hiberno, ſeu Brittannico, qui ibidem teſtatur ſe ſcripſiſſe Anno 666. & fortaſſe contemporaneus fuit V. Bedae, ſed illo aetate prior, ab Auguſtini ſtylo longe diſſimilis, & phraſis nimium inelegantis. Liber itidem *de benedictionibus Patriarcharum* non eſt M. P. ſed continet fragmentum Alcuini, nec non S. Hieronymi in Geneſim, pluraque excerpta ex Moralibus S. Gregorii M. Reperitur quoque hic liber inter commentarios, qui inſcribuntur Eucherio Lugdunenſi. *Quaeſtiones* tandem *in Vetus & Novum Teſtamentum* non ſunt Auguſtini, ſed potius Hilarii Sardi, ut Dupinius exiſtimat. At Sermones, Homiliaſve in varias Scripturae libros operoſius examinare oportet, quum ex iis plures ſint ad Auguſtinum non pertinentes: ut autem recto ordine procedamus eundem ſervare decet ordinem, quem tenuit Author, & in claſſes diſponendo Sermones, & Homilias, quid ſit de eis ſentiendum fas eſt adnotare.

In Geneſim igitur Sermo olim 133. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 248. non eſt Auguſtini, ſed potius eſt Cento quidam compactus ex Sermonibus 52. & 53. Ambroſii, ſeu certius Maximi Taurinenſis — Sermo in Geneſim de Arbore Scientiae non reperitur inter Sermones Auguſtinianos, bene vero Sermo olim *de diverſis* 81. nunc 223. *In libro, qui appellatur Geneſis*. Qui vero ab Authore N. laudatur Sermo olim 1. *Tom. IX.* nunc 1. in *Appendice* eſt vetuſtiſſimi, ſed incerti Authoris — Sermo 69. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 145. non eſt Auguſtini, ſed probabiliter Maximi Taurinenſis — Sermo *de Abraham* nunc in *Appendice* 2. eſt Caeſarii Arelatenſis — Sermo *de Tempore* 54. nunc in *Appendice* 4. pertinet ad laudatum Caeſarium — Sermo *de Tempore* 70. nunc in *Appendice* 5. eſt incerti Authoris, initium illius ſtylum Caeſarii ſapit, reliquum eſt decerptum ex Homilia Origenis in *Geneſim*. — Homilia V. ex L. nunc Sermo 387. non eſt illa, quam laudat Xyſtus. — Sermo 34. *ad Erem.* non eſt Auguſtini. — Sermo *de Tempore* olim 71. nunc in *Appendice* 6. eſt conflatus ab incerto Authore, habetque plura ex Origene *Homil. VIII. in Geneſim*, & alia aliunde collecta — Sermo vero 73. olim *de Tempore*, nunc in *Appendice* 7. non eſt Auguſtini. — Sermo *de Tempore* olim 68. nunc in *Appendice* 9. eſt fragmentum Homil. XVI. Origenis in *Geneſim*. — Serm. *de Tempore* 79. nunc in *Appendice II.* a PP. BB. tribuitur Caeſario Arelatenſi. — Sermo 81. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 13. eſt Sermo 7. Caeſarii Arelatenſis. — Sermo 83. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 14. totus eſt Centonis inſtar compactus ex variorum dictis, ſcilicet Pelagii, Ambroſii, Cypriani, & ex fragmento Sermonis *de Suſanna, & Joſeph*. — Id ipſum ſentias *de Serm.* 82. nunc in *Appendice* 15. qui adjudicandus forte eſt Caeſario Arelatenſi.

In Exodum. Sermo *de Tempore* 84. nunc in *Appendice* 16. eſt Caeſarii IX. quaedam ex Origine excerpta continens. — Sermo *de Tempore* 85. nunc in *Appendice* 17. eſt X. Caeſarii Sermo. — Sermo *de Tempore* 86. in *Appendice* 18. eſt conflatus ex Sermone II. Caeſarii, & Homil. 2. *in Geneſim* Origenis. — Sermo de Apparitione Domini in rubo eſt Sermo XII. Caeſarii Arelatenſis. — Sermo 88. *de Tempore*, in *Appendice* 22. eſt XIII. Caeſarii. — Sermo 87. *de Tempore*, in *Appendic.* 20. eſt compactus ex Homil. IV. in *Geneſim* Origenis, & ex Commentario Hieronymi in *Pſalm.* 77. & 104. — Sermo 89. *de Tempore*, in *Appendice* 23. eſt incerti Authoris. Sermo 90. de *Tempore*, nunc in *Appendice* 24. eſt compactus ex variis Homiliis

Digitized by Google

liis Origenis in *Exodum*. --Sermo 91. *de Tempore*, in *Appendice* 25. est conflatus etiam ex Origenianis Homiliis in *Exodum*. --Sermo *de Temp.*97. in *Appendice* 27.suppositicius est Augustini,sed incerti Authoris est.

In Numeros Sermo *de Tempore* 100. nunc in *Appendice* 98. non est Augustini, sed potius Caesarii Arelatensis ex opinione BB. -- Sermo *de Tempore* 102. in *Appendice* 29. est XV. Caesarii. -- Sermo *de Tempore* 88. in *Appendice* 30. in Fuldensium Veteri Codice tribuitur Hieronymo. -- Sermo *de Tempore* 99. in *Appendice* 31. non est Augustini, sed altera pars Origenis Homiliae *in Numeros IX.* --Sermo 101. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 32. Incerti Authoris, & dubius an sit Caesarii. -- Sermo 103. *de Tempore*, in *Appendice* 33. Incerti Authoris, qui ex Origenis Homiliis in *Numeros* plura fragmenta collegit.

In Josue Sermo *de Tempore* 105. in *Appendice* 34. non est Augustini, sed potius Caesarii XVI. esto in fine discrepet ab Caesarii stylo. -- Sermo *de Tempore* 106. in *Appendice* 35. tribuitur Caesario.

In librum Judicum Sermo *de Tempore* 108. non est Augustini, & aliqua continet excerpta ex Ambrosio *lib. de Spiritu Sancto*.

In Lib. Regum Sermo *de Tempore* 200. in *Appendice* 39. non est Augustini, sed depromtus ex Oratione contra *quinque haereses cap.6.*--Sermo *de Tempore* 201. in *Appendice* 40. est Caesarii XX. -- Sermones *de Tempore* 204. & 206. in *Appendice* 41. & 42. dubii sunt, & ex BB. Caesario adjudicantur. -- Sermo *de Tempore* 207. in *Appendice* 43. est incerti Authoris. -- Sermo 208. *de Tempore*, in *Appendice* 44. est Caesarii XXIII. Idem esto judicium de Sermone 210. *de Tempore*, nunc in *Appendice* 45. -- Sermo *de Tempore* 211. in *Appendice* 46. est incerti, & ineruditi Authoris.

In Lib. Tobiae Sermo 226.*de tempore*, in *Appendice* 47. est incerti, & ineruditi Authoris.

In Judith Sermones *de Tempore* 228. & 229. in *Appendice* 49. sunt incerti, & indocti Scriptoris.

In Lib. Psalmorum. Jam de Quaestionibus Veteris Testamenti supra est actum -- Sermo *de Verbis Psalmi* 49. in *Appendice* 53. desumtus est ex Augustini enarratione in *Psalmum* 49. sed quibusdam mutatis & additis -- Sermo inter L. Homilias 33. in *Appendice* 55. est incerti, sed non ineruditi Authoris. -- Sermo *de Tempore* 222. in *Appendice* 52. dubius est. -- Sermo *de Tempore* 136. in *Appendice* 159. non est Augustini, sed extat totus quoad verba in Hieronymi *Tom.*9. cum spuriis opusculis. Sermo inter L. Homilias 4. nunc in *Appendice* 54. suppositicius est.

In Lib. Proverbiorum: Sermones de Muliere Forti, in *Appendice* 58. restituendi fortasse videntur Caesario Arelatensi.

In Lib. Sapientiae Sermo *de Tempore* 190.in *Appendice* 113. descriptus est ex Vigilii Tapsensis Libro *de Fide contra Palladium Arianum II. cap.*5.6. & 7.

In Isaiam *de Sanctis* Sermo 7. est excerptus ex lib.XX. *de Civitate Dei* cap.8. -- VII.inter L. Homilias, in *Appendice* Sermo 287. desumtus est ex Sermone 178. S.Augustini, nihilque fere diversum habet, nisi in praefatione, & conclusione.

In Danielem Sermo *de Tempore* 240.nunc in *Appendice* 59. Incerti Authoris est --Sermones de Susanna non sunt Augustini, sed incerti, ac ineruditi Authoris.

In Matthaeum Sermo *de Sanctis* 9. in *Appendice* 218. non est Augustini, sed si primam partem demas ab illis verbis n.2. *Deceptor itaque Herodes* &c. pertinet ad Homiliam Eusebii de *Epiphania* -- Sermo *de Sanctis* 10. in *Appendice* 220. est Cento quidam compactus ex Sermonibus 8. & 48. Augustini, & Ambrosii de SS.Nazario, & Celso, aliisque laciniis quae sapiunt Caesarium. -- Sermo *de Tempore* 59. in *Appendice* 62.constat sententiis, & interpretationibus emendicatis ab Augustino, Hieronymo, & aliis. -- Sermo *de Tempore* olim 100. nunc in *Appendice* 121. non est Augustini, sed compactus ex verbis Petri Chrysologi, Ambrosii, & Cassiani. -- *de Tempore* 126. in *Appendice* 65. non est Augustini, sed alterius incerti Authoris,qui cum Cypriano plerumque consentit. -- Sermo *de Tempore* 182. in *Appendice* 64. continet excerpta ex lib.2. de Serm. Domini in Monte, praefationem vero, & conclusionem habet aliunde adscitam. -- Sermo *de verbis Domini* 3. in *Appendice* 268. non est Augustini, sed probabilius Chrysostomi. -- Sermo *de Tempore* 202. in *Appendice* 66. Caesarii mentem, & stylum refert. -- Sermo *de Sanctis* 39. in *Appendice* 250. Caesarianus potius,quam Augustinianus videtur. -- Sermo *de verbis Domini* 14. in *Appendice* 72. dubius. -- Sermo *de Tempore* 230. in *Appendice* 73. non est Augustini. -- Sermo *de Verbis Domini* 19. in *Appendice* 82. non est Augustini. -- Sermo *de Sanctis* 38. in *Appendice* 77. est Caesarii XXVII. -- Sermo *de Tempore* 209. in *Appendice* 81. est Authoris Augustino posterioris,qui damnatum percenset Eutychetis errorem.

In Lucam Sermo *de Sanctis* 18.in *Appendice* 194. est imperiti consarcinatoris, qui plura congessit ex Sermonibus 119. 120. 121. -- Sermo *de Sanctis* 34. in nova editione *Tom.VI. in Appendice Tract. de Assumptione* non est Augustini, sed incerti piique Authoris, qui floruit aetate Caroli M. -- Sermo *de Tempore* 130. in *Appendice* 155. est Homilia S. Johannis Chrysostomi, sed decurtata, & minus conveniens graecae editioni.

In Johannem Sermo *de Tempore* 41. in *Appendice* 92. non est Augustini. -- Homilia XXII.inter L. in *Appendice* Sermo 94.partem continet excerptam ab Augustino *Tract. in Johannem*. -- Sermo *de Tempore* 104. in *Appendice* 95. non est Augustini, sed alterius pii Scriptoris in Scripturis exercitati.--Sermo ad Eremitas 18. *in Appendice* 97. non est Augustini. -- Sermo ex additis ad X. *Tom. ultimus*, in *Appendice* 98. non est Augustini, sed potius Alcuini. -- Sermo *de Verbis Domini* 28. in *Appendice* 144. sapit stylum Caesarii Arelatensis. -- Serm. *de Tempore* 127. in *Appendice* 149. ex variis laciniis Augustinianis conflatus. -- Sermo *de Tempore* 132. *in Appendice* 158. est potius Maximi Taurinensis, -- Sermo *de Tempore* 133. in *Appendice* est Leonis Papae de Quadragesima quintus.

In Actus Apostolorum Sermo *de Sanctis* 14. in *Appendice* 189. est cento conflatus ex variis Augustinianorum Sermonum fragmentis.

In Epistolam ad Romanos Sermo *de Tempore* 43. in *Appendice* 102. est incerti, sed pii eruditique Authoris -- Sermo *de Tempore* 47. in *Appendice* 103. est continuatio ejusdem Sermonis 102. ibidem -- Sermo *de Verbis Apostol.*25. in *Appendice* 100. est Maximi Taurinensis. -- Liber de *Praedestinatione*, & *Gratia* in *Appendice* X. Tom. est *suspecti Authoris*.

In I. Ad Corinth. Serm.I. super ea verba *Tentatio vos non apprehendat* non est Augustini: Vide *Appendicem* III. Tom. nov. editionis -- Hom.XV. ex L. in *Appendice* Sermo 105. opus est fortasse Caesarii, qui ex verbis Augustini illud confecit.

In II. ad Corinthios omnia sunt genuina Augustini.

In Epistola ad Galatas etiam genuina sunt opera Augustini, quae laudat Xystus.

In epistola ad Ephesios Serm. *de Tempore* 221. est excerptus ex Enarrat.2. in Psalm.25. -- Sermo 26. *de verbis Apostoli*, in *Appendice* 99. est incerti Authoris.

In Epist. ad Philippenses genuina sunt etiam opera Augustini.

In Epist.I. ad Thessalonicens. pariter concordant loca.

In Epist.I. ad Timoth. *Homil.VIII.*inter L. non est Augustini, sed Sermo LXX. Caesarii Arelatensis.

In II. ad Timoth. liber *de conflictu vitiorum*, *& virtutum* non est Augustini, sed Ambrosii Autperti

Digitized by Google

AURELIUS Caſſiodorus, vir clariſſimus, Theodorici regis Italiae epiſtolarum Magiſter, Romanae urbis Senator & Conſul, cum, relicto ſaeculo, monachus & abbas monaſterii Ravennatis factus eſſet, omnes ſaeculares diſciplinas, ac maxime eloquentiam in obſequium Chriſti convertens, multa de divinis Scripturis interpretatus eſt: inter caetera vero multo praeſtantius librum Pſalmorum, in quorum explanatione perſtrinxit compendioſa & eleganti brevitate quicquid Sanctus Auguſtinus in Pſalmorum tractatibus copioſiſſima enarratione profuderat, intermiſtis etiam de ſuo non contemnendis annotationibus, definitionibus, propoſitionibus, & axiomatibus nonnullis ex Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Muſica, Geometria, Aſtronomia, Arithmetica, & aliis diſciplinis; quibus, tanquam ſtellis, ac gemmis, nitidam Operis ſui texturam exornat; accommodatis rhetorico more ad ſingulos Pſalmos brevibus Praefatiunculis, in quibus argumentum & diviſionem Pſalmi in ſuas partes proponens, breviter explicat, quid unaquaque Pſalmi parte contineatur: deinde in ipſa enarratione verba, ac verſiculos Pſalmi neceſſaria quadam ordinis conſequentia artificioſe inter ſe connectens, anagogicae potiſſimum explanationi incumbit, omnia in Chriſtum, finem omnium referens: demum in fine ſingulorum Pſalmorum apponit brevem a ſe dictorum epilogum; in quo ethicum aliquid anagogiae immiſcens, Lectoris animum inflammat. Opus incipit, *Repulſis aliquando in Rhavennate urbe*.

SCRIPSIT item, De inſtitutione divinarum lectionum libros duos, accedentibus ad Sacra ſtudia utiliſſimos; quorum initium eſt, *Cum ſtudia ſaecularium*.

ITEM compendium totius divinae Scripturae, quod MEMORIALE SCRIPTURARUM praenotavit.

IN CANTICA Canticorum Commentarios, incipientes, *Salomon inſpiratus*.

IN ACTA Apoſtolorum ſuccinctam expoſitionem.

IN OMNES Catholicas epiſtolas Annotationes.

IN APOCALYPSIN Commentarium, cui titulum fecit, COMPLEXIONES IN APOCALYPSIN.

DELINEAVIT etiam Sciographiam tabernaculi Moſaïci juxta exemplar a Moſe in 26. Exodi capite deſcriptum: cujus picturam Beda ſe vidiſſe teſtatur, in ſecundo libro, De tabernaculo Moſis. Floruit ſub Juſtinis ſeniore ac juniore, moriturque anno 97. aetatis ſuae, anno Domini DLXXVI. (a)

AURELIUS Prudentius Clemens, vir conſularis, natione Hiſpanus, ex urbe Caeſarauguſtana Palatinus miles, & Maſſaliae conſul, poëta ſui temporis celebratiſſimus, & omnium diſciplinarum varietate ornatus, cum per quinquaginta & ſeptem annos mundanis vanitatibus inſerviſſet, tandem, his in ſenectute relictis, totum ſe divinarum Scripturarum ſtudio dedicavit: in quo multa carminibus ſcripſit, inter caetera vero volumen hexametri carminis, *διττοχαιὼν* idcirco praenotatum, quia in ipſo ex omnibus hiſtoriis veteris ac novi Teſtamenti, quaſi duplicem cibum paraſſet: *διττὸς* enim duplex, & *ὀχὴ* cibus (b). Legi quoddam hujus Operis fragmentum, cujus initium eſt, *Eva columba fuit*.

EDIDIT quoque juxta morem Graecorum in tria prima Geneſeos capita, hoc eſt, ab initio libri uſque ad praevaricationem Adae, & expulſionem ejus de Paradiſo, Commentarios tam ſermone, quam ſenſu celebres. Claruit ſub Gratiano

perti Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum in Beneventō Abbatis, de quo ſupra eſt actum. Vide PP.BB. Tom.VI. opp. S.Auguſt. in *Appendice*.

In Epiſtolam Jacobi Homil.XII.inter L. non eſt Auguſtini, ſed plane Sermo 56. Caeſarii Arelatenſis.

In Epiſt.I. Petri vera Auguſtini ſunt opera, quae laudantur, ſicut & in Epiſt.I. Johannis. Addendi quoque ſunt hiſce a Xyſto enumeratis S.Auguſtini operibus alii ejuſdem M.P. Exegematici Libri, nimirum *de Civitate Dei*, & *Confeſſionum ejuſdem*, in quibus plura Divinae Scripturae loca explanantur.

(a) Inter Caſſiodori opera, cum edita, tum anecdota, jamque deperdita, aliqua enumerat Xyſtus, quae dubio procul ejuſdem non ſunt. Expoſitio namque in Cantica Canticorum alteri ſequioris aetatis eſt reſtituenda, cum in ea laudetur Gregorius M. qui floruit poſt Caſſiodorum. Liber de ſchematibus, & tropis S. Scripturae, quae paſſim in Commentariis ejuſdem in Pſalmos reperiuntur, eſt V. Bedae, etſi Commentarius in Pſalmos, ex Auguſtino fere deſumtus, ſit Caſſiodori. Edidiſſe quoque commentarios in Acta Apoſtolorum Thrithemius refert, quos tamen Caſſiodorus ipſe non memorat, etſi reliquos tractatus a Xyſto relatos a ſe compoſitos dicat, qui tamen non extant.

(b) Sunt qui legendum cenſet *Διττοχαῖον dittochaeon* a verbo *δίττος*, quod eſt duplex, & *χαιὸς* ideſt *probus*, quia probitatis exempla in utroque Divino Foedere recenſita in enchiridion Prudentius redegit. Videſis praeceteris Nicolaum Du Mortier *Etymolog. Sacr. Graec. Latin.*

Digitized by Google

tiano Auguſto anno Domini CCCLXXX. cujus vitam Aldus Manutius ex Operibus ejus breviter collegit.

B

BASILIUS, Caeſareae Cappadocum epiſcopus, re & cognomine Magnus, quem nulla unquam, aut ſententia, aut verbo erraſſe communis Graecorum Patrum conſenſus affirmat, ex Heleno Ponto, Ponti oppido, Baſilio ſacerdote & Eumelia nobilibus parentibus ortus, duorum epiſcoporum, hoc eſt, Gregorii Nyſſae, & Petri Sebaſtae, frater, Gregorio Nazianzeno, & Joanni Chryſoſtomo arctiſſima fuit familiaritate conjunctus: hic in divinis exponendis Scripturis, ſicut ſummopere adamavit lucidas hiſtorici ſenſus interpretationes, moralibus quibuſdam, iiſdemque flagrantibus exhortatiunculis intermiſtas; ita vehementer delectatus eſt exornare expoſitiones ſuas omnibus ſaecularis literaturae ornamentis: quod & praecipue in novem illis celebratiſſimis Hexaëmeron homiliis praeſtitit: quas uſque adeo admirandae elaboratae dictionis cura, & orationis majeſtate illuſtravit, ut eloquentiſſimus ac doctiſſimus Gregorius Theologus non immerito dixerit, tantum Baſilii orationem omnes hominum ſermones antecedere, quantum divina vox humanas voces: tantis quoque diſciplinarum omnium, ac bonarum artium divitiis, e media potiſſimum philoſophia Peripateticorum depromptis, eaſdem homilias, ſicut & caeteras explanationes ſuas, locupletavit, ut jure Chriſtianorum philoſophus, & philoſophorum Chriſtianiſſimus dictus ſit. Quantum vero exiſtimaverit hoc divinum Hexaëmeron Opus veneranda Patrum antiquitas, oſtendunt inter alios Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, Gregorius Nyſſenus, & Ambroſius, eruditiſſimi ac ſanctiſſimi viri: quorum prior in Monodia ſua ſic loquitur: MAGNUS Baſilius, quo nemo ſacra Volumina, nec eloquentius, nec verius, nec uberius enarravit, ſcripſit Hexaëmeron, ubi de rerum principio divinitus diſſerit: quem, ego quoties lego, ita me in conditoris amore, charitate, atque cognitione confirmo, ut nulla re magis moveat, aut oblecter: cui ſubſcribens Gregorius, Nyſſae epiſcopus, in Praefatione Hexaëmeron a ſe editi, ſic ait: QUI legerunt divinam illam patris noſtri Baſilii in magnum Moſem commentationem, non minus, quam ea, quae ab ipſo Moſe perſcripta ſunt, admirantur: & merito, mea quidem ſententia: nam quam rationem habet cum grano ſpica, quae & ex illo provenit, & illud eſt; vel potius quae cum illud ipſum inſit, magnitudine tamen ab eo, & pulchritudine, & formae differt varietate: eandem rationem habere dicas cum oratione magni Moſis, quae a Magno Baſilio accuratiore ſtudio ſunt elaborata: etenim quae paucis ille verbis complexus eſt, ea doctor noſter ſublimi philoſophia ſic adauxit, & cumulavit, ut non ſpicam, ſed arborem effecerit, ad ſimilitudinem grani ſinapis, quod regno coelorum comparatum eſt. Haec Gregorius. Ambroſius vero hoc ipſum tanto in pretio habuit, ut illud verſum e Graeco, totum & iiſdem ſententiis ac verbis in Hexaëmeron a ſe compoſitum transfuderit. Euſtachius quidam, vir diſertus ac doctus, ut Junilius Afer, ſive Beda, in Praefatione Commentariorum in Geneſim teſtatur, primus ad Syncleticam germanam ſuam Latinum fecit hoc Opus, quod Graece ſic incipit: *πρέπουσα ἀρχὴ τῷ περὶ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως*: hoc eſt, *Conveniens principium ei, qui de mundi conſtitutione dicturus ſit.*

SCRIPSIT etiam poſt Hexaëmeron in totum Pſalterium Homilias plurimas, de quibus nunc tantum ſuperſunt decem & ſeptem in ſexdecim Pſalmos habitae, hoc eſt,

In Pſalmum primum 7. 14. 28. 29. 32. 33. 37. 44. 45. 48. 49. 59. 61. 114. 115.

SCRIPSIT item de Paradiſo in 3. cap. Gen. hom. 1.

ITEM de coërcendis animi cogitationibus Homiliam unam in illud, quod apud nos legitur, Deuteron. 15. *Cave ne forte ſubrepat, &c.* & juxta editionem LXX. habet *πρόσεχε σεαυτῷ*, id eſt, *Attende tibi.* Hanc Homiliam nonnulli, falſa opinione ducti, tribuunt Zenoni, Veronenſi epiſcopo, & inter ejus ſermones conſcribunt.

IN principium Proverbiorum Homil. 1.

EDIDIT quoque in totum Eſaiam juxta ſenſum literalem enarrationem ſuccin-

Digitized by Google

cinctiſſimae brevitatis, apertam & elegantem; quam audio nuper a neſcio quo in Latinum converſam: ipſe tantum Graece legi, & ſic incipit: *ἐυξασθε μὴ γενηται ἡ φύγη ὑμῶν χειμῶνος ἢ σαββάτῳ*: hoc eſt, *Orate, ne fiat fuga veſtra hyeme, vel Sabbato*. Citantur ex hoc Opere a Joanne Damaſceno teſtimonia libro tertio adverſus Iconomachos, & ab Oecumenio in Commentariorum primae ad Corinth. capite 3.

HABUIT etiam in illud Lucae 12. de divite, cujus ager fructus uberes tulit, homiliam unam.

ITEM in illud Luc. 18. Omnia quae habes, vende, ad divites, hom. 1.

ITEM in Evangelii Joannis initium homil. 1. Rurſus de Samaritide in Joan. 4. ad Flavianum liber 1.

IN illud 1. Theſſ. 5. Semper gaudete, hom. 1.

MORITUR Baſilius temporibus Valentis & Valentiniani Imperatorum, anno Domini CCCLXXX. cum eccleſiae praefuiſſet annis octo: illatuſque eſt ſepulcro majorum, ubi avus Martyr, & pater Sacerdos, ſub Maximiano Imperatore conditi fuerant. Scripſerunt ejus vitam diſertiſſimo ſtylo quatuor divini epiſcopi, Gregorius Nyſſenae, Amphilochius Iconienſis, Gregorius Nazianzenae eccleſiarum antiſtites, & Helladius Caeſarienſis epiſcopus, Baſilii diſcipulus, & in epiſcopatu ſucceſſor: ex quibus Gregorius Nyſſenus ad Hexaëmeron Baſilii duos ſermones addidit, ut ea ſuppleret, quae Baſilius, morte praeventus, de hominis conſtructione abſolvere non potuit. Hos Dionyſius exiguus, Romanus vetuſtus auctor, Latinos fecit, ſic incipiens, *Veteris debiti exſolutionem*. (a)

BARPTOLOMAEUS Bononienſis, ordinis Praedicatorum, Scholaſtica theologia imbutus, ſcripſit Poſtillam in Lucae evangelium, quae incipit, *Facies quatuor circulos*.

ITEM in omnes epiſtolas canonicas Poſtillam, incipientem, *Joſue ſexto praecepit Dominus*.

BARPTOLOMAEUS Parvus, ordinis Praedicatorum, in Lucam poſtillam adhibuit, cujus initium eſt, *Oblatio juſti impinguat altare*. (b)

BARPTOLEMAEUS epiſcopus, & civis Urbinas, profeſſione Eremitanus, vir plane doctus, & memoriae ſingularis, atque omnia fere D. Auguſtini volumina memoria tenens, contexuit ex variis ſententiis, ac locis divi Auguſtini opus ingens, duobus Tomis diſtinctum, in explanationem totius divinae ſcripturae: quod opus nuper Joannes quidam Gaſtius, deleto veri auctoris nomine, &, in ejus locum proprio nomine in voluminis fronte praepoſito, ſibi ſatis impudenter uſurpavit; &, quod gravius eſt, tranſpoſitis, detruncatis, ac detortis quibuſdam ejuſdem operis locis ad Lutheranorum haereſim, utiliſſimum ac piiſſimum catholici auctoris laborem contaminavit, & haereſeos ſuſpicione notavit. Claruit ſub Ruperto Romanorum Rege anno Dom. MCCCX. Clementi Papae V. apprime charus.

BEDA Venerabilis presbyter, & monachus, natione Britannus, genere Angloſaxo, patria Cantabrigienſis, cum adhuc eſſet puerulus, nec dum ſeptimum tenerae aetatis annum expleſſet, coenobium BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, quod in Anglia ſitum eſt, ad oſtium Uviri amnis in loco Ingirium appellato, ingreſſus eſt: in quo ſub cura Benedicti primum, & poſtea Ceolfridi, ejus monaſterii abbatum, monaſticis inſtitutis imbutus, & omnigena ſcientiarum eruditione inſtructus brevi admodum tempore, &, quod mirabilius eſt, inter aſſiduas monaſticae diſciplinae exercitationes, & continuam diu noctuque orandi, pſallendi,

(a) Optime adnotavit ex Caſſiodoro Dupinius M. Baſilium in omnes fere Libros Scripturarum ſuos commentarios edidiſſe; & quamvis omnia ejus opera in praeſentiarum non extent, certe plura proſtant, eaque genuina prae iis, quae ante N. Scriptoris obitum typis fuerunt mandata, & Latine reddita cura inluſtrium Virorum Gothofredi Tilmanni, Frontonis Ducaei, Johannis Baptiſtae Cotelerii, PP. BB. N. Francifci Combefiſii (ex Achatholicis Wolfangi Muſculi) aliorumque inſignium Virorum, qui in edendis PP. Scriptis ſedulam improbamque navarunt operam: quapropter lubet hic alias adponere M. Baſilii lucubrationes in Sac. Scripturam a N. Xyſto omiſſas. Videlicet Homiliam in Cap. VII. Proverb. *Ne dederis ſomnum oculis tuis*, quae extat apud laudatum Cotelerium *Monum. Eccleſ. Graec.* Commentarios in Cantica Canticorum *in Auctar. Biblioth. PP.* N. Combefiſii Tom. II. Item in Eccleſiaſten Conciones VIII. In illud ad Corinthios 15. *quando ſibi ſubjecerit omnia*. Videſis laudatos Authores, eoſque praecipue, qui litterariam hiſtoriam contexuere, Poſſevinum, Cavium, Dupinium, alioſque.

(b) Bartholomaeus Parvus ultra laudatam Poſtillam Biblia Vulgata ſimul cum N. Johanne Angelo in Armenam linguam vertit. Vide N. Echardum, & Jacobum Le Long. *Biblioth. Sacr.* P. I.

Digitized by Google

lendi, legendi in templo curam tantum profecit, ut Grammaticus Graece nonminus, quam Latine peritus, poëta, rhetor, hiſtoricus, aſtronomus, arithmeticus, chronographus, coſmographus, philoſophus, & theologus evaſerit intantum illis temporibus admirandus, ut apud ejus ſaeculi doctiores proverbiumde eo diceretur, Hominem, in extremo orbis angulo natum, univerſum orbemſuo ingenio perſtrinxiſſe.

IS IGITUR anno aetatis ſuae trigeſimo presbyter a Joanne epiſcopo ordinatus, hortatu Accae epiſcopi Eboracenſis, ac multorum fratrum, aggreſſus eſt ſcribere in univerſam ſacroſanctam Scripturam diverſa explanationum volumina, in quatuor ordines diſtincta, videlicet, in Rapſodias, Quaeſtiones, Homilias, & Commentarios. In Rapſodiis, ſive Stromatibus, vel Collectaneis congregavit myſticas magis, quam hiſtoricas expoſitiones, ex probatiſſimis eccleſiae doctorum ſententiis, dictiſque hinc inde interruptim & interpolatim collectas, nonnullis etiam de ſuo inſertis ad imitationem ſenſus eorum, ubi opportunum fuit, quo diverſi Patrum ſermones, ac periodi, vel aptius inter ſe cohaererent, vel breviores & illuſtriores redderentur: &, ne majorum dicta furari, & ea, quaſi ſua propria, componere videretur, nomina doctorum per ſingula interponere decreverat, &, quid a quo auctore dictum eſſet, nominatim oſtendere: ſed, cum id ei nimis operoſum appareret, primas tantum nominum ſyllabas in marginibus e regione cujuſque ſententiae appoſuit; quae poſtea librariorum vel inſcitia, vel incuria, ex omnibus exemplaribus periere.

IN Commentariis, Quaeſtionibus, & Homiliis, in quibus frequentius & ſermone, & ſenſu ſuo utitur, ſtylum habet nec omnino inelegantem, nec affectatae elegantiae curioſum, ſed temperatum: qui nec verborum multitudine faſtidium, neque paucitate obſcuritatem pariat, ſed brevi facilitate currat gratiſſime.

OPERA ejus, adhuc eo vivente, & ſemper nova ſcribente, tanto in pretio habita ſunt, ut ex ordinatione epiſcoporum Britanniae in eccleſiis publice legerentur. Cumque in lectione Homiliarum ejus nomen ex more auctoris venerabilis Bedae presbyteri praefigerent, aliter eum, cum viveret, praedicare non valentes, obtinuit uſque in hodiernum diem titulus, ſemel a principio attributus, ut Beda Venerabilis potius dicatur, quam ſanctus: viventem enim aliter nuncupare, quanquam vitae ſanctitate clareret, fas non erat. Moritur hic ſanctus vir ſub Leone Imperatore, anno aetatis ſuae ſexageſimo ſecundo, hoc eſt, anno ab ortu Chriſti DCCXXXIIII. die, quo Aſcenſionis Domini memoria celebratur.

Numerus & argumenta Exegematicorum Bedae Operum, ex quibus ipſe partem in fine Anglicae hiſtoriae recenſuit, hic eſt:

In tria prima Geneſeos capita, hoc eſt, ab initio uſque ad ejectionem primorum Parentum de paradiſo Collectaneorum ex Baſilio, Ambroſio, & Auguſtino ad Accam Epiſcopum libri duo: quorum prior incipit, *De principio libri Geneſeos*: hos typographi quidam Junilio Afro perperam inſcripſere.

In eadem rurſus tria Geneſeos capitula Collectaneorum liber unus, incipiens, *Iſtud capitulum*.

In prima viginti quatuor Geneſeos capita libri quatuor, incipientes, *Omnium librorum caput eſt*.

In totum Geneſeos librum Collectaneorum liber unus: cujus initium eſt, *In principio utique temporis*.

In Geneſim Quaeſtionum liber unus. *Primo omnium, praeceptor mi, inquiri mihi neceſſe eſt*.

In Exodum, Collectaneorum liber unus. *Haec ſententia Eſdrae*.

In Exodum a vigeſimo quarto capite uſque ad trigeſimum, De tabernaculo, & vaſis ejus, & veſtibus ſacerdotum libri tres: quorum exordium eſt, *Locuturi juvante Domino*.

In Exodum, Quaeſtionum liber unus. *Quaedam myſteria*.
In Leviticum, Collectaneorum liber unus. *Ab aliquibus interrogari ſolet*.
In Leviticum, Quaeſtionum liber unus. *In exordio Levitici quatuor genera*.
In Numeros, Collectaneorum liber unus. *In exordio Numeri*.
In Numeros, Quaeſtionum liber unus. *Prima nobis quaeſtio oritur*.

In

Digitized by Google

In Deuteronomium Collectaneorum liber unus. *Sciendum sane est.*
In Deuteron. Quaestionum liber unus. *Deuteronomion juxta fidem.*
In Jesum Nave, Quaestionum liber unus. *Post mortem ergo Mosi.*
In Judicum, Quaestionum liber unus. *Historia Judicum.*
In Ruth, Quaestionum liber unus. *Videamus nunc de Ruth.*

In Samuelem Commentariorum allegoricae explanationis ad Accam libri quatuor. *Quaecunque scripta sunt.*

In quintum & sextum capitulum tertii libri Regum, De templo Salomonis liber unus. *Hortatur nos vas electionis.*

In quatuor libros Regum, Quaestionum libri quatuor. *Post librum Judicum.*

In quatuor libros Regum iterum, Quaestionum triginta ad Nothelmum liber unus. *Quae de libro Regum.*

In Paralipomenon, libri duo a Tritemio citati.

In Esdram allegoricae expositionis ad Accam libri tres. *Eximius sacrae interpres.*

In Tobiam, allegoricae explanationis liber unus. *Liber sancti pastoris Tobiae.*

In Job ad Nectarium episcopum, commentariorum libri tres.

In Job fertur exegeses adhibuisse, quarum tamen Tritemius in catalogo nusquam meminit. Joannes Hervagius Typographus pro iis immiscuit Bedae operibus libros tres explanationum in Job ad Nectarium incipientes. *Adhortante te.* At eos ipse Beda in libello de ratione unciarum, Philippi presbyteri esse fatetur.

In Psalterium Commentariorum Volumen locupletissimum: cujus initium est, *Quoniam illo auxiliante, sine quo omnis actio.*

In Psalmum 52. latior Commentarius, incipiens, *Cum plures clericos.*

IN PSALTERIUM ex Hebraica veritate Meditationum liber unus: in quo excerptae sunt omnes versiculi ac sententiae, ad orationem pertinentes, insertis nonnullis precatiunculis, quo mens orantis, excitata & instructa Davidicis verbis, facilius & ardentius in Deum elevari possit.

IN PROVERBIA Salomonis explanationis, tam historicae, quam allegoricae, libri tres: quos quidam insertos Hieronymi Operibus falso Hieronymi titulo praenotarunt, cum eos liquido appareat esse Bedae Presbyteri, & ab eo collectos ex Commentariis veterum Patrum; ex quibus in explanationione 21. capitis nominatim citantur Gregorius in homiliis Evangelicis, & in expositione capitis sexti, & 21. Augustinus, & in expositione capitis trigesimi, Hieronymus. Horum initium est, *Parabolae Graece.*

IN ECCLESIASTEN liber unus, a Tritemio citatus.

IN CANTICUM Canticorum, Mysticae explanationis libri septem: in quorum primo confutantur errores Juliani Celanensis, in Campania episcopi, viri quidem eloquentissimi, & proximi ad Ciceronis facundiam, sed Pelagianae doctrinae assertoris; qui eloquentissima in hunc librum Commentaria emiserat; in quibus adversus Dei gratiam disputans, docuit nos per arbitrium liberae voluntatis posse bona facere, quae volumus: quamvis per auxilium gratiae Dei facilius ea perficere queamus, quemadmodum viatores iter & pedibus quidem agere valent, sed minori absque dubio labore, cum illis equi, quibus vehantur, adfuerint. In quinque sequentibus libris totius Cantici expositio absolvitur. In septimo & ultimo libro colligitur brevis Cantici explanatio ex his, quae D. Gregorius per cuncta Opuscula sua sparsim de hoc volumine differuit: quae auctor ipse in superioribus sex Commentariorum libris intacta relinquens, in ultimum librum, veluti in totius Operis coronidem, reservaverat. Opus incipit, *Scripturus juvante gratia.*

IN OMNES Prophetas, tam majores, quam minores libri 18. hoc est, in Esaiam libri duo, in Jeremiam libri 2. in Ezechielem liber 1. in Danielem liber unus, in XII. Prophetas minores libri 12.

IN MATTHAEI Evangelium Annotationum libri quatuor, *Mos etenim Scripturarum est.*

IN EVANGELIUM Marci literaliter & mystice ad Accam Episcopum libri quatuor, qui incipiunt. *In expositione Evangelii secundum Marcum.*

IN EVANGELIUM Lucae juxta literaliter & allegorice Commentariorum

ad

Digitized by Google

ad Accam Episcopum libri sex, *Mira vere est, & vera mire*.

IN JOANNIS Evang. Annotationum liber unus. *Hic est Joannes Evangelista.*

IN ACTA Apost. hist.& myst.ad Accam Episc.liber unus. *Accepi creberrimas.*

IN ACTA Apostolorum Retractationum lib. unus. *Scimus eximium doctorem.*

IN ACTA Apostolorum Quaestionum sex liber unus. *Quid indicat illud*.

IN OMNES epistolas Pauli Collectaneorum libri 14. quos ex omnibus Operibus D.Augustini eisdem sententiis ac verbis in unum coacervatis, collegit: eorum initium est, *Paulus Apostolus, qui cum Saulus*.

SUNT qui existimant haec Collectanea, quae nunc sub titulo Bedae satis confuso ordine, & parum accommodata expositione circunferuntur, non esse ea, quae Beda ipse adunavit, sed quae Barptolemaeus quidam Urbinas Augustinianus, auctor Operis, quod MILLELOQUIUM AUGUSTINI dicitur, utcunque consarcinavit: sunt & qui hoc ipsum Opus Floro Monacho tribuant.

IN OMNES epistolas Catholicas libri septem, quorum quartus, qui est in epistolam Joannis ad Accam Episcopum ex homiliis Augustini super eandem epistolam excerptus est. Operis totius initium est, *Dixit de hoc Jacobo Paulus*.

IN APOCALYPSIN Joannis ad Eusebium mysticae explanationis libri tres, excerpti ex commentariis, quos Tyconius Afer, Vir eruditissimus, in eum librum ediderat. *Dilectissimo fratri Eusebio*.

DE INTERPRETATIONE, tam Hebraearum, quam Graecarum dictionum, quae in utroque Testamento habentur, liber unus, alphabetico ordine digestus. *AHAC apprehendens*.

DE Schematibus, & Tropis sanctae Scripturae liber unus, ad intelligendas phrases linguae coelestis necessarius; qui incipit, *Solet aliquoties in Scripturis*: in quo adversus Graecos, qui gloriantur se troporum fuisse repertores, ostendit, nihil hujusmodi troporum schematum ac figurarum in scriptis Graecorum inveniri, quod non longe antea in Sacris literis fuerit usitatum.

DE LOCIS terrae Sanctae, qui in divinis literis habentur, liber unus, ex Opere Adamanni presbyteri abbreviatus. *Situs urbis Hierusalem*. (a)

DE TEMPORIBUS liber unus, ad intelligendam supputationem temporum divinae Scripturae utilissimus. *De natura rerum & temporum*.

IN LECTIONES, quae ex utroque Testamento per anni circulum leguntur, sermones nonaginta & octo, videlicet, De tempore septuaginta, &, De sanctis octo & quadraginta. Horum tamen plurimos scias non esse homilias aut sermones, sed lacinias expositionum ab incerto auctore ex commentariis Bedae revulsas, & in volumine sermonum repositas.

BELLATOR, incertae ecclesiae presbyter, saecularis literaturae, & sacrorum Voluminum eruditione illustris, multa dicitur in sanctas Scripturas scripsisse Commentaria: e quibus laudatissimi sunt in Sapientiam Salomonis libri 7. Vixit Ludovici Imperatoris temporibus, anno Domini DCCCXL. (b)

BENEDICTUS Stendal, Germanus, ex Hallis oppido Saxoniae, in divinis Scripturis eruditissimus, & in philosophia saeculari nobiliter doctus, qui in gymnasio Erfordiensi theologiam annis multis summa cum laude docuit, vita & doctrina illustris, edidit quaedam non spernendae lectionis Opuscula: ex quibus extant in quinque libros Moysi explanationum Scholasticarum libri quinque. Claruit sub Friderico Imperatore III. anno Domini MCCCCLXX.

BERNARDUS, Abbas primus coenobii Clarevallensis in dioecesi Lingonensi, ordinis Cistertiensis, natione Burgundus, patria Fontanus, vitae sanctimonia & praeclara eruditione praestantissimus, sic ab infantia Sacras literas imbibit, & per omnem aetatem memoria retinuit, ut quoties, aut aliquid loqui, aut scribere tentaret, toties in verba & sententias sanctarum Scripturarum prorumpere co-

ge-

(a) Communis fere opinio Criticorum, praesertim N. Natalis, Dupinii, Tillemontii, Cavii aliorumque ablegat V. Bedae *Tractatum de locis Sanctis*, eo quia ibi apocrypha non pauca, aut minus probabilia percensentur. Consule eos: praefatum autem librum V. Bedae vindicat Honoratus a S.Maria *Animadv. Crit. Lib.2. Diss.2.*, num autem feliciter? propriis oculis lustra.

(b) Quae de Bellatore scripsit N. Xystus excepit ex Abbate Trithemio, ex quo claruit ille Anno 840. Verum ex Guillelmo Cavio in *Hist. Litter. Sec.VI.* habetur, quod Bellator Cassiodori Amicus floruerit An.550. & scripserit in Esther libros VI. in Tobiam libros V. in Judith libros VII. & in Sapientiam lib.X.

Digitized by Google

geretur: unde & universa scripta ejus, quae nihil aliud, quam Centones divinorum voluminum dici queunt, undequaque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt, ceu gemmeis emblematibus; hisque adeo commode & apte insertis, ut ibi nata esse credantur. Modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis fere semper versatur. Oratio, ubique dulcis & ardens, ita delectat, & ardenter incendit, ut ex suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Ejus autem exegetica in divinas literas monumenta haec sunt:

IN Geneseos caput primum, De sopore Adam, sermo unus.
In 1. Reg. 17. De Davidis Monomachia, serm. 1.
In 3. Reg. 19. De fuga Heliae, serm. 1.
In 4. Reg. 5. De Naaman Syro, serm. 1.
In principium Psalmi 83. sermo 1.
In Psalmum 84. sermones 2.
In Psalmum 90. sermones 17.
In Psalmum 132. serm. 1.
In Cantica Canticorum ex variis locis, sermones 8.
In Esaiae capite 6. De visione sedentis super solium, sermones 5.
In Esaiae 7. De verbis Esaiae ad Achaz, serm. 1.
In Esa. 9. De nomine pueri admirando, serm. 1.
In Esa. 12. sermo 1.
In Matthaei 5. De septem beatitudinibus, serm. 1.
In Matth. 6. De oratione Dominica, serm. 1.
In Matth. 15. De 7. panibus, serm. 1.
In Marci caput 16. sermones 2.
In Lucae cap. 1. De annunciatione Dominica, sermones 4.
In salutationem Angelicam ex eodem capite, sermones 2.
In Luc. cap. 10. De Martha & Magdalena, serm. 1.
De Villico iniquitatis in Luc. cap. 16. tractatus 1. quem nonnulli alterius auctoris esse credunt.
In Luc. 24. De duobus discipulis euntibus in Emaus, serm. 1.
In illud Joannis 10. Qui ex Deo est, verba Dei audit, serm. 1.
In 1. Thessalonicensium 5. De oratione, petitione, obsecratione, & gratiarum actione, serm. 1.
In Apocalypsis 7. De septem sigillis, serm. 1.
In Apocal. 12. De muliere amicta Sole, serm. 1.

EXTAT praeter haec insigne hujus auctoris Opus, quod eruditi omnes caeteris ipsius laboribus praeferunt; hoc est, in tria prima Cantici Canticorum capita explanationis Mysticae atque Continuae sermones octoginta sex, quos ultimo vitae suae anno coram monachis suis in solatium quotidiani laboris viva voce, & ex imo corde profudit: in quibus tanta facundia divinae charitatis vim, atque sublimitatem expressit, ut appareat illum omnes in se ipso coelestis amoris affectus, motus, & aculeos vero, ac vivo spiritus sui experimento sensisse. Caetera hujus libri capita cum morte praeventus explicare non potuisset, Gilbertus Hollandus Cistertiensis, styli & spiritus Bernardi sectator, explere tentavit; editis ab eo loco tertii capitis, LECTULO MEO QUAESIVI PER NOCTES, ubi auctor ipse finierat, usque ad locum illum quinti capitis, DILECTUS MEUS CANDIDUS, ET RUBICUNDUS, sermonibus octo & quadraginta: conantem autem ulterius explanando progredi, mors ex humanis abstulit, veluti huic indignata, quod interruptum a se Bernardi laborem iterum continuare, & ad finem deducere velle auderet. Moritur Bernardus anno aetatis suae LXIII. ab ortu vero Servatoris nostri MCLIII. Ejus vitam Guillelmus, abbas sancti Theodorici, scribere incepit: Arnoldus vero, abbas Bonaevallis, perfecit, & in quatuor libros digessit. (a)

(a) Ad pleniorem notitiam operum S. Bernardi citra omnem dubietatis aleam legenda est novissima editio Parisina cura Cl. V. Johannis Mabillonii O.S.B. qui & libros genuinos Bernardi ab apocryphis distinxit, & eruditissimas adposuit praefationes, ac notas: quapropter ex hujusce tam inlustris Scriptoris

BERNARDINUS Gadolus, Brixianus, Camaldulenſis abbas, vir bonarum literarum, philoſophiae, & Juris Canonici apprime eruditus, ſcripſit in omnes Bibliorum libros inſigne annotationum Opus. Claruit ſub Maximiliano Imperatore II. anno Domini MCCCCXCVI.

BERNARDINUS, natione Hetruſcus, patria Senenſis, Ordinis Minorum, vir vitae ſanctitate, & miraculorum gloria clarus, labentis religionis ſuae reſtaurator, & auctor obſervantiſſimae congregationis, ſcripſit more Scholaſtico, ſed ſermone magis aperto ac ſimplici in Apocalypſin librum unum: cujus initium eſt, *Beatus qui legit verba libri hujus*. Claruit anno Domini MCCCCXL.

BESSARION, Patriarcha Conſtantinopolitanus, natione Graecus, ampliſſimus eccleſiae Romanae Cardinalis, Nicaenus cognominatus, vir undecunque doctiſſimus, philoſophus & orator Graece Latineque praeſtantiſſimus, inter multa praeclara Opera ſua reliquit in illud ex Joannis 21. capite, *Sic eum volo manere*, librum unum. Moritur in legatione Galliarum, anno MCCCCLXXIII.

BONAVENTURA, qui & Eutychius Graeca voce dictus eſt, epiſcopus Albanenſis, natione Hetruſcus, ex oppido Balneo regio, octavus Generalis miniſter ordinis Minorum, ob eximiam divinarum rerum eruditionem, a Gregorio X. Pont. Max. in collegium Cardinalium aſſumptus, tantam cum ſumma Scholaſticae theologiae ac philoſophiae cognitione vitae ſanctitatem, & morum integritatem conjunxit, ut praeſtantiſſimus vir Alexander Halenſis, praeceptor ejus, ſaepe de ipſo dicere conſueverit, Videri ſibi Adamum in Bonaventura non peccaſſe. Hic inter multa piiſſima Opuſcula, quae verbis ardentiſſimis & altiſſimis ſenſibus ad illuminandos animos, & inflammandas voluntates legentium divino ſuccenſus amore compoſuit, nobile quoque Opus in Hexaëmeron ſcholaſtico dictionis genere dictavit: cui De luminaribus eccleſiae, ſive De illuminationibus, ſive De quinque viſionibus idcirco titulus eſt, quia in eo potiſſimum exponuntur quinque illae viſiones Dei, comprehenſae in ea ſententia Moſis, VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM, &c. quinquies in principio Geneſeos repetita. Initium Operis eſt, *In medio eccleſiae aperuit os ejus, &c.* Dividitur autem univerſum Opus in ſermones viginti tres, tropologicis ſenſibus, flagrantibus ſententiis, & abſtruſis ſcholaſticae, myſticaeque theologiae arcanis refertiſſimos.

Geneſ. 1.

SCRIPSIT item in Pſalmum 118. Scholaſticam Poſtillam incipientem, *Halleluja, laus, gloria*.

In Lucae Evangelium Scholaſticam Poſtillam, quae incipit, *Spiritus Domini*.

In Joannem Poſtillam, quae incipit, *In principio*.

EDIDIT quoque Meditationum vitae Chriſti librum unum: in quo rudi quidem & impolito eloquio, ſed efficaci, & maxime ad cor penetrabili quatuor Evangelia in unam hiſtoriam redegit, inſertis de ſuo nonnullis meditationibus; in quibus ad excitandos & inflammandos Lectoris affectus, Chriſti geſta ſecundum quaſdam imaginarias repraeſentationes narrat, non ſolum prout res ipſae evenerunt, ſed ut etiam contingere, aut contigiſſe potuerunt. Quare cum in tranſcurſu hujus operis legitur; Ita dixit, vel Fecit Dominus Jesus: ſi illud ex ipſa Evangelica narratione probari nequeat, non aliter accipiendum eſt, quam devota meditatio exigit: hoc eſt, perinde ac ſi diceretur, Mediteris pio animo haec Jesum aut dixiſſe & feciſſe, aut ſic dicere & facere potuiſſe. Opus incipit, *Inter alia virtutum & laudum praeconia*.

FERTUR & ejuſdem libellus ad lectionem Bibliorum introductorius PRINCIPIUM SACRAE SCRIPTURAE praenotatus; cujus exordium eſt, *Oſtendit mihi Dominus fluvium magnum*.

RELIQUIT item compendium metricum ſcholaſticum utriuſque Teſtamenti verſibus dimetris jambicis, libera ſolutaque ſyllabarum lege: quos ita diſpoſuit, ut ſingula tetraſticha ſummam unius capituli contineant. Ejus initium eſt, *Mundus fit in principio*.

MO-

ris criterio adnotandum eſt hic, quod Sermo de duobus diſcipulis euntibus Emmaus non eſt S. Bernardi, ſed B. Ogerii Ord. Ciſtercienſis, & Abbatis Lucedii in Dioeceſi Vercellenſi. Sermo de Aſſumtione in illud Lucae XII. abjudicandus eſt S. Bernardo: ſicut & Sermo de B. Maria V. in illud Lucae I. *Ave Maria*. Sermo itidem de villico iniquitatis reſtituendus eſt alteri Bernardo Monacho Cluniacenſi poſterioris aetatis, & Sermo in illud Iſaiae I. *Puer natus eſt nobis* adjudicandus eſt Guerrico Abbati, cui etiam adcenſendi ſunt plures alii, qui primitus ſub nomine S. Bernardi fuerunt editi. Videſis eundem.

Digitized by Google

MORITUR imperio vacante ſub Gregorio X. in concilio Lugdunenſi anno Domini M.CCLXXXIII. ſepultus in templo Minorum Lugdunenſi, relatuſque inter divos a Xyſto IIII. Pont. Max. Ejus vitam copioſe deſcripſit Octavianus Martinianus Sveſſanus, ſacratiſſimi conſiſtorii advocatus.

BONAVENTURA Patavinus, Prior generalis Eremitarum, presbyter cardinalis tituli S.Ceciliae, edidit Sermonarium ſcholaſticum in Evangelia totius anni, quod incipit, *Veniet deſideratus cunctis gentibus*. Floruit anno Domini M. CCCXX.

BONINUS Mombrinus, Mediolanenſis, collegit ex quatuor Evangeliſtis hexametro carmine Dominicae paſſionis ad Xyſtum IIII. Pont. Max. libros ſex, quorum initium eſt, *Qui nimis abſumpſi primos juveniliter annos*.

BRUNO, primus Cartuſiani ordinis fundator & inſtitutor, natione Germanus, ex Colonia Agrippina, Remenſis quondam eccleſiae canonicus, & in gymnaſio Pariſienſi publicus magiſter ac doctor eximius, admirando quodam eventu defuncti hominis, qui inter funebres exequias juſto ſe Dei judicio condemnatum magna ter voce exclamavit (a), ad poenitentiam converſus, relicto ſaeculo in eremum Cartuſiae Celeſienſis ſeceſſit; ibique propoſitum monaſticae diſciplinae valde arduum inſtituit, orationibus continuis vacans, & aſſiduis ſtudiis divinarum ſcripturarum: in quibus etiam multos non contemnendae expoſitionis libros reliquit, praecipue vero pios ac breves in Pſalterium commentarios, nudo, ſimplicique ſermone conſcriptos, quorum tale habetur exordium, *Pſalterium eſt quoddam muſicum inſtrumentum*.

ITEM in omnes Pauli epiſtolas libros 14. quorum initium eſt, *Paulus nondum Romam venerat*. Claruit anno ſalutis noſtrae M.LXXXI.

BRUNO, Archiepiſcopus Colonienſis, edidit in quatuor Evangelia commentarios non negligendos: quorum initium eſt, *Poſt Pentateuchum Moſis, ut nova veteribus jungeremus*. Extant in bibliotheca Bononienſi Praedicatorum. Idem quoque teſtatur ſe in Pentateuchum ſcripſiſſe.

BRUNO Herbipolenſis, orientalis Franciae epiſcopus, natione Germanus, patruelis Conradi Auguſti, ejus nominis ſecundi, ſanctitate & eruditione celeberrimus, collegit ex orthodoxorum patrum explanationibus ſtrictum & elegantem in omnes Pſalmos commentarium: cujus initium eſt, *Nova non cudimus, ſed vetera renovamus*. Moritur ſub Henrico Imperatore II. anno Domini M. XLV.

BRUNO, Archiepiſcopus Ruthenorum, monachus Caſſinas, in Italia natus & eruditus, doctrinae ſingularis & martyrii gloria inclytus, reliquit nobilis ingenii ſui nonnulla immortalia monumenta: de quibus extant commentariorum in Geneſim libri duo. Hic cum in Pruſſia Evangelium ſummo fidei ardore praedicaret, martyrio a Pruſſis coronatus occubuit anno Domini M. X. (b)

BRUNO, Senarum Thuſciae, ſcripſit in Apocalypſin non aſpernandam explanationem, quae incipit, *Apocalypſis Joannis tot habet ſacramenta. His paucis verbis B.Hieronymus*.

BURGARDUS, ex ordine Praedicatorum, librum de ſitu terrae ſanctae reliquit, ad topographiam ſanctorum voluminum utilem.

(a) Quae de triplici ſucceſſiva brevique repetita anaſtaſi Pariſienſis Doctoris Xyſtus narrat putidam olent fabellam ducentis circiter annis poſt obitum S.Brunonis a ſimplicioribus quibuſdam venditatam, ex quibus deinceps ceteri minus adcurati latius deſcripſerunt, adſerentes, quod dum exequiae in Eccleſia peragerentur, ad verba illa *Reſponde mihi quantas habeo iniquitates*, caput e feretro elevans defunctus Doctor exclamavit: *Accuſatus ſum*. Altera die ad eadem verba ingeminavit terribili voce *judicatus ſum*, quo ex infelici eventu ad poenitentiam converſus Bruno in eremum ſeceſſit. Tantamque in obſcuro ſeculo ſibi fidem vindicavit decantata hiſtoriola, ut ne dum pictis coloribus in Clauſtris Carthuſianorum fuerit ad vivum expreſſa, ſed etiam aliquando in Romano Breviario obtinuerit locum. Verum re penitius explorata a viris undequaque eruditis, qui ex ſynchronis Authoribus hiſtoriam Brunoniani ſeceſſus exceperunt, inventum eſt rem aliter ſe habere, nimirum cauſſam hujuſce rigidioris vitae ab eodem ſuſceptae duplicem fuiſſe, nempe amorem erga ſolitudinem, quem ſemper animo foverat, & averſionem ab aula, dum pertaeſus, & peroſus praeſertim mores, & converſationem Manaſſis Archiepiſcopi Remenſis Seculo vale dicens in nemoribus Deo ſtatuit inſervire. Ex hiſce, inquam, inluſtribus Viris, authenticiſque monumentis veritate perſpecta Urbanus VIII. e Romano Breviario eradendam mandavit, etſi non dum e Clauſtris Carthuſianorum eraſa fuerit. Videſis Egaſſium Bulaeum *Hiſt. Univerſ. Pariſ.* Johannem Launoi Differt. *de vera cauſa ſeceſſus S.Brunonis in eremum*, Philippum Brietium *Anno* 1184. NN. Natalem, & Graveſonium in *Hiſtor. Eccleſ. Sec. XII.*

(b) Brunonem hunc Germanum, & Monachum Magdeburgenſem adſtruit Antonius Poſſevinus in *Apparatu*, quem conſulas.

Digitized by Google

C

CAJUS Marius Victorinus, Afer, rhetor ſui temporis praeſtantiſſimus, & ob praeſtantiam artis ſuae ſtatuam in foro Trajani promeritus, praeter illos tres libros, quos adverſus Arrium more dialectico conſcripſit valde obſcuros, & vix doctiſſimis pervios, edidit commentaria in Apoſtolum: ſed quod occupatus eſſet in eruditione ſaecularium literarum, ſcripturas ſanctas ignoravit, unde non potuit, quamvis eloquens, de his bene differere, quae neſcivit: ſed & hexametro verſu cecinit Maccabaeae matris, ac ſeptem filiorum ejus agonem; cujus initium eſt,

Rex fuit Antiochus Syriae ditiſſimus olim.

MULTA de ejus plauſibili ad Chriſtum converſione refert Auguſtinus in libro octavo Confeſſionum capite 2. Claruit Romae ſub Conſtantio principe, rhetoricam docens, circa annum Domini CCCLX.

CALLISTUS Placentinus, canonicus Lateranenſis divi Auguſtini, homo doctus & pius, & inter Italicos concionatores ſuo tempore praecipuus, commentarios edidit in Aggaeum Prophetam, a ſe pro concione explicatum; item Commentarios in Joannem, atque enarrationes in evangelia quadrageſimalia: quibus adjecit volumen exiguum de locis Palaeſtinae, quos divinae literae continent, addita geographica tabella, quae totius Operis, a ſe deſcripti, picturam oculis repraeſentet. Edidit quoque Opus Chronicon ſuper quatuor Evangelia inſtar ephemeridis, in quo diligentem ſupputationem temporum ac dierum collegit, quibus Dominus Jesus peregrinatus eſt in mundo; annotans annos ac dies, in quibus acta ſunt ſingula, quae geſſit & locutus eſt Chriſtus, & potiſſimum a Baptiſmo uſque ad Aſcenſionem. Opus ſic incipit, *Cum Chriſtianae profeſſioni*. Claruit anno Domini MDXL.

CANDIDUS, regnantibus Commodo & Severo Imperatoribus, circa annum Salutis noſtrae CC. pulcherrimos in Hexaëmeron tractatus edidit.

CAROLUS Bovillus Beromandius Samarobrinus, theologus, mathematicus, & philoſophus eximius, ſcripſit in Pſalmum CXVI. De laude gentium librum unum; item, in Pſalm. CXVII. De laude Hieruſalem librum unum: ſcripſit item in Pſalmum LXXIX. & CXLVII. & in orationem Dominicam, anno Dom. MDXX.

CATENA Graeca explanationum in totum librum Job, ſine nomine auctoris manu deſcripta in membranis, ac decentiſſimo ordine diſpoſita, extat Genuae in Bibliotheca Saulia, collecta ex novem ac decem orthodoxis Graecis Patribus: quorum haec ſunt nomina,

Alexander Capadociae,	Dionyſius,	Methodius,
Apollinarius,	Ephrem,	Nilus,
Athanaſius,	Evagrius,	Olympiodorus,
Baſilius,	Gregorius Theol.	Polychronius,
Chryſoſtomus,	Julius,	Severus,
Cyrillus,	Julianus,	Severianus.
Didymus,	Iſidorus,	

Operis hujus initium haec verba habet: *ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν, καὶ σκοπὸς τῷ ἔργῳ, ἢ τῆς βίβλου τὸ πολυαίθλου Ἰὼβ ἀνάπτυξις*: id eſt, Propoſitum quidem nobis eſt, & ſcopus praeſentis Operis, egregii bellatoris Job librum explicare.

CATENA Graeca in totum Evangeliorum corpus habetur Genuae in Bibliotheca Angeli Juſtiniani Minoritae, in membranis vetuſtiſſimis conſcripta, & ab incerto auctore ex diverſis Graecis Patribus collecta: quorum nomina haec ſunt,

Origenes,	Euſebius Caeſarienſis,	Chryſoſtomus,
Victor Presbyter,	Titus Boſtrenus,	Severus,
Iſidorus Peluſiota,	Baſilius,	Cyrillus.

INITIA vero expoſitionis in ſingulos Evangeliſtas haec ſunt,

IN MATTHAEUM, *εὐαγγέλιον ἐστὶ λόγος περιέχων ἀγαθῶν ἀγγελίαν πραγμάτων, κατὰ τὸν ἴδιον*: id eſt,

Evan-

Digitized by Google

Evangelium eſt ſermo, bonarum rerum annunciationem continens, juxta id, quod rationi conſonum eſt.

IN MARCUM πολλῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον, καὶ εἰς τὸ κατὰ Ἰωάννην συνταξάντων, id eſt,

Cum multi in Evangelia ſecundum Matthaeum, & ſecundum Joannem Commentarios compoſuerint.

IN LUCAM, ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ παλαιῷ λαῷ πολλοὶ προφητείαν ἐπηγγείλαντο: hoc eſt, Sicut in veteri quidem populo multi prophetiam annunciaverunt.

IN JOANNEM, ἦν ὁ εὐαγγελιστὴς πατρίδος μὲν ἦν: hoc eſt, Evangeliſta hic patria quidem fuit, &c.

CATENA Explanationum in omnes epiſtolas Pauli ſine nomine auctoris, nuper inventa, in inclyta Venetorum Academia ſervatur.

CATINA Syrus, cognomento λεπτὸς, id eſt, Acutus & ingenioſus, brevem edidit in primum caput Ezechielis diſputationem: cujus meminit Hieronymus libro primo Commentariorum in Ezechielem, referens ſummatim expoſitionem illius ſuper viſione rotarum, & animalium.

CAESARIUS, Monachus Ciſtercienſis, ſermones ſcripſit in Evangelia feſtiva. *Botrus Cypri*, *dilectus*: anno Domini MCCXX.

COELIUS Pannonius, ſanctorum Voluminum ſtudioſus, Collectanea ſcripſit in Apocalypſin non poenitenda; quorum initium eſt, *Multis olim, nec dubiis modis*. Floruit anno Domini MDXL.

COELIUS Sedulius, presbyter, natione Scotus, Hidelberti Scotorum archiepiſcopi ab ineunte aetate diſcipulus, qui, velut alter Apollonius Tyaneus, fugientem ſapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britanniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Graeciam, & Aſiam, miro diſcendi ardore perluſtravit, tandemque Romae divinis & humanis doctrinis illuſtris, ſub Theodoſio Auguſto floruit carmine excellens & proſa, ſcripſit Mirabilium divinorum libros quatuor: in quibus hexametro carmine breviter coarctavit univerſa utriuſque Teſtamenti miracula. Operis initium eſt,

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poëtae.

RELIQUIT etiam commentariorum, ſeu magis annotationum in omnes Pauli epiſtolas ſoluta oratione libros 14. ex Origene, Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino nominatim citatis collectos: quorum initium eſt, *Sciendum eſt, quod in hoc prooemio*. Moritur ſub Theodoſio Juniore anno Domini CCCCL. (a)

CEDMONUS, ſimplex monachus, poëta haudquaquam aſpernandus, circa annum Domini ſexcenteſimum ſeptuageſimum per omnes fere Bibliorum hiſtorias poëmata edidit.

CLAUDIUS Altiſiodorenſis, ſcholaſticae theologiae peritiſſimus, ſcripſit commentarios in epiſtolas Pauli, quos mihi legere non contigit.

CLAUDIUS, Claſſitanae civitatis abbas, D. Gregorii Papae diſcipulus, de Heptateucho, de libris Regum, de Proverbiis, de Cantico Canticorum, deque Prophetis, Gregorio Papa differente, multa, licet non eodem ſenſu, collegit, & in commentarios redegit: quorum meminit D. Gregorius in epiſtola ad Joannem Ravennae ſubdiaconum. Claruit anno Domini D.C.

CLAUDIUS Guillaudus, patria Belliocenſis, apud inſignem Eduorum Eccleſiam praepoſitus, & canonicus eccleſiaſtes, vir divinarum ſcripturarum ſtudioſiſſimus, ſcripſit in omnes divi Pauli epiſtolas commentarios, quos COLLATIONES nuncupavit; Opus ſane eruditum, breve, elegans, & valde neceſſarium: in quo omnes fere optimorum ſelectiſſimorumque doctorum tam veterum, quam recentiorum explanationes lucida & aperta brevitate perſtrinxit hoc ordine. Primum explanat diligenter ſingulas cujuſque capitis epiſtolae ſententias: quo abſoluto,

(a) Collectaneum, ſeu explanatio in omnes Pauli Epiſtolas ex SS. PP. ſcriptis conſarcinata, quae Sedulio Scoto Hibernienſi adſeveranter inſcribitur, citra omnem dubietatis aleam huicce Coelio Sedulio adjudicari non debet, quum in eadem laudentur *Moralia in Job* Gregorii M. qui diu poſt obitum Sedulii floruit: quapropter probabilius laudatum opus reſtituendum cenſetur Sedulio cuidam Epiſcopo Britanniae de genere Scotorum, qui una cum Ferguſto Epiſcopo Scotiae interfuit Concilio Romano coacto An. DCCXXI. Quamvis idem opus adjudicetur alteri Sedulio Scoto, qui, teſte Hepidanno Monacho in Annalibus a Ducheſnio editis, floruit An. DCCCXVIII. Videſis Criticos de Hiſtoria litteraria agentes.

Digitized by Google

luto, ſtatim ante, quam ſequens capitulum aggrediatur, locos capitis praecedentis, qui in ſpeciem pugnare videntur, ad concordiam revocat. Demum dictiones quaſdam, ac phraſes obſcuriores jam praeexpoſiti capitis, ſuis diffinitionibus adhibitis, explicat. Scripſit quoque eadem explanationis methodo in Evangelium Joannis commentarios, quorum initium eſt, *Dicturus Joannes*. Itemque in omnes catholicas epiſtolas commentarios, qui incipiunt, *Status epiſtolae*. Claruit ſub Carolo V. anno Domini M.D.XL. Opus incipit, *Inter omnes epiſtolas*.

CLAUDIUS, natione Scotus, monachus Benedictinus, Bedae Venerabilis diſcipulus, Albini Levitae collega, divinae ſcripturae ſtudioſiſſimus, & ſaecularis doctrinae non ignarus, tam pedeſtri oratione, quam carmine conſpicuus, edidit ſtylo ſuccincto, & ſimplici

IN Pentateuchum Moſi commentariorum libros quinque.

IN Joſue librum unum.

IN Judicum librum unum.

IN Ruth librum unum.

IN Matthaeum librum unum. Claruit ſub Carolo Magno Auguſto anno Domini D. CCC. (a)

CLAUDIUS a Monte Martyrum, Gallus, Carmelita doctor theologus Pariſienſis, edidit enarrationes ſuccinctas in Apocalypſim ad Joannem Cardinalem Bellayum. Harum hoc eſt initium, *Apocalypſis ſubaudiendum haec eſt.* Claruit anno Domini M.D.L.

CLAUDIUS Seiſellus, Sabaudienſis, epiſcopus Maſſilienſis, & poſtea archiepiſcopus Taurinenſis, ſcripſit eleganti ſtylo in tria prima Lucae capita de triplici ſtatu viatoris ad Leonem X. volumen ingens, pluribus diviſum tractatibus: in quo moralem maxime explanationem ſecutus, in primo capite Evangelii poenitentium ſtatum ſub perſona Helizabet, & Zachariae deſcribit; in ſecundo ſub ortu Praecurſoris ac Redemptoris typo perficientium vitam; in tertio de ſtatu perfectorum allegorice ac myſtice pertractat. Opus incipit, *Magnum & memorabile quiddam*. Claruit anno Domini M.CCCCXC.

FUIT & alter Claudius Taurinenſis epiſcopus ab Eccleſia damnatus, qui contra cultum ſacrarum imaginum ſcripſit.

CLEMENS, praenomine T.Flavius, Alexandrinae eccleſiae presbyter, Panthaeni Stoici philoſophi & martyris diſcipulus, ac poſt ejus mortem in ſchola ejuſdem ſucceſſor, Origenis Adamantii praeceptor, ſcripſit inſignia volumina plena eruditionis & eloquentiae tam de ſeculari literatura, quam de ſacris ſcripturis, e quibus inter caetera feruntur ὑποτυπώσεων, hoc eſt Informationum libri octo: in quibus, ut Euſebius libro 6. hiſtoriae eccleſiaſticae ſcribit, univerſam pariter ſcripturam divinam compendioſis diſſertationibus explanavit, nec ea quidem praeteriens, quae Apocrypha a quibuſdam appellantur: Idem in primo libro Stromatum ſuorum promiſit ſe in Geneſim ſcripturum: quod & poſtea luculenter, & ex integro in totum librum praeſtitiſſe a quibuſdam affirmatur: quibus ego fidem nec aſtruo, nec temere infringo. Claruit Severi, & Antonini ejus filii temporibus anno Domini CC.

CLEMENS Araneus, Raguſinus, ordinis Praedicatorum, provinciae Dalmatiae alumnus & incola, theologus ſcholaſtica exercitatione non ignobilis, & lingua ſua in declamationibus facundiſſimus, edidit in modum ſcholaſticae lecturae expoſitionem in epiſtolam Pauli ad Romanos, inſertis variis quaeſtionibus, earumque ſolutionibus una cum nonnullis diſputationibus, quibus praecipue Lutheranos haereticos validiſſime confutavit. Operis initium eſt, *Paulus Apoſtolus*. Claruit anno Domini M. D. XLVI.

CLEMENS, Romae poſt Petrum, ac Linum epiſcopus, ſcripſit in ſacroſanctas utriuſque teſtamenti ſcripturas opus omni veneratione dignum De verbis Domini, quae ſibi contraria eſſe videntur, & non ſunt; & quae ſit horum abſolutio: cujus laboris meminit ipſe Clemens in tertio Recognitionum vo-

(a) Claudius non natione Scotus, ſed Hiſpanus, Felicis Orgelitani Epiſcopi diſcipulus, ſcripſit etiam Commentarios nedum in Epiſtolam ad Galatas, ſed in reliquas S. Pauli Epiſtolas.

Digitized by Google

volumine. Vide ſupra libro ſecundo in Clemente. (a)

COLUMBANUS, primus fundator, & abbas Luxovienſis coenobii, natione Scotus, vir eximiae ſanctitatis, meriti, & doctrinae, pater multorum millium monachorum, & monaſteriorum plurium fundator, divini verbi ſeminator egregius, ex Hybernia temporibus Mauritii Imper. veniens in Galliam, & Germaniam, velut olim Druidum princeps, cultum divinum latè propagavit, & coenobiorum multitudinem auxit: hic, cum adhuc junior eſſet, magnum ſtudium tam prophanis, quam ſacris literis impendit, & eleganti ſtylo plura ſcripſit, praeſertim verò in totum pſalterium commentariorum librum unum. Moritur ſub Mauritio Imper. anno Domini D. XCVIII. (b)

CONRADUS Halberſtadius, natione Germanus, Praedicatorum ordinis, publicus theologiae profeſſor, & in divinis ſcripturis uſque adeo exercitatus, ac detritus, ut univerſum vetus ac novum teſtamentum memoria teneret, compoſuit ad imitationem Hugonis titulo S. Sabinae cardinalis conſimili labore Concordantias totius Bibliae; in quibus non ſolum dictiones declinabiles, quod prius fecerat Hugo, ſed & omnes indeclinabiles orationis partes juxta alphabeti ſeriem adjecit, ſignatis non ſolum libris, ac librorum capitibus, ſed capitulorum quoque lineis, in quibus quaecunque quaeſita vox facillime ac ſubito inveniri poſſet. Dedimus olim in hoc opus, rogantibus amicis, brevem commentariolum, inſcriptum De uſu, & utilitate concordantiarum ſacrae Bibliae, demonſtrantes in ipſo, quo ingenio prudens declamator valeat ex hoc unico opere, etiam abſque ullis ſacrorum expoſitorum commentariis, cujuslibet fere loci, ſibi de ſcripturis praepoſiti, phraſes, ſenſus, & intelligentias multiplices non minus facile, quam copioſe aperire, ac explicare; item qua via invenire queat in multis declamationum argumentis rerum enarrandarum diviſiones, definitiones, cauſas, partes, effectus, locos ſimiles, ac diſſimiles diſſimiliumque locorum, & in ſpecie pugnantium conciliationes, ac totius denique concionis locupletiſſimam ſupellectilem comparare. Scripſit idem hic in Job ſcholaſticam Poſtillam, quae incipit. *Uſque in tempus fuſtinui*. Claruit ſub Adolpho Imp. anno M. CCXC.

CONSTANTINUS, presbyter Antiochenus, divi Joannis Chryſoſtomi diſcipulus, cujus etiam gratia perſecutiones multas a Porphyrio, Antiochenae eccleſiae presbytero, paſſus eſt, collegit ex operibus ejuſdem Chryſoſtomi expoſitionem in epiſtolam ad Hebraeos, digeſtam in homilas 33. quarum prima, quae magis eſt operis argumentum, quam homilia, incipit, *Romanis ſcribens, &c.*

CORNELIUS Magnanus, ad cantanda ſacra poëmata felici fidere natus, legit mihi heroici carminis volumina tria, a ſe venuſtiſſime elaborata.

PRIMUM de vita Joſeph ab initio 37. cap. Geneſeos uſque ad quinquageſimum, libris duobus digeſtum: cui exordium eſt,

Rurſus in aethereis muſarum fontibus ora
Tingimus.

SE-

(a) Dignum certe patella operculum. *Recognitionum* liber ſub nomine Clementis quondam editus laudatur ad fidem adſtruendam ceteris ſub nomine Clementis Romani operibus in S. Scripturam. At ſicut ſpurium, ac ſuppoſititium Clementis Romani opus eſt *Recognitionum* liber, ita & commentitia ſunt opera ibidem laudata, quae N. Xyſtus ex ſubditicio illo monumento, majorum ſuorum veſtigia ſectatus, in medium protulit: vide quae ſupra adnotavi, & conſule etiam Cl. Johannem Baptiſtam Cotelerium.

(b) Quae de S. Columbano tradidit Xyſtus, de verbo ad verbum ex Johanne Trithemio tranſcripſit. Verum quia Trithemius corrigendus eſt ex veruſtiſſimis Authoribus, qui S. Columbani Acta ſcripſerunt, quoſque praeceteris Cl. Annalium Parens commemorat in Martyrolog. *ad diem* 21. *Novembr.* lubet quidem firma ſtatuere, quae eidem N. Xyſtus adjudicat opera in S. Scripturam, ſicut & alia plura, quae eidem tribuunt de litteraria hiſtoria pertractantes, quaeque in unum collecta edidit Patricius Hemingus Hiberrius Minorita, ſed in meliorem epigraphen ejus geſta redacta percenſere. Hibernus quidem gente fuit Columbanus, patria Lagenienſis, Congalli Beanchorienſis Coenobii in Hibernia Orientali (ſecus autem Bannochorenſis in Britannia, ut Baleus contendit *Cent.* 13. *c.* 12.) Abbatis diſcipulus. Anno Domini DLXXXIX. Burgundiam petens Coenobium Luxovienſe fundavit, rexitque per annos ferme XX. Sed a Theodorico Auſtraſiorum Rege liberius ob ſtupra objurgato in exilium actus, Gallia peragrata Italiam ſe contulit, ubi ab Agilulpho Longobardorum Rege exceptus, Monaſterium Bobienſe prope Neapolim conſtruxit, cui poſtquam per integrum annum praefuit, extremum vale dicens & mundo, obdormivit in Domino Anno DCXV. Videſis Johannem Mabillonium *Sec. Benedictin.* apud quem etiam diſſertationem de Regula a Columbano diſcipulis tradita *Praef. in IV. Sec. Bened.* N. Natalem *Hiſt. Eccl. Sec. VII.* Joh. Albertum Fabricium *Biblioth. Eccleſ.* Guilielmum Cave *Hiſt. Litter. Sec. VII.* alioſque.

Digitized by Google

SECUNDUM de Davidis monomachia in cap. 17. libri primi regum: cujus initium est,

Invictum pueri robur coelestibus auctum
Imperiis.

TERTIUM, cui JUDITHA titulus est, historiam Judith viduae explicans: quod incipit,

Instructas armorum acies, atque horrida Martis
Bella canant alii.

VIVIT adhuc anno Domini M. D. LXVI. Genuae apud clarissimum virum Baptistam Grimaldum, nobilitate, divitiis, & virtutibus inclytum.

CORNELIUS Mussus, episcopus Bitontinus, patria Placentinus, ex ordine Minorum, vir incomparabili ingenii felicitate praeditus, omnibus tam divinis, quam humanis disciplinis excellens, vitae ac morum probitate illustris, ita fuit ab ipsa natura ad exercendas eloquentiae vires progenitus, ut a prima statim pueritia, hoc est a duodecimo aetatis anno publicum sacrarum declamationum munus aggressus sit, tanta omnium Italiae urbium admiratione, applausu, & audiendi desiderio, ut ad pueri conciones, veluti ad insueta miraculorum spectacula, innumerabiles populorum fierent concursus: deinde, crescente aetate, felicioribus eloquentiae, eruditionis, & gratiae incrementis adauctus, & per diversos honorum gradus ad episcopatus dignitatem evectus, multa ad posteros laborum suorum immortalia monumenta transmisit: de quibus extant Conciones luculentissimae Hetrusca lingua editae, Gregorii Magni, Basilii Magni, Chrysostomi, & caeterorum Graeciae patrum sermonibus propter doctrinae, ac facundiae majestatem comparandae: inter has autem ea maxime excellit, cui titulus est DE BENEFICIO, in illam ex Evangelio Joannis sententiam, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: in qua ipse omnes ingenii, eruditionis, & eloquentiae suae vires sic effudit, ut nec doctius, nec disertius quicquam eo in genere aut dici, aut excogitari potuerit. Habuit etiam in Concilio Tridentino disertam Hetrusco sermone concionem De persecutionibus, & victoriis ecclesiae in psalmum quadragesimum quintum pro expeditione Caroli V. Imperatoris adversus Lutheranos haereticos; quos ipse Caesar ad Albim, Germaniae fluvium, admirabili praelio fudit anno Domini M. D. XLVI.

FLORUIT in concilio Tridentino clarus, vivitque usque ad praesentem ann. M. D. LXVI. Ejus eruditionem, & eloquentiam Bernardinus Tomitanus academiae Patavinae philosophus, illustri panegyrico celebravit, reclamantibus tamen nonnullis eruditis viris; qui conciones illius indispositae compositionis, molestae prolixitatis, juvenilis affectationis, vanaeque ostentationis vitio notarunt: in his Hieronymus, Veronae episcopus, declamator aetatis nostrae celebris, & eloquentiae pressioris, ac nervosae, earum auctorem conferre consueverat minutarum rerum negociatori, omnium suarum mercium supellectilem in nundinis expositam ostentanti.

COSMAS Indiclopensis prolegomena, seu praefationes in Psalterium Graecas elucubravit; quae Romae in Vaticano habentur.

CHRISTIANUS, qui & Druthmarus, natione Aquitanus, presbyter Corbejensis, & monachus S. Benedicti, Graece & Latine eruditus, & in sacris scripturis doctissimus, edidit ad monachos Stabulensis, & Malmondarienſis coenobiorum, sub uno abbate in dioecesi Leodiensi consistentium, breves commentarios in Evangelium Matthaei, aperto ac simplici sermone conscriptos: in quorum praefatione etiam in alios Evangelistas se scripturum promisit: quod & fecisse dicitur, Operis initium est, *Hanc titulum non fecit Evangelista*. Claruisse dicitur anno Domini D. CCC. L. (a)

CHRISTIANUS Ischirius, Juliacensis, ecphrasin concinnavit in septem poenitentiae psalmos; itemque in psalmos omnes, qui per horas canonicas in Mariae laudem leguntur; in psalmos quoque, quos Romana ecclesia in defunctorum pervigiliis decantat. Claruit ann. Dom. M. D. XXXVI.

CHRI-

(a) Christianus Druthmarus reapse scripsit breviores Commentarios in Lucam, & Johannem, qui jam typis sunt mandati. Vide Mabillonium *T. II. Annal.* & Simonium *Hist. Critic. N. Test. pag.* 370.

Digitized by Google

CHRISTOPHORUS Marcellus, Venetus, Corcyrae archiepiſcopus, reliquit in Pſalmum 13. USQUE QUO DOMINE OBLIVISCERIS, commentarium eccleſiae paſtore dignum: qui incipit, *David Propheta magnus*. Floruit anno Domini M.D.XX.

CHROMATIUS, Aquilejae epiſcopus, patria Romanus, vir pietate & eruditione clariſſimus, quem Hieronymus in praefatione Paralipomenon epiſcoporum ſui temporis ſanctiſſimum, atque doctiſſimum (quod raro invenitur) appellat, edidit commentarios in Matthaeum, eruditione ac pietate inſignes: ex quibus ego ſubjecta fragmenta legi, videlicet

IN MATTHAEI caput 3. ſuper illud, SINE MODO: SIC ENIM DECET IMPLERE OMNEM JUSTITIAM: quod incipit, *Quapropter reſpondens Dominus*

IN MATTHAEI caput quintum ex integro, & in partem ſexti capitis fragmentum; cujus initium eſt, *Videns autem inquit*.

ITEM de octo beatitudinibus in Matthaei caput quintum homiliam elegantem, cujus initium eſt, *Dat nobis fratres Conventus*. Claruit anno Domini CCCCX. ſub Theodoſio.

CYPRIANUS, Carthaginenſis epiſcopus, natione Afer, ante ſuſceptam fidem glorioſe rhetoricam docuit: ſed, ſuadente presbytero Caecilio, a quo & cognomen ſortitus eſt, ad Chriſtum converſus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogavit; ac poſt non multum in presbyterum, & epiſcopum Carthaginis electus, multa piiſſima opuſcula elegantiſſimae phraſeos, & Ciceroniano candori proximae, ad aedificationem eccleſiae ſcripſit: in quibus, ut Hieronymus ad Paulinum ſcribens ait, inſtar fontis puriſſimi lenis inceſſit & placidus. Ex horum numero fertur ſanctae ac venuſtae brevitatis explanatio in Dominicam orationem, cujus initium eſt, *Evangelica praecepta*: ex qua D. Auguſtinus protulit teſtimonia de peccato originali adverſus Pelagium libro 4. ad Bonifacium, contra duas epiſtolas Pelagianorum capite 9. & libro 2. adverſus Julianum capite 1. Lactantius, libro quinto divinarum inſtitutionum Cypriani eloquentiam deſcribens, his utitur verbis: UNUS igitur praecipuus & clarus extitit Cyprianus, qui magnam ſibi gloriam ex artis oratoriae profeſſione quaeſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere miranda: erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, &, quae ſermonis maxima eſt virtus, aperto; ut diſcernere nequeas, utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo quiſquam fuerit. Claruit anno Domini CCXL.

CYPRIANUS, monachus Ciſtercienſis, commentarios reliquit in Matthaeum, in Job, & in Pſalmos 51. 79. (a)

CYRILLUS, Alexandrinae eccleſiae epiſcopus, Teophili ejuſdem urbis epiſcopi, ex fratre nepos, acumine ingenii, ſubtilitate judicii, eruditionis varietate, docendi facilitate, copiaque diſſerendi celebris, & pietate ſincera conſpicuus, reliquit in divinas literas varios ac pene innumerabiles interpretativi generis labores, hoc eſt homilias valde elegantes, (quas olim, ut Gennadius refert, Graeciae epiſcopi ad declamandum memoriae commendabant) item epiſtolas, commentarios, & diſputationes: ex his omnibus infraſcripta duntaxat ad notitiam meam pervenerunt, videlicet

In Pentateuchum opus Allegoricum, cui titulus & argumentum eſt, Quod per omnem Moſis ſcripturam Chriſti myſterium deſignetur: ſermones vero, ſive libelli, ſive diſtinctiones, ſive potius tituli, quibus totum opus diſtinguitur, hi ſunt:

QUOD in omni Moſis ſcriptura myſterium de Chriſto inveniatur, Praefatio, incipiens Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, id eſt *Scrutamini ſcripturas*.

In Geneſeos caput primum De formatione Adami ſermo primus, incipiens, *Paulus ille ſacratiſſimus*.

In Gen. 6. De Nohe & Arca ſermo ſecundus.

In Gen. 9. De nudatione Nohe ſermo 3.

Genuina, quae extant, Cyrilli exegetica, ſunt Glaphyra, ideſt Commentaria in Pentateuchum, Commentariorū in Iſaiam libri V. Commentarius in XII. Prophetas Minores, & Commentariorum in Johannem libri XII. Homiliae Paſchales XXX. & Homiliae de rebus variis XIV.

(a) Cyprianus Monachus Cyſtercienſis, *Hiſpaniae Phoenix* adpellatus, Hebraice, Chaldaice, & Graece doctus, Sacrarum litterarum in Complutenſi Academia Profeſſor, ultra laudatos ab Xyſto commentarios; alios edidit in Iſaiam, Jeremiam, Nahum, in Cantica Salomonis, in Johannis Evangelium, & Apocalypſin: Tractatum quoque de Mundi opificio. Obiit Anno MDLX.

Digitized by Google

In Gen.11. De turri & ejus ſtructura ſermo 4.
In Gen.14. De Abraham & Melchiſedech ſermo 5.
In Gen.15. De Abraham & promiſſione ei facta in Iſaac ſermo 6.
In Gen.22. De ſacrificio Abraham & Iſaac ſermo 7.
In Gen.24. de Iſaac & Rebecca ſermo 8.
In Gen.25. De Eſau & Jacob, duos populos figurantibus, ſermo 9.
In Gen.27. uſque ad 35. De perſecutione Eſau ſermo 10.
In Gen.30. & 31. De his, quae inter Jacob & Laban geſta ſunt, ſermo 11.
In Gen.32. De Jacob, mittente nuncios ad Eſau, ſermo 12.
In Gen.32. De nocturna luctatione Jacob ſermo 13.
In Gen.37. De Joſeph, paſcente oves patris cum fratribus, ſermo 14.
In Gen.38. De Juda & Thamar ſermo 15.
In Gen.37. De Joſeph, Iſmaëlitis vendito, ſermo 16.
In Gen.48. De benedictione filiorum Joſeph ſermo 17.
In Gen.49. De benedictionibus Patriarcharum ſermo 18.

Hos ſermones oſtendit nobis Graece conſcriptos Ambroſius Mediolanenſis, monachus Caſſinatenſis, vir utraque lingua peritiſſimus; qui eos a ſe Latine verſos propediem daturus eſt in lucem: ſubjectos vero ſermones in caetera Pentateuchi volumina vidimus in vetuſtiſſimo Graeco codice ſcripto, quem nobis ſuppeditavit Angelus Juſtinianus Chyus Minorita, inſignis theologus; qui nuper ex Graeciae ruinis bibliothecam antiquiſſimorum orientalis eccleſiae patrum monumentis inſtructam multo aere, ac labore collegit; eamque ſecum, veluti ſacrum quendam theſaurum, in Italiam advexit. Sermonum tituli ſic habent:

In Exodi cap.4. De tribus ſignis, a Deo Moſi exhibitis, ſermo 19.
In Exodi 12. De ſacrificio agni ſermo 20.
In Exod.13. De conſecratione primogenitorum ſermo 21.
In Exod. 15. De Aqua Marath ſermo 22.
In Exod.16. De Manna & coturnicibus ſermo 23.
In Exod.17. De petra, in Raphidim percuſſa, ſermo 24.
In Exod.19. De monte inacceſſibili, & Israël juxta eum poſito ſermo 25.
In Exod.24. De aſcenſu Moſis, Aaron; Nabad, & Abiud ſermo 26.
In Exod.32. De fabricatione vituli ſermo 27.
In Exod.34. De velamine in facie Moſis ſermo 28.
In Levitici 1. Quod paſſio Chriſti ſalubris eſt, ſermo 29.
In idem Quod participes myſticae benedictionis ſancti & ſacri undequaque erimus, ſermo 30.
In Levitici 14. De mundatione leprae ſermo 31.
In Levit.16. De Judaeorum ſynagoga, quae ex infidelitate cecidit, ſermo 32.
In idem Quod non ſemper ingrediatur Aaron in ſancta ſanctorum ſermo 33.
In Numerorum cap.13. De exploratoribus terrae promiſſionis ſermo 34.
In Num.14. De Chriſto, & Judaeorum ſynagoga, & populi murmuratione ſermo 35.
In Num.15. Quod Chriſtus factus eſt nobis panis vitae, & de primitiis ſer.36.
In Num.19. De vitula rufa ſermo 37.
In Num.21. De ſerpente aeneo ſermo 38.
In Deuteronomii cap.20. De miſſis in libellum ſermo 39.
In Deut.21. De muliere captiva in unguibus abradenda ſermo 40.
In Deut.22. De bove, in foveam lapſo, ſermo 41.
In Deut.27. De lapidibus, trans Jordanem erigendis, ſermo quadrageſimus ſecundus.
In Deut.31. De inſtitutione & electione Joſue ſermo 43.

SCRIPSIT quoque in decimum ſextum Levitici caput de Apopompejo, hoc eſt capro emiſſario, ad Acacium epiſcopum epiſtolam unam, quae incipit, *Lectis quae a ſanctitate tua*.

FERUNTUR etiam ſub Cyrilli nomine in Leviticum commentariorum libri ſexdecim, a typographis noſtrorum temporum nimis impudenter excuſi, cum neque commentarii ſint, neque Cyrilli opus, ſed homiliae ſexdecim Origenis extem-

Digitized by Google

temporales, & ad populum habitae: in quibus Origenes saepe se excusat, quod temporis angustia coarctatus nequeat singulorum verborum explanationi insistere, more eorum, qui per ocium commentaria scribunt; ac proinde se pauca admodum perstringere, magis ad aedificationem auditorum, quam ad expositionem scripturarum. Apparet autem has homilias esse Origenis tam ex styli, quam ex dogmatum similitudine.

COMPOSUIT item in Esaiam libros quinque, eodem ordine in varios sermones, sive sectiones divisos: quorum initium est, *Obscura semper est sanctorum Prophetarum oratio*.

DICTAVIT etiam in Danielem, in Oseam, & in Abacuch homilias plurimas, quae in bibliotheca Vaticana servantur.

SCRIPSIT praeterea in totum Matthaei Evangelium integrae & continuae explanationis libros, sive tomos plures; ex quorum undecimo, & duodecimo tomis citantur testimonia in sexta synodo Constantinopolitana, & in secunda synodo Nicaena.

EXTANT in cathena aurea D. Thomae in Lucam fragmenta plurima explanationum in idem evangelium titulo Cyrilli praenotata, in quibus repetitiones transitiones connexiones epilogi, aliaque id genus indicare videntur Cyrillum, aut commentarios, aut homilias scripsisse in Lucam.

ITEM in Evangelium Joannis libros duodecim, insertis toto passim opere multis adversus Arrianos, aliosque haereticos disputationibus. Horum librorum quatuor intermedios, nempe quintum, sextum, septimum, & octavum, injuria temporum absumptos, Judocus Clictoveus ex Chrysostomo, & aliis patribus collectos supplevit.

POST haec edidit etiam in epistolam ad Hebraeos commentaria: ex quibus magna, atque prolixa fragmenta, CYRILLI nomine praenotata, inveni partim apud Theodoretum in dialogo, qui inscribitur INCONFUSUS, partim apud Theodorum Monachum Graecum in libro, cui titulus est, ὅτι ὁ πατὴρ ἀεὶ γεννᾷ, hoc est *Quod pater semper generat*.

SCRIPSIT denique pro defensione utriusque testamenti disputationum libros decem adversus Julianum Imperatorem, qui, septem editis voluminibus, sacrosanctas scripturas oppugnaverat.

CLARUIT Cyrillus in concilio Ephesino, cui Coelestini Papae jussu praesedit, anno Domini CCCCXXXII.

CYRILLUS, Hierosolymae episcopus, catholicae & apostolicae doctrinae assertor ac propugnator clarissimus, scripsit in varios divinae scripturae locos homilias ac sermones plurimos; e quibus nunc extant orationes catechisticae ad illuminatos decem & octo; quas Hieronymus asserit ab auctore in adolescentia fuisse compositas: harum Praefatio sic incipit, *Jam est beatitudinis odor in vobis*. Extant item ejusdem in aliquot scripturae sententias Mystagogici sermones quinque, in quibus de baptismo, chrismate, & eucharistia luculenter edisserit. Has cum superioribus e Graeco in Latinum vertit Joannes Grodecius. Claruit sub Theodosio principe, cujus tempore episcopatum, a quo saepe fuerat pulsus, octo annis inconcusse tenuit. Moritur circa annum Domini CCCLXXX.

D

DAMIANUS MARAFFUS, Florentinus, collegit libros duos, quibus expressit praecipuas veteris ac novi testamenti historias elegantissimis picturis, Alberti Durerii, Germani, praestantissimi pictoris, manu delineatis; additis ad singulas Hetruscis octastichis, cujusque picturae significationem explicantibus. Claruit anno salutiferae incarnationis Domini nostri JESU CHRISTI millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto.

DEFENSOR, doctus, pius, & vetustus theologus, in gratiam nutritoris sui Ursini decerpsit ex omni sacra scriptura locos quosdam communes diversorum moralium argumentorum, adjectis etiam patrum antiquissimorum sententiis, quas praedictis scripturarum locis conformes esse invenit: inscripsit autem opus

Digitized by Google

ſuum. SCINTILLAS SCRIPTURAE SANCTAE, cujus principium eſt, *Lector quiſquis es*. Quo tempore floruerit, incertum eſt.

DIDYMUS Alexandrinus, vir admirabilis, & omnis generis eruditione floreins, cum admodum juvenis eſſet, & prima grammatices elementa didiciſſet, in morbum oculorum incidit; quo ita male affectus fuit, ut viſus amiſerit acumen. Deus vero illi pro corporeis oculis ſpirituales praeſtitit: nam & rhetoricam caecus apprehendit, & ad philoſophica progreſſus, ſtupendo quodam modo dialecticam edidicit; & arithmeticam, geometriam, muſicam, & reliquas philoſophorum diſciplinas in animum ſuum recondidit: quin & divina veteris, ac novi teſtamenti oracula exactiſſime tenuit, & Origenis Periarchon expoſuit, & commentarios in illud evulgavit; quibus illa, quae in ipſo ſunt, bene eſſe ſcripta contendit. Huic Antonius magnus, monachus, cum eo Alexandriam congreſſus, dixit: NIHIL, o Didyme, turbet te corporalium oculorum jactura: talibus enim deſtitutus es oculis, quibus & muſcae, & culices videre poſſunt: ſed laetare, quod oculos habes, quibus angeli vident, & Deus conſideratur, & lux illius apprehenditur. Ad quam ſententiam alludens D.Hieronymus, Didymi in ſacris literis diſcipulus, in epiſtola ad Paulinum, DIDYMUS, inquit, meus, oculos habens ſponſae de Cantico Canticorum, & illa lumina, quae in candentes ſegetes ſublimare praecepit Jesus, procul altius intuetur, & antiquum nobis morem reddit, ut & videns vocetur Propheta: certe, qui hunc legerit, Latinorum furta cognoſcet, & contemnet rivulos, cum coeperit haurire de fontibus. Imperitus ſermone eſt, ſed non ſcientia, apoſtolicum virum ex ipſo ſtylo exprimens tam ſenſus lumine, quam ſimplicitate verborum. Hic ergo plura & nobilia commentaria per notarios dictavit: quorum tota ἐξήγησις, ut Hieronymi utar verbo, allegorica fuit, & hiſtoriae vix pauca attingens, de quorum numero maxime inſignia ſunt,

COMMENTARIORUM in Job libri tres.
IN Pſalterium liber unus.
IN Eſaiam ab initio 40. capitis uſque ad finem tomi decem & octo.
AD Hieronymum Presbyterum in Oſeam libri tres.
AD Eundem in Zachariam libri quinque.
IN Matthaeum liber unus.
IN Joannem liber unus.
IN epiſtolas Pauli libri quatuordecim.
IN epiſtolas catholicas libri ſeptem.

CLARUIT ſub Theodoſio Magno anno Domini CCCXC. (a)

DIEGUS DEZA, archiepiſcopus Hiſpalenſis, Toro nobili oppido Caſtellae in Hiſpania ortus, ordinis Praedicatorum, in tota Hiſpania ſummus in rebus fidei cenſor, qui inſigne Hiſpali Dominicanorum collegium conſtruxit, inter caetera ingenii ſui monumenta reliquit Monoteſſaron Evangelicum pulcherrimis commentariis illuſtratum, quod nunc in bibliotheca ejuſdem collegii magno volumine, & elegantibus characteribus deſcriptum ſervatur. Claruit anno Domini milleſimo quingenteſimo.

DIODORUS, Tarſenſis epiſcopus, Joannis Chryſoſtomi in ſacris literis praeceptor, Antiochenae quondam eccleſiae presbyter, non minus ſanctitate, quam ſacrarum literarum notitia clarus, Euſebii Emeſſeni ſenſus, & ſcripturarum intelligentiam, quam ſibi imitandam ſumpſerat, aſſecutus, eloquentiam tamen ejus propter ignorantiam ſaecularium literatum imitari non potuit. Is itaque, ut refert Suidas ex Theodori hiſtorici auctoritate, ſcripſit in divinas ſcripturas infraſcripta volumina:

IN Pentateuchum libros quinque.
IN Regum libros, in Paralipomenon, in Pſalterium, in Proverbia, in Eccleſiaſten, in Canticum Canticorum, in Prophetas commentarios valde probandos.
ITEM in quatuor evangelia, in Paulum, in actus Apoſtolorum, & in epiſtolam Joannis Evangeliſtae nobiles commentationes.

ITEM

(a) Didymus Alexandrinus longe ante floruit ac N. Xyſtus ſentit, floruiſſe igitur dicendus eſt Sub Conſtantino M. quippe qui S. Antonium Abbatem fuit adloquutus.

Digitized by Google

ITEM de Theoriae & allegoriae in ſanctis ſcripturis diſcrimine librum unum. Theodoretus lib. 6. eccleſiaſticae hiſtoriae capite 3. ipſius mentionem faciens, ſic ſcribit: DIODORUS, Tarſenſis epiſcopus, multos libros conſcripſit: & quoniam nudae divinarum ſcripturarum literae erat intentus, theorias earum ſubvertit. Atque hoc idem eidem tribuit Sozomenus lib. 8. hiſtoriae eccleſiaſticae capite 2. inquiens: DIODORUM, Tarſenſem epiſcopum, audivi multos commentariorum ſuorum poſt ſe reliquiſſe libros, & ſacras ſcripturas ad literam, theoria neglecta, expoſuiſſe. Nicephorus quoque in 13. hiſtoriae volumine haec addit: DIODORUS, Tarſenſis epiſcopus, multos ſcriptorum ſuorum libros in utrunque teſtamentum reliquit: in quibus tantum in literae ipſius expoſitione occupatus eſt, abſtruſiorem ſublimioremque ſcripturae ſenſum, & contemplationum ſpeculationes declinans: qua in re etiam praecipue ſectatus eſt eum diſcipulus ejus Joannes Chryſoſtomus. Floruit anno Domini CCCLX.

DIONYSIUS, Alexandrinae urbis XIII. epiſcopus, Origenis quondam auditor, omnibus diſciplinis tam ſacris, quam prophanis imbutus, cum adhuc presbyter eſſet, ſub Heracla ſcholam publice tenuit, & magnam doctrinae ſuae gloriam acquiſivit: quanquam in Cypriani, & Africanae ſynodi dogma de haereticis rebaptizandis conſenſerit. Hic igitur ſcripſit eruditos in Eccleſiaſten commentarios: quorum Procopius Gazaeus in explanatione tertii capitis Geneſeos meminit. Scripſit item in primam ad Corinthios enarrationem, cujus meminit Hieronymus in epiſtola ad Pammachium. Item adverſus Nepotem, epiſcopum Chiliaſtam, qui ex Apocalypſi Joannis mille annorum regnum falſo aſtruebat, libros duos; in quibus de omnibus his, quae in Revelatione Joannis continentur, diligentiſſime, ac piiſſime diſputavit. Scripſit item adverſus Irenaeum, Lugdunenſem epiſcopum, Apocalypſin Joannis carnaliter exponentem, librum unum, cujus meminit Hieronymus in praefatione libri 18. commentariorum in Eſaiam. Moritur duodecimo Galieni anno, hoc eſt circa annum Domini CCLXX.

DIONYSIUS Levvius, Germanus, ex oppido Richel, Cartuſiani inſtituti, in nobili Ruremundae coenobio profeſſor, vir eruditionis & ſanctitatis ſummae, contemplationi & orationi eo Spiritus fervore, & ita aſſidue inſiſtens, ut miraculum ſit, hominem, continua divinorum meditatione abſtractum, tam magnum variumque voluminum numerum, quantum nunc typis excuſum habemus, ſcribere potuiſſe: hic omnes utriuſque teſtamenti libros piiſſimis & clariſſimis commentariis illuſtravit, & juxta triplicem divinae ſcripturae ſenſum, & praecipue literalem, breviter & apertiſſime explicavit, ſecutus ſcholaſticorum explanatorum conſuetudinem, ſtylo tamen aliquantulum politiore, & inter veteres patres & recentiores ſcholarum ſectatores medio. Citat autem nominatim non ſolum priſcos auctores, ſed & ipſos ſcholaſticos Hugonem, Bonaventuram, Thomam, Lyranum, atque alios ejuſdem profeſſionis, ex quorum rapſodiis explanationes ſuas collegit, omiſſis eorum faſtidioſis diviſionibus, ac ſubdiviſionibus. Numerus autem commentariorum ejus cum exordiis eorundem, a diverſis ſcripturarum ſententiis more ſcholaſtico incipientibus, habes apud Tritemium. Claruit anno Domini M.CCCCLXXII.

DOMINICUS Buchius Catharenſis, ordinis Praedicatorum, theologus ſcholaſticus, edidit expoſitionem in ſeptem Pſalmos poenitentiae, additis ad ſingulos piis precantiunculis, quam inſcripſit Etymum elegantiſſimum in ſeptem Pſalmos. Opus incipit, *Manna coeleſte*. Claruit anno Domini M.D.XXX.

DOMINICUS Leonus, Venetus, profeſſione ſcholaſticus, cujus multa volumina in bibliotheca Dominicana Bononiae ſervantur manuſcripta, exaravit Poſtillam in Lucam, quae incipit, *Principis ſuperineffabilis*. Floruit anno Domini M.CCCLXVIII.

DOMINICUS Mancinus, poëta non ignobilis, hexametris carminibus librum unum emiſit De paſſione Domini, ex quatuor Evangeliis collectum, qui incipit, *Non hominum laudes, nec, &c.* anno Domini M.CCCCXCIIII.

DOMINICUS Nanus Mirabellius, civis Albenſis, artium doctor, cujus extat opus, POLYANTHEA praenotatum, anno M.CCCCLXX. collegit Monoteſſaron Evangeliorum, ſive Harmoniam ex quatuor Evangeliis: in quo opere una

Digitized by Google

una cum ſententiis Evangelicis omnes auctoritates, & ſententias gentilium philoſophorum, poëtarum, & oratorum contexuit, quae cum ſingulis Evangeliorum locis concordare viderentur, appoſitis nominibus auctorum, quorum eſſent ſententiae: ſervatur hoc opus conſcriptum Genuae in bibliotheca Praedicatorum coenobii Caſtellenſis. Nomina vero auctorum, ex quibus Harmonia contexitur, haec ſunt:

Septem ſapientes Graeciae,

Seneca,	AEſopus,	Juvenalis,
Ovidius,	Apulejus,	Perſius,
Sibyllarum oracula,	Mahometh,	Claudianus,
Hermes Triſmegiſtus,	Iſocrates,	Lucanus,
Pythagoras,	Tullius,	Lucretius,
Anaxagoras,	Homerus,	Plinius,
Empedocles,	Terentius,	A. Gellius,
Zeno,	Virgilius,	Macrobius,
Plato,	Horatius,	Valerius Maximus,
Ariſtoteles,	Plautus,	Auctor operis.

DOMINICUS Soto, Hiſpanus, patria Segobienſis, ordinis Praedicatorum, Caeſareae majeſtati a ſacris confeſſionibus, ſummus theologus, philoſophus & orator, ſcripſit anno Domini M.D.XLVIII. in epiſtolam ad Romanos commentarios, eruditione, ſtylo, ac praeſertim methodo valde probandos: in quibus literales primum ſenſus apertiſſime dilucidat: breviter deinde propoſitis ac ſolutis omnibus tam veterum, quam recentiorum ſuper hac epiſtola controverſiis, afficiendis promovendiſque animis, quanta poteſt dicendi efficacia, inſiſtit. Operis exordium hoc eſt, *Diffiteri porro nequeo*.

DOROTHEUS, Tyri epiſcopus, qui ſub Juliano Auguſto, religionis Chriſtianae deſertore, martyrium paſſus eſt, collegit univerſae ſcripturae ſanctae Synopſin, hoc eſt Contuitum: in qua omnium librorum utriuſque teſtamenti argumenta breviſſime complexus eſt. Claruit anno Domini CCCLX. (a)

DRACONTIUS Presbyter, Hiſpanus, ſcripſit in Hexaëmeron creationis mundi expoſitionem heroicis verſibus: cujus meminit Honorius Auguſtudonenſis in catalogo.

E

ECCARDUS Germanus, Dominicanus, in Peripatetica philoſophia omnium eruditorum ſui ſaeculi princeps, & in divinarum rerum ſcientia praeſtantiſſimus, acris ac ſubtilis ingenii, cujus nonnullae ſcholaſticae propoſitiones propter obſcuritatem, ambiguitatem, novitatemque dictionum ex academiis theologorum exploſae fuerunt, ſcripſit ſcholaſtico more in Geneſim, in Exodum, in Canticum Canticorum, in Sapientiam Salomonis, in Joannem, in Orationem Dominicam, in Evangelia feſtiva totius anni. Claruit ſub Henrico Imperatore VII. anno Domini M.CCCX.

ECKEBERTUS Benedictinus, ſecundus abbas monaſterii S.Florini, natione Germanus, frater B.Heliſabet virginis, abbatiſſae Schonaugienſis, ſcripſit non aſpernendae lectionis opuſcula: de quibus vidi in principium Evangelii Joannis librum unum, qui incipit, *Myſteria divini ſermonis*.

EDUARDUS Leus, Anglus, ſcripſit annotationes adverſus annotationes Eraſmi in novum Teſtamentum, quae excuſae ſunt Moguntiae anno M.D.XX.

EGESIPPUS, genere Judaeus, vita & ſermone ſimplex, redegit ad formam Graecae hiſtoriae brevi ac ſimplici ſtylo omnes Hieroſolymitani regni actiones, quatuor libris Regum comprehenſas, uſque ad captivitatem Judaeorum, murique excidium, & Babylonis triumphos: cujus ipſe laboris meminit in praefatione

(a) Quae ab aliquibus fuit Dorotheo, Tyriorum potius Presbytero, quam Epiſcopo, adjudicata Synopſis, univerſim ab recentioribus Criticis anonymo cuidam longe poſterioris aetatis adjudicatur; eaque fabellis, ac nugis referta unanimi conſenſu ventilatur. Videſis animadverſionem Cavii *Secul. IV. Hiſtor. Litterar.* & Ludovicum Heliam Du-Pin *Diſſert. Praelimin. in Bibliot. Nov.* §. *IV.* qui ita breviter de hoc opere judicium profert. „ Liber ille Veteribus „ ignotus fuit, aperte pugnat cum Hiſtoria, & com„ mentis refertus eſt „.

Digitized by Google

tione quinque librorum De excidio Hieroſolymitanae urbis, qui nunc extant. Floruit vicinus apoſtolicis temporibus, pervenitque uſque ad Antonium Pium anno Domini CLX. (a)

EINARDUS, qui & Eginardus, natione Germanus, Caroli Magni Auguſti epiſtolarum magiſter, monachus poſtea Benedictinus, diſciplinarum ſtudiis & ſanctiſſimis moribus admirandus, imitatus Bedam, conſimili ſtudio abbreviavit & ipſe pſalterium Gallicanum, colligens ex eo meditationes, precationes, & gratiarum actiones, quibus ante Deum pius orator cor ſuum effundat. Claruit ſub Carolo, & Ludovico, ejus filio, anno Domini D.CCCLX.

EPIPHANIUS, Salaminae Cypri, (quae poſtea, Hieronymo teſte, Conſtantia dicta eſt) vel Salaminae primum, & poſtea Conſtantiae, ut Suidae placet, diverſarum Cypri urbium epiſcopus, eremita quondam, & monachus ſolitudinis Aegypti, vir eruditione inſignis, ac propter quinque linguarum peritiam πεντηγλώττης a Hieronymo nuncupatus, ſanctitate & miraculis clarus, acerrimus haereticorum hoſtis, adverſus quos etiam opus edidit inſigne, Panarion, hoc eſt Arculam medicam appellatum; ſcripſit librum ad intelligentiam multarum dictionum & characterum, quae tam in ſcripturis, quam in antiquis interpretum editionibus habentur, utiliſſimum: in quo tractat de ponderibus & menſuris in divinis literis uſurpatis, de divinae ſcripturae partibus, de ejuſdem interpretibus, deque accentibus, notis, & characteribus, quae paſſim apud veteres ſacrae ſcripturae interpretes reperiuntur: cujus initium eſt, *Si quis voluerit cognoſcere*: ſcripſit item περὶ λίθων, hoc eſt De lapidibus, praeſertim vero de his, quorum mentio fit in ſacris literis, librum unum; ex quo Arethas, Cappadociae epiſcopus, in Apocalypſin, & Hieronymus in commentariis ſuper 53. caput Eſaiae teſtimonia producunt. Edidit etiam De vita & interitu omnium Prophetarum a Nathan Propheta uſque ad Joannem Baptiſtam librum unum, ad intelligendos titulos, occaſiones, & argumenta propheticorum voluminum non inutilem: cujus initium eſt, *Nathan eiſdem fere temporibus*. Compoſuit quoque in Evangelium Lucae libellum unum, PAVIMENTI titulo praenotatum: in quo confutavit omnia ejuſdem Evangelii loca a Marcione adulterata & falſata, docens ſimul regulas quaſdam, quarum auxilio in ſacris voluminibus ſincerae & catholicae ſcripturae ab adulteratis haereticorum ſcripturis deprehendantur, ac redarguantur. Quod quidem Pavimentum primo Panarii ſui libro haereſi 42. inſeruit. Claruit ſub Theodoſio, Auguſto anno Dom.CCCXC. (b)

EPI-

(a) Sub initium quidem II. Seculi floruit Hegeſippus Apoſtolis proximus, qui ab Apoſtolis res geſtas commemoravit, quique primus propterea Eccleſiaſticam hiſtoriam contexendam adgreſſus, ea reliquit, ſive monumenta, ſive fragmenta, quae ſaepius in ſua Hiſtoria laudat Euſebius Caeſarienſis, & quem idcirco S. Hieronymus in Catalogo Virorum inluſtrium commendavit. Verum opus *de excidio Urbis Hieroſolymitanae*, quod ſub ejus nomine venditatum eidem olim adjudicarunt Eccleſiaſtici Scriptores, quibus etiam N. Xyſtus ſubſcripſit, alteri poſterioris aetatis fore reſtituendum conclamant univerſim quotquot Critici audiunt: ſed cui nam? non conveniunt. Certe nil aliud eſt opus illud, quam laxior quaedam Joſephi Hebraei verſio Latina ex libris *de Antiquitatibus Hebraicis*, & de *Bello Judaico* compacta, ex quo profluxit error de Authore Hegeſippo: primitus quidem ſub nomine JOSIPPI circumferebatur, ut obſervavit P. Colmeſius, qui in membranis pervetuſtis Iſaaci Voſſii vidit JO, eraſis prioribus litteris ſubſtituta tria EGE; unde Egeſippi compactum eſt nomen. Et in Bibliothecae Ambroſiana Codice MS. libro V. praefigitur hic titulus JOSIPPI LIBER QUINTUS. Non immerito igitur aliqui hoc opus adjudicant S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo, qui primus hanc ex Graeco in Latinum verſionem curavit, & Cl. Johannes Mabillonius in ſuo Italico Muſaeo pag. 14. mutilum hujuſce exemplar a ſe conſpectum refert, ubi ita legebatur: LIBER SECUNDUS. *Ambroſius Epiſcopus e Graeco tranſtulit in Latinum*. Nec diſſimilis eſt Ambroſianus ſtylus, conformis eſt phraſis, ut etiam ex innumeris Ambroſii, & hujuſce Hegeſippi comparatis locis obſervavit comprobavitque Joannes Granovius *obſervat. in Script. Eccleſ.* Quiſquis ergo ſit illius Author, certe Seculo IV. labente floruit, cum meminerit adhuc ſtantis in Occidente Imperii, & Conſtantinopoleos ac Novae Romae.

(b) Liber de *Vita & interitu omnium Prophetarum* „ eſt collectio innumeris fabulis, & commentis con„ ſarcinata, quae Epiphanio adſcribi nequit, quin pro „ fanatica habeatur „ optime obſervavit Dupinius *Tom. II. Biblioth. Nov. Eccleſ. Author.* quapropter univerſim eam Critici Epiphanio abjudicant, ut etiam ego alibi obſervavi. Laudatur a N. Xyſto praefatum opus ſub nomine Epiphanii, quia ab aliis fuit primitus idem liber Epiphanio adjudicatus, eſto nec Hieronymus, nec alii, quibus fides citra periculum erroris praeſtari poſſet, nullimode meminerint ejuſdem. At vero libellum in Evangelium Lucae *Pavimenti* titulo diſtinctum a nemine, ut novi, fuiſſe adjudicatum Epiphanio conſtat; & quod magis ſtuporem inducit, nec ab emunctae naris Criticis indigitatum vidi; quinimo nec ab Trithemio, neque a Bellarmino, neque ab alio librum hunc citatum reperi: quare ſicut ſuppoſititium illum Epiphanio omnino adſtruo, ſic etiam a quonam relatum laudaverit Xyſtus prorſus ignoro. Inter editiones Epiphanii citra omnem dubietatis aleam eſt illa Graeco-Latina, quam confecit Cl. Dionyſius Petavius ſuis diſſertationibus, & notis adjectis.

Digitized by Google

EPIPHANIUS, cognomento Scholaſticus, natione & lingua Graecus, (cujus auxilio Caſſiodorus, conſul Romanus & monachus, tripartitam ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto, Graecis auctoribus, adunavit hiſtoriam) inſigniores praeſtantiſſimorum patrum expoſitiones, ad Pſalterium pertinentes, in unam collegit explanationum catenam: cujus initium eſt, ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. μακαριότητος μὲν κατὰ φύσιν ἅπαντες ὀρεγόμεθα: hoc eſt, EUSEBII CAESARIENSIS. *Omnes quidem ſecundum naturam beatitudinem deſideramus*. Nomina vero auctorum, quorum expoſitiones in hoc opere continentur, haec ſunt.

Origenes, Athanaſius, Euſebius Caeſareae, Baſilius Cappadociae, Aſterius Scythopoleos, Theodorus Heracleae, Theodorus Antiochiae, Didymus, Apollinarius, Theodoretus, Cyrillus, Heſychius.

Claruit anno Domini N. Jesu Chriſti D.X.

EPHREM Syrus, diaconus & monachus, ſermones plurimos Syriaca primum, ac deinde Graeca lingua edidit in varios divinae ſcripturae locos; ex quibus legi in Matth.17. De transfiguratione Domini homiliam unam, incipientem, *De regionibus meſſis gaudia*.

ERHARDUS, monachus Benedictinus, vir, quantum apparet ex fragmentis ejus, quae in compendio allegoriarum Tilmanni leguntur, pie doctus, ingenio ſubtilis, & eloquio gratus, ſcripſit in Pentateuchum Moſis commentariorum non contemnendae lectionis libros quinque: vixit anno Domini M.L.

ESAIAS Patavinus, canonicus Auguſtinianus, monaſterio Charitatis Venetiarum educatus, commentarios Italico ſermone compoſuit in Canticum Canticorum Salomonis anno Domini M.CCCCLXXX.

EVAGRIUS, epiſcopus Antiochenus, monachus quondam & diſcipulus beati Macharii Aegyptii, vir Graeco & Latino peritus eloquio, ſic in epiſcopatu prioris vitae abſtinentiam, auſteritatemque ſervavit, ut miraculo haberetur: hic primus vitas SS.Patrum ſcriptis commendavit, variaque etiam in ſacras literas ſcripſit: e quorum numero ſunt in Proverbia Salomonis pulcherrima commentaria. Claruit ſub Gratiano Auguſto anno Domini CCCLXXX. (a)

EUCHERIUS, Lugdunenſis eccleſiae epiſcopus, natione Gallus, vir inter eos, qui pietatis, eruditionis, & eloquentiae gloria floruerunt, inſignis, multa in ſacras literas praeclari ingenii ſui monumenta reliquit Latino ſermone conſcripta, & elegantibus verbis, argutiſque ſententiis florentiſſime exornata: ex quibus Gennadius opuſculum recenſuit de variis & obſcuris divinae ſcripturae capitulis ad Salonium & Veranium, fratres, poſtea epiſcopos, duobus libellis diſtinctum: cui Iſidorus addidit in Geneſin, & in libros Regum ad eoſdem Salonium & Veranium, jam epiſcopos, volumen prolixum & doctiſſimum: pro quibus quidem operibus prodierunt olim ex officina Frobeniana, & nuper ex chalcographia Romana Pauli Manutii ſub Eucherii titulo in Geneſin commentariorum incontinuatae & interruptae expoſitionis libri tres, in quatuor libros Regum explanationis ejuſdem generis libri quatuor, Formularum ſpiritualium ad intelligendas ſcripturas ſanctas utilium liber unus. Hos tametſi & eruditos fatear, & lectu digniſſimos, non auſim tamen affirmare eos eſſe Eucherii, ſed incerti potius, ac recentioris cujuſpiam collectoris, qui opus more centonum hinc inde collegerit ex dictis Latinorum patrum, praeſertim ex integris ſententiis Gregorii, Iſidori, Bedae, & aliorum auctorum, quos ducentis fere annis praeceſſit Eucherius. Vixit enim, ut ipſemet in epiſtola ad Valerianum teſtatur, Petronio Bononienſi antiſtiti ſynchronos, anno ab urbe condita M. CLXXXV. hoc eſt anno ab orbe redempto CCCCXXVII.

QUOD ſi in tanta ſcriptorum turba divinare liceat, quis hujuſmodi explanationum

(a) Evagrius Monachus S. Macarii olim diſcipulus, & poſtea Origeniſta, alter omnino eſt ab Evagrio Antiocheno Epiſcopo, cujus meminit S. Hieronymus *Lib. de Vir. illuſt. c.125*. unum autem ex duplici confecit Macarium Sixtus ſecutus Trithemium, ut optime obſervavit Aubertus Miraeus *com. in S.Hieron.* Fuiſſe autem Macarium Antiochenum Presbyterum pridem in eremo cum S. Hieronymo, cui propterea familiaris erat, non inficiatur Erneſtus Salomon Cyprianus *ibidem*, at non exinde ſequitur eum fuiſſe diſcipulum Macarii, qui contemporaneus fuit Evagrio, nec illo ſenior, quare nec ejus diſcipulus potuit eſſe, nec ambo ibidem in eremo, ſed in diſſitis regionibus aſceſim coluerunt. Commentaria autem in Proverbia Salomonis, quae huicce Evagrio N. Xyſtus adjudicat, certe neque ei, neque tribus aliis Evagriis, quos litteraria Hiſtoria percenſet, adſcribi poſſunt. Conſule ſaepius laudatos Criticos,

Digitized by Google

nationum farraginem in acervum congesserit; suspicor hunc fuisse Anglum, forteque etiam ipsum Bedam, cui potissimum studium fuit collectanea congregare ex scriptis veterum doctorum, maxime vero Gregorii Papae, cujus nomen non semel in hoc opere citatum invenitur; veluti primo libro expositionis in libros Regum, sub cujus finem lector ad lectionem Moralium beati Papae Gregorii remittitur, & in tertio ejusdem explanationis volumine, capite vigesimo secundo: quo sane loco auctor quodammodo subindicat se non multo post tempora Gregorii in Britannia vixisse, ita scribens: NOSTRIS nuper temporibus B. Papa Gregorius, Evangelicis roboratus eloquiis, Romanam rexit Ecclesiam; & reverendissimi patres Augustinus, Paulinus, & caeteri eorum socii, jubente illo, venere in Britanniam, &c. Huic etiam conjecturae altera accedit, quod magna pars eorum, quae hisce Regum commentariis continentur, legitur iisdem verbis in volumine Quaestionum Bedae super libris Regum. Possem quoque ad certiorem hujus nostri judicii comprobationem hoc loco subnectere indicem innumerabilium locorum, qui tam in hos Formularum spiritualium, quam in Geneseos, & Regum commentarios ex Beda & Gregorio transfusi sunt: sed eos, brevitati consulens, praetermitto, satis me feciisse existimans, si lectoribus haec ita se habere indicarem.

EDIDIT etiam Eucherius in varios divinae scripturae locos celebratissimas conciones; ex quibus eruditissimus vir Claudianus, Viennensis episcopus, illi coaetaneus, in libris De statu animae testimonium sumens, elogium ejus breviter his verbis complexus est: HAUDQUAQUAM Eucherium praeterierim, mihi nunc viventem doctrina, & praesentaneis coram disputationibus cognitum; qui scilicet viridis aevi, maturus animi, terrae despuens, coeli appetens, humilis spiritu, ardens merito, ac perinde ingenii subtilissimus, scientiae plenus, eloquii profluus, magnorum sui saeculi pontificum longe maximus, editis in rem fidei multijugis variorum operum voluminibus, ad populum quoque super animae statu multa nobiliter concionatus est. (a)

EUDOCIA, clarissima foemina, Leonis Athenienſis philosophi filia, Theodosii Junioris Augusti uxor, eximiis corporis & animi dotibus insignis, Christianae religionis perpetua cultrix, sacrorum voluminum studiosa, & poëticae artis gloria inter omnes sui temporis poëtas praecipua, collegit breviter ac summatim ad imitationem Probae, illustris foeminae, ex Graecis Homeri carminibus admirabili industria plurimas veteris ac novi testamenti historias, servata pedum mensura, & Homerici carminis majestate: quod opus, in compendium redactum, Ὁμηρόκεντρα, hoc est HOMEROCENTONAS attitulavit. Asserit tamen Joannes Zonara, Graecus auctor, patricium quendam doctum virum hoc opus primum collegisse, & postea imperfectum & indigestum reliquisse; Eudociam vero demum absolvisse, & in ordinem redegisse, sicut declarat Graeca inscriptio heroicis versibus operi praefixa.

IDEM quoque auctor narrat Eudociam, cum primum ob singularem pudicitiam & egregiam formam esset marito charissima, in ejus acerbum odium ob talem causam innocenter incidisse. Pomum, inusitata magnitudine sibi oblatum, Imperator admiratus, uxori misit: id illa Paulino dedit, viro erudito, eaque de causa sibi familiari: is, rei ignarus, illud Imperatori offert, ut rem miram: quo ille agnito & occultato, uxorem rogat, ubi sit malum ipsum missum: illa verita, ne id suspicaretur maritus, quod jam suspicabatur, se comedisse respondit: verum illo acrius urgente, jurejurando affirmat se jam comedisse: tum ira percitus Imperator, pomum profert, sic, illa in manifesto mendacio deprehensa, suspicio mariti confirmatur: Paulinus vero insons occiditur. Eudocia cum se invisam esse cerneret facultatem abeundi Hierosolymam petit: quo cum magnis opibus profecta, & templa aedificavit, & pauperibus ejus loci monasteriis multa dedit: inde reversa, post mariti obitum, eo rediit: ibique mortua est, non sine magna opinione sanctitatis, regnante Marciano Augusto, anno salutis nostrae CCCCLX. D. Hieronymus in epistola quadam ad Paulinum scribit, se Homero-

(a) Homiliae, quae sub nomine Eucherii Lugdunensis sunt editae, ex concordi eruditorum judicio partim sunt restituendae Eusebio Emeseno, partim Brunoni Astensi, partim Maximo Regiensi, & partim aliis. Videsis laudatos Scriptores de historia litteraria pertractantes.

Digitized by Google

centonas & Virgiliocentonas legisse; sed cujus, ipse non indicat. Isidorus Hispalensis refert Pomponium quendam nobilem poëtam consimili studio multa ex Virgilianis versibus adunasse. Aldus Manutius pervetustum volumen ὁμηροκέντρων, sine auctoris nomine excusit; cujus initium est, κίχλων μυρία φῦλα περιπετομένων ἀνθρώπιον: hoc est *Audite infinitae gentes circum habitantium hominum*.

EULALIUS, Cynopoleos episcopus, vir in sacris eloquiis nobiliter eruditus, & juxta nominis sui interpretationem optime loquens, nec minus prosa, quam carmine praestans, scripsit in Canticum Canticorum prosocarmineam expositionem, hoc est carminibus, soluta oratione permistis, compositam: cujus initium est,

Ὅς μόνος εἰς ἀιῶνα καὶ ἐξ ἀιῶνος ἐπέχθης
Χριστέ: hoc est,
Qui solus semperque extas, semperque fuisti
Christe.

CLARUIT in Constantinopolitana synodo anno Domini D.CLXX.

EUSEBIUS, Caesareae Palestinae, quae prius Turris Stratonius vocabatur, episcopus, ob arctissimam cum Pamphilo martyre necessitudinem Pamphilus & ipse cognominatus, Dorothei Eunuchi viri doctissimi discipulus, & bibliothecae divinae una cum Pamphilo diligentissimus pervestigator, tanta saecularium disciplinarum peritia, & divinarum literarum exercitatione inter omnes sui saeculi episcopos claruit, ut nobilissimo Constantini Imperatoris elogio celebrari meruerit: is enim saepe de ipso dicere consuevit, Felicem Eusebium, qui non unius urbis, sed orbis prope totius episcopatu dignus esset. Non defuere tamen qui eum Arrianae haereseos assertorem, & Nicaenae synodi depravatorem scripserint, sive decepti similitudine appellationis & dignitatis, quas habuit communes cum Eusebio, Berythi primum in Palaestina, & postea Nicomediae in Bithynia episcopo, Arrianorum antesignano; sive ad id credendum inducti, quia Eusebius Caesarienſis in concilio Nicaeno proponentibus Homousii vocem assentiri noluerit, nisi post longam ejus dictionis inquisitionem & examinationem: quod ab eo non malitiose, sed ex sincero potius pietatis studio factum est: cum enim ex episcopis multi vocem Homousii, tanquam multitudinem deorum, quam Arrius induxerat, excludentem, recipi vellent, plerique vero episcopi eandem vocem acriter aversarentur, tanquam inferentem dogma Sabellii, qui unam esse Patris, Filii, & Spiritus Sancti personam statuebat; & ob hanc sententiarum diversitatem Eusebius diu haesitaret, utri se parti adjungeret: Eustathius, Antiochenus episcopus, qui postea a Cyro, Beroënsi episcopo, accusatus, depositus est, ipsum maledictis proscidit quasi Arrii fautorem, & Nicaenae fidei contaminatorem. Eusebius contra se neque Arrio favere, nec Nicaenam fidem corrumpere, sed Eustathium Sabellii perfidiam introducere. Denique, cum declaratum esset a patribus per hanc Homousii vocem non tolli distinctionem personarum, quae ejusdem essent naturae & essentiae, decreto Homousianorum subscripsit, & symbolum Nicaenae fidei, quod nunc in ecclesia decantatur, jussu patrum digessit; &, cum divinorum librorum esset studiosissimus, plura ad ipsorum elucidationem composuit volumina, secutus in his Origenem, cujus admirator & sedulus fuit imitator. Horum, quae ad totius divinae scripturae intelligentiam pertinent, haec sunt:

LIBRORUM omnium veteris testamenti, qui in Canone Hebraeorum sunt, in Graecam linguam translatio: cujus recordantur Socrates libro 1. historiae, & Sozomenus libro 2.

DE LOCIS Hebraïcis liber unus: in quo omnium montium, sylvarum, fluminum, urbium, oppidorum, viculorum, aliorumque locorum, in sacris literis nominatorum, vocabula congregavit, & secundum ordinem literarum disposuit, atque exposuit: quod opus, ab imperito interprete male versum, Hieronymus iterum Latinum fecit, resectis nonnullis, quae non satis memoria digna judicavit, & adjecta operi praefatione, quae incipit, *Eusebius, qui a beato Pamphilo*.

ΤΟΠΟΓΡΑΦΙΑΣ τῆς ἁγίας γῆς, id est, DESCRIPTIONIS LOCORUM TERRAE SANCTAE LIBER UNUS: in quo distinctionem duodecim tribuum cum singulis earum oppidis, & urbis Hierosolymae, ejusque templi universam structuram

Digitized by Google

cturam geographica tabula depinxit, adjecta brevi explanatione, quae ſingulas totius picturae partes explicaret. Meminit ejus operis Hieronymus in ſupradicta praefatione:

DE DOCTRINA priſcorum virorum liber unus: in quo innumerabilia de vita veterum Patriarcharum fortitudine, pietate, prudentia partim hiſtorice, partim allegorice, & tropologice interpretatus eſt. Meminit ipſemet hujus operis libro 7. De praeparatione Evangelica capite 3.

ΕΚΛΟΓΩΝ, ſive Collectaneorum divinae ſcripturae liber unus: in quo, jubente Conſtantino Auguſto, & ſumptus omnes ſuppeditante, collegit ex ſacris literis eos potiſſimum locos ac ſententias, quas maxime ad eccleſiae aedificationem & uſum putavit convenire; & in quinquaginta exemplaribus optimarum membranarum ab artificibus elegantiſſimae ſcripturae peritis multiplicari curavit. Mentionem facit horum codicum Theodoretus libro 1. hiſtoriae eccleſiaſticae cap. 16. & ipſe Euſebius libro 4. de vita Conſtantini.

IN TOTUM Pſalterium eruditiſſimi commentarii juxtá literalem & myſticam intelligentiam, & Origenis potiſſimum ſenſus: quos Euſebius Sardus, Vercellenſis epiſcopus, reſectis nonnullis, quae parum ſincera videbantur, latinos occidentali eccleſiae legendos exhibuit.

IN ESAIAM Prophetam commentariorum juxta hiſtoricam explanationem libri, ut Hieronymus in praefatione primi commentarii in Eſaiam annotat, quindecim, vel, ut idem in libro De viris illuſtribus numerat, libri viginti: de quibus idem Hieronymus in praefatione quinti commentarii in Eſaiam, EUSEBIUS, inquit, hiſtoricam expoſitionem titulo repromittens, interdum obliviſcitur propoſiti, & Origenis allegorica ſata concidit: & rurſum capite 18. ejuſdem commentarii haec addit: EUSEBIUS, hiſtoricam interpretationem titulo repromittens, diverſis ſenſibus evagatur: cujus cum libros legerem, aliud multo repeti, quam indice promittebat: ubicunque enim eum hiſtoria defecerit, tranſit ad allegoriam; & ita ſeparata conſociat, ut mirer eum nova ſermonis fabrica in unum corpus lapidem, ferrumque conjungere.

IN UTRUNQUE Teſtamentum, a Porphyrio quindecim libris impugnatum, volumina triginta; ex quibus libros tres, hoc eſt decimum octavum, decimum nonum, & vigeſimum ſcripſit pro defenſione totius prophetiae Danielis: adverſus quam Porphyrius duodecimum de quindecim libris, quos contra divinas ſcripturas emiſerat, dictavit. Hieronymus in praefatione commentarii Danielis.

EVANGELICAE Praeparationis libri quindecim, in quibus quanquam nullam afferat divinorum voluminum expoſitionem; Gentiles tamen, qui Evangelica ſcripta eſſent lecturi, quaſi initiis quibuſdam inſtituit, & informat.

EVANGELICAE Demonſtrationis libri viginti, in quibus propter Judaeos potiſſimum demonſtravit, nihil in Evangelio ſcriptum eſſe, quod non fuerit in lege & Prophetis multis antea ſaeculis praedictum: qua occaſione omnes ſcripturas, quae in toto veteri teſtamento de Chriſto loquuntur, luculenter exponit.

ΠΕΡΙ τῆς τῶν εὐαγγελίων διαφωνίας, id eſt, De Evangeliorum diſſonantia liber unus: quo omnes locos Evangeliorum, qui in ſpeciem pugnare videntur, ad ſtabilem concordiam perduxit. Hujus operis fragmentum De controverſia ſuper tempore Dominicae reſurrectionis inter Matthaeum & Marcum nuper Latine vertit Ambroſius Mediolanenſis, monachus Caſſinas.

EVANGELICORUM Canonum liber unus: in quo provocatus ſtudio Ammonii Alexandrini, qui unum ex quatuor Evangeliis collegerat, ſcripſit conſimilis argumenti, ſed diverſa ratione, ad Carpianum Canones decem, ad cognoſcendum, in quo Evangeliſtae vel inter ſe ſimilia, vel ſeorſum unuſquiſque propria dixerit: quod Opus Hieronymus Latinum fecit. Ejus initium eſt, *Euſebius Carpiano fratri*.

Horum Canonum rationem & exemplum habes ſupra lib. 3.

IN EPISTOLAM primam ad Corinthios commentaria: quorum meminit Hieronymus in epiſtola ad Pammachium, quae incipit, *Chriſtiani pudoris*.

FLORUIT ſub Conſtantino Magno, & Conſtantio circa annum Domini CCCXX. cujus vitam literis mandarunt Acacius, ejus in epiſcopatu ſucceſſor, & Euſebius Emeſenus epiſcopus. Apologiam vero ejus doctrinae ex ejuſdem

Digitized by Google

operibus Socrates libro 2. historiae texuit. (a)

EUSEBIUS, Episcopus Emesenus, cognomento Philosophus, ex generosis Edessae in Mesopotamia parentibus ortus, & a juventute sacris literis imbutus, deinde & Graecis disciplinis Edessae instructus, secessit postea Antiochiam ad Euphronium, ejusdem urbis episcopum, a quo cum ad sacerdotium urgeretur, fugit Alexandriam, ibique philosophiam didicit: inde Antiochiam reversus, mansit cum Placito episcopo, Euphronii successore, donec ab Eusebio episcopo Constantinopolitano Alexandriae episcopus in locum Athanasii adhuc viventis ac profugi ordinatus est: quam dignitatem cum recusasset, veritus Alexandrinorum odium, a quibus Athanasius unice amaretur, missus est ad episcopatum Emesenorum: qui cum in illius ordinatione dissiderent, accusantes eum, quod mathematicam exercuisset, fugam cepit; & Laodiceam ad Gregorium, ejus civitatis episcopum, abiit: qui eum Antiochiae restituit, iterumque Emesam a Placito & Narciso duci curavit, ubi iterum accusatus, quod cum Sabellio sentiret, paulo post ut innocens restitutus est: tandem vero ab Imperatore Constantio, ad barbaros proficiscente, abductus est, ibique apud Persas per manus ejus miracula facta sunt.

IS ITAQUE cum divinos libros, interprete Eusebio Caesariense, & Patrophilo Scythopolitano episcopo, diligenter & accurate scrutatus esset, multa in ipsos edidit juxta literae sensum commentaria, praecipue vero in Genesim; in quibus non solum Aquilae, Symmachi, & Theodotionis translationes, sed & Syram quoque editionem disseruit. Supersunt adhuc in Catena Graeca horum commentariorum fragmenta, quorum etiam meminit Hieronymus in Quaestionibus Hebraïcis taxans auctorem ipsorum, quod exponens illud ex 22. capite Geneseos *Aries erat in virgulto Sabech*, per Sabech interpretatus sit hircum; qui erectis cornibus ad carpendas frondes sublimis attollitur.

SCRIPSIT & in epistolam ad Galatas commentariorum libros decem, & in Evangelia homilias, breves quidem, sed plurimas. Stylus ejus, quantum conjicere possumus ex fragmentis, quae in Catenis Graecarum explanationum, & in Dialogis Theodoreti supersunt, eandem praesefert elegantiam, quam ei tribuit Hieronymus, ita in libro de viris illustribus scribens: EUSEBIUS, Emesenus episcopus, elegantis & rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plausum populi pertinent, confecit libros, magisque historiam secutus, ab his, qui declamare volunt, studiosissime legitur.

PRODIERUNT proximis annis sub nomine Eusebii Emeseni Homiliae in Evangelia totius anni, Lutetiae excusae: apparet tamen eas esse rapsodias, a Latino scriptore, & ex Latinis patribus consarcinatas: stylus resipit aut Bedam, aut Rabanum, aut alium utrique non dissimilem.

MORITUR sub Constantio Augusto, Antiochiae sepultus, anno Domini trecentesimo quinquagesimo. (b)

EU-

(a) Edita & anecdota Eusebii Caesariensis opera percenset Author, quae certe alii etiam eidem adjudicant. At circa Eusebii fidem, quam ex Socrate vindicat innoxiam, & ab haereseos Arianae labe alienam, rem certe indubiam non tradit. Variam sensisse de Eusebio veteres recentioresque Criticos ac Theologos ille solum ignorat, qui in Ecclesiastica Historia plane peregrinus est & hospes; quum diversimode & in tres classes distincti suum hi de Eusebii Caesariensis fide judicium proferant. Qua de caussa, ne a proposita mihi methodo recedam, horumce sententiam, & varium judicium saltem digito monstrare lubet, nullas ea in re protrahendo moras, quum sufficiat indigitasse eos, qui ex professo ea de re agunt. Eusebium Caesariensem Arianum, & hujusce haereseos fautorem, & antesignanum, non secus ac Nicomediensem Eusebium, accusant Cardinales Baronius, Bona, & Bellarminus, NN. Melchior Canus, & Natalis Alexander, Hermantius Tillemontius, Petavius, & Montfaucon, & ex Protestantibus Johannes Clericus; apud quos extant Veterum monumenta pro Eusebii Arianismo. Catholicum ex adverso declarant, & vindicant Eusebium Caesariensem N. Sixtus secutus plurium veterum sententiam, Usuardi, nimirum, & aliorum, Petit-Dedierius, & ex Protestantibus Georgius Bullus, & Guillelmus Cave, aliique, apud quos argumenta pro illius orthodoxia. Tandem media via incedunt Dupinius, & Pagius adserentes ante Nicaeni decretum pro Ario stetisse, fortasse ne Sabellio subscriberet, secus vero post Nicaeni Concilii diffinitionem. Quos consulet eruditus philaletes: praecipue tamen legat Dissertationes Henrici Valesii praepositam Hist. Eusebii, N. Natalis Sec. IV. Hist. Ecclestastic. & Cavii in calce Historiae litterariae, ex quibus non modicum percipiet lumen ad veritatem acu tangendam utriusque partis momentis monumentisque bene libratis, quum in eisdem pro & contra uberem sit adinvenire argumentorum segetem.

(b) Eusebius Emisenus Arianae factionis signifer audit Hieronymo in Chronico *X. Constantii*, „ Eusebius Emisenus Arianae signifer factionis, Hieronymo adstipulantur ceteri etiam Critici. Videsis Baronium, aliosque.

Digitized by Google

EUSEBIUS, Vercellenſis epiſcopus, natione Sardus, olim Romanae urbis lector, cum Dionyſium filium, qui poſtea martyrio claruit, liberare vellet e manibus Arrianorum, qui ejus ſimplicitatem ita deceperant, ut etiam ejus ſubſcriptionis pignus retinerent, Arrianum ſe eſſe finxit: cumque illi ſyngraphamab eo, veluti fidei obſidem, exigerent; ipſe accepto libro, in quo nomina Arrianorum ſcribebantur, prompte nomen ſuum aſcripſit; ſtatimque ad eos converſus dixit, hoc ſibi placere, quod illis; ſed graviter ſe moveri, quod ſibi filium Dionyſium in ſubſcribendo propoſuiſſent. Vos enim, inquit, qui dicitis, Dei Filium, Patri Deo aequalem eſſe non poſſe, cur mihi filium praetuliſtis? Qua illi ratione permoti, ſtatim Dionyſii chirographum deleverunt, priorem locum ſubſcribendi Euſebio deferentes: quos ille increpans, & irridens, ait: Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum vobiſcum participare permitto: ſimul & hoc dicens, filium manu abſtractum abduxit ſecum. Quamobrem a Conſtantio principe, Arrianorum fautore, Scythopolim, & inde Cappadociam relegatus, demum ſub Juliano Imperatore ad eccleſiam ſuam reverſus eſt; ibique edidit in totum Pſalterium commentarios, quos de commentariis Euſebii Caeſarienſis epiſcopi, in Latinum a ſe converſis, collegit, praetermiſſis multis, quae ad Arrianam haereſin inclinare videbantut. Mortuus eſt ſub Valente, & Valentiniano Auguſtis martyrio coronatus, anno Domini CCCLXXX. Ejus encomium divus Ambroſius duobus ſermonibus conſcripſit. (a)

EUSTACHIUS, ſive Euſtathius, Antiochiae epiſcopus, in magna Nicaena Synodo clarus, qui adverſus Euſebium Caeſarienſem epiſcopum pro voce Homouſii graviter dimicavit, & a Cyro Beroënſi epiſcopo accuſatus, paulo poſt ab epiſcopatu depoſitus eſt, ſcripſit eruditiſſimos in Pſalterium Commentarios: ex quibus Theodoretus in Immutabili & Impatibili dialogis teſtimonia adverſus haereticos citat ex expoſitione Pſalmi 15. & 92. Scripſit quoque in illud ex octavo capite Proverbiorum, *Dominus poſſedit me, &c.* librum unum, a Theodoreto in praedictis dialogis citatum. Claruit anno Domino CCCXL. (b)

EUTHALIUS, incertae eccleſiae Diaconus, natione Graecus, vir pius & eruditus, deſcripſit Graeco eloquio breviſſimum compendium: in quo vitam, martyrium, & praecipue Pauli peregrinationem, & loca, & urbes, quas illuſtriſſimus Chriſti Apoſtolus perluſtravit, ſtrictiſſime coarctavit: quod ad intelligentiam libri Actuum Apoſtolicorum maxime conducit. Opus incipit, *Paulus Apoſtolus*.

EUTHALIUS Rhodius, Monachus Sancti Baſilii, collegit Graeco ſermone Opus Concordantiarum totius Bibliae ad imitationem Hugonis Carenſis, anno Domini MCCC.

EUTHYMIUS Zigabenus, Monachus S. Baſilii, diligens Scripturarum Expoſitor, collegit ex ſcriptis veterum Patrum, & praeſertim Chryſoſtomi, quem ſaepe nominatim citat, Commentarios elegantes, ſuccinctos, & aperte eruditos: in quibus juxta diverſas editiones quadruplicem ſenſum, & in his maxime literalem

Euthimius Zigabenus edidit Commentaria in Pſalmos, IV Evangelia, & Catholicas epiſtolas.

(a) Hiſtoriam hanc percenſet Author Sermonis XV. *de Sanctis* S. Ambroſio adſcripti (falſo tamen: cujus autem ſit prorſus ignotum: certum eſt autem hunc ſermonem non eſſe Maximi Taurinenſis, ut adverſus Card. Baronium ſentit & probat N. Natalis *Hiſt. Eccleſ. Sec. IV.* §. 20. ſed alterius vetuſti eruditique incerti Patris), Hic enim ſolummodo adſerit Euſebium Vercellenſem promiſiſſe, ſed ficte, ſe ſubſcripturum poſtquam filii nomen eſſet obliteratum, nunquam vero ſubſcripſiſſe, & poſt ſubſcriptionem exoraſſe, ut nomen ſuum e tabulis eraderetur, &c. ſicut N. Xyſtus refert. En verba ſuperius laudati Authoris, qui hanc hiſtoriam tradit. „ Euſebius haereticis ſe eſſe haereticum mentitus eſt, ut de haereſi „ filium liberaret. Dixit enim ſe conſentire perfidiae, „ hoc ſibi placere, quod illis; ſed quod ſibi filium „ Dionyſium in ſubſcribendo praeponerent graviter „ moveri. Vos enim, inquit, qui dicitis Filium Dei „ Patri Deo aequalem eſſe non poſſe, cur mihi filium praetuliſtis? Qua illi ratione permoti ſtatim „ Sancti Dionyſii chyrographum deleverunt, priorem locum ſubſcribendi Beato Euſebio deferentes. „ Quos ille increpans, & irridens ait. Neque ego „ me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum „ vobiſcum participare permitto „. Noſter Xyſtus autem ſecutus eſt teſtimonium Socratis, & Sozomeni, quibus alii, etiam ex Proteſtantibus, adhaerent, Albertinus, nimirum, Cavius, & Baſnagius. Vide quae de hac re ſcripſerit N. M. Orſi Secretarius S. Congregationis Indicis adverſus patronos uſus materialis verborum. Homilias autem, & Sermones ſub nomine Euſebii Emiſeni in vulgus editas ſpectare ad alios poſterioris aetatis Scriptores, eoſque Latinos, Maximum, videlicet, Fauſtum, Lirinenſem, Caeſarium Arelatenſem, & Brunonem Aſtenſem pro comperto eſt apud Criticos, & alibi etiam indigitavi.

(b) Euſthatius praeclarum edidit Tractatum de Pythoniſſa, & alium in Hexaëmeron, longe tamen diverſum ab eo Latine reddito, quem habemus in Bibliotheca PP. ut optime obſervat Auguſtinus Calmethus in *Bibliotheca Sacra*, & advertunt ceteri emunctae naris Scriptores.

Digitized by Google

lem omnium difficillimum secutus est. Operis initium est, πῦρ τὸ παρόντος βιβλίου: *Hujus quidem libri auctor*. Hos Commentarios primus omnium Latinos fecit optimus & eruditissimus vir Philippus Saulius, Brugnatensis episcopus. Creditur quoque esse auctor Catenae Graecae, quae scripta in Bibliotheca Vaticana servatur: in qua ex dictis sanctorum Patrum Graecorum alternatim dispositis quinque libri Mosis pleniſſime explicantur: cujus auxilio Aloysius Lippomannus, Veronensis episcopus, in contextu Catenae suae super Genesim & Exodum usus est. Nomina vero auctorum, ex quorum sententiis Opus collectum est, haec sunt:

Philo Judaeus,
Origenes,
Hippolytus,
Basilius,
Gregorius Theologus,
Eusebius Emesenus,
Isidorus Peluſiota,
Eustathius,
Gennadius,
Theophilus,
Serapion,
Diodorus Charterius,
Apollinarius,
Acacius,
Didymus,
Chrysostomus,
Theodoretus,
Cyrillus,
Severianus,
Ephrem,
Gregorius Nyssae,
Justinus Martyr,
Irenaeus,
Philo episcopus.

INITIUM Operis est. Θεοδωρήτου εἰς τὰ ἄπορα τῆς θείας γραφῆς, hoc est, *Theodoretus de ambiguis divinae Scripturae*. Claruit sub Alexio Imperatore anno Domini MCLXXX.

EZECHIEL, Judaïcarum tragoediarum poëta, dramaticum Opus Graecis carminibus scripsit, ἐξαγωγήν, id est, EDUCTIONEM praenotatum: in quo Mosis educationem, & eductionem populi de Aegypto, ejus virtute factam, eleganter cecinit. Meminit hujus Operis Clemens Alexandrinus in primo Stromaton, citans ex eo versus fere quinquaginta. Claruit anno ante Christum XL.

FLAVIANUS, Episcopus Constantinopolitanus, ad quem beatus Leo Papa multas scripsit epistolas, vir quidem eruditus, & Catholicae veritatis propugnator strenuus, qui Eutychen Presbyterum & archimandritam, impie de Christi humanitate sentientem, excommunicavit, multasque ab haereticis perpessus est injurias; scripsit Graeco sermone Commentaria in Joannis Evangelium: quorum auctoritas citatur a Theodoro, Monacho Graeco, in libro, cui titulus est. *Quod Pater semper generat, Filius vero semper generatur*. Scripsit & in diversa Evangeliorum loca homilias plurimas, quarum nonnullae citantur a Theodoreto in Polymorpho. Claruit sub Martiano Augusto anno Domini CCCCLIIII.

FOELIX, sive, ut alii scribunt, FELIX, natione Hetruscus, patria Pratensis, ordinis Praedicatorum, trium linguarum studio & eruditione solida insignis, Psalterium ex Hebraïca veritate Latine transtulit anno Domini MDXX. Meminit hujus translationis Matthaeus Aurogallus in libro suo de Hebraïcis nominibus.

FORTUNATIANUS, natione Afer, Aquilejensis episcopus, quem Hieronymus in Catalogo virorum illustrium numerat, imperante Constantino, in Evangelia titulis ordinatis brevi & rustico sermone scripsit Commentarios: & in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romanae urbis episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem haereseos compulit, anno Domini CCCXXX.

S. Hieronymus lib. de Vir. Illustr. c. 97. scribit Liberium R. P. subscripsisse haeresi: oppositum tradit S. Hilarius lib. de Synodis. Consule propterea Theologos eruditos ex professo agentes de Liberii subscriptione formulae Sirmiensi.

FRANCISCUS Bonadus, Angeriae Presbyter, Santonensis, Aquitanus, Psalterium elegiaca paraphrasi expositit: consimili quoque studio Pauli epistolas prosecutus, sic incepit,

Paulus amore Christi sacer urbis Apostolus almae.

FRANCISCUS Forerius, ex ordine Praedicatorum, natione Lusitanus, patria Ulyssiponensis, theologus & philosophus summa eruditione insignis, Lusitaniae regis concionator, Latinae, Graecae, & Hebraïcae linguae peritissimus, ac

Digitized by Google

ac plane dignus, quem ob multiplicem rerum omnium scientiam sacrosancta Tridentina Synodus ad censuram totius Christianae Bibliothecae una cum plerisque doctissimis viris eligeret, libros Job, Davidis, Salomonis, & Prophetarum omnium ex Hebraïca veritate iterum de verbo ad verbum eo consilio vertit, ut vulgatae editionis auctoritatem confirmaret, ejusque auctorem ostenderet sensum de sensu aptissime expressisse: deinde vero eosdem libros lucidissimis explicavit Commentariis; in quibus verum ac germanum literae sensum aperiens, singulas Hebraïcae Scripturae particulas, dictiones, & vocalia dictionum puncta summo studio, & exacta admodum diligentia expendit: peculiares linguae sanctae idiotismos ita elucidavit, & obscurissimos Prophetarum locos sic illustravit, ut nullum unquam Opus in hoc scribendi genere prodierit in lucem, quod aequius possit Cornucopiae appellari. Vivit adhuc usque ad humanae Salutis annum MDLXVI. doctrina & morum integritate celebris, & in sancta divinorum Voluminum explanatione diu noctuque perseverat. (a)

FRANCISCUS Georgius, Venetus, ordinis Minorum regularis observantiae, cujus extat insigne Opus De harmonia mundi, vir Platonicae philosophiae cultor, Sacrarum literarum studiosissimus, & varia multorum auctorum lectione imbutus, edidit in selectiores quosdam locos totius divinae Scripturae problematum libros octo, eruditos quidem, sed ob Platonicas & Thalmudicas quasdam opiniones, quibus hinc inde respersi sunt, censura gravi ac diligenti dignos. Claruit anno Domini MDX.

FRANCISCUS Gothus, ordinis Minorum, Theologiae Professor, collegit compendium Biblicum, singula divinorum librorum capitula singulis quatuor dimetris jambicis perstringens, neglecta tamen pedum ac syllabarum mensura; quod sic incipit,

GENES. CAP. I.
Ante fit; lux producitur;
Dividens aquas congregat;
Ornatus factis additur;
Producta Adae subjugat.

FRANCISCUS Maronius, Minorita, Joannis Scoti discipulus, in Scholastica eruditione praestantissimus, & in divinis Scripturis suo tempore clarissimus, inter caetera doctrinae suae Opera edidit Postillas annotationum in totam sacram Scripturam memoria dignas. Claruit sub Ludovico Bavaro Imperatore IIII. anno Domini MCCCXX.

FRANCISCUS ab Obsunna Beticus, ordinis Minorum, scripsit super, *Missus est*, librum unum, & sermones in Evangelia totius anni. Claruit anno Domini M.D.XXX.

FRANCISCUS Ortizius, ordinis Minorum, Hispanus, scripsit laudatissimam expositionem Psalmi quinquagesimi, anno Domini MDXL.

FRANCISCUS Petrarcha, natione Hetruscus, vir undecunque doctissimus, Latinae linguae multis jam saeculis extinctae primus instaurator, Hetruscae poëseos parens, & absque ulla controversia princeps: inter Latinos quoque poëtas non ignobilis, & ob egregiam Latini carminis laudem in capitolio Romano lauream coronam publico totius Italiae favore consecutus, inter alia multa nobilissimi ingenii sui monumenta reliquit in septem Psalmos poenitentiales brevissimas paraphrases in modum precationum aptissime concinnatas: quarum initium est, *Domine Deus, pater misericordiarum*. Moritur sub Carolo IIII. Imperatore, anno Domini MCCCLXXIIII.

FRANCISCUS Puteanus, Cartusiae Prior XXXIII. utriusque Juris Doctor praestantissimus, & in sacris Scripturis exercitatus, composuit ad imitationem divi Thomae Aquinatis Auream Catenam super Psalmos; in qua explanationes Patrum Latinae ecclesiae in Psalterium, adjectis etiam eorum nominibus, maxima diligentia, miroque artificio congregavit. Operis initium est, *Lyra. Iste Psal-*
mus

(a) Scripsit quoque Forerius lucubrationes in Evangelia, quae per totum Anni circulum leguntur, nec non Lexicum Hebraicum magna diligentia peractum. Vide N. Echardum *Tom. II. Script. Ord. fol.* 262.

Digitized by Google

mus est compositus. Claruit sub Carolo V. Augusto anno Domini MDXXXIII.

FRANCISCUS Miletanus, Theologiae Professor, scripsit in Psalmum decimum octavum Commentarium, incipientem, *Psalmi hujus*, anno Domini MD.

FRANCISCUS Ruizius, Hispanus, ex Valle Oletana, ordinis Benedictini, sancti Facundi abbas, CCCXXXIIII. regulas, quae ad totius divinae Scripturae intelligentiam plurimum conferunt, collegit ex omnibus, tam Graecis, quam Latinis Patribus, eorundem Patrum sententiis, ac verbis nihil immutatis; easque brevibus explanationibus, ex iisdem Patribus vellicatim decerptis, illustravit anno Domini MDXLVI.

Titelmannus Ann. Domini 1537. Romam veniens novellum Capucinorum institutum amplexus, ibidem obiit Anno 1553. non sine sanctitatis odore.

FRANCISCUS Titelmannus, Hasselensis, Academiae philosophorum apud Lovanienses moderator illustris, relicto saeculo, ad institutum divi Francisci se contulit: in quo divinis Scripturis assidue vacans, plurima piissima ac doctissima syntagmata in divinas Scripturas elaboravit: de quibus extant paraphrasticae elucidationes in Job, in Psalterium, in Cantica, in Matthaeum, in Joannem, in omnes Pauli epistolas, & in omnes Catholicas, una cum Annotationibus in loca difficiliora eorundem librorum annexis. Claruit anno Domini MDXXX.

Franciscus Vice-Dominus, vulgo Fracischinus dictus, inter Fratres Minores Conventuales floruit.

FRANCISCUS Visdominus (seu Vicedominus) Ferrarienſis, ex ordine Minorum, celeberrimae Bononiensis Academiae apud Franciscanos moderator, vir vitae integerrimae, ingenii sublimis, eruditionis & eloquentiae summae, declamator sacrarum Concionum tota Italia celebris, &, veluti alter Demosthenes, invita ac prorsus reluctante natura praestantissimus Orator effectus: nam, cum ei lingua & vox naturali quodam ac perpetuo offendiculo ita interrumpatur, sistaturque loquenti, ut primas dictionum syllabas in privatis colloquiis iterum atque iterum cogatur anhelando repetere: sic tamen repugnantis naturae malignitatem fortissimo laterum robore, & validissimo spirituum omnium conatu domat, expugnatque, ut miraculum sit, quomodo vir, lingua haesitans, & in familiari congressu vix summissa voce verba referens, possit in publicis declamationibus expeditissima voce, & solutissima lingua exactissime & gratissime loqui; &, quod mirabilius est, concitatissimo orationis cursu ab exordio usque ad finem concionis inoffensa lingua decurrere, eodem semper actionis impetu, ac spiritus ardore, & eadem semper vocis magnitudine, ac fortitudine, rapiens, convolvensque secum auditorum animos instar rapidissimi torrentis hybernis nivibus aucti. Hic igitur priscum illum concionandi morem, Basilio Magno, Gregorio Magno, & Chrysostomo, caeterisque eloquentissimis Patribus olim in ecclesia Dei usitatum, & multis postea saeculis extinctum, primus apud Italos revocavit in lucem; editis Latina & Hetrusca lingua in omnes fere divinae Scripturae libros eruditissimis, disertissimisque juxta literalem, ac tropologicam intelligentiam sermonibus. Floruit sub Carolo Quinto Augusto, in Concilio Tridentino multis adversus haereticos disputationibus clarus: vivitque adhuc Romae usque ad praesentem annum millesimum quingentesimum sexagesimum sextum, maximo cum fructu & admiratione Romani populi quotidie declamans, legens, & scribens, annos natus sex & quinquaginta.

FRANCISCUS Xymenius, a Cisneros, natione Hispanus, ordinis Minorum, S. Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis titulo S. Balbinae, archiepiscopus Toletanus, archicancellarius Hispaniarum, edidit ad Leonem X. Pontificem universum vetus ac novum Testamentum, multiplici lingua, hoc est, Hebraïca, Chaldaïca, Graeca, Latinaque, immensis sumpribus, laboribus, ac vigiliis, maxima cum diligentia ab Universitate Complutensi in Hispania impressum, accitis ad hoc Operis undique terrarum, tum in linguarum cognitione doctissimis viris, tum exemplaribus castigatissimis ac vetustissimis, ex Vaticana & Medicea Bibliotheca desumptis, vel a Venetorum Senatu transmissis, aut aliunde, nulla expensarum, aut laborum habita ratione, conquisitis. Hujus tam magni Operis dispositio sic se habet.

PENTATEUCHUS triplicem habet editionem, Hebraïcam videlicet, Chaldaïcam, & Graecam LXX. interpretum: cui connexae sunt tres Latinae editiones, videlicet, Latina Hieronymi, Hebraïcae veritati respondens. Chaldaïcae alia Latina respondet de verbo ad verbum, a viris ejus linguae peritissimis elaborata.

Digitized by Google

rata. Graecae autem LXX. interpretum correſpondet interlinearis Latina traductio. Agiographi & Prophetici libri duplici lingua excuſi ſunt, Hebraea & Graeca, cum aliis duabus Latinis translationibus, illis correſpondentibus. Chaldaïca vero jure omiſſa eſt, quia in caeteris libris, praeterquam in Pentateucho, corrupta ſit aliquibus in locis, & fabulis meriſque Thalmudiſtarum nugis conſperſa, & indigna prorſus, quae ſacris Codicibus inferatur. Libri vero, qui extra canonem ſunt Hebraeorum (a), quos Eccleſia ad aedificationem legit, Graecam tantum habent ſcripturam, ſed cum duplici translatione Hieronymi ſcilicet, & altera interlineari de verbo ad verbum.

AT NOVUM Teſtamentum Graecum habet contextum cum Hieronymi verſione, nudis tantum literis conſcriptum, ſine ullis aut tonorum, aut ſpirituum notis, ad imitationem antiquiſſimorum Graecorum; quos abſque hiſce accentibus, faſtigiiſque literarum ſcriptitaſſe Callimachi poëmata vetuſtiſſima, & Sibyllina carmina, & marmorum vetuſtiſſima fragmenta indicant: nam, cum univerſum novum Teſtamentum Graece ſcriptum fuerit, voluit auctor priſcam in eo linguae illius vetuſtatem, majeſtatemque intactam retinere, & ad imaginem antiquarum Scripturarum publicare; ne rei tam ſanctae auctoritati, ac venerandae majeſtati adjectitiis novitiiſque rebus detrimentum afferri videretur. Caeterum, ne alicui dubium aliquod poſſit occurrere, in qua videlicet ſyllaba accentum oporteat collocari, ſimplicem tantum apicem in polyſyllabis dictionibus adjecit; & hunc quidem, non tanquam Graecum accentum, ſed tanquam notulam, ſignumque, quo dirigi poſſit Lector, ne in prolatione, modulationeve dictionum aliquando labatur.

APPOSUIT ultimo loco in fine totius Operis copioſiſſimum dictionarium Hebraeorum, Chaldaeorum, Graecorumque vocabulorum: in quo non modo ſimplices dictionum interpretationes, tam primitivarum, quam derivativarum continentur; ſed, quod omnium operoſiſſimum fuit, quot locis in veteri Teſtamento unaquaeque Hebraïca dictio propter linguae illius foecunditatem multiplicet ſignificata, adjectis quamplurimis concordantiis, continuo ſubjungitur.

PERFECTA ſunt autem haec nobiliſſima exemplaria, quae vulgo Complutenſia appellantur, ſub Leone X. Pontifice Maximo totoque Chriſtianorum orbe ſumma cum laude invulgata; & ex horum auctoritate multi poſtea, tam Hebraei, quam Graeci, & Latini codices in integrum reſtituti. Claruit ſub Maximiliano Imperatore, anno Salutis noſtrae MDX.

FRANCISCUS Zamora, Hiſpanus, Miniſter generalis totius ordinis Minorum, in ſingulos verſus Pſalmi L. ſingulas ſcripſit pulcherrimas homilias, num. 25.

FRANCISCUS Zichenius, Franciſcanus, coenobii apud Meclinienſes guardianus, ſcripſit in ſeptem verba, quae Chriſtus ex cruce protulit, brevem & piam explicationem pro concione habitam. Claruit anno Domini MDLVI.

FRIDERICUS Nauſea, Blancicampianus, epiſcopus Viennae Auſtriae, ſacrae Theologiae & Juris utriuſque Doctor eximius, eccleſiaſtes & conſiliarius Ferdinandi Romanorum regis, ſcripſit in Exodi caput 20. de Decalogo librum unum, in Tobiam quoque Commentariorum libros duos, breves, elegantes, & ad morum inſtitutionem ſummopere utiles: Quorum prior incipit, *Qui aedibus non una in parte*: item in Matthaeum, & Joannem paraphraſin, & in Evangelia totius anni Homilias compoſuit. Claruit ſub Carolo V. anno Domini MDXL.

FRIDERICUS Venetus in Apocalypſim dedit Commentarios, Italica lingua conſcriptos, anno Domini MD.

FULGENTIUS Ruſpae, in Africa epiſcopus, patria Carthaginenſis, eruditionis & ſtyli Auguſtiniani aemulator: ſcripſit in varios divinae Scripturae locos nobile ſermonum volumen, ex quibus duo habentur in Homiliario Albini. Moritur autem in Circinna inſula multis confectis curis, anno Domini D. Anaſtaſii Imperatoris temporibus, cum prius exilium, multaque alia graviſſima incommoda a Vandalis, Arrianorum haereſin tuentibus, perpeſſus eſſet.

(a) Quae hìc habet Sixtus de Canone Hebreorum caute intelligenda ſunt. Omnes enim Libri tam Veteris, quam novi Teſtamenti eandem habent authoritatem, omneſque ut Canonici ſunt recipiendi. Vide decretum Concilii Tridentini de Libris Canonicis.

Digitized by Google

G

GABRIEL Brunus, Venetus, Franciſcanae familiae Profeſſor, provinciae terrae Sanctae miniſter, ordinavit Tabulam alphabeticam ex ſingulis libris & capitibus, tam novi, quam veteris Teſtamenti; in qua ſumma cura & follicitudine omnes hiſtorias, ac ſententias, quo libro & capite inveniantur, indicavit: qua tabula multis poſt annis Conradus Pellicanus, & Robertus Stephanus, novis acceſſionibus aucta, magnos invulgarunt Bibliorum indices, locupleriſſimos quidem, & magnam commoditatem ſtudioſis divinorum Voluminum allaturos, ſi non eis inſeruiſſent multa variaque Scripturarum teſtimonia, ad ſuas tutandas haereſes malitioſe, ac violenter detorta. Claruit ſub Alexandro Papa VI. anno Domini MCCCCXCVI.

GABRIEL Brebia, Mediolanenſis, Monachus, ſcripſit ad Gregorium Mediolanenſem Monachum S. Petri in Geſſate Commentariolum, ſeu potius epitomen annotationum, quas juxta literam ex Hieronymo & Lyrano collegit; adjectis ad calcem cujuſque Pſalmi piis ad Deum precationibus, ſententiae & ſcopo ſingulorum Pſalmorum, quibus proponuntur, accommodatis. Claruit anno Domini MCCCCXC.

GALTERUS Diſſeus, natione Anglicus, Carmelita, vir ſincerae pietatis ac doctrinae, concionator quoque illuſtris, ſcripſit in aliquot primos Pſalterii Pſalmos librum unum. Claruit ſub Venceslao Imperatore, anno Dom. MCCCXC.

GALTERIUS, Magolenſis epiſcopus, ex Inſulis oppido Flandriae, vir longa divinarum literarum exercitatione doctus, & ſaecularium diſciplinarum non in totum expers, ſcripſit, rogatus a clericis eccleſiae ſuae, expoſitionis ſcholaſticae in totum Pſalterium librum unum, Claruit anno MCCXXX.

Gaufridus Antiſiodorenſis, de Oratorio, vulgo Loroux, edidit etiam explanationem in priores L. Pſalmos.

GANFREDUS (ſive Gaufredus) Antiſiodorenſis, Monachus Ciſtertienſis, Petri Abailardi quondam auditor, ſed, ne fieret etiam imitator erroris, ad magiſterium ſancti Bernardi Claraevallenſis ſe contulit; ſub cujus diſciplina inſtitutus, non contemnendae lectionis edidit Opuſcula: de quibus fertur in Apocalypſim Joannis liber unus. Claruit ſub Federico Imperatore I. anno Dom. MCLX.

GARICUS, Pariſienſis ſcholae Doctor, ſcripſit ſcholaſticam Poſtillam in Eccleſiaſten: ex qua Vincentius Bandellus in libro ſuo De conceptione teſtimonia producit.

GEORGIUS Trapezuntius, natione Graecus, vir eruditiſſimus, ſcripſit ad Xyſtum Pontificem Maximum brevem Commentariolum in expoſitionem illius textus Evangelii Joannis capite 21. *Sic eum volo manere, donec veniam*: in quo oſtendit beatum Joannem Evangeliſtam nondum eſſe mortuum: ejus initium eſt, *Nuper dilectiſſime Pater*. Claruit anno Domini MCCCCLXX.

GEORGIUS Vicellius, natione Germanus, variae vir eruditionis, Hebraïcae, Graecae, ac Latinae linguae peritiſſimus, ingenio excellens, & ſermone diſertus, ſcripſit in ſeptem Pſalmos poenitentiae librum unum, De idiomatibus linguae ſanctae librum unum, in Aggaeum librum unum. Claruit anno Domini MDXL.

GENNADIUS, Conſtantinopolitanae eccleſiae Pontifex, vir lingua nitidus, & ingenio acer, & in homiliis declamandis egregius, tam dives ex lectione antiquorum fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus exponeret. Moritur, ſeniore Leone Imperium tenente, anno Domini CCCCLX.

GENNADIUS, Maſſilienſis eccleſiae Presbyter, utraque lingua exercitatus, cujus extat Catalogus de eccleſiaſticis Scriptoribus, ſcripſit tractatum de haereſi mille annorum in librum Apocalypſeos; cujus meminit Honorius in Catalogo. Claruit anno Domini CCCCXC.

GERARDUS Lorinchius compoſuit ex quatuor Evangeliſtis Monoteſſaron paſſionis Chriſti, incipiens, *Paſſionem Salvatoris noſtri*.

GERARDUS, Savonenſis epiſcopus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, patria Bergomenſis, publicus quondam in Academia Pariſienſi Theologiae Profeſſor, Pontificii juris peritia mire inſtructus, ingenio acutus, ſermone ſcholaſti-

Digitized by Google

laſticus, ſcripſit in Cantica librum unum; cujus initium eſt, *Alae duae Cherubin:* & in epiſtolam ad Hebraeos librum unum. Claruit anno Domini MCCCXL.

GERARDUS Moringus, Doctor Theologus, anno Domini MDXXXIII. edidit culto lucidoque ſermone Commentaria in Eccleſiaſten, partim paraphraſtice, partim fuſiore explanatione: in quibus ab allegoriis perpetuo abſtinens, ita in literali ſenſu explicando verſatus eſt, ut multa, quae in caeteris hujus libri Expoſitoribus deſiderantur, non infeliciter ſuppleat. Principium voluminis habet haec verba; *Cauſa, quae auctorem ad Opus hoc, &c.*

GERARDUS Stredam, Cartuſianus, natione Germanus, Prior domus Apoſtolorum prope Leodium, vitae converſatione & eruditione pia venerandus, emiſit in Decalogum explanationis lib. 1. Moritur anno Dom. MCCCCXLIII.

GERMANUS Brixius, Antiſiodorenſis, canonicus Pariſienſis, vir utraque lingua doctus, & in theologia pie eruditus, anno Domini MCCCCXLVI. ſcripſit in epiſtolam Pauli ad Romanos luculentiſſimas & doctas homilias num. 8.

GILBERTUS, Epiſcopus Pictavienſis, natione Gallus, cognomento Porretanus, vir in omni eruditionis genere, tam Graece, quam Latine doctus, auctor Operis ſex principiorum, quod ad Ariſtotelis Categoriarum ſupplementum Latino & Graeco ſermone circumfertur, ingenii acris, ac vehementis, ſed ob inuſitatam vocum novitatem obſcurus eloquio, & ob id quoque in quibuſdam haereſeos notatus, & a D. Bernardo reprehenſus, in Concilio Remenſi ſub Eugenio Pontifice renunciavit errori. Scripſit autem in divinas Scripturas multa erudita Opuſcula: in quibus non infimum locum habent Commentaria in Pſalterium, in Joannem, & in omnes Pauli epiſtolas. Claruit anno Domini MCXL.

GILBERTUS Pariſienſis, Sorbonae Doctor, aptavit in Proverbia Scholaſticam Poſtillam, cujus mentionem facit Vincentius Bandellus in tractatu De conceptione.

GILBERTUS, Monachus ordinis Ciſtertienſis, & coenobii cujuſdam in Anglia abbas, pie doctus, & eloquio dulcis, ſtylo & ſpiritu uſque adeo Bernardo ſimilis, ut eodem viſus ſit ore ac lingua eloqui, ſcripſit in tria Canticorum capita quadraginta octo ſuaviſſimos & elegantiſſimos ſermones, incipiens, ubi Bernardus morte praeventus finierat, hoc eſt, ab eo loco tertii capitis, *In lectulo meo quaeſivi per noctes*, uſque ad locum illum 5. capitis, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, &c.* ad quem cum explanando perveniſſet, ne ulterius progrederetur, mors vetuit, quae illum ex humanis abſtulit, anno Domini MCC. Opus incipit, *Varii ſunt amantium affectus.*

GYMNASIUS, vetuſtus auctor, ſcripſit in Exodum Commentarios, qui ab Alberto Magno in Summa ſua citantur.

GISELBERTUS, Praepoſitus monaſterii Vueſt in Anglia, ordinis ſancti Benedicti, Anſelmi Cantuarienſis auditor, in divinis & humanis literis eruditus, & in ſaeculari philoſophia non infime doctus, ſermone ſatis polito, librum Canticorum pluribus homiliis expoſuit, & in Eſaiam Commentarios ad B. Anſelmum epiſcopum conſcripſit. Claruit ſub Henrico Imperatore IIII. anno Domini MXC.

GODEFRIDUS Tilmannus, Cartuſiae Pariſienſis Monachus, antiquorum voluminum perveſtigator diligentiſſimus, emiſit anno Domini MDL. ex vetuſtis Cartuſianae Bibliothecae monumentis volumen ſane aureum & dignum, quod ab omnibus ſtudioſis magna cum veneratione excipiatur, ſed ſine auctoris, vel collectoris ejus nomine: in quo ſunt Allegoriae ſimul, & Tropologiae in locos utriuſque Teſtamenti, ſelectiores optimo judicio collectae, ac propenſiore ſtudio depromptae, & in ordinem divinorum Voluminum digeſtae e monumentis unius & triginta auctorum, quorum nomina, & cognomina per ordinem alphabeti collecta haec ſunt:

Adam de Perſenia,
Ailredus,
Aithardus,
Balduinus,
Bernardus,
Bruno,
Caſſianus,
Cantica ſine titulo,
Drogo,
Ernaldus,

Digitized by Google

Galfridus,
Gillebertus,
Gregorius,
Guillelmus de Cailloc,
Guillelmus de ſancto Theodoro,
Hidelbertus,
Hugo Victorinus,
Hugo de Foilleto,
Iſaac,
Odo de Morim,
Odo Tuſculanus,
Othomarus Luſcinius,
Petrus Ravennas,
Petrus Damianus,
Petrus Lombardus,
Petrus Cantor,
Radulfus,
Richardus Victorinus,
Sello,
Stephanus Cantuarienſis,
Verricus.

Operis initium eſt, *Richardus de S. Victore. Quomodo prima mundi creatio moraliter agatur in nobis.*

GODEFRIDUS Presbyter, natione Italus, patria Viterbienſis, profeſſione Scholaſticus, ſcripſit ad Gregorium Papam Octavum in utrunque Teſtamentum Opus Proſocarmineum, hoc eſt, proſa ac Leonino carmine, rythmoque juxta Scholaſticorum conſuetudinem intertextum, cui PANTHEON titulus eſt: in quo una cum his, quae in ſacris Bibliis continentur, exteras quoque gentium hiſtorias complexus eſt, hunc in modum Volumen exordiens,

O vos, qui me legitis viri literati,
Super hoc volumine judices vocati.

CLARUIT anno Domini MCLXXXV.

GODELBERTUS Presbyter, non minus ſanctimonia vitae, quam ſcientia clarus, proſa & carmine valens, conſcripſit heroïcis verſibus jocundiſſimum poëma: in quo hiſtorias & allegorias ab initio mundi uſque ad partum Virginis elegantiſſime cantavit: titulus poëmatis eſt, ALLEGORIAE SCRIPTURARUM LIBRI IIII. Claruit ſub Anaſtaſio Imperatore, anno Domini D.

GOTSCALCUS Holem, natione Germanus, ex ordine Eremitarum, profeſſione Scholaſticus, compoſuit in Decalogum expoſitionis volumen ingens, quod PRAECEPTORIUM DIVINAE LEGIS inſcribitur: cujus initium eſt, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

GREGORIUS Ariminenſis, Prior generalis Eremitarum ſancti Auguſtini, Scholaſticorum ſui ordinis ſubtiliſſimus, vita & eruditione celeberrimus, ſcripſit ſcholaſtica methodo ac ſtylo, Auguſtini patris ſui mentem ſenſumque ſecutus, in epiſtolas Pauli libros quatuordecim, anno Domini MCCCL.

GREGORIUS, Corinthius epiſcopus, ſcripſit in Joannis caput 21. de Thoma contrectante Dominum, cum reſurrexiſſet, luculentum ſermonem; qui una cum nonnullis homiliis ejus Graece ſcriptis in Bibliotheca Vaticana ſervatur.

GREGORIUS, primum Saſimae, vilis Cappadocum civitatulae, deinde Nazianzi in Cappadocia, & demum Conſtantinopoleos epiſcopus, qui ab omnibus Graecis ob ſingularem auctoritatis ſuae excellentiam primus poſt D. Joannem Evangeliſtam Theologi ac Magni cognomentis illuſtratus eſt, vir fuit tam philoſophiae, quam theologiae opibus affluens, & omnium ſui temporis ſoluta ac pedeſtri oratione eloquentiſſimus: quippe qui Polemonis Laodiceni, ſophiſtae celebratiſſimi, ſublimem dicendi cothurnum eſſet aſſecutus. Hic Baſilio Magno arctiſſima fuit neceſſitudine conjunctus, & divum Hieronymum in divinarum Scripturarum ſtudiis auditorem ac diſcipulum habuit: obtinuit etiam in eccleſia Graeca tantum auctoritatis pondus, ut quicunque teſtimonio ejus refragari auderet, ſtatim vel haereticus haberetur, vel haereſeos ſuſpicione notaretur. Compoſuit autem omnia opera ſua, tam proſa, quam carmine ad triginta verſuum millia: ex quibus ſunt in primum caput Ezechielis annotationes, & in agonem Maccabaeorum concio: item, in Matthaei 19. De quaeſtione Phariſaeorum ſuper divortio & repudio homilia una, quae incipit, *Jesus, qui piſcatores*; item, in paſſionem & mortem Chriſti ex quatuor Evangeliſtis Tragoedia, cui titulus eſt, ΧΘΙΣΤΟΣ ΠΑΣΧΩΝ: ſcripſit item in gratiam Chriſtianae juventutis, cui Julianus Apoſtata omnes Graecas diſciplinas interdixerat, etiam alia in Sacras literas poëmata; ut adoleſcentes, pro Graecis poëtis illa ediſcentes, & Graecae

lin-

Digitized by Google

linguae & carminum peritiam conſequerentur. In his eſt Canon librorum divinae Scripturae, quos Graeci Patres aetate ſua pro Canonicis habebant, a nobis in primo hujus Operis libro collocatus. Floruit ſub Theodoſio, anno Dom.CCCXC. ſcripſit ejus vitam Gregorius Presbyter Cappadox. (a)

GREGORIUS, Neocaeſareae Ponti epiſcopus, cognomento Θαυμαθυργὸς, hoc eſt, Rerum mirabilium effector, natione Ponticus, Theodorus antea vocatus, Origenis auditor, admodum adoleſcens ob ſtudia Graecarum & Latinarum literarum de Cappadocia Berythum, & inde Caeſaream Palaeſtinae tranſiit, junctо ſibi fratre Athenodoro: quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, hortatus eſt eos ad philoſophiam: in qua paulatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque ſectatores reddidit: quinquennio itaque eruditi ab eo remittuntur ad matrem: e quibus Theodorus proficiſcens, Παρηγυρικὸν εὐχαριστίας ſcripſit Origeni; &, convocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene praeſente, recitavit: elucubravit deinde Μετάφρασιν, ſeu Paraphraſin in Eccleſiaſten; de qua Suidas, Eccleſ. 4. SCRIPSIT, inquit, Gregorius Metaphraſin in Eccleſiaſten, breviſſimam illam quidem, ſed ſane quam admirabilem: ejus initium eſt, *Haec Salomon, Davidis regis & prophetae filius, apud omnes mortales rex, &c.* Hanc librariorum impudentia bis impreſſit, primum quidem ſub nomine ſui auctoris, deinde ſub nomine Gregorii Nazianzeni. Caeterum Hieronymus in quartum Eccleſiaſtis caput ſuper illa clauſula, *Melior eſt puer & pauper, &c.* proferens expoſitionem eorundem verborum ex ea, quae nunc extat, Gregorii Neocaeſarienſis Metaphraſi, auctorem ejus prodit his verbis: VIR ſanctus Gregorius, Ponti epiſcopus, Origenis auditor, in Metaphraſi Eccleſiaſtis ita hunc locum intellexit: ego vero intelligo adoleſcentulum pauperem & ſapientem rege ſene meliorem & ſtulto; cui nunquam venit in mentem, quod poſſibile ſit quenquam de his, qui vincti fuerant, ad regnum exire de carcere, & ſe ipſum denique deinceps de iniqua poteſtate ſua corruere: evenit enim interdum, & caetera, quae ſequuntur. Claruit ſub Alexandro Mammeae, & Gordiano, an.Dom.CCXL.

GREGORIUS, Epiſcopus Nyſſenus, quem Graeci honoris cauſa Patrem patrum appellant, divi Baſilii Magni frater, Academicis ac Peripateticis diſciplinis excultus, vir eloquentiae nervoſae ac preſſae, rogante fratre ſuo Petro epiſcopo Sebaſteno, ſcripſit in Hexaëmeron librum unum, incipientem, *Quid agis homo Dei?* quo in ordinem & concordiam diſpoſuit, quae a Moſe de mundi procreatione primo quidem aſpectu diſſita, & inter ſe contraria videbantur; oſtendens Moſen ſibi ipſi conſentientem, & conſtantem fuiſſe. Scripſit etiam in illud, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, De hominis opificio ſermones duos ad ſupplendum ea, quae Baſilius de hominis conſtructione reliquit intacta: quorum prior incipit, *Veteris debiti ſolutionem*: alter vero, *Sapiens ille Salomon*. De utriuſque Operis ratione ac docendi genere ipſemet in fine Hexaëmeron ſic ſcripſit: HAEC TIBI, vir Dei, ad propoſitas nobis a prudentia tua quaeſtiones reſpondimus nullis orationis pigmentis, morales allegorias conquirentes, nec inexploratum praetereuntes quidquam eorum, quae nobis opponebantur; ſed, propria verborum ſignificatione ſervata, naturae ordinem diſputando perſecuti ſumus, & nihil eorum, quae primo aſpectu contraria videbantur, ab aliis diſcrepare pro viribus demonſtravimus. In reliquis, ad mundi procreationem pertinentibus, quae ſex dierum ſpacio facta ſunt, immorari ſupervacaneum duximus; cum ſublimis illa praeceptoris Baſilii vox nihil omiſerit, quod ad eam diſputationem pertineret, excepto hominis opificio, quod proprio libro, quem tibi, vir optime, ante hunc miſimus, nos explicavimus. Te autem, & omnes, ad quorum manus hi libri pervenerint, rogatos volumus, ut in neutro illorum me ſtudio praeceptoris putetis adverſari: ſed in priore quidem relictum argumentum ſuſcipientem, addidiſſe diſputationem de homine his, quae in Hexaëmeron ab eo fuerant elaborata: in hoc autem propter eos, qui in Scripturae monumentis ordinem requirunt, ad haec ſcribenda ſic animum appuliſſe, ut verborum vis in iis, quae ſcripta ſunt, ſervaretur, & naturalis continuatio a verbis non diſſentiret.

FER-

(a) *Significatio in Ezechielem* dubium eſt S.Gregorii Nazianzeni opus. Spurium vero, & ſubditicium *Chriſtus Patiens*, ſeu Tragoedia illa, cujus Author veroſimilius eſt Apollinarius Senior.

Digitized by Google

FERTUR item ſub ejus nomine liber alter ſatis prolixus & eruditus de hominis procreatione in idem dictum, FACIAMUS HOMINEM, &c. qui incipit, *Hic liber*, ait Scriptura, *generationis coeli*.

ITEM De ſacrificio Abrahae in Gen. 22. cap. liber unus; quem Theodoretus in Immutabili, & Damaſcenus libro 3. contra Iconoclaſtas citant.

ITEM De enarratione Moſaïcae vitae, ex Exodo, Levitico, Numeris, & Deuteronomio liber unus, in quo perfecta Chriſtianae vitae forma proponitur: qui incipit, *Quemadmodum qui certamen equorum*.

SCRIPSIT quoque in Pſalterium Commentarios, qui in Bibliotheca Vaticana Graece conſcripti ſervantur.

IN quintum quoque Matthaei caput, De ſeptem beatitudinibus, libros ſeptem, quos citat Liberatus in Breviario de cauſa Neſtoriana, & Theodoretus in Immutabili.

ITEM in mulierem peccatricem ex 7. Lucae capite ſermonem unum, incipientem, *Nemo Phariſaeus*.

EDIDIT etiam in epiſtolam ad Philippenſes Commentarios, quos Cyrillus in libro ad Evotium fratrem contra Theodoretum profert. Floruit ſub Valentiniano, & Valente, anno Domini CCCLXXX. Scripſit ejus vitam Gregorius Nazianzenus. (a)

GREGORIUS Olympiadas, Graeca eloquentia clariſſimus, & in divinis literis valde exercitatus ac doctus, edidit in Parabolas, & Canticum Canticorum Salomónis Commentaria, quae nondum typis excuſa ſunt: extant autem Graece ſcripta in Bibliotheca Saulia Genuae.

GREGORIUS Pontifex Maximus, ejus nominis primus, patria Romanus, ex clariſſima Senatorum familia, Felicis Papae Quarti pronepos, Monachus quondam & Levita, vir ſanctitate ac miraculis clarus, eruditione inſignis, & in explanatione divinorum Voluminum, tam inviſibili, quam viſibili Spiritus Sancti illuſtratione edoctus, omnes fere ſanctas Scripturas, partim per homilias, partim per Commentaria explicavit: quorum majorem ſummam, non dum in plura exemplaria multiplicatam, ſtatim poſt mortem ejus aemuli flagitioſiſſimi exuſſerunt, veriti, ne ſanctitatis & doctrinae gloria Scriptorum monumentis ad poſteros perveniret. In Homiliis, atque his potiſſimum, quas ad populum habuit, inter ipſa Miſſarum myſteria, brevi & ſuccincta divinae lectionis elucidatione uſus eſt. Contra vero in Commentariis Coacervato explanationis genere delectatus, divinas literas locupletiſſima ſenſuum ac ſermonis copia profuſiſſime enarravit, ubique ferme obſervans modum & ordinem exponendi talem.

IN PRIMIS, jacto hiſtoriae fundamento, literae contextum juxta duplicem editionem veterem, ſcilicet, quae Italica dicta eſt, & novam Hieronymi breviter & carptim percurrens ediſſerit. Secundo ex hiſtoriae verbis Allegoriae & Anagogiae, quae idem apud eum ſunt, varios fontes, imo copioſiſſimos amnes deducit. Tertio Allegoriarum ſenſus ad aedificationem eccleſiae in exercitium moralitatis inclinat, & allegoricos fluvios ad irriganda moralium virtutum ſata derivat: tantaque de virtutibus ac vitiis efficacia loquitur, ut ea videatur non ſolum verbis exponere, ſed formis quodammodo viſibilibus & palpabilibus demonſtrare. Hujus ipſe ordinis cauſam referens, ait, quod ſicut in ſalute fidelium fides operibus prius eſt: ita in explanatione ſcripturarum Allegoria, quae ad fidem pertinet, ſuper hiſtoriae fundamentis prius debet imponi, deinde vero ſupra ipſam Moralis explanatio, quae rectam pertractat operandi rationem. Quarto ad haec tria expoſitionum genera quartum quoque adjungit genus, caeteris difficilius, exponens ſingula Scripturarum teſtimonia, quae ipſe ad elucidationem & confirmationem praedictarum explanationum in Commentariis ſuis aſſumpſerat.

VERBORUM, & orationis genus in omnibus pene ſcriptis ejus continuum eſt & connexum, inciſis quibuſdam & membris ſibi invicem correſpondentibus currens, & ὁμοιοτέλευτος, hoc eſt, ſimiliter terminantibus ſententiis fluens, ſemperque

(a) Plura itidem alia edidit in S. Scripturam S. Gregorius Nyſſenus, videlicet in Cantica Canticorum, in Eccleſiaſten, & in Hexaëmeron. In illa Apoſtoli 1. Corinth. XV. *Quare ſibi ſubjecit omnia*, De oratione Dominica Homilias V. aliaſque Orationes ad explicationem Evangelii. At vero Homilia in mulierem peccatricem ſpurium eſt ejus opus.

Digitized by Google

perque fere in absolutis perfectisque finiens periodis; non affectatis tamen, nec quaesitis, sed ex pristina saecularis eloquentiae exercitatione ultro manantibus, citra ullum accuratae dictionis & elaboratae texturae artificium: quod ipse non dissimulans, in Praefatione Commentariorum in Job his verbis excusat: QUAESO, ut, hujus operis dicta perquirens, in his verborum folia non requiras: ipsam enim artem loquendi, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare despexi: nam, sicut hujus quoque Praefationis tenor enunciat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem; situs, motusque propositionum, casusque servare contemno: quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati. Haec ille.

SUNT qui credant Gregorium praeter ea, quae Latino sermone exposuit, multa quoque in explanatione sanctorum Voluminum Graeco eloquio composuisse: hos autem longe falli ostendit ipsemet Gregorius in epistola ad Eusebium, Thessalonicae episcopum: ubi impudentiam accusans Andreae monachi, qui Homilias Graecas Gregoriano titulo inscriptas finxerat, libere profitetur, se nec aliquid Graece edidisse, neque unquam Graecum sermonem didicisse. Quae vero nunc extant apud Graecos Pastoralia Gregorii volumina, Anastasius, Antiochiae episcopus, Graece vertit; sicut & Zacharias Papa Primus Graecis auribus dedit quatuor Dialogorum libros, propter quos Joannes Damascenus, Euthymius, caeterique Graeci Scriptores horum Voluminum auctorem Gregorium Dialogum appellant. Hactenus de methodo explanationum, & genere dicendi, Gregorio propriis; cujus, quae nunc supersunt, & quae desiderantur, exegetica scripta haec sunt:

IN HEPTATEUCHUM libri septem, quos Joannes Diaconus testatur ab invidis post obitum auctoris concrematos.

IN REGUM libros inchoatae expositionis volumina sex; quibus, ut ipsemet Gregorius asserit, primus omnium Latinorum aggressus est continuatam expositionem in libros Regum, de quibus duntaxat sexdecim prima primi libri capita exponenda assumpsit, ut ex eo labore periculum faceret, si ultra progredi posset explanando: unde & fusior est in duobus prioribus libris, quam in caeteris quatuor. Operis initium est, *Post Mosi, & Jesu Nave libros*.

IN JOB ad Leandrum, Hispalensem episcopum, Commentariorum libri 35. editi ab eo, cum crebris viscerum doloribus torqueretur, ad leniendos cruciatus, quos, fracta stomachi virtute, & continuis lentisque supervenientibus febribus, patiebatur, ita disponente divina providentia, ut viri a Deo flagellati aerumnas vir a Deo flagellatus exponeret, quo eas, experientia dictante, certius, copiosius, clarius, & ardentius enarraret. Proinde & caeteros hujus libri enarratores tanto post se intervallo reliquit, quanto in omnium rerum cognitione, scientia experientiae conjuncta, scientia sine experientia conjuncta superior est. Quantum autem existimaverint hos vere aureos Commentarios veterum Patrum judicia, hinc apparet, quod adhuc vivente Gregorio, publice eos episcopi per diversas ecclesias legere coeperunt: quod ipse cum resciisset, missis ad eos epistolis, quae adhuc extant, fieri vetuit. Abbreviarunt hoc Opus Odo Cluniacensis Abbas, & Simon Afligemensis Monachus: hic in decem parvos libros, ille in exiguum Volumen. Composuit item Gregorius

IN PSALMOS septem, qui Poenitentiales dicuntur, brevem & moralem Commentarium, secutus in eo Augustini enarrationes. Opus incipit, *Si ille rex & propheta*. Item scripsit

IN CANTICUM Canticorum juxta Anagogen & Ethicen Commentarium, strictiori, quam in caeteris, explanatione usus: ejus initium est, *Qui si caeco*, &c. Edidit etiam, excipientibus notariis.

IN EZECHIELEM Homiliarum ad populum Romanum libros duos, hoc est, in tria prima Ezechielis capita Homilias duodecim, primo libro comprehensas; & rursum in caput 40. De visione templi in Hierusalem construendi Homilias decem, secundo volumine contentas. Has ad populum habuit maximis animi curis fluctuans, propter calamitatem urbi imminentem, cum ad eam obsidendam Agiulfus, Longobardorum rex, jam transgresso Pado festinaret. Operis ini-

Digitized by Google

initium est, *Dilectissimo fratri Mariano Ravennati episcopo, &c.* Praeterea composuit

IN EVANGELICAS lectiones, quae in sacris Missae mysteriis leguntur, Homilias 40. quarum quasdam, a se prius dictatas, per notarium ad populum recitavit, quasdam vero ipse viva voce pronunciavit notariis ab ore ejus excipientibus: has Gregorius, a se prius recognitas, duobus voluminibus concluſit, & Secundino Lauritano episcopo dicavit. Earum Catalogus hic est:

IN MATTHAEI caput secundum, De adventu Magorum, homilia una.
In Matth.4. De tentatione Christi, hom.1.
In Matth.4. De vocatione quatuor Apostolorum, hom.1.
In Matth.10. De missione duodecim Apostolorum, hom.1.
In Matth.11. De Joanne in vinculis, hom.1.
In Matth.12. super illud, Ecce mater tua, hom.1.
In Matth.13. De thesauro abscondito in agro, hom.1.
In Matth.16. super illud, Si quis vult venire post me, hom.1.
In Matth.20. De vinea, hom.1.
In Matth.22. De rege, faciente nuptias filio suo, hom.1.
In Matth.25. de decem virginibus,
In Matth.25. De quinque talentis, hom.1.
IN MARCI cap.16. De mulieribus, ad monumentum euntibus, hom.1.
In idem, De undecim discipulis recumbentibus, hom.1.
IN LUCAE cap.2. De edicto Augusti, hom.1.
In Luc. 3. De praedicatione Joannis, hom.1.
In Luc.7. De Mariae poenitentia, hom.1.
In Luc.8. De parabola seminis, hom.1.
In Luc.10. De missione 72. discipulorum, hom.1.
In Luc.13. De arbore fici, hom.1.
In Luc.14. super illud, Qui venit ad me, & non odit Patrem, hom.1.
In Luc.14. De coena magna, hom.1.
In Luc.15. De centum ovibus, hom.1.
In Luc.16. De divite & Lazaro, hom.1.
In Luc.18. De caeco, hom.1.
In Luc.19. De fletu Christi super Hierusalem, hom.1.
In Luc.21. De praeliis & seditionibus futuris, hom.1.
In Luc.21. De signis in Sole & Luna, hom.1.
In Luc.24. De discipulis, in Emaus euntibus, hom.1.
IN JOANNIS caput 1. De legatione sacerdotum ad Joannem, hom.1.
In Joan.4. De filio Reguli, hom.1.
In Joan.8. super illud, Quis ex vobis arguet me de peccato? hom.1.
In Joan.10. De bono pastore, hom.1.
In Joan.14. super illud, Si quis sermonem meum servaverit, hom.1.
In Joan.15. De mutua dilectione, hom.1.
In Joan.20. De Magdalena, veniente ad monumentum, hom.1.
In Joan.20. De Maria, extra monumentum plorante, hom.1.
In Joan.20. De Christo, ingrediente ad discipulos januis clausis, hom.1.
In Joan.21. De manifestatione Christi ad mare Tyberiadis, hom.1.

HACTENUS exegetica Gregorii scripta, ex quibus Patherius, S.Romanae Ecclesiae notarius, Beda Anglosaxo, Alulphus Monachus, Odo abbas, Simon Afligemensis, Guernerus Parisiensis, ac plerique alii Commentaria collegerunt in totam pene divinam Scripturam.

CLARUIT Gregorius sub Mauritio Augusto, moriturque anno secundo Phocae Imperatoris hoc est, anno Domini DCV. cum Romano Pontificatui praefuisset annis tredecim, & mensibus sex.

GREGORIUS Primaticius, Senensis, ordinis Praedicatorum, theologiae, aliarumque bonarum artium Professor, digessit literalem expositionem in omnes Divi Pauli epistolas, incipientibus ac minus eruditis perutilem: cujus initium est, *Paulus nomine quare sit vocatus*. Vivit usque ad praesentem an-

Digitized by Google

annum Salutis noſtrae MDLXVI. (a)

GUERRICUS, Abbas Igniacenſis, ingenio facilis, & eloquio dulcis, ſcripſit Opus ſermonum in Evangelia De tempore & ſanctis per anni circulum, quos ad fratres ſuos habuit, librum unum, qui incipit, *Salvatorem expectamus*. Claruit anno Domini MCCC.

GUERNERUS Pariſienſis, coenobii Victorini apud Pariſios ſubprior, vir vitae ſanctimonia, & pia eruditione clarus, collegit digeſſitque decentiſſimo ordine ex omnibus ſcriptis D.Gregorii Papae libros ſexdecim, De allegoricis typis nominum ac rerum omnium in Sacris literis contentarum; quos ENUCLEAMENTA BIBLIAE inſcripſit. Opus ſane dignum, quod a ſtudioſis divinae Scripturae obviis ulnis excipiatur: ejus initium eſt, *Deus aliquando in ſacra Scriptura*. Claruit ſub Ruperto Bavaro, Romanorum rege, anno Domini MCCCC.

GUIDO Ebroicenſis, ordinis Praedicatorum, theologus inſignis, & in declamationibus ad populum facundus ac diſertus, addidit ad regulas Ticonii Afri quaedam aptiſſima documenta, ad ſacrae Scripturae ſenſum capeſſendum utilia, oſtendens, ex quarum rerum ignorantia in doctrinae Sacrae expoſitione errare ſaepius contingat: his titulum fecit, DE CLAVIBUS DIVINAE SCRIPTURAE.

GUIDO, Ferrarienſis eccleſiae epiſcopus, ordinis Praedicatorum, poëta inter ſui temporis ſcholaſticos valde elegans, divinarum quoque literarum tractator egregius, inter multa ingenii ſui Opera edidit ad imitationem Petri Rigae Remenſis Presbyteri Scholaſticum poëma, Clementi Pontifici ejus nominis Quinto dicatum; in quo hexametro verſu utriuſque Teſtamenti libros hiſtorica & allegorica explanatione diſſeruit: ejus titulus eſt, MARGARITA BIBLIAE: initium vero, *Nobile principium*. Claruit ſub Henrico Imperatore VII. anno Domini MCCCX.

GUIDO Perpinianus, natione Hiſpanus, duodecimus Carmelitarum Prior generalis, ac deinde Majoricenſis Elvenſiſque eccleſiarum epiſcopus, Scholaſticae theologiae Profeſſor eximius, ſcripſit ad imitationem Auguſtini De concordantia Evangeliſtarum librum unum, anno MCCCXX.

GUILLELMUS, Abbas ſancti Theodorici, epiſtolam ad Romanos breviter elucidavit. (b)

GUILLELMUS de Alcono, ordinis Praedicatorum, Academiae Sorbonicae apud Pariſios Magiſter, collegit in Eccleſiaſten ſcholaſticam Poſtillam, cujus meminit Vincentius Bandellus in tractatu De conceptione.

GUILLELMUS, Epiſcopus Pariſienſis, patria Alvernus, vir in divinis Scripturis eruditus, & Ariſtotelicae philoſophiae non ignarus, ingenio ſubtilis, & eloquio Scholaſticus, compoſuit in varios utriuſque Teſtamenti multos Commentarios, quibus nomen ſuum ad poſteros transmiſit: ex his extant explanationes

In Hexaëmeron	liber unus,
In Pſalterium	liber unus,
In Proverbia	liber unus,
In Eccleſiaſten	liber unus,
In Cantica	liber unus,
In Matthaeum	liber unus.

(a) N. Gregorius Primaticius Concilii Tridentini Theologus, & a Republica Senenſi ad Julium III. Rom. Pontificem Orator miſſus, edidit etiam expoſitionem in VII. Catholicas Epiſtolas, & prope nonagenarius obiit Anno MDLXXVII.

(b) Guillelmus hic, quem N. Xyſtus Abbatem S. Theodorici dicit, & breviter deſcribit, ille certo certius eſt, ex omnium eruditorum calculo, qui primum Benedictinum Monachum egit, deinde S. Bernardi diſcipulus ſolitudinis amore inlectus plurimum profecit, & Ciſtercienſi Ordini nomen dedit, heinc primum inſtitutus Abbas S. Nicaſii Remenſis plura eaque commendanda opera edidit, quae omnia in Bibliotheca Vet.PP. Ciſtercienſium Tom.IV. extant, & aliqua ſunt ſeorſim typis mandata inter opera S.Bernardi, cujus vitam Guillelmus conſcripſit, ſed Arnoldus Bonae-Vallis complevit. Praeter commentarium in epiſtolam ad Romanos a Xyſto commemoratum ſcripſit Commentarium in Cantica Canticorum ab Antonio Democharte ſuo nomine inſcriptum, ſed Tom.V. operum S.Ambroſii a PP.BB.perpolitum, & Guillelmo reſtitutum. Alterum etiam commentarium in Cantica edidit ex verbis S.Gregorii, quem Caſimirus Oudin Lugduni Batavorum Anno MDCXCII. typis mandavit, Commentarium in Prologos S.Hieronymi in S. Biblia, &c. De eo ejuſque operibus conſulendi ſunt praecipue Caſimirus Oudin, Guillelmus Cave, & Johannes Mabillonius, aliique. Claruit An.MCXL.

Digitized by Google

CLARUIT ſub Federico Imperatore II. anno Domini MCCXXX.

GUILLELMUS, natione Germanus, ex Aquiſgrano, metropolitanae quondam Baſileenſis eccleſiae eccleſiaſtes vigilantiſſimus, eruditione & converſatione praeclarus, eloquio & genere dicendi ſcribendique Scholaſticus, elucubravit expoſitionis in Joannem librum unum, anno Domini MCCCCLXXXV.

GUILLELMUS Gregorius, natione Scotus, Academiae Pariſienſis Theologus, ſcripſit ſcholaſticos in Davidem Commentarios, anno Domini MDXVII.

GUILLELMUS Hamerus, Noveſianus, ſacrae Theologiae Doctor, ordinis Praedicatorum, doctas, utiles, & lectu jocundas in Geneſim Commentationes compoſuit, plurimis clariſſimorum Hebraeae, Graecae, & Latinae linguae ſacrorum & prophanorum auctorum ſententiis adeo ornatas, ut ab aequo candidoque Lectore ſine magno fructu & voluptate legi non poſſint. Harum initium eſt, *Mundus hic, quem alio nomine Coelum*. Floruit anno Salutis MDLX.

GUILLELMUS, Abbas Hirſaugienſis monaſterii in dioeceſi Spirenſi, ordinis S. Benedicti, natione Germanus, ad quem B. Anſelmus Cantuarienſis archiepiſcopus nonnullas conſcripſit epiſtolas, vir in divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſaecularibus literis nulli ſuo tempore ſecundus, vita & converſatione ſanctiſſimus, ſcripſit De correctione Pſalterii librum unum: cujus initium, *Si quis in hac neceſſaria*. Claruit ſub Henrico Imperatore III. anno Domini MXC.

GUILLELMUS de Melitona, ordinis Praedicatorum, Cancellarius Pariſienſis, ſcripſit in XII. Prophetas Poſtillam, quae Placentiae in Bibliotheca Praedicatorum habetur; itemque in epiſtolam ad Hebraeos, quae adhuc Bononiae in Bibliotheca Dominicana extat cum hoc initio, *Narrabo nomen tuum*.

GUILLELMUS Pepinus, Sacrae theologiae Profeſſor, religioſique conventus Ebroicenſis Praedicatorii ordinis alumnus & incola, concionator facundus & ardens, cui parem temporibus ſuis Gallica lingua non habuit, compoſuit in Geneſim, in Exodum, & in ſeptem Pſalmos poenitentiae juxta quadruplicem divinae Scripturae ſenſum Scholaſticam lecturam, rudi quidem & inculto ſermone, ſed artificioſa induſtria concinnatam, declamatoribus divini verbi utilem: in qua primum omnium, diviſo quolibet libri capite in tres, vel quatuor, vel plures clauſulas, quamlibet earum nude & aperte juxta hiſtoriam explicat, adjectis ſub finem ejuſdem hiſtoricae explanationis multis non contemnendis quaeſtiunculis: quibus expletis, eandem iterum clauſulam tribus, aut quatuor, vel interdum ſex, aut octo diverſis moralibus expoſitionibus enarrat: & rurſum poſt has ad ejuſdem clauſulae expoſitionem tres, aut quatuor allegoricas interpretationes ſubnectit: quas tandem in unicam anagogicam explanationem concludit, omnia in Chriſtum, tanquam in finem rerum omnium, referens. Scripſit etiam in epiſtolas & evangelia totius anni ſcholaſticos Sermones pene innumeros. Obiit ſub Carolo V. Imperatore anno Romanae direptionis MDXXVII.

GUTIERRUS Trejus, Placentia Hiſpaniae oriundus, ordinis Minorum, Commentaria in quatuor Evangelia elaboravit, anno MDL.

H

HADRIANUS Lametius Henencurius, Doctor theologus, ex multis Patrum Commentariis unum Opus conſtruxit; in quo ex dictis veterum auctorum primos viginti ſex Pſalmos pulcherrimo ordine elegantiſſime expoſuit. Opus incipit, *Beatus vir, &c. Sententia Hieronymi*. Claruit ſub Carolo V. Imperatore anno Domini MDL.

HAYMO Alberſtatenſis, Tertius in Saxonia epiſcopus, natione Germanus, Albini, qui Caroli Magni Auguſti Praeceptor fuit, diſcipulus, Fuldenſis quondam Benedictini coenobii Monachus, & Abbas monaſterii Hirsfeldenſis ejusdem ordinis, vir ſanctitate & eruditione inſignis, compoſuit in omnes libros utriuſque Teſtamenti Commentarios, pietate, brevitate, dictionis ſimplicitate, ac perſpicuitate laudandos: in quibus, quae a veteribus Interpretibus, vel erant ſcripta doctis, vel apud populum dicta fuſius, in compendium redegit adeo perſpicua & lucida brevitate, ut & ab occupatis parvo temporis diſpendio legi, & a ſimplicibus, leviterque literatis facillime intelligi poſſint. Verſatus eſt autem ferme ſemper in allego-

Digitized by Google

legoricis & anagogicis ſenſibus : quos, velut ſpiritualis apicula, ex omnium antiquorum hortis, ac pratis florentiſſimis decerpſit, quo legentibus eſſet parata ſaluberrimi mellis copia. Inſcriptiones & initia Commentariorum ejus, quos ipſe legi, haec ſunt :

In Pſalterium liber unus.	*Hymni vocantur.*
In Canticum Canticorum liber unus.	*Cum omnium ſanctarum.*
In Eſaiam liber unus.	*Sciendum, quod diviſo populo.*
In Ezechielem liber unus.	*Dicit beatus.*
In Evangelia Homiliarum tomi duo.	*Contulit Dominus.*
In omnes epiſtolas Pauli libri 14.	*A Corintho.*
In Apocalypſin libri 7.	*Legimus in Eccleſiaſte.*

MORITUR ſub Ludovico Auguſto filio Caroli Magni, ſepultus in Eccleſia ſancti Stephani Alberſtatenſis, anno Domini DCCCXXXIIII. (a)

HECTOR Pinctus, Luſitanus, ordinis D. Hieronymi monachus, ſcripſit in Eſaiam Prophetam nitida cultaque Commentaria : in quibus Hebraïcum Eſaiae contextum una cum vulgata editione diligenter examinat. Theobaldus Paganus anno MDLXI. Lugduni excuſit. Edidit item doctiſſima commentaria in Prophetas Ezechielem, & Danielem, & in Lamentationes Jeremiae.

HELIAS de Anibaldis, Minorita, Theologiae Magiſter, ſcripſit Poſtillam in Apocalypſin. Helias de Anibaldis Gallus Aquitanus, Epiſcopus Nicoſienſis, & Patriarcha Hieroſolymitanus obiit An. 1363.

HENRICUS, Monachus ſancti Benedicti coenobii Antiſiodorenſis, ſaeculari literatura inſtructus, divinae ſcripturae peritiſſimus, & ſui temporis declamator eximius, ſcripſit circa annum Dom. DCCCLXXX. in varios locos Evangeliorum homilias plurimas, de quibus XXXVII. inſertae ſunt in Homiliario Alcuini.

HENRICUS Arnoldi, Cartuſianus, monachus domus Baſileenſis, in ſacro quondam Baſileenſi Concilio notarius, vir omni literarum genere inſtructus, ſcripſit ſtylo aperto ac ſimplici de Concordantia Evangeliſtarum circa paſſionem Domini librum unum, anno MCCCCXL.

HENRICUS Coëſveldius, Germanus, Cartuſianus, Prior domus S. Mariae prope montem B. Gertrudis in Hollandia, profeſſione Scholaſticus, ſcripſit in Exodum, & in epiſtolam ad Romanos. Claruit anno Domini MCCCCX.

HENRICUS Herphius, ordinis Minorum regularis obſervantiae, guardianus in Meclinia, vir contemplativus, & undecunque non minus doctus, quam illuminatus, ſcripſit de theologia Myſtica, tum ſpeculativa, tum praecipue affectiva, quae non tam lectione juvatur, quam exercitio puritatis, & amoris obtinetur, libros tres; quorum primum in expoſitione Canticorum exhibuit, qui Theologiae Myſticae, vel Divini amoris Chriſtiformiumque Soliloquium, aut, In Cantica Canticorum Paradoxa inſcribitur : in quo abrupto ordine varias hujus libri ſententias piis affectibus, & flammigeris verbis luculentiſſime expoſuit. Tranſtulit hoc Opus e Teutonico idiomate in Latinam linguam Petrus Blomevenna Leydenſis Cartuſianus. Opus incipit, *Oſculetur, &c. Dic, quaeſo, nobis., de quo, a quo, & ad quem dicatur, Oſculetur me, &c.* Henricus Herpius obiit Meclinae Anno 1477.

HENRICUS Helmeſius, Germipolitanus, ordinis Minorum, vir plane doctus & pius, & ſummae Colonienſis eccleſiae concionator, conſcripſit in omnes epiſtolas & evangelia feſtiva Homiliarum in genere ἐσωτερικῷ, hoc eſt, Se ipſum exponente, tomos quinque, ex meris divinae Scripturae ſententiis miro artificio ac eruditione concinnatos, anno Domini MDL.

HENRICUS Haſſius Junior, Cartuſianus, Prior domus monachorum S. Mariae, in Scripturis ſanctis nobiliter eruditus, ſaecularis literaturae non ignarus, profeſſione Scholaſticus, & ſermonis elegantia ad illuminandum intellectum & inflammandum affectum ſatis accommodatus, ſcripſit in Geneſim Commentariorum librum unum, in Exodum librum unum, in Proverbia librum unum, in Apocalyſin librum unum. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore MCCCCXXVIII.

(a) Nonnulla opera ſub nomine Haymonis edita pariter leguntur vulgata ſub nomine Remigii Antiſiodorenſis Monachi Benedictini (de quo infra) praecipue Commntarii in Epiſtolas D. Pauli, qui etiam ſub nomine Remigii prodierunt in Bibliotheca PP. Coloniae 1618. quapropter huicce, ſecus vero Haymoni, eoſdem Commentarios fore adjudicandos univerſim Critici advertunt. Videſis eos.

Digitized by Google

HENRICUS Kaltiſenus, patria Confluentinus, Praedicatorii ordinis, Nidroſienſis & Caeſarienſis eccleſiarum epiſcopus, Lector quondam ſacri palatii, & antea ſanctae Crucis praedicator, & haereticae pravitatis inquiſitor, theologus & philoſophus excultus, ſcripſit Scholaſtico eloquio in Canticum Mariae librum unum, anno Domini MCCCCLX.

HENRICUS Langeſteinus, Germanus, ex Haſſia, Vormacienſis eccleſiae Canonicus, Pariſienſis Academiae Doctor, ſub Bonifacio Papa Nono, anno Salutis noſtrae MCCCC. ob ſingularem philoſophiae ac theologiae eruditionem ad illuſtrandam Viennenſem Academiam, tum primum conditam, publico eruditorum omnium favore accitus, tanta in dicendo ac ſcribendo rerum copia abundavit, ut more Demoſthenis cogitandum ei fuerit ſemper, non quid adderet, ſed quid demeret orationi: ex qua abundantia effectum eſt, ut, conſumptis multis annis in publica enarratione Geneſeos, vix ad quartum libri caput, editis totidem Commentariorum libris, pertingere potuerit, facturus ſane immenſum Opus, & multo papyro damnoſum, ſi ad finem uſque Geneſeos enarrando perveniſſet. Scripſit igitur ſcholaſtico interpretandi genere Prologi in Geneſim librum unum, in prima quatuor Geneſeos capita libros quatuor, in Canticum Canticorum librum unum.

Henricus Logen, ſeu Logen obiit Anno 1481.

HENRICUS Logen, Cartuſianus, Prior domus juxta Bruxellas, ſcripſit explanationes in Pſalterium.

HENRICUS Vichingan, Anglus, ſcripſit in Eſaiam ſcholaſticam Poſtillam, anno Domini MCCCCXLVII.

HENRICUS Urimarius, Eremitanus, natione Germanus, Gymnaſii Pariſienſis Doctor, vita & doctrina clarus, ſcripſit in Decalogum librum unum: cujus initium, *Audi Iſraël praecepta*. Claruit anno Domini MCCCXL.

HERACLIUS (ſive Heraclitus, ſive Heraclaeus) ſub Commodi Severique imperio, anno Domini CC. compoſuit in Apoſtolum Commentariorum libros quatuordecim.

HERMANNUS, Archiepiſcopus Colonienſis, ſacri Imperii Elector, vir undecunque eruditiſſimus, ſcripſit in Decalogum nobiſſimam explanationem, quae in Compendio Colonienſis Concilii una cum expoſitione Dominicae orationis, ac ſymboli continetur. Claruit anno MDXL.

HERMANNUS, Contractus nuncupatus, eo quod membris totius corporis contractus eſſet, monachus Benedictinus, coenobii S.Galli, natione Teutonicus, filius Comitis Veringenſis in Svevia, philoſophus, mathematicus, & hiſtoricus, Graece, Latine, & Arabice peritiſſimus, inter multa praeclara ſcripta ſua reliquit Opuſculum inſigne, Chronicon DE SEX MUNDI AETATIBUS inſcriptum; in quo ad imitationem Bedae omnes aetates, generationes, annos, & tempora, in Sacris literis contenta, aptiſſimo ordine digeſſit. Claruit ſub Henrico II. anno Domini MXL.

HERMANNUS Petra Studorpoaeus, natione Germanus, profeſſione Cartuſienſis, rector domus S.Annae Sanctimonialium ſui ordinis, juxta Brugas in Flandria, vita & eruditione, & declamandi ſtudio venerandus, edidit in orationem Dominicam ſtylo ſcholaſtico ſermones 50. Claruit an. Do. MCCCCXXVIII.

HERMANNUS Schildius, Eremitanus, philoſophia imbutus, & in divinis literis aſſidua exercitatione conſummatus, ſcripſit ſtylo ſcholaſtico in Geneſim, & in Canticum Canticorum, item de quatuor ſenſibus Scripturae librum unum. Claruit ſub Ludovico Imperatore IIII. anno Domini MCCCXL.

HESYCHIUS Monachus, & in Palaeſtina multorum Monachorum pater, Hilarioni ſanctiſſimo eremitae arctiſſimo amore junctus, & ad quem ipſe beatiſſimus Hilarion moriens, quaſi Teſtamenti vice brevem manu propria ſcripſit epiſtolam, omnes divitias ſuas ei derelinquens, evangelium ſcilicet, & tunicam ſacceam, cucullam, & palliolum, vir Graecae linguae peritiſſimus, & divinarum Scripturarum Lector aſſiduus, novam Graecam translationem totius Scripturae publicavit, partim a ſe de Septuaginta interpretibus in veteri Teſtamento emendatam; partim vero propria induſtria in novo Teſtamento ad antiquam fidem reſtitutam. Sunt qui eandem hanc translationem tribuant Heſychio Hieroſolymitano

Digitized by Google

mitano presbytero, viro doctissimo, quem Nicephorus temporibus Theodosii junioris floruisse scribit: quod mihi non videtur verisimile, cum Hieronymus scribat hanc Hesychianam editionem omnibus per Alexandriam & Aegyptum ecclesiis tempore suo, hoc est, Theodosio seniore imperante, fuisse usitattam. Claruit autem Hesychius sub Constantio Augusto, anno Domini CCCLX.

HESYCHIUS, Hierosolymitanus presbyter, vel, ut in Glossa ordinaria super Leviticum scribitur, Hierosolymorum episcopus, B. Gregorii Nazianzeni episcopi auditor & discipulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, exemplo praeceptoris sui admonitus fertur in divinos libros multa explanationum scripsisse Opuscula: de quibus extant in totum Leviticum ad Eutychianum Diaconum libri septem; in quibus mysticam Mosis intentionem spiritualiter interpretatur, secutus editionem ita temperatam, ut cum LXX. conveniat, & a nostra vulgata non discrepet: habet genus quoddam dictionis insuetum, atque affectatius, & a communi dicendi consuetudine abhorrens. Opus incipit, *Venerabili Diacono Eutychiano peccator Christi servus Isychius presbyter in Christo salutem.* Scripsit etiam consimili explanationis studio in Ezechielem Commentarios, quorum in Praefatione primi libri in Leviticum mentionem facit: item in epistolam ad Hebraeos. Claruit sub Honorio Augusto, anno Domini CCCC. (a)

HIERONYMUS Fracastorius, Veronensis, medicinae artis ac poëtici studii illustrator nobilissimus, edidit in decem postrema Geneseos capita De vita Joseph heroïcum poëma, carminis venustate admirandum, quod quidem absolvere non potuit morte praeventus, anno MDXLVIII.

HIERONYMUS Leopolitanus, ex provincia Rutheniae, ordinis Minorum regularis observantiae, ecclesiastes & lector metropolitanae ecclesiae in urbe Cracovia, Polonici regni regia, qui adversus Lutheranos usque ad mortem strenue dimicavit, omnes Bibliorum libros in Polonicam linguam convertit. Claruit sub Carolo V. Augusto, anno Domini MDXXXVI.

HIERONYMUS ab Oleastro, Lusitanus, ordinis Praedicatorum, Sacrae Theologiae professor, & haereticae pravitatis apud inclytam Ulyssipponem Inquisitor, edidit Commentaria in Mosis Pentateuchum juxta Sanctis Pagnini editionem: in quibus primum Hebraïcam veritatem exactissime explicavit; deinde vero, quae ad morum compositionem aptari possunt, ex ipsius literae penetralibus seorsum adjunxit. Claruit anno Domini M.D.LVI. quo & hoc ipsum opus Ulyssippone excusum emisit. (b)

HIERONYMUS Patavinus, carmine excellens & prosa, scripsit ad Petrum Donatum, Patavinae urbis episcopum, De passione Domini ex quatuor Evangelistis heroico pede librum unum, qui incipit, *Maxime Coelicolum*, anno Domini M.CCCCXCIIII.

HIERONYMUS Savonarola, Ferrariensis, ordinis Praedicatorum, excellentis ingenii vir, multarumque scientiarum copia praeditus, declamator fuit sermone quidem simplex & incomptus, sed sensu acris, & actione vehemens; sanctitatis vero opinione ita omnibus admirandus, ut Florentinae urbis populus, apud quem septem annis in magna & assidua auditorum frequentia conciones habuit, existimaret eum cum Deo loqui, & ab eo futurorum eventuum prophetiam accipere, & ob id nollet rempublicam, & communia totius civitatis imperia, nisi ejus nutu, administrari: quae cum aliquibus primariis civibus non satis placerent; data opera, ut magistratus urbis crearentur ex eorum numero, qui minime eum sequebantur, Hieronymus non sine tumultu & sanguine multorum ca-

(a) De Authore explanationis in Leviticum non est una Criticorum sententia. Nonnulli, quos secutus est N. Xystus, Hesychio Jerosolymitano adjudicant, alii vero Hesychio Salonitano ex eo praesertim, quia eo in opere offenditur versio Hieronymi, quae tempore Hesichii Jerosolymitani non erat in Ecclesia recepta, nec poterat quidem hic ea uti, qui, ceu Graecus, nonnisi LXX. versione utebatur, & Graece scripsit: quare ad utramque conciliandam disparem opinionem dicendum censeo, quod utique Hesychius Hierosolymitanus praefatum opus Graece edidit, in Latinum autem vertit Salonitanus Hieronymi versione usus.

(b) Aliqua Hieronymi Oleastri opera N. Xystus omisit, quae hic praetermittere taedet, ne tanto viro ex omissione injuria inrogetur. Mirum autem non est, quod Author ea praeterierit, quia nondum fuerant edita in vulgus. Scripsit etiam Oleaster Commentarios in Isaiam, qui prodierunt Parisiis 1622. & in Libros Psalmorum, ac in Hieremiam, & XII. Prophetas Minores jam ab eo praelo paratos, sed nondum impressos, apud suos tamen servatos. Videsis N. Jacobum Echard *Script. Ord. Tom. II. fol.* 183. *c.* 1.

Digitized by Google

captus, & in carcerem conjectus, & ad mortem damnatus, paulo post sacerdotali honore exauctoratus, medio foro vivus exustus est: cinereſque ejus, ne a suis, qui jam eos colligere coeperant, religiose servati colerentur, in profluentem Arnum projecti sunt. Hic igitur elaboravit in divinis scripturis plurima, de quibus infrascripta feruntur:

De arca Nohe in 6. Geneseos caput sermones 10.
In 6. priora Exodi capita sermones 14.
In historiam Ruth sermones 5.
In duo prima Job capita sermones 40.
In Ezechielem sermones 46.
In Amos sermones 40.
In Zachariam sermones 20.
In Michaeam sermones 30.
In Aggaeum sermones 5.
In 7. Psalmos poenitentiales commentaria.
In Psalmum 72. sermones 24.
In Psalmum 79. expositio.
Item in varios Psalmorum versiculos sermones 20.
In orationem Dominicam triplex expositio.
In canonicam primam Joannis sermones 19.

DENIQUE pridie, quam duceretur ad mortem, scripsit inter metuendos carceris horrores, & imminentis supplicii angustias Latino sermone in Psalmum trigesimum primum & in quinquagesimum Meditationes, vivis verbis, animatis sententiis, & Spiritus fervore flagrantissimas: harum prior, in qua spei ac desperationis lucta exprimitur, incipit: *Tristitia obsedit me, &c.* posterior vero incipit, *Infelix ego homo, &c.*

AMBROSIUS, Compsae episcopus, multarum annotationum librum edidit adversus praedicta Hieronymi volumina; ex quibus sancta synodus Tridentina vetuit infrascriptas conciones legi, donec a sanctae Romanae Inquisitionis senatu emendatae prodeant: sunt autem.

In Exodum sermo primus, incipiens, *Domine quid multiplicati sunt.*
In Exod. sermo secundus, incipiens, *Cum simus a Domino positi.*
In Exod. sermo tertius, incipiens, *In exitu Israël de Aegypto.*
In Exod. sermo sextus, incipiens, *Quanto magis opprimebat eos.*
In Exod. sermo decimus, incipiens, *Clamor ergo filiorum Israël.*
In Exod. sermo vigesimus, incipiens, *Palpebrae ejus interrogant filios.*
In Ruth caput 3. sermo incipiens, *Et ecce nocte jam media expavit homo.*
In Job caput 5. sermo incipiens, *Beatus vir, qui corripitur a Domino.*
In Ezechielem sermo 21. incipiens, *Dixit Dominus, Audite me, transite per.*
In Ezechielem sermo 32. incipiens, *Et post omnes abominationes tuas.*
In Ezechielem sermo 41. incipiens, *Et factus est sermo Domini ad me.*
In Amos cap. 4. sermo 32. incipiens, *Audite verbum hoc, Vaccae pingues.*

In 3. Regum 18. super igneo Heliae experimento, Adhortatio ad populum habita anno Domini M.CCCCXCVIII. die septima Aprilis, cum ad explorandam veritatem rerum, ab auctore praedictarum, ardentem rogum ingressuri essent Dominicus Piscienſis Dominicanus, Hieronymi defensor, & Julianus Florentinus Franciscanus, ejusdem accusator. Sermonis initium est, *Cum praeter eas, quae peractae sunt, precationes, multae adhuc agendae sunt.*

THOMAS Nerius, ex ordine Praedicatorum, vir & pius & doctus, nuper Apologeticum librum scripsit pro doctrina auctoris hujus, qui sextum & quadragesimum aetatis suae annum agens occisus est, anno videlicet humanae salutis M.CCCCXCVIII. die 14. Junii. (a)

SCRI-

(a) Quae de Vivi-comburio Hieronymi Savanarolae Xystus tradit spongia Criticorum egent, quum ex historia constet laqueo illum fuisse suspensum patibulo, & post mortem fuisse flammis addictum. Legesis Authores, quos laudat Xystus, & NN. Jacobum Echard, Abrahamum Bzovium ad An. 1498. Vincentium Baronium T. II. Apolog. lib. IV. sec. 2. art. 4. Joh. Michaële de Cavaleriis *Gall. Dom.* P. II. p. 281. & alios. Circa Savanarolae opera consule pariter quae scribit idem Echardus adcuratissimus operum, & Scriptorum Ordinis Censor; nec non Indicem Romanum, ut vetita Savanarolae opera scias.

Digitized by Google

SCRIPSIT ejus vitam Joannes Franciſcus, Mirandulae princeps.

HIERONYMUS Stridonenſis, quem Severus Sulpicius Bethlehemiticae paroeciae rectorem, Graeci omnes Hieroſolymitanum presbyterum appellant, Euſebii filius, ex oppido Stridonis, quod a Gothis everſum, Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinium erat, vir fuit in omni doctrinarum genere abſolutiſſimus: quippe qui ſplendore ſermonis, & eloquentiae viribus, in quibus ſub Donato Grammatico & Victorino Rhetore, clariſſimis viris, profecit, omnes Latinae Eccleſiae ſcriptores multo poſt ſe intervallo reliquit. Linguarum quoque tantam habuit peritiam, ut Graecam, Hebraeam, Syram, Chaldaeam, & Latinam omnes aeque, ac Dalmaticam ſibi maternam linguam teneret; ſed & in ſcholis philoſophorum nihil de Ariſtotelis, Platonis, ac Zenonis, hoc eſt de Peripateticis, Academicis, Stoïcis, reliquit intactum: quibus inſtructus apparatibus, contulit ſe ad ſacrarum literarum ſtudia, uſus in his Apollinari Laodiceno, Didymo Alexandrino, & Gregorio Nazianzeno praeceptoribus: ſub quibus tantam ſibi divinarum rerum eruditionem, & eruditionis nomen comparavit, ut in obſcuris ſanctorum voluminum difficultatibus Romanus Pontifex Damaſus, doctiſſimus Auguſtinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multique alii paſſim per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Palaeſtinam, & Graeciam eruditiſſimi epiſcopi ad hunc unum confugerent, tanquam ad eum, qui multiplici linguarum varietate adjutus, omnes legiſſet divinae ſcripturae interpretes, Graecos, Hebraeos, & Latinos. Quod & Auguſtinus libro primo adverſus Julianum palam his verbis oſtendit, inquiens: SANCTUS presbyter Hieronymus, Graeco, Latino, & Hebraeo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem tranſiens eccleſiam, in locis ſanctis atque in literis ſacris uſque ad decrepitam vixit aetatem. Hic omnes, vel pene omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina eccleſiaſtica ſcripſerunt, legit.

Sever. Sulpit. Dial. 1. Hieronymum Parochum Bethleemiticū dicit: negat hoc idem S. Doctor. epiſt. LXI. ad Pammach. Fuit autem Monachus Presbyter, jure Monachatus gaudens privilegio catechizādi, & praedicandi, ut ex eadem epiſtola conſtat, & oſtendit Chriſtianus Lupus Diſſer. de jur. Regul. Eccleſ. quoad praedication.

ELABORAVIT itaque admirabilis hic vir, praeter exoterica ſcripta, quae multa ſunt, tot tantaque in ſanctas ſcripturas exegematica volumina, ut nulla pars ſit ſeu veteris, ſeu novi teſtamenti, in quam ille non ediderit aut translationes, aut annotationes, aut commentarios, aut epiſtolas: nam his quatuor ordinibus diſtinguuntur omnia ejus opera, quae ad ſacrorum voluminum intelligentiam pertinent. In primo transferendi ordine univerſum ſcripturae corpus in varias vertit linguas. In ſecundo annotandi ordine multa ex utroque teſtamento, ſparſim adhibitis brevibus ſcholiis illuſtravit. In tertio epiſtolari ordine ſcripſit innumeras pene epiſtolas; in quibus ſatisfecit quaeſtionibus illorum, qui, datis ad ipſum literis ex diverſis mundi partibus, eum de abſtruſis divinae ſcripturae quaeſtionibus conſulebant. In quarto & ultimo Hypomnematico, hoc eſt Commentariorum ordine divinas ſcripturas juxta varias Graecorum editiones, ſed praeſertim LXX. ac ſuam, a ſe ex Hebraïco fonte converſam, expoſuit ad literam; primuſque omnium Latinorum hiſtoricum ſenſum, quem propter ejus difficultatem nullus ante eum vel attigerat, vel plene explicaverat, ſolertiſſime inveſtigavit, apertiſſimeque diſſeruit, adjectis quoque brevibus allegoricis, ac tropologicis explanationibus, quae veluti appendices & ornamenta eſſent intelligentiae literalis.

HORUM autem commentariorum ipſe manu ſua plura ſcripſit, plurima per notarios dictavit, tanta facilitate ac celeritate, ut ſingula quaque die mille verſuum numerum dictando excederet: qua de cauſa, ut ipſemet de ſe ipſo in epiſtola ad Euſebium refert, multi exiſtimarunt eum magis aliena legere, quam ſua condere.

SECUTUS eſt autem Hieronymus inter caeteros Graecos expoſitores, quorum ſcripta apis in morem defloravit, potiſſimum Origenem, non quidem ut dogmatiſten, ſed ut interpretem: ex cujus immenſis voluminibus innumera pene in ſua transfudit opera: qua de re cum ab aemulis ſuis accuſaretur, multis in locis ſe excuſavit, praeſertim vero in praefatione ſecundi commentarii in Michaeam, ubi ex Terentianis verſibus hujuſmodi centonem pro defenſione ſua aptavit:

Mo-

Digitized by Google

Moneo tauros pingues, qui circundederunt me, ut quieſcant & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Nam quod dicunt Origenis me volumina compilare, &
Contaminari non decere veterum ſcripta:
Quod illi maledictum vehemens exiſtimant,
Eam laudem ego duco maximam, cum illum volo
Imitari, quem vobis, & cunctis prudentibus placere non dubito.
Si enim criminis eſt Graecorum benedicta trasferre, accuſetur
Ennius, Maro, Plautus, Caecilius, & Terentius,
Tullius quoque; ſed & Hilarius noſter furti reus ſit, qui in
Pſalmos quadraginta fere millia verſus ſupradicti Origenis ad ſenſum vertit.
Quorum omnium aemulari exopto diligentiam
Potius, quam obſcuram iſtorum negligentiam.

SOLET autem Hieronymus in colligendis veterum explanationibus ſaepenumero illorum ſententias, & interdum quoque nonnullas aberrantes & abſurdas opiniones referre, ſuppreſſis nominibus auctorum, quos ad evitandum lectoris taedium ſemel in praefationibus librorum nominare conſuevit, omiſſis etiam aliquando modeſtiae gratia confutationibus earum opinionum, quod eas alibi pleniſſime confutaſſet: quo fit, ut dum ſine diſcrimine permiſcet aliena ſuis, videatur nonnunquam aliorum errores recipere, & ex animi ſui ſententia pronunciare: atque hinc occaſionem utcunque nacti ſunt Hieronymiani obtrectatores inſectandi eum, quod Haereticorum dogmatibus omnia pene commentaria ſua reſperſerit: quorum calumniae occurrens Hieronymus, haec in quarto ſuper Jeremiam volumine ſcripta reliquit:

SOLEO in commentariis & explanationibus, ſicut mos eſt, diverſas ſententias ponens interpretum, hujuſcemodi miſcere ſermonem, Quidam hoc dicunt, Alii hoc autumant, Nonnulli ſic ſentiunt: quod & ipſe miſerabilis Grunnius, & poſt multos annos diſcipulus Joviniani, & illius calumniantur me ſub alienis nominibus proprias ſententias ponere: quod ego cauſa benevolentiae facio, ne aliquem certo nomine videar lacerare. Sed benignitas mihi verſa eſt in calumniam.

STYLUS Hieronymi in quovis horum ordinum longe diverſus eſt ab eo, quo in caeteris operibus utitur: nam in exotericis opuſculis, quaecunque ea ſint, ſive Paraenetica, quae vitae inſtitutionem continent, ſive Apologetica, quae ad refellendos haereticorum errores, & malevolorum calumnias ſpectant, habet dicendi genus, varia quadam & admirabili omnium rerum miſtura compoſitum, & ornamentis & pigmentis ex omni ſcriptorum varietate undequaque decerptis excultum, rhetorum coloribus, dialecticorum argutiis, poëtarum floſculis, philoſophorum ſententiis, omnigenis omnium artium, ac ſcientiarum alluſionibus pictum, & peregrinarum vocum diverſitate, Graecis ſcilicet, Hebraeis, & Chaldaeis dictis variegatum, inſtar emblematis, ut Ennius ait, vermiculati, & Muſevi operis multicoloribus lapillis intertexti. Contra vero in exegematicis, ſeu enarrationibus divinae ſcripturae, ſpreta univerſa literarum ſaecularium pompa, ab omni eloquentiae fuco, & ab omni difficilium quaeſtionum ambitione abſtinet, nolens, ut ipſe inquit, ſub occaſione divinorum verborum eloquentiam & eruditionem ſuam oſtentare, & in his a lectoribus laudem & admirationem aucupari. Utitur autem ubique dictione ſuccincta, ſimplici, & aperta, verbiſque, ut ipſe ait, e trivio deſumptis; dictum illud in omnibus commentariis ſuis, & in ſingulis pene librorum praefationibus repetens, videlicet: QUI flumina eloquentiae, & concinnas declamationes deſiderant, iſta non legant: hoc enim ſolum mihi propoſitum eſt, divinae ſcripturae verba declarare: & haec ſola eſt laus mea, ut per me lector divinae ſcripturae verba intelligat. Cujus propoſiti ipſe rationem reddens, in quaeſtionibus ad Damaſum Papam ſic ſcribit: DE SCRIPTURIS diſputantem non decet Ariſtotelis argumenta conquirere; nec ex flumine Tullianae eloquentiae ducendus eſt rivulus; nec aures Quintiliani floſculis, & ſcholari declamatione mulcendae: pedeſtris, & quotidianae ſimilis, & nullam lucubrationem redolens oratio neceſſaria eſt, quae rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet, non quae verborum compoſitione frondeſcat. Sint

alii

Digitized by Google

alii diſerti; laudentur ut volunt; & inflatis buccis ſpumantia verba trutinent: mihi ſufficit ſic loqui, ut intelligar; ut de ſcripturis loquens, & diſputans ſcripturarum imiter ſimplicitatem. Atque haec pauca nunc de exegematicis operibus Hieronymi a nobis univerſaliter perſtricta ſint: particulariter vero, quae ſub ipſius nomine vel in omnes, vel in ſingulos divinae ſcripturae libros edita feruntur, duplici Indice diſtinguemus: in quorum primo indubitatos Hieronymi labores collocabimus; in ſecundo ea ſcripta numerabimus, de quibus, an ejus ſint, apud eruditos maxime dubitatur.

Exegematicorum Voluminum, quae omnes abſque ulla haeſitatione Hieronymi eſſe affirmant, Index primus.

IN TOTUM vetus teſtamentum ex Hebraïca veritate in Latinam linguam Translatio; quam, ut caeteris praeſtantiorem, omnis Latinorum eccleſia ſuſcepit, & pervetuſti patres auctoritate ſua comprobarunt, in primis vero Auguſtinus libro de civitate Dei 18. ſic ſcribens: NON defuit temporibus noſtris Hieronymus presbyter, homo doctiſſimus, & trium linguarum peritiſſimus, qui non ex Graeco, ſed ex Hebraeo in Latinum divinas ſcripturas convertit: cujus tantum literarum laborem etiam Hebraei fatentur eſſe veracem. Huic ſubſcribens Gregorius libro undecimo Moralium, ſic loquitur: NOVA Hieronymi translatio ex Hebraeo nobis eloquio cuncta verius transfudiſſe perhibetur: propterea credendum eſt, quicquid in ea dicitur; & oportet, ut verba illius noſtra expoſitio ſubtilius rimetur. Iſidorus, Hiſpalenſis epiſcopus, libro ſecundo Etymologiarum haec addit: HIERONYMUS, trium linguarum peritiſſimus, ex Hebraeo in Latinum eloquium divinas ſcripturas convertit, eloquenterque transfudit: cujus interpretatio merito caeteris antefertur: nam eſt verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiae clarior, atque utpote Chriſtiana interpretatio verior. Haec ille. Nec praetereundum eſt, quod Hieronymus LXX. interpretum editionem, ab incerto auctore multis jam antea ſaeculis Latine verſam, & injuria temporum corruptam, emendavit, & ad Graecam veritatem reſtituit, ſicut ipſemet in praefatione Paralipomenon teſtatur. Tranſtulit autem tanta facilitate ac velocitate pleraque veteris inſtrumenti Hebraïca volumina, ut tridui labore tres libros Salomonis, Proverbia ſcilicet, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum ex Hebraeis Latinos fecerit, & librum Tobiae ex Chaldaeo in Latinum unius diei opera verterit.

PRAETER haec etiam novum omne teſtamentum, jam ab aliis in Latinum vel male verſum, vel ſcriptorum negligentia corruptum, diligenter caſtigavit, & juxta Graecam veritatem ſumma cura emendavit: de qua emendatione Auguſtinus in quadam ad Hieronymum epiſtola judicium ſuum protulit his verbis: PROINDE non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium de Graeco in Latinum interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offenſio eſt, cum ſcripturam Graecam contulerimus: unde ſi quiſquam veteris falſitatis contentioſus fuerit, prolatis collatiſque codicibus, vel docetur, vel refellitur; etſi quaedam rariſſime merito movent: quis tam durus, qui labori tam utili non facile ignoſcat, cui vicem laudis referre non ſufficit? Haec Auguſtinus.

TRANSTULIT quoque Hieronymus, ut ipſemet in epiſtola ad Sophronium teſtatur, univerſum totius divinae ſcripturae corpus in Dalmaticam linguam ad utilitatem nationis ſuae gentium, quae uſque in hanc diem hujus translationis lectione ſumma cum veneratione utuntur.

VERTIT etiam ex Philone & Origene De interpretatione Hebraïcorum nominum, quae utroque teſtamento comprehenduntur, librum unum, incipientem, *Philo, vir diſertiſſimus*.

POST hos translationum labores ſcripſit Epiſtolarium praefationum in ſingula Bibliorum volumina librum unum, cujus initium eſt, *Frater Ambroſius*. Scripſit quoque

IN OMNEM ſanctam ſcripturam Traditionum, ſive Quaeſtionum Hebraïcarum inchoatae expoſitionis librum unum, ab initio videlicet Geneſeos uſque ad finem ejuſdem voluminis: quo opere illorum confutavit errores, qui varia de ſacris

cris literis teſtimonia perperam proferebant, exiſtimantes ea ſic in Hebraïcis codicibus legi, oſtendens quae verba tam in Graecis, quam in Latinis beatae ſcripturae codicibus ſuperfluerent, vel deeſſent, ſingulis veritati ſuae reſtitutis. Etymologias praeterea rerum, nominum, atque regionum, Latinis incognitas, Latine explanavit, promittens ſe labore conſimili in omnem veterem ſcripturam annotationes editurum, quod an poſtea praeſtiterit, mihi ignotum eſt.

SCRIPSIT praeterea in Geneſim ad Damaſum quaeſtiones tres, videlicet in Gen.4. De vindicta occidentis Cain quaeſtionem unam.

In Gen.15. De filiis Abrahae quarta progenie ex Aegypto reverſuris quaeſtionem unam.

In Gen. 27. Cur Iſaac non illi, cui voluit, ſed, cui noluit, filio benedixit, quaeſt. 1.

ITEM in Gen.14. De Melchiſedech ad Evagrium epiſtolam unam.

In Exodi cap.39. De veſtitu ſacerdotali epiſtolam unam.

In 33. caput libri Numerorum De 42. manſionibus filiorum Israël in deſerto, ad Fabiolam epiſt.1.

In idem De terra promiſſionis ad Dardanum epiſt.1.

In idem libellum parvum De terra repromiſſionis, cujus meminit libro primo in Jeremiam.

In Regum 3. De Ephod ad Marcellam epiſtolam unam.

In 4. Reg.17. De Achaz filium generante, cum eſſet annorum undecim, epiſtol.1. ad Vitalem.

IN PSALTERIUM exhibuit epiſtolas, ac triplicem translationis varietatem, Primam quidem, cum Romae eſſet, juſſu Damaſi Papae: quae correctio magis dici debet, quam translatio: correxit enim, & magna ex parte emendavit vulgatam Pſalterii editionem, innumeris mendis contaminatam, ſecutus in hoc Graecam LXX. interpretum verſionem. Haec cum, Damaſo mandante, in eccleſia Romana legi, cantárique coepiſſet; ROMANUM PSALTERIUM appellata eſt: verum, cum haec emendatio rurſum depravata eſſet vitio ſcriptorum, apud quos plus antiquae translationis error, quam novae correctionis fides valebat; Hieronymus hortatu Paulae, & Euſtochii Secundam editionem ex Graeca LXX. interpretum verſione emiſit: in qua appoſitis obelis, hoc eſt jacentibus lineis, ſignavit quae apud LXX. eſſent ſuperflua, &, inſertis pariter hujuſmodi aſteriſcis *, notavit quae ipſe ex Hebraïca veritate addidiſſet. Quod opus cum Damaſus in eccleſiis Galliarum cani conceſſiſſet, PSALTERIUM GALLICANUM vocatum eſt. Tertiam editionem ex Hebraïco veritatis fonte in Latinum eloquium transfudit, poſtulante Sophronio, a quo cum Judaei, prolatis Pſalmorum teſtimoniis, diſputatione urgerentur; irridentes ſingulo pene verbo reſpondebant, non ita haberi in Hebraeo, ut ipſe de LXX. interpretibus opponebat. Hanc editionem, rurſum a Sophronio in Graecum converſam, nulla, quod ſciam, eccleſia cantare conſuevit. Scripſit quoque in ſecundam a ſe editam Pſalterii verſionem libellum, ſeu epiſtolam valde prolixam ad Suniam & Fretelam, oſtendens, quibus in locis editio LXX. interpretum diſtaret ab Hebraïca veritate, & quomodo reſtitui deberent depravata in Pſalmis juxta Hebraïcam fidem, & LXX. editionem a ſe prius in Latinum converſam, & aſteriſcis obeliſque diſtinctam.

Pſalterium Romanum unde dictum.

Pſalterium Gallicanum quodnam ſit.

FERTUR item in totum Pſalterium ſcripſiſſe commentarios; ex quibus Gregorius, ediſſerens Pſalmos, qui Poenitentiae dicuntur, teſtimonium affert ex expoſitione Pſalmi 50. & Auguſtinus ex explanatione Pſal. 93. in epiſtola ad Fortunatum, Siccae epiſcopum, ſententiam profert.

PRAETER haec elucubravit epiſtolares explanationes in tres Pſalmos, hoc eſt

In Pſalm.44. ad Principiam virginem epiſtolam unam.

In Pſalmum 99. ad Cyprianum epiſt.1.

In Pſalm.126. ad Marcellam epiſt.1.

VERTIT item ex commentariis Origenis ſuper Pſalmos tractatus ſeptem, a Pſalmo decimo uſque ad Pſalmum decimum ſextum, in ſingulos Pſalmos tractatus ſingulos. Scripſit quoque

IN ECCLESIASTEN ad Paulam & Euſtochium librum unum juxta ſenſum

lite-

Digitized by Google

literalem & ſpiritualem, mira brevitate miraque facilitate conſpicuum: in quo nullius editionis ſecutus auctoritatem, magis ſe LXX. interpretum conſuetudini coaptavit, in his duntaxat, quae non multum ab Hebraïca veritate diſcepabant: interdum Aquilae quoque, & Symmachi, & Theodotionis translationes explicavit. Operis initium eſt, *Memini me*. Scripſit praeterea ad Marcellam epiſtolam unam, cujus initium, *Nuper cum Rethicii*: in qua taxat Rethicium, Heduorum epiſcopum, quod perperam interpretatus eſſet Aurum ophez, pro quo capite quinto legimus Aurum optimum, & declarat ipſe quid ſit. Edidit poſt haec

S. Hieronymus recte notat Rhaeticium Augustudunēſem, quod Aurum זהב Opha pro Petro Apoſtolorum principe ſit interpretatus

IN PROPHETAS omnes tam majores, quam minores commentariorum libros 13, in quibus juxta utranque editionem primus omnium Latinorum expoſitionem hiſtoricam & ad literam ſuper ſingulis Prophetarum verbis a primo uſque ad ultimum aggreſſus eſt, & perfecit: quod propter ingentem rei difficultatem nullus ante eum nec incipere, vel inceptum perſequi auſus erat. Quibus jactis fundamentis, anagogicos & tropologicos ſenſus hiſtoriae ſuperaedificavit, ſecutus in his Graecos auctores, maximeque Origenem ſuum. Enarravit autem ſolerti diligentia Prophetas ſingulos ſtylo ſuccincto & ſimplici, ſed quammaxime facili & aperto; hanc ſibi ſummam eſſe laudem arbitratus, ſi per eum omnia Prophetae verba clariſſime explicarentur. Partitus eſt autem commentarios ſuos in multos libros, ut longum explanationis iter, certis ſpatiis ſeparatum, faciliorem faceret dictantis, ſcribentis, ac legentis laborem per partes diviſum; praepoſuitque ſingulis libris argutas quaſdam praefatiunculas, in quibus argumenta explanationum breviter explicat, & aemulorum ſuorum maledicta acriter confutat. Dictavit autem in extrema ſenectute hos commentarios non eodem ordine, quo in Canone leguntur, ſed prout potuit, & ut rogatus eſt, excipientibus notariis dicta ſua, cum jam caligantibus oculis, & trementibus digitis labórem propria ſcribendi manu ferre non poſſet, tanta inſuper celeritate; ut pene relegendi emendandique ſpatium non habuerit. Horum librorum catalogus hic eſt:

IN ESAIAM Prophetam commentariorum ad Euſtochium libros 18. incipientes *Expletis longo vix tempore*.

ITEM IN ESAIAE caput 6. de myſterio Seraphin ad Damaſum Papam, ut in vulgatis codicibus legitur, epiſtolas duas; quae tamen epiſtolae non ſunt, nec ad Damaſum ſcriptae, ſed unus tractatus a neſcio quo in duas ſectiones diviſus, de quo Hieronymus libro commentariorum in Eſaiam tertio ſic ſcribit: DE hac viſione ante annos circiter triginta, cum eſſem Conſtantinopoli, & apud virum eloquentiſſimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejuſdem urbis epiſcopum, ſanctarum ſcripturarum in ſtudiis erudirer, ſcio me dictaſſe brevem ſubitumque tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, & amicis jubentibus obedirem: ad illum itaque libellum remitto lectorem.

IN JEREMIAM commentariorum ad Euſebium libros 20. quos Rabanus in praefatione commentariorum Jeremiae, & Tritemius, & Caſſiodorus citant: ſed tamen ex his non niſi ſex in duo & triginta hujus Prophetae capita inveniri potuerunt. Horum initium eſt, *Poſt explanationem*.

ITEM Lamentationes Jeremiae Latinis carminibus reddidit, ſicut ipſemet in praefatione Jeremiae, a ſe translati, teſtatur.

IN EZECHIELEM ad Euſtochium libros quatuordecim. *Finitis in Eſaiam decem & octo explanationum voluminibus*.

IN DANIELEM ad Pammachium & Marcellam expoſitionis interpolatae, ſeu per intervalla, librum unum *Contra Prophetam Danielem*.

IN OSEE ad Pammachium libros 3. *Si in explanationibus*.

IN JOEL ad Pammachium lib. 1. *Non idem eſt ordo*.

IN AMOS ad Pammachium lib. 3. *Amos Propheta*.

IN ABDIAM ad Pammachium lib. 2. quorum alterum ſcripſit in ſenectute, cujus initium eſt, *Cum eſſem parvulus*: alterum ſcripſit in adoleſcentia allegorice, cum nondum intelligeret hiſtoricum ſcripturarum ſenſum, qui temporis injuria interiit.

IN JONAM ad Chromatium lib. 1. *Triennium circiter fluxit*.

IN MICHAEAM ad Paulam & Euſtochium libros 2. *Michaeas, in quem nunc*

Digitized by Google

IN NAHUM ad eosdem librum unum. *Juxta LXX. interpretes.*
IN ABACUCH ad Chromatium lib.2. *Primum Chromati.*
ITEM annotationum in eundem Prophetam librum alterum, *Onus quod.*
IN SOPHONIAM ad Paulam & Eustochium lib.1. *Ante, quam Sophoniam aggrediar.*
IN AGGAEUM ad eosdem lib.1. *Secundo anno Darii.*
IN ZACHARIAM ad Exuperium Tolosanum episc.lib.3. *Ultimo jam autumni.*
IN MALACHIAM ad Minerium & Alexandrum librum unum. *Ultimum 12. Prophetarum.* Atque haec in vetus testamentum elucubravit: nunc sequuntur quae in novum testamentum composuit.

IN MATTHAEUM commentariorum ad Eusebium libri quatuor: in quibus, omissa veterum auctoritate, quos nec legendi, nec sequendi ob angustiam temporis facultatem habuit, historicam interpretationem breviter digessit, interdum spiritalis intelligentiae flores miscens, jacensque in his fundamenta futuro operi, quod postea in Matthaeum fusius ac exactius absolvit. Dictavit autem hos quatuor libros tanta celeritate, ut intra duarum hebdomadarum spacium, & imminente Paschatis festivitate, qua maxime spiritualibus occupationibus detinebatur, totum opus perfecerit, ejus initium est, *Plures fuisse.*

SCRIPSIT & alia quaedam in Matthaeum, de quibus habemus.

In Matth.6. super illud, Nolite solliciti esse de crastino, ad Amandum epistolam unam.

In Matthaei 11. De discipulis, quos Joannes misit ad Christum, ad Algasiam quaestionem 1.

In Matth.12. super illud, Arundinem quassatam non confringet, ad Algasiam quaest. 1.

In Matth.16. super illud, Qui vult venire post me, ad Algasiam quaest.1.

In Matth.20. super illud, Osanna benedictus, ad Damasum epist.1.

In Matth.21. super illud, Si vis perfectus esse, ad Hedibiam quaest.1.

In 24. super illud, Vaeh praegnantibus & parturientibus, ad Algasiam qu.1.

In Matth.26. super illud, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, ad Hedibiam quaest.1.

In Matth.28. De tempore resurrectionis Christi, & quae in eo contigerunt, ad Hedibiam quaest.3.

In Lucae caput 15. De filio prodigo ad Damasum Papam epistolam unam, quae incipit, *Beatitudinis tuae.*

IN EPISTOLAS Pauli duplex attulit expositionis genus, Hypomnematicum scilicet, ac Epistolare: in primo quidem genere collegit ex explanationibus Origenis, Victorini, Didymi, Alexandri, Theodori, & Apollinarii in epistolam ad Galatas, ad Paulam, & Eustochium lib.3. quorum primus incipit, *Pauci admodum.*

In epistolam ad Ephesios ad eosdem libr. 3. quos tanta se festinatione edidisse testatur, ut per singulos dies usque ad numerum mille versuum dictaret. Horum initium est, *Sapientem virum.*

SCRIPSIT item eodem stylo in epistolam ad Titum lib.1. incipientem, *Licet non sint.*

ITEM in epistolam ad Philemonem lib.1. incipientem, *Qui nolunt.*

EXARAVIT praeterea in varios Pauli libros quaestiones & epistolas varias, de quorum numero sunt.

In illud Rom.5. Vix pro justo quis moritur, ad Algasiam quaestio una.

In illud Rom.7. Occasione accepta peccatum revixit, ad Algasiam quaest.1.

In illud Rom.9. Optabam anathema esse, ad Algasiam quaest.1.

In illud 1.ad Cor.6. Omne peccatum, quod fecerit homo, extra corpus est, ad Amandum epist.1.

In illud 1. ad Cor.8. Quae sint illa, quae oculus non vidit, ad Marcellam.

In illud 1.ad Cor.15. Oportet illum regnare, ad Amandum quaest. 1.

Item in illud 1. Cor.15. Omnes quidem resurgemus, ad Minerium & Alexandrum epist.1.

In

Digitized by Google

In illud 2. Cor.2. Aliis odor mortis, aliis ordo vitae, ad Hedibiam quaeſt.11.
In 2.cap. ad Galatas De ſimulatione Petri & Pauli, ad Auguſtinum epiſt.1.
In illud Coloſſ.2. Nemo vos ſuperet, ad Algaſiam quaeſt.1.
In illud 1.Theſſ.4.De raptu viventium in occurſu Domini,ad Marcellam qu.1.
In 2. Theſſ.2. De homine peccati, ad Algaſiam quaeſt.1.
In 1. Tim.3. De epiſcopi conditionibus, ad Oceanum epiſt.1.

ATQUE haec ſunt indubitata Hieronymi ſcripta: quae vero dubia ſunt, ſequenti indice annotantur.

EXEGEMATICORUM INDEX SECUNDUS, IN QUO SUB INCERTO HIERONYMI TITULO HAEC HABENTUR:

In tres libros Regum	liber unus,	*Fuit vir unus.*
In duos libros Paralipomenon	liber unus,	*Heber nati ſunt.*
In Job	liber unus,	*Job, qui dolens.*
In Pſalterium	liber unus,	*Proxime cum Origene.*
In Proverbia	libri tres,	*Parabolae Salomonis.*
In Lamentationes	libri tres,	*Habes in lamentationib.*
In Marcum	liber unus,	*Omnis ſcriba doctus.*
In Lucae cap.15. de filio prodigo	liber unus,	*Omnium quidem.*
In Actus Apoſt.de interpretatione nominum	liber unus,	*Acheldemach ager.*
In omnes Pauli epiſtolas	libri 14.	*Literis tuis.*

De his omnibus, quid ipſe, meliori ſemper judicio acquieturus, cenſeam, paucis indicabo.

DE ANNOTATIONIBUS IN LIBROS REGUM, ET PARALIPOMENON.

ANNOTATIONES in tres libros Regum, & duos Paralipomenon Nicolaus Lyranus in commentariis eorundem voluminum negat eſſe Hieronymi, affirmans auctorem earum fuiſſe neophytum quendam Judaeum, qui ex Hebraïcis fabulis multa non minus ficta, quam ridicula annotaverit: quam Lyrani ſententiam illud etiam comprobare videtur, quod Hieronymus in Annotationibus, quas ſcripſit in Geneſim Hebraea paſſim & Graeca divinae ſcripturae teſtimonia profert Hebraïcis & Graecis verbis expreſſa, expendens ubique varias diverſorum interpretum translationes: quarum rerum nullam in his annotationibus mentionem reperies.

DE COMMENTARIIS IN JOB.

COMMENTARIUS in Job, quem auctor, ut ex fine voluminis apparet, in gratiam Vecterii epiſcopi collegit, ideo ſuppoſiticius exiſtimatur, quia nec Septuaginta interpretum editionem, nec Hebraïcam veritatem ſequatur, neque ullum citet veterum expoſitorum; ſed myſtica tantum ſenſa, omiſſo prorſus litterae intellectu, pertractat: quae omnia longe abſunt ab Hieronymi conſuetudine. Conjici poteſt (ſi quid tamen hujuſmodi conjecturis tribuendum eſt) opus hoc eſſe Bedae presbyteri, utpote Angli ad Anglum ſcribentis. Vecterium enim apud Anglos epiſcopatum geſſiſſe, & Bedae temporibus vixiſſe, teſtatur volumen illud Chronicum, quod vulgo CHRONICA ANGLICANA appellatur: negandum tamen non eſt pleraque in his commentariis eſſe ex Hieronymo ſcriptis mutuata: nam, ut cactera omittam, Fauſtus, Galliarum epiſcopus, circa annum ab ortu Chriſti CCCCXXX. in principio libri De creaturis teſtimonium ex tractatu quodam Hieronymi citavit, quod nunc habetur hic ad verbum in fine explanationis vigeſimi quinti capitis in Job.

Commentarii in Job, & Proverbia exiſtimantur V. Bedae, eſtò ab aliquibus adiudicentur Philippo Presbytero Sancti Hieronymi diſcipulo defuncto An. 455. qui ex Hieronymi lucubrationibus eos concinnavit.

DE COMMENTARIIS IN PSALTERIUM.

COMMENTARIA Annotationum in Pſalmos per intervalla diſpoſitarum multa indicia ſignificant non eſſe Hieronymi: primum, quod auctor hic, poſthabito hiſtoriae ſenſu, in ſolis allegoricis ac tropologicis expoſitionibus verſatur, nulla uſus editionum varietate. Graecam deinde & Hebraïcam eruditionem, quam in omnibus exegematicis afferre ſolet Hieronymus, nullam habet: multa quoque ſcripſit cum Hieronymianis placitis ex diametro pugnantia, ceu in in-

Digitized by Google

interpretatione Psalmi 77. ubi Cynomiam esse dicit muscam caninam, reclamante Hieronymo in epistola ad Suniam & Fretelam, In Psalm. 86. annotat secundum Hebraïcam veritatem legendum fore, *Nunquid Sion dicet homo*, contra Hieronymi translationem; qui juxta id, quod in Hebraeo habetur לציון le Ziion, transtulit, AD SION DICET HOMO. Psal.89. quem Hieronymus Mosi ascripsit, Mosis non esse contendit. Et in explanatione Psalmi 13. testimonium illud Pauli in tertio capite epistolae ad Romanos, quod Hieronymus ex Esaia usurpatum demonstrat, hic ex Deuteronomio sumptum asseverat. His accedit; quod ineptia sermonis, battologiis & soloecismis ubique scatens, ab Hieronymiana tam phrasi, quam scribendi genere abhorret; saepeque in homiliarum & concionum formulas excurrit, repetens ad fastidium usque ineptas quasdam excitatiunculas, in quibus illae sunt. Hoc totum quare dico? Vultis scire, quid hoc sit? Et videte, quid dicat. Constat ex expositione Psalm.89. & 111. & 115. auctorem operis fuisse monachum, qui astantibus monachis, ad constitutae horae mensuram dicere consueverit; allatis hinc inde rapsodiis ex commentariis diversorum doctorum, & praesertim Hieronymi: sicut videre licet in enarratione Psalm.93. cui ad verbum inseritur fragmentum Hieronymianae expositionis ab Augustino citatum in epistola ad Fortunatum episcopum Siccensem, & in expositione Psal.50. ubi referuntur verba Hieronymi allegata a D.Gregorio in explanatione quarti Psalmi poenitentialis. Sunt qui existiment commentarios istos esse Hieronymi, sed ab incerto impostore naeniis, nugisque innumeris contaminatos.

DE COMMENTARIIS IN PROVERBIA SALOMONIS.

LIBRI tres commentariorum in Proverbia negantur fuisse Hieronymi tum propter sententiarum & eloquii dissimilitudinem, tum quod in iis citantur non semel Gregorius & Augustinus: nam & testimonium Augustini ex libro de mendacio ad Consentium adducitur in explanatione sexti capitis: & iterum in explanatione capitis vigesimi citatur ejusdem distichon ex sermonibus ad Eremitas, hoc est,

Si quis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

& in expositione 21. cap. citat beatum Papam Gregorium in homiliis Evangelii: & in annotationibus 30. cap. allegat nominatim ipsius D.Hieronymi sententiam ex commentariis in Jeremiam. Tritemius hos commentarios Bedae tribuit, cujus etiam titulo in antiquissimis exemplaribus praenotantur.

DE COMMENTARIIS IN THRENOS.

IN Commentationibus Threnorum praeter praefationes quasdam ad Eusebium, partim ex epistola Hieronymi de interpretatione alphabeti Hebraïci ad Paulam Urbicam, partim ex aliis ejusdem scriptis collectas, nihil habetur, quod Hieronymianum ingenium spiret: nam praeterquam quod nullum his insit vel Graecae, vel Hebraïcae intelligentiae vestigium, structura quoque sermonis, ubique inaequalis, aperte clamat nihil aliud esse hoc opus, quam farraginem centonum, a studioso collectore, ex variis diversorum auctorum dictis, & ex Gregorii potissimum sententiis, atque integris capitulis coacervatam. Nec vereor affirmare coacervationis hujus adunatorem fuisse Rabanum Maurum; in cujus operibus, Basileae excusis, hi tres libri habentur: hos typographi, ut Hieronymi scripta, in majorem molem aucta, plausibilius publicarent, & majori precio venditarent, Hieronymi tomis inseruerunt, recisis ex initio praefationis Rabani aliquot lineis, quo minus impostura a caecis emptoribus deprehenderetur,

DE COMMENTARIIS IN MARCUM.

COMMENTARII Mysticae explanationis in Marcum magis abhorrent a stylo Hieronymi, quam ignis ab aqua: hos esse hominis, qui non multum Latine, minus etiam Graece & Hebraice noverit, argumento sunt orationis barbaries, & inepta peregrinarum vocum interpretatio: cujus exemplum habes in expositione capitis 14. ubi auctor annotavit hanc dictionem Pascha Latine significa-

re

Digitized by Google

re transitum, Phase vero immolationem; & Nardum pysticam idem valere, quod Mysticam: sed & eodem loco affirmat Mariam, quae in domo sua unxit caput Christi, fuisse peccatricem illam, quae in domo Pharisaei ejusdem pedes lacrymis lavit: & capite 15. scribit arietem pro Isaac immolatum ab Abraham in monte Calvariae: quarum sententiarum priorem Hieronymus improbat capite in Matth. 26. posteriorem vero in epistola ad Marcellam, affirmans idem arietis sacrificium oblatum in monte Moria. Rursum in explanatione cap. 15. inserit versus quosdam de figura crucis, mutilatim revulsos, ex quarto libro carminum Sedulii, quem quidem constat fuisse annis aliquot Hieronymo posteriorem.

DE FILIO PRODIGO.

HUNC quoque tractatum non esse Hieronymi, si parum liqueret ex orationis charactere, vel illud arguere poterat, quod verisimile non sit Hieronymum, qui expositionem hujus parabolae ad Damasum scripserat, iterum, mutata sententia, tractatum alterum contrario explanationis sensu edidisse; & quod ipsum omnes typographi inter homilias Joannis Chrysostomi excuderint: quanquam neque Chrysostomi sit, sed incerti scriptoris, ut in censuris operum ejus annotavimus.

DE ANNOTATIONIBUS IN ACTA APOSTOLORUM.

ET harum Annotationum libellum studiosus quidam collegit ex D. Hieronymo, cujus & nomen, & librum De nominum interpretatione citavit in fine voluminis. Credibile est collectorem fuisse Bedam, in cujus operibus hic idem libellus adhuc extat.

DE COMMENTARIIS IN PAULUM.

ANNOTATIONES in tredecim Pauli epistolas, quanquam in fronte praeferant praefatiunculam Hieronymi ad Heliodorum scribentis, styli tamen diversitas, & dogmatum discrimen, ipsius non esse indicant. Ambrosius, Compsae archiepiscopus, autumat scriptorem operis fuisse Pelagium; quia in expositione octavi & noni capitis epistolae ad Romanos doceat praedestinationem aeternam esse ex meritis electorum divina praescientia praevisis. Ego vero, ut libere pronunciem quod sentiam, nihil dubito auctorem, quisquis ille fuerit, Pelagiana peste laborasse; sicut apertissime deprehendi potest ex annotationibus septimi capitis epistolae ad Romanos ubi edisserens illud, *Sine lege peccatum erat mortuum*, insanire eos putat, qui credunt peccatum Adae ex traduce parentum in nos derivasse; affirmans idem peccatum non propagatione, sed exemplo duntaxat ad posteros transfusum. Ex quo satis liquet Hieronymum, Pelagiani dogmatis hostem acerrimum, non fuisse hujus operis auctorem. Sunt & alia quaedam in his commentariis asserta, haereseos suspicione non carentia; quae nos una cum praedictis erroribus sequenti volumine annotavimus. Non sum tamen in sententia Ambrosii praeceptoris mei, ut arbitrer hos commentarios esse Pelagii: is enim ut Augustinus in 3. de baptismo parvulorum, testatur in explanationibus quas admodum breves edidit in epistolas ad Romanos tanta modestia usus est, ut non sub propria, sed sub aliena persona proposuerit argumentum adversus originale peccatum, quae Augustinus ibidem ad verbum transcripta recenset.

PRAETER haec asserit Tritemius Hieronymum scripsisse in quatuor Evangelia juxta anagogiam lib. 4. quorum initium est, *Primum quaerendum*: item in epistolas canonicas lib. 7. & in Apocalypsin lib. 4. de quibus quid certi asseram, nihil habeo, nisi quod Hieronymus in praefatione commentariorum Victorini ad Anatolium se in Apocalypsin scripturum promisit.

HABENTUR etiam in Albini homiliario, & in breviariis divinorum officiorum homiliae aliquot Hieronymi titulo, quae tamen homiliae non sunt, sed fragmenta explanationum, ex variis ejusdem commentariis excerpta.

HAEC igitur sunt Exegetica scripta Hieronymi, qui post innumeros studiorum suorum labores moritur sub Honorio & Theodosio principibus anno aetatis suae 91. circa annum salutis nostrae 422. cujus vitam Eusebius Cremonensis,

Digitized by Google

sis, discipulus ejus, literarum monumentis mandasse creditur. (a)

HIERONYMUS, Veronensis episcopus, patria Venetus, ex nobili familia Trivisana, ordinis Praedicatorum, in sacris declamationibus tota Italia celeberrimus, ostendit mihi in epistolam ad Hebraeos explanationem a se editam eruditionis, & judicii singularis. Moritur anno Domini M.D.LXII.

HIERONYMUS Varlenius Sylvius, sacrarum literarum Ultrajecti apud Joannitas professor, composuit commentariorum libros tres in omnes Davidicos Psalmos, in quibus veterum interpretum varias editiones afferens, obscuriores locos elucidavit. Horum initium est, *Antequam enarrationem*. Claruit anno Domini M. D. L.

HIERONYMUS Vida, Cremonensis, ex canonico regulari Lateranensi Albae episcopus, poëta Virgiliani carminis incomparabilis imitator, primus fere omnium Latinorum poëtarum vitam, mortem, resurrectionem, aliaque Servatoris nostri gesta, ex quatuor Evangeliis collecta, sublimitate carminis Virgilianae majestati proxima, felicissime cecinit: quod etiam ipse, non ineptus sui ipsius existimator, his versibus satis modeste indicavit:

Ipse ego tentatum multis opus ante, Camoenas
Vertice ab Aonio duxi Jordanis ad undas,
Perque Palaestinos saltus super ardua sisto
Montis Idumaei. & post pauca,
Nulla erat via: praerupta, atque aspera saxa,
Et densi late obducebant omnia vepres.
Ipse, manu validam quatiens utraque bipennem.
Latum limitem ago, fruticum cedentibus umbris,
Jamque aditus datur, atque via licet ire patenti.
Spero etiam fore, cum, quae nos extundimus ipsi,
Olim aliquis divis & musis charior ipsis
In melius feret, atque impensius arte polibit:
Et, quae jam nostra primo patefacta labore est,
Mollius ille viam solidabit marmore secto.
Mi sat erit specimen clari monstrasse laboris.

COLLEGIT igitur eruditissimus hic vir ex quatuor Evangeliis Christiados libros sex, quorum initium est,

Qui mare, qui coelum, qui terras numine comples.

Vivit adhuc usque ad praesentem annum M.D.LXVI.

HILARIUS, Episcopus Arelatensis, ad quem eremi deserta petentem Eucherius, Lugdunensis antistes, librum edidit de laude Eremi, vir in scripturis divinis versatus, & satis disertus eloquio, cujus merita sanctitatis catholica personat ecclesia, tantae pietatis extitit in pauperes, ut omnibus suis in eorum usus hilariter dispersis, pater pauperum deinceps vocaretur, & esset: scripsit inter caetera ad Leonem Papam heroïco carmine historiam Geneseos quambrevissime, a principio videlicet usque ad septimum caput: ejus initium est,

Paruimus monitis tua dulcia jussa secuti.

Moritur anno Domini CCCCXL.

HILARIUS, Pictaviorum in Gallia Aquitanica episcopus, vir eruditione, sanctitate, ac miraculis illustris, quem Hieronymus ob insignem eloquentiam vocat Romani sermonis tubam, Latinaeque eloquentiae Rhodanum, elaboravit in divinas scripturas multa laudatissima Mysticae explanationis opuscula, hoc est, in Job tractatus, sive homilias plurimas, quas Hieronymus in epistolas contra Vigilantium ex Origene collectas testatur: ex his Augustinus in 2. libro contra Julianum testimonia profert adversus Pelagianorum haeresin.

SCRI-

(a) Quam lyncaeis praestiterit oculis, & quam emuncta pollueri nare Xystus Senensis, etsi ea floruerit aetate, qua tanta lux non adfulgebat, ex Criterio adposito operibus S. Hieronymo facillime potest dignosci. Ea quippe perspexit, subodoratusque est ea, quae clariori Coelo, & in meridie micante Sole conspexerunt reliqui adcuratiores Critici: quapropter dumtaxat aliqua hic adnotabo, & ea, quae fortasse ex modestia Author dubia dixit, aut expresse spuria non adseruit, suppositicia Hieronymo adseram. Id genus sunt Commentarii in Psalmos, & in IV. Evangelia volumen unum. Similiter Homiliae in Isaiam ex Origene versae, quae inter Hieronymi opera habentur, dubiae sunt; Ceterae autem Origenianorum operum versiones Hieronymo, partim Rufini fraude, partim Librariorum insciția, male inscriptae sunt.

Digitized by Google

SCRIPSIT & in Pſalterium juxta LXX. editionem commentaria: de quibus refert Hieronymus legiſſe ſe in Pſalmum primum & ſecundum, & in Pſalmum 51. uſque ad 61. & a 118. uſque ad extremum. Ego ultra hos legi etiam alios commentarios in Pſalmos ſeptem, hoc eſt a 62. uſque ad 70. typis excuſos. Sunt qui aſſerant eum edidiſſe tractatus in integrum corpus Pſalterii, extareque in Hiſpania: ſed utcunque ſit, Hieronymus, in Rufinum ſcribens, affirmat Hilarium hanc Pſalmorum explanationem vertiſſe ex commentariis Origenis in Pſalterium; ex quibus ad quadraginta millia verſuum eodem ſenſu tranſtulit, paucis quibuſdam de ſuo interpoſitis: &, cum ipſe Hebraei ſermonis ignarus eſſet, & Graecarum literarum vix quandam tenuem auram accepiſſet, uſus eſt opera Heliodori presbyteri, ſibi amiciſſimi, Graece docti, petens ab eo quae in Origenis lectione intelligere non valebat. Verum, cum Heliodorus Hebraeae linguae eſſet expers, & nonnunquam Graecorum verborum ambigua ſignificatione falleretur, in cauſa fuit, ut Hilarius, errorem ejus ſecutus, in aliquibus Pſalmorum locis longe a puro ac germano literae ſenſu expoſitiones ſuas ad allegoricos & anagogicos ſenſus detorſerit. Stylus ejus tam in Pſalterii, quam in Matthaei commentariis eſt abſque ulla artis affectatione preſſus, ſolidus, interdum ſubobſcurus, ſed ab omni tumore faſtuque alienus: tametſi diverſum ſentire viſus ſit Hieronymus, qui, ad Paulinum ſcribens, HILARIUS, inquit, Gallicano cothurno attollitur, &, cum Graeciae floribus adornatur, longis interdum periodis involvitur; & ob id a ſimplicium fratrum lectione procul eſt. Quae ſane Hieronymi verba referenda ſunt ad libros duodecim De Trinitate; in quibus, ut idem Hieronymus in epiſtola ad Magnum oratorem ſcribit, duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatus eſt, & numero. Operis exordium eſt, *Diverſas eſſe plurimorum*, &c.

EDIDIT quoque in Canticum Canticorum commentarios, quos tamen Hieronymus ſe ignorare fatetur.

PRAETEREA diſtinxit Evangelium Matthaei in 33. Canones: ſecutuſque hujus partitionis ordinem, ſuccincta, ſed erudita ac ſolida explanatione totum fere Evangeliſtam diſſeruit, allegorico magis quam literali ſenſu delectatus. Operis initium eſt, *Greſſus, quem Matthaeus*, &c.

MULTA hic incomparabilis epiſcopus ab Arrianis ſuſtinuit: nam & dolo Saturnini, Arelatenſis epiſcopi, de ſynodo Biterenſi Phrygiam relegatus, quatuor annis conſtanti animo durum paſſus eſt exilium; a quo reverſus, moritur Pictavis, Valentiniano & Valente regnantibus, anno Domini CCCLXX.

SCRIPSIT ejus vitam hexametro carmine Fortunatianus, Pictavienſis epiſcopus, anno Domini D. LXX. (a)

HILDEGARDIS, Abbatiſſa coenobii ſancti Ruperti, Bingenſis oppidi Moguntinae dioeceſeos, ordinis Benedictini, Virgo Sanctiſſimae converſationis, & a pueritia ſua divinis revelationibus illuſtrata, & miraculis comprobata, ſcripſit Latino ſermone in Evangelia totius anni, de quibus Tritemius recenſet, homilias quinquaginta octo. Moritur anno Domini M. CLXXX. Hujus venerandae virginis vitam Theodoricus Teuto, abbas Benedictinus, quatuor voluminibus complexus eſt, anno Domini M.CC.

HIPPOLYTUS, ut Hieronymus ſcribit, incertae urbis epiſcopus, vel, ut Gelaſius Papa primus in libro adverſus Euthychen teſtatur, Arabum metropolis epiſcopus, ſive, ut refert Zonara, Romani Portus epiſcopus & martyr, vir in divinis ſcripturis eruditiſſimus, & allegoriarum, quantum ex ejus fragmentis apparet, ſtudioſiſſimus, ſcripſit in ſacras ſcripturas multa & pene incredibilia Graeca volumina: ita ut Ambroſius ille, quem Hieronymus ἐργοδίωκτον, hoc eſt Ad opus urgentem, appellat, exhortaretur, & quodammodo Origenem impelleret, ut ad Hippolyti imitationem in ſanctas literas commentaria ſcriberet, praebens ei chartas, membranas, & ſeptem notarios, totidemque velociſſimas in ſcribendo puellas, & librariorum parem numerum, cum ſumptibus eorundem, exigensque ab eo quotidie novum opus: unde effectum eſt, ut hi duo clariſſimi viri ge-

(a) Edidit quoque S. Hilarius Pictavienſis Tractatus in Johannem de Graeco Origenis ad ſenſum translatos, cujus fragmentum extat apud S. Auguſtinum *lib. 2. contr. Julian.* Conſule tamen noviſſimam editionem PP. BB. in qua plura notatu digna reperies ad vindiciam ſimul, explicationem & purgamentum aliquorum, quae in Hilario ceu duriora notantur.

Digitized by Google

neroso quodam certamine in editione librorum alter alterum totis viribus superare contenderent. Scripsit ergo Hippolytus.

In Genesim ex integro commentarios: de quibus Hieronymus Quaestione 3. ad Damasum citat testimonium ex expositione capitis 27.

ITEM in Hexaëmeron separatim librum unum.

In Exodum librum unum.
In Numeros librum unum.

In principium libri Regum sermonem 1. a Theodoreto in Polymorpho citatum.

In Psalterium tractatus, ex quibus Theodoretus in Polymorpho ponit fragmenta ex expositione Psalmi 2. 22. & 23.

In Proverbia Salomonis librum unum.
In Ecclesiasten librum unum.
In Cantica Canticorum librum unum.
In partem Ezechielis librum unum.
In Zachariam librum unum.
In Matthaeum librum unum.
In Apocalypsin librum unum.

REPERTI sunt superioribus annis Basileae commentarii quidam in Apocalypsin. HIPPOLYTO inscripti; de quibus ob eruditionis & styli inopiam ambigitur. Claruit autem sub Alexandro Severo, anno Domini CCXX.

CITATUR in multis tam Graecis, quam Latinis commentariis Hippolytus, Romae episcopus; in quibusdam vero Hippolytus Romae, vel Romanus tantum: quem quidam suspicantur alium esse Hippolytum ab isto diversum, latineque scripsisse, eo quod Hieronymus in epistola ad Magnum oratorem Romanum recenseat Hippolytum quendam, Romanae urbis Senatorem, inter eruditissimos ecclesiae scriptores. (a)

HONORIUS, Augustudunensis ecclesiae presbyter, in divinis voluminibus assidue versatus, & omnibus liberalibus artibus imbutus, scripsit Latino & eloquenti sermone in Hexaëmeron librum unum, in Psalterium librum 1. in Cantica Canticorum librum 1. qui incipit, *In principiis librorum*. Claruit sub Henrico V. Imperatore anno Domini M.CXX. (b)

HUBERTUS Leonardus, episcopus Dariensis, Carmelita, scholae theologicae quondam apud Parisios moderator, & haereticae pravitatis inquisitor, scripsit juxta scholae suae consuetudinem in Evangelium Lucae librum unum. Claruit anno Domini M. CCCCXC.

HUBERTINUS de Casali, ordinis Minorum, vir pius, & divinae scripturae studiosus, cum videret ordinem suum a prima institutione deficere, novas quasdam sub specie reformationis separationes incepit, & eas a summo Pontifice confirmari obtinuit: quae tum ad petitionem ministrorum ejusdem ordinis per eundem Papam revocatae sunt, quoniam in grave scandalum, & schisma ordinis videbantur praesumptae: unde commotus Hubertinus, ordinem Cartusiensium ingressus, scripsit ad universos Christi fideles in Apocalypsim commentarium, quem attitulavit DE SEPTEM STATIBUS ECCLESIAE juxta septem visiones beati Joannis in Apocalypsin; in quo a nonnullis sui ordinis professoribus quaedam prophetico Spiritu scripsisse putatur. Operis initium est, *Universis Christi Jesu vere fidelibus*. Claruit sub Alberto Imperatore anno Domini M.CCC.

HU-

(a) Quum Eusebius, & Hieronymus ignorarint locum Episcopatus Hippolyti, stulto consumuntur labore, qui ejusdem Cathedrae rationem reddere conantur: Horumce varias hariolationes in medium protulit Joh. Albertus Fabricius in editione operum S.Hippolyti, quam ipse perfecit, non ignobilibus notis, ac prolegomenis animadversionibus bene distinctam, atque ornatam. Quod tamen verosimilius de eadem Sede Episcopali adseri potest, id unum est (ut observat Stephanus le Moyne *Prolegom. ad Var. Sac.*) non in Occidente, sed in Oriente Episcopatum tenuisse, & Portus Romani in Arabia ἐμπορίου ὃ Ἀραβίας a Ptolomaeo vocati, ac postea *Adanae*, seu *Adenae*, quod etiam hodie retinet, nomen adepti, Romanis mercatoribus perquam noti, & ab iis tunc temporis admodum frequentati. Consule eundem Fabricium ibi, & *Biblioth. Eccles. Catal. Vir. Illustr. S.Hieronymi in Hippolyto*, nec non Guillelm. Cave *Hist. litter. An.* 220.

(b) Honorio tribuit N. Xystus librum unum in Hexaëmeron fortasse ex Trithemio, qui eum percensuit, verum ex catalogo ab ipsomet Honorio conscripto nec verbum ea de re est colligere. Homilias autem habuit Honorius Augustudunensis in ea Evangelia, quae B. Gregorius non exposuit. Vide Fabricium *Biblioth. Eccles.*

Digitized by Google

HUGO Carenſis, vel ex oppido S.Cari, vel de S.Theodorico, Barchinonenſis epiſcopatus, profeſſione Dominicanus, titulo S.Sabinae presbyter cardinalis, primus ex ordine Praedicatorum ad cardinalatum aſſumptus, vir morum ſanctitate & literarum copia inſignis, quem Umbertus Viennenſis, Praedicatorum fratrum quintus generalis magiſter, auditor ejus ac diſcipulus, ex academia ſaecularium diſciplinarum ad inſtitutum religionis ſuae pertraxit, & paulo poſt Innocentius Pontifex IIII. ejus dulci & erudita familiaritate ſummopere delectatus, in collegium cardinalium coaptavit, & in Germaniam ad imperii Electores legatum miſit; ut eo ſuaſore in abrogati Friderici ſecundi locum alium Imperatorem ſufficerent. Hic opera multa edidit, de quibus in univerſam ſcripturam habentur commentarii juxta quadruplicem ſenſum, Scholaſtico, id eſt brevi, nudo, & protrito ſermone abſque ullo fuco ſaecularis eloquentiae conſcripti, a variis divinae ſcripturae ſententiis more Scholaſticorum incipientes: quorum initia, utpote omnibus nota, brevitatis gratia omitto.

Hugo de S. Theuderio in Delphinatu primus Card. Ordin. Praedic. primus omnium edidit Concordantias Bibliorum, & poſtillas in totam ſcripturam juxta quatuor illius ſenſus, dedit quoque poſtillas in epiſtolas, & evangelia totius anni de tempore, & de ſanctis editas Pariſiis An. 1506.

POST hos autem commentarios primus omnium excogitavit indicem magnum in ſacroſancta Biblia, CONCORDANTIAS BIBLIAE praenotatum, laborioſiſſimum ſane & immenſi taedii ac temporis opus, ſed ſacrorum voluminum ſtudioſis magnopere neceſſarium; in quo ſingulas divinae ſcripturae dictiones declinabiles ſecundum conſequentiam literarum accuratiſſima diligentia digeſſit, annotatis non ſolum libris, ſed etiam librorum capitulis, & capitulorum lineis, in quibus unaquaeque deſiderata dictio contineretur. Sunt qui exiſtiment hoc opus ob immenſi temporis laboriſque diſpendium, cui unius hominis vita ſatis eſſe non poterat, hortatu Hugonis injunctum fuiſſe quingentis ſtudioſis patribus diverſorum coenobiorum, ea ratione, ut ſinguli ſingulas dictiones in alphabeticas claſſes redigerent; ſicque brevi tempore multorum ſedulitate perfectum fuiſſe opus: quod poſtea tam a Graecis, quam ab Hebraeis diligentiſſime imitatum vidimus, opera R. Iſaac Nathan Judaei, & Eutalii Rhodii monachi: quorum ille Hebraïcas Bibliae concordantias, hic Graecas collegit. Has Romae vidimus in antiquis membranis Graeca manu deſcriptas; illas vero typis Juſtiniani Venetiis excuſas.

CLARUIT ſub Federico II. Imperatore & mortuus eſt Lugduni anno Domini M.CCLXII. atque ibidem ſepulcrum obtinuit in templo Praedicatorum.

HUGO Virley, Anglus, Carmelita, Nordovicenſis coenobii profeſſus, ſcripſit commentarios in Matthaeum anno Domini M. CCCXLIV.

HUGO Victorinus, ſeu de S.Victore, natione Saxo, canonicus Auguſtiniani inſtituti, abbas coenobii B. Victoris Pariſiorum, vir divinarum & humanarum literarum exquiſita eruditione clariſſimus, & Auguſtini doctrinae, ac phraſeos uſque adeo aemulator, ut AUGUSTINI LINGUA communi eruditorum ſui temporis adagio dictus ſit. Collegit hic ex lectione veterum patrum, & praecipue Auguſtini in univerſum divinae ſcripturae corpus magnum opuſculorum numerum, in quinque claſſes partitum, hoc eſt in Annotationes, Quaeſtiones, Homilias, Commentaria, & Miſcellanea: de quorum numero, quae pene totius divinae ſcripturae explanationem univerſaliter complectuntur, haec ſunt, videlicet

IN OMNES Veteris Teſtamenti libros Allegoriarum libri novem. *Quicunque ſapientiae.*

EX utroque Teſtamento Miſcellaneorum libri quinque. *Spiritalis dijudicat.*

DE ſcripturis & ſcriptoribus ſacris liber unus: in quo pulchro ordine diſſeruit De praeſtantia, & utilitate ſacrae ſcripturae, De ejus materia, & diverſitate ejus ab aliis ſcientiis, De triplici ejus intelligentia, De ordine, numero, & auctoritate librorum ejus, De ſacrorum librorum ſcriptoribus, De ſcripturae translatoribus, ejuſdemque inſtauratoribus, De ſcripturis apochryphis, De locis, temporibus, ac numeris ſcripturae myſticis, & De difficultatibus in ſcriptura contentis. Libri initium eſt, *Lectorem divinarum ſcripturarum.*

IDEM compoſuit in gratiam Raynerii converſi De Animalibus, & plantis, quae in ſcripturis leguntur, myſticarum ſignificationum libros tres, magnam utilitatem afferentes iis, qui ſpiritalis ſcripturae ſenſus aggrediuntur. Liber incipit, *Deſiderii tui petitionibus.*

SCRIPSIT etiam in Pentateuchum Annotationum juxta literalem ſenſum li-

Digitized by Google

libros 5. quorum initium eſt, *Deſiderius proprium nomen eſt*.

IN 4. libros Regum Annotationum literalium librum unum.

IN varios omnium pene Pſalmorum verſiculos Annotationum tam ſecundum ſenſum literalem, quam ſpiritualem, librum unum: cui exordium fecit, *Quoſdam tibi frater chariſſime*.

ITEM in 4. prima Eccleſiaſtis capita Homilias 19. *Quae de libro Salomonis &c.*

IN CANTICA Canticorum myſtice librum 1. *In principio laboris*.

IN THRENOS Annotationum juxta quatuor ſenſus lib. 1.

IN EZECHIELEM lib. 1.

IN JOËLEM Annotationum juxta quadruplicem ſenſum lib. 1.

IN ABDIAM Annotationum lib. 1.

IN MATTHAEUM Allegoriarum lib. 1. *Videns Jeſus turbas*.

IN MARCUM Allegoriarum lib. 1. *Intravit Jeſus in ſynagogam*.

IN LUCAM Allegoriarum lib. 1. *Materiam hanc*.

IN JOANNEM Annotationum ad literam lib. 1. *Inter omnes ſcripturas*.

IN JOANNEM Allegoriarum lib. 1. *Primi parentes*.

IN OMNES Pauli epiſtolas Quaeſtionum ac Deciſionum lib. 4. quorum initium eſt, *Paulus nomen appellativum*.

ITEM in epiſt. ad Rom. lib. 1. *Omnia fecit Deus*.

CLARUIT ſub Henrico Imperatore V. anno Domini M.CXXX.

I

JACOBUS, Chriſtopolitanus epiſcopus, natione Hiſpanus, patria Valentinus, ordinis Eremitarum D. Auguſtini obſervantiſſimus cultor, humanis, & divinis literis copioſe imbutus, edidit in omnes Pſalmos Davidicos ſcholaſtico explanationis genere volumen ingens ac prolixum, allegoricis & anagogicis ſenſibus refertum, & multis variarum ſcientiarum digreſſionibus redundans, quod Roderico Borgiae, cardinali Valentino, epiſcopo Portuenſi, dedicavit: ejus initium eſt, *Aperiam in parabolis*. Scripſit etiam in Cantica Canticorum librum unum, in Cantica ferialia, & in Canticum Zachariae, Mariae, & Simeonis librum unum. Claruit ſub Federico Imperatore III. anno Domini, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo.

JACOBUS, frater Domini ſecundum carnem, in Evangelium Matthaei, ab ipſo Matthaeo Hebraïce ſcriptum, & Hieroſolymis editum, primus omnium interpretationem, & expoſitionem adhibuit. Athanaſius in Synopſi teſtis eſt (a).

JACOBUS Furnius, Genuenſis, jureconſultus inſignis, tranſtulit Pſalmum CXVIII. Graeco ac Latino carmine juxta ſimilitudinem Hebraïcorum verſuum: quorum ut ſinguli octonarii octo continent verſus, ab una litera ſecundum ordinem alphabeti incipientes; ita Graeci ac Latini octonarii totidem verſus, ab eadem litera incipientes, habent in hunc modum.

A	A
Αν οἶδ' ἄμωμοι, μάκαρες βάντες ἐν νόμῳ Θεοῦ.	*Ambulat in Domini quicunque eſt lege beatus;*
Ἀτάσθως φρασὶ θέα μάρτυροι ἰχνίοντες ὅλβιοι.	*Atque ejus ſequitur conſtanti pectore juſſa.*
Ἀβακὲς γὰρ ἐσὶ παρᾴνομῶσιν αἱ θεῶν τρίβοι.	*Avius a recto declinat tramite iniquus.*
Ἀγαν ἐμοὶ φυλακὰς ἐντολὰς σὰς ἔδω.	*Arcta, Deus, nimium quae tu ſervanda dediſti:*
Αἱ βάσεις ἐμὰ κομίσωντ' ἐς φυλακὴν τῶν σῶν δικῶν:	*Ad mandata tamen tua ſit mea prompta voluntas.*
Ἀναίχυντος ἴσομ' ἅπαντα σίδεν ἐφορῶν προσάγμα σοι.	*Alme in te genitor nunquam confundar amando,*
Αν μαθὼ δίκης σῆ κρίσιν τὴν ὀρθ', ἐξομολογήσομαι.	*Addictuſque tuae legi te corde fatebor:*
Ἀεὶ σὰς φυλάξαντ' ἐντολὰς, μηδαμῶμε λιπούσης.	*At tu ſervantem me ne tua verba relinquas.*

Claruit anno Domini MD.

JACOBUS, Archiepiſcopus Genuenſis, ordinis Predicatorum, ex oppido Varaginis, quod in ora maritima Ligurum non longe a Genua ſitum eſt, vir multae

(a) Ex ſubleſtae fidei teſtimonio commentitium opus explanationum Evangelii Matthaei Jacobo Fratri Domini adjudicat Sixtus; at nemo, ut novi, cum Veterum, tum Recentiorum illius meminit: quod ſi fortaſſe illud indigitaverit πρωτο-ευαγγέλιον, quod aliqui obſcurioris Epochae Scriptores, iique nimium ſimplices, Jacobo Fratri Domini adjudicarunt, quodve Proto-Evangelium ex Oriente primus in Occidentem, veluti inſigne autographum detulit Guillelmus Poſtellus nugivendus primi ordinis, & inſignis impoſtor, phanaticorum facillime Princeps, quis ignorat ad pſeudo-epigrapha, & commentitia, ac quiſquiliaria opera illud; & cetera quaecumque exemplaria foreamandanda, illudque eſſe genuinum Ebionitarum, ſive partum, ſive monſtrum ad Chriſtianorum myſteria denigranda conceptum enixumque? Certe nemo, qui ſapit, inficias ibit.

Digitized by Google

tae variaeque lectionis propria lingua mire facundus, & in ſacris declamationibus omnium opinione celebris, hiſtoriarum quoque non contemnendus ſcriptor, & Auguſtini voluminum ita ſtudioſus, ut ea pene omnia memoria teneret, utriuſque inſtrumenti divina volumina primus omnium in Italicam linguam ſumma fide ac diligentia transfudit. Floruit ſub Adolpho Imperatore, anno Domini MCCXC.

JACOBUS Goëuſchelius Vitodurenſis, ſcripſit de tropis, ſchematibus, & idiomatibus divinae Scripturae librum unum, anno Domini MDXXXVI.

JACOBUS Lauſanenſis, Dominicanus, incertae urbis epiſcopus, divinarum, humanarumque rerum cognitione clarus, & eccleſiaſticarum declamationum fama clariſſimus, ſcripſit ſermone ſcholaſtico plurima in Sacras literas Commentaria: de quibus Venetiis in Bibliotheca D. Joannis, & Pauli infraſcripta legi.

In Pentateuchum	libros quinque.	*In principio creavit.*
In Job	librum unum.	*Suſtinentiam Job audiſtis.*
In Proverbia	librum unum.	*Aperiam in parabolis.*
In Canticum Canticorum	librum unum.	*Circa principium hujus libri.*
In Sapientiam	librum unum.	*Sapientia clamat.*
In Eccleſiaſticum	librum unum.	*Iſte liber dividitur.*
In Eſaiam	librum unum.	*Non eſt bonum.*

Claruit imperante Venceslao Auguſto, anno MCCCXC. (a)

JACOBUS Lopis Stunica compoſuit libros duos pro defenſione vulgatae editionis novi Teſtamenti, priorem quidem adverſus Eraſmum, poſteriorem adverſus Jacobum Fabrum Stapulenſem, Viennae epiſcopum. Claruit anno MDXXX.

JACOBUS cognomento Magnus, patria Toletanus, Eremitani ordinis ſectator, in palaeſtra ſcholaſticae diſciplinae vehementer exercitatus, philoſophiae naturalis ſcientia illuſtris, & ſacrarum literarum interpres egregius, univerſa Biblia annotationibus exornavit. Claruit ſub Venceslao Imperatore an. Do. MCCCC.

JACOBUS Martinus, Gallus, anno Domini MDXXXVI. invulgavit nobile volumen, Michaëli Lingonienſi praeſuli a ſe dicatum; in quo breviter continentur omnes Tropologiae, & Allegoriae Origenis Adamantii in Heptateuchum, ab incerto, ſed erudito auctore ſelectae, & in ſeptem libros digeſtae. Operis initium eſt, *In principio, &c. Quod homo noſter interior.*

JACOBUS Naclantus, epiſcopus Clodienſis, ordinis Praedicatorum, philoſophus & theologus ſui temporis celebratiſſimus, ſcripſit ad Julium III. Pontificem Maximum pias ac doctas enarrationes in epiſtolas Pauli ad Romanos, & ad Epheſios ſtylo brevi, dilucido, & eleganti; in quibus inſeruit, & juxta ſacram Scripturam, & orthodoxam fidem explicavit omnes ferme difficultates pietatis Chriſtianae. Legimus etiam ejuſdem opus ad intelligentiam divinorum voluminum apprime utile, cui titulus eſt: MEDULLA ſacrae ſcripturae: itemque explanationem in Pſalmum nonageſimum pro concione enarratum: itemque Theoremata Theologica. Claruit ſub Julio III. Pontifice Maximo anno Domini MDLIIII.

JACOBUS Paniſcotius, Malfetanus, Minorita regularis obſervantiae, theologiae ac ſacrarum literarum Profeſſor, ſcripſit Opus prolixum in expoſitione Pſalmi quarti decimi, interrupto dialogo editum inter Salomonem interrogantem, & Davidem reſpondentem: in quo multa manifeſtantur, fidelibus quibuſcunque perutilia & neceſſaria: ejus principium eſt, *Cum coelorum ambitus*. Claruit anno MDL.

JACOBUS Sadoletus, Carpentoractis in Gallia epiſcopus, & Romanae Eccleſiae Cardinalis, vir plane doctus, & Ciceroniani ſtyli imitator foeliciſſimus, ſcripſit ad Matthaeum Gibertum, epiſcopum Veronenſem, in tres Pſalmos, videlicet 50. 93. & 95. pias explanationes: quarum prior incipit, *David Iſai Bethlehemitae:*

(a) Exiſtimarunt nonnulli, quos inter N. Xyſtus, Jacobum de Lauſana ſic dictum a patria Urbe ad lacum Lemanum in finibus Allobrogum, in Epiſcopali munere fato ceſſiſſe, verum N. Jacobus Echard *Biblioth. Script. Ord. T. I. fol.* 547. ex indubiis monumentis Comitiorum Generalium Ordinis luculenter oſtendit eum in munere Provincialatus diem clauſiſſe extremum Anno MCCCXXI. ex quo etiam conligit corrigendum fore N. Sixtum qui laudatum Lauſana defunctum adſtruit Anno MCCCXC. nec non alios, qui itidem ad alium annum, ſed diverſimode ſentientes, illius obitum referunt. Videſis Echardum, apud quem reliquos libros a Lauſana compoſitos reperies.

Digitized by Google

mitae : secunda vero, *Multa incumbunt & gravia*.

ITEM in epistolam ad Romanos a se latine versam, Collationis continuatae, sive Continentis dialogi ad Franciscum, Gallorum regem, disertos commentarios, tribus voluminibus digestos : quorum initium est, *Saepe mihi cogitanti*. Claruit anno Domini MDXXX.

JACOBUS Sanazarius, patricius Neapolitanus, qui & Actius Sincerus Parthenopaeus, vir ad illustrandam sacrosanctam Christianorum poësim felicissimo sidere natus, scripsit in secundum Lucae capitulum De partu Virginis libros tres heroicis carminibus, ita Virgilianum candorem sublimitatemque praeferentibus, ut Virgilium ipsum te legere audireque existimes. Operis initium est, *Virginei partus magnoque aequaeva parenti*. Claruit anno Domini MDXXX.

JACOBUS Schoëpperus, divinae theologiae professor egregius, & declamator facundus, conciones ad populum urbis Tremoniae habuit super evangelia, quae singulis diebus festis tam de sanctis, quam de tempore leguntur ; quos postea ipsemet eleganti methodo, styloque succinctissimo conscripsit, & in tres tomos redegit: quibus etiam inseruit conciones super evangelia, quae in sextis Feriis totius quadragesimae recitantur, & conciones catechistas. Claruit sub Car. V. an. Do. MDL.

JACOBUS Stralensis, Germanus, scholae theologorum apud inclytam urbem Coloniam moderator, theologus & philosophus sui temporis nobilissimus, elaboravit scholasticae expositionis in Apocalypsim Joannis librum unum : cujus initium est, *Vidit Jacob in somno*. Claruit anno Domini MCCCCLXXX.

JANUS Vitalis, politioribus literis excultus, scripsit in Psalmum quinquagesimum elegantem commentarium, incipientem, *Cum Davidis exercitus*. Claruit anno Domini MDL.

INCERTI, sed vetusti auctoris tractatus Latinus, nondum impressus, retinetur ab academicis Venetae academiae, DE THEOLOGICA DAVIDIS POËSI inscriptus : in quo ostenditur, quemadmodum regius Propheta David in exponendis divinis laudibus, & exprimendis flagrantissimi cordis affectibus, ad animae salutem pertinentibus, tantum post se caeteros poëtas reliquit, quantum divinus spiritus omnem humani ingenii vim antecedit.

INNOCENTIUS, Pontifex Maximus ejus nominis III. natione Campanus, patria Anagninus, a pueritia in celeberrima Parisiorum academia optimis imbutus studiis, eruditione & vitae sanctimonia celebris, post Coelestinum Papam III. communi omnium cardinalium consensu, quamvis inter eos junior esset, nutu Dei ad summum pontificatus honorem evectus, multa in divinas scripturas exaravit : de quibus legi sanctos, & doctos in septem Psalmos poenitentiae commentarios, Scholastico more elaboratos, sed sermone magis conspicuo, & ornato ; in quibus divisiones ac distinctiones scholasticas ad certum numerum redigit, sine ullo superfluae multiplicationis ac repetitionis taedio, & crebra sanctarum scripturarum testimonia sine ulla extorsionis duritiae suis locis prudenter accommodat, multas inter haec pias, ac suaves meditatiunculas, & precatiunculas immiscens, quibus lectoris animum dulcibus affectibus incendit. Opus initium hoc habet, *Ne inter occupationes multiplices, &c.*

EDIDIT etiam sermones quosdam ad clerum, & populum nunc Latina, nunc Italica lingua in templo Lateranensi : quos in unum volumen Latine editos Arnulpho, abbati ordinis Cistercienſis, dicavit. Opus incipit, *Prophetica docet auctoritas*. Claruit anno Domini M.CC.

Petrus de Tarentasia, quae civitas est Centronis metropolis, primus ex Ordin. Praed. R. Pontifex, dictus Innocentius V.

INNOCENTIUS, Pontifex V. dictus antea Petrus de Tarentasia, quod nunc Helvetiorum oppidum est, ex ordine Praedicatorum sedit in summo pontificatu juxta numerum nominis sui mensibus tantum quinque ; vir certe in divinis scripturis eruditissimus, & in philosophia Aristotelica nobiliter doctus, qui theologiam Scholasticam multis annis in gymnasio Parisiensi egregie docuit : omnia opera D. Thomae in epitomen redegit, & magnam suae eruditionis laudem acquisivit : scripsit in sacrosancta Biblia lecturas more scholastico varias, praecipue vero lecturae in Psalmos librum unum, in Cantica Canticorum librum unum, in omnes epistolas Pauli lib. 14. *Vas electionis*. In bibliotheca Dominicana Bononiae visitur ejusdem Postilla in totum Paulum manuscripta, cujus initium est, *Illuxerunt cor-*

Digitized by Google

corruſcationes tuae. Claruit ſub Rodulpho Imperatore anno M.CCLXXV. (a)

JOACHIM, Abbas Florenſis coenobii ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus, vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & exercitatus, & ſuo tempore veriſſimus Propheta creditus, ſcripſit ad F. Raynerium de pontio in totum Eſaiam Prophetam ſtylo rudi, & obſcuro commentariorum librum unum: in quibus multa de ſeptem temporibus eccleſiae, & de oneribus ſexti temporis quaſi futurorum praeſcius diſſeruit, multas immiſcens prophetias ac vaticinia de futuris temporibus: quae an impleta, vel adhuc implenda ſint; alii viderint. Opus incipit, *Si ad hoc rotarum myſterialium centrum*. Scripſit & ad Henricum Imperatorem in Jeremiam, & in Danielem ejuſdem generis commentarios, ſimiliter & in Joannis Evangelium. Scripſit etiam de concordia veteris ac novi teſtamenti libros quinque: in quibus oſtendit ita utriuſque teſtamenti tempora concordare, ut nihil in veteri teſtamento actum ſit, quod in novo teſtamento non pariter geratur, aut geſtum ſit, aut futurum ſit in noviſſimis diebus. Opus incipit, *Quia labentis ac perituri ſaeculi*, &c. Claruit ſub Henrico Imperatore VI. anno Domini M.CC.

JOANNES, Abbas monaſterii Nivicellenſis, theologus inter ſcholaſticos inſignis, pontificii juris conſultiſſimus, & in ſacris literis longa exercitatione conſummatus, ſcripſit opus: cui titulus eſt BIBLIAE ET CANONUM CONCORDANTIA: in quo ſecundum ordinem divinorum librorum collegit ex utroque Teſtamento omnes locos, cum quibus canones & decreta ſanctorum Pontificum conſonant: eisque locos canonum correſpondentes appoſuit. Opus incipit, *In principio creavit Deus*, &c. Claruit ſub Pio II. Pont. Max. anno MCCCCLX.

JOANNES Adamarius, Lorinchius, librum Sapientiae Syrach metrica paraphraſi illuſtravit, anno Domini MDXL.

JOANNES Alcoch, Anglus, epiſcopus Eligenſis, ſcripſit in ſeptem poenitentiae Pſalmos, anno Domini MCCCCXC.

JOANNES de Alerio, natione Tholoſanus, Carmelita, Prior generalis ſui ordinis tertius decimus, in divinis Scripturis ſtudioſus & eruditus, & non minus religionis fervore, quam eruditione venerabilis, edidit lecturae Scholaſticae in Eccleſiaſticum librum unum. Claruit ſub Carolo IIII. Imperatore, anno Domini MCCCXLVIII.

JOANNES Annius, natione Italus, patria Viterbienſis, Praedicatorii ordinis profeſſor, theologus eximius, hiſtoriarum omnium, quot ſunt, quotque fuerunt, exactiſſima cognitione celeberrimus, antiquarius praeſtantiſſimus, & vetuſtiſſimarum omnium rerum indagator & inventor admirabilis, cujus in Beroſum Babylonium, Methaſtenem Perſam, Manethonem Aegyptium, alioſque multos antiquiſſimae vetuſtatis hiſtoricos accurati extant Commentarii, ſcripſit in Pſalterium Commentarios, quorum ipſe meminit, Chronographiam Philonis exponens. Edidit item Quaeſtionum in Apocalypſim librum unum, quem Xyſto Pontifici IIII. caeteriſque regibus Chriſtianis miſit, atque dicavit, oſtendens in eo, Beſtiam illam, tertio decimo potiſſimum Apocalypſis capite deſcriptam, quam communiter enarratores interpretantur Antichriſtum, eſſe pſeudoprophetam Mahumetem; qui quanquam ante plurimos annos mortuus ſit, ejus tamen ſecta vivit etiam nunc, nimiumque graſſatur adverſus Dei populum; eaque tandiu durabit, donec, juxta ſeptimum caput Danielis, regnum detur populo ſanctorum Altiſſimi, id eſt, Chriſtianis. Claruit anno Domini MCCCCLX. (b)

JOAN-

(a) Adnotavit laudatus Echardus apud NN. Sixtum, & Altamura legi expoſitionem in Cantica Canticorum editam ab Innocentio V. de qua tamen apud omnes Veteres altum ſilentium: memorant tamen iidem alia Innocentii V. opera in Sacram Scripturam, videlicet in Pentateuchum, in Lucam, in illud Iſaiae *dedi te in lucem gentium*, quod poſtremum opus prodiit Coloniae 1471. Pariſiis 1521. & alibi pluries. Conſule laudatum Echardum, apud quem reperies alia itidem opera varii argumenti, quorum plurima jam Typis prodierunt.

(b) Ut veritati ſtudeam filius Ordinis, qui inſcribitur *Veritatis*, non abſtinebo a cenſura in Annium, quam prius etiam ſincere tulit N. Cl. Melchior Canus *De loc. Theolog, lib. XI. c. 6.* nimirum inſudaſſe Virum doctiſſimum, & de litteraria Republica bene meritum in verſione apocryphorum, qui proinde labor & Authori obfuit, & legentibus non prodeſt; quin potius fabulis, & nugis replet animos ſimpliciorum: quare ad ſpuria ſunt ableganda, quae ex Graeco in Latinum vertit, opera Beroſi, Xenophontis, aliorumque: at vitio Annii vertendum non eſt ſuſceptum ab eo ſtudium, fere ac ab eo proprio marte conficta ſpuria opera Grecorum fuerint Latinitati reddita: quae enim prius fuerunt ab aliis ſub nomine Beroſi, &c. conficta, bona fide excepit, & in Latinum tranſtulit

Digitized by Google

JOANNES Arundineus, Germanus, ordinis Carmelitarum, epiſcopus Usbitenus, vir in divinis Voluminibus exercitatiſſimus, ſaecularis philoſophiae non ignarus, & declamator celeberrimae opinionis, edidit in librum Sapientiae, in Pſalmum CXVIII. & in epiſtolam ad Romanos Scholaſticas lecturas, a ſe prius in publicis lectionibus explicatas, anno Domini MCCCCXC.

JOANNES Arboreus, Laudunenſis, Doctor, Theologus Sorbonicae Pariſiorum Academiae, vir doctiſſimus & vere Catholicus, edidit volumen ingens in decem & novem libros diviſum, THEOSOPHIAS, hoc eſt, Divinae ſapientiae titulo inſcriptum: in quo juxta ſcholae conſuetudinem aperto & non inculto ſtylo difficillimos cum veteris, tum novi Teſtamenti locos explicavit, varias ſacrorum Doctorum ſuper praedictis locis ſententias & controverſias diſcutiens & examinans, multaſque haereticorum machinationes validis argumentationum ictibus deſtruens: diſpoſuit autem Aſſertiones Operis ſui ſecundum ordinem alphabeticum, quo facilius eſſent inventu. Ejus principium eſt tale, *Nobiliſſimo ac Reverendiſſimo Cardinali Ludovico Borbonio*.

SCRIPSIT & ad Henricum, Gallorum regem, in Proverbia librum unum, incipientem, *Plurimum conducunt*. In Eccleſiaſten ad eundem librum unum, incipientem, *Toto conatu*. In Cantica Canticorum librum unum. Edidit quoque Commentarios in quatuor Evangelia; in quibus ſacrorum Doctorum ſententias diſcuſſit, & pernicioſas quorundam interpretum aſſertiones revicit. Operis initium eſt, *Sacro opus tibi*. Claruit ſub Carolo V. Auguſto MDL.

JOANNES de Abbatis Villa, archiepiſcopus Biſuntinus, natione Gallus, ſcripſit Commentarios in Cantica Salomonis, impreſſos Pariſiis ab Aſcenſio, anno Domini MDXXI.

JOANNES Bacco, Anglicus, ordinis Carmelitarum, theologorum ſui temporis princeps, & in exponendis divinis Scripturis non ignobile nactus ingenium, expoſuit univerſum novum Teſtamentum, editis ſcholaſtico more Commentariorum libris viginti ſeptem: qui ſunt,

In evangelium Matthaei	liber unus.
In evangelium Marci	liber unus.
In Lucam	liber unus,
In Joannem	liber unus.
In acta Apoctolorum	liber unus.
In epiſtolas Pauli	libri quatuordecim.
In epiſtolas Canonicas	libri ſeptem.
In Apocalypſin	liber unus.

CLARUIT ſub Carolo IIII. Imperatore anno Domini MCCCL.

JOANNES Balbus, Genuenſis, ordinis Praedicatorum, auctor Latini dictionarii, cui CATHOLICON titulus eſt, vir Scholaſtica theologia imbutus, Latinae & Graecae linguae peritus, ſcripſit ſecundum Scholaſticam conſuetudinem in quatuor Evangeliſtas Poſtillam in quatuor Evangelia; quae incipit, *Cur voluit Deus non plures, quam quatuor eſſe Evangeliſtas?* Habetur Genuae in Bibliotheca Praedicatorum manuſcripta. Claruit anno Domini milleſimo ducenteſimo octuageſimo.

JOANNES Baptiſta Folengus, Mantuanus, monachus Caſſinas S. Benedicti, Commentarios in omnes Pſalmos ſumma fide, mira luce, grata brevitate ex ipſa Hebraïca veritate confecit, & abſolvit: in quibus rara eruditione, & ſpiritus ardore flagrans, & ſenſuum candor, & acumen, & Latini ſermonis elegantia inſimul inſunt. Horum initium eſt, *Totius voluminis argumentum*. Scripſit & in omnes epiſtolas Catholicas nitidas explanationes. Claruit anno Domini MDL. (a)

JOAN-

lit, ut pluribus prodeſſet vir apprime Graece doctus. Scio quidem N. Johannem plus aequo fuiſſe ab aliquibus ventilatum, praeſertim ab Gerardo Johanne Voſſio, ſed non me latet ab aliis non inferioris notae Viris nobilioriſque converſationis fuiſſe Annium vindicatum, nimirum a Johanne Nauclero, Johanne Driedone, Valerio Anſelmo Ryd, Michaële Medina, Antonio Guevara, Dionyſio Gothofredo, Alphonſo Maldonado, aliiſque conſulendis apud eundem Echardum *Tom. II. p. 4. & ſeq.* apud quem etiam adnotantur innumera Annii alterius argumenti opera tum edita, tum anecdota, quae inter in Totam Scripturam poſtillae reperiuntur.

(a) Johannis Baptiſtae Folengii Commentarii in Epiſtolas Canonicas S. Petri, S. Jacobi, & I. S. Johannis prohibentur in Indice Romano. Vide Poſſevinum.

Digitized by Google

JOANNES Beetzius, Germanus, instituti Carmelitarum in coenobio Tenensi addictus, theologus & philosophus egregius, & in scholis theologorum disputator acerrimus, & apud populum in concionibus gratissimus, edidit scholastica phrasi explanationis scholasticae in epistolam Pauli ad Romanos librum unum. Claruit anno Domini MCCCCLXX.

JOANNES Benedictus, Doctor theologus in Academia Parisiensi celeberrimus, brevissima, sed utilissima scholia ex sanctis ac vetustis Patribus nominatim citatis collegit in universam Scripturam. Claruit sub Carolo V. Augusto MDL.

JOANNES Benius, Veronensis, sacerdos, in schola Joannis Matthaei Giberti Veronensis episcopi educatus, scripsit Italica lingua Discursus, sive Digressiones in passionem Domini ex quatuor Evangelistis septem ac septuaginta.

JOANNES Bertramus, Nuremburgensis, Germanus, in scholasticis disciplinis excellentissimus; Academiae quondam Moguntinae publicus theologiae Praeceptor, scripsit volumen ingens in Prologum Bibliae, omnia ad Scripturae introductionem necessaria copiosissime complectens; quod incipit, *Cogitanti mihi, &c.* Claruit sub Maximiliano Imperatore anno Domini MCCCCXCV.

JOANNES Beverlacius, archiepiscopus Eboracensis, natione Anglosaxo, scripsit in Evangelium Lucae Commentarios, anno Domini DCCXXI.

JOANNES Buteo, Delphinas, Gallus, mathematicus excellentissimus, scripsit anno Domini MDL. ad Franciscum Turnonium Cardinalem librum unum eruditissimum de Arca Nohe, cujus formae & capacitatis fuerit; qui incipit, *In Arcam illam seminarium mundi*.

JOANNES Catardus, Aquasparsanus, edidit enarrationem in Jonam Prophetam, concionibus, & Christianae consolationi accommodatam; quae incipit, *Eo spectat*. Item Paraphrasim mysticam in eundem Prophetam, cujus initium est, *Brevis quidem*. Claruit anno Domini MDL.

JOANNES Cassianus, natione Scytha, Joannis Chrysostomi auditor, & ab eo Diaconus ordinatus, post aliquot annos ob incertam causam ab eo recedens, apud Massiliam presbyter consecratus est, ubi & duo condidit monasteria virorum, ac mulierum; scripsit plano & librato sermone de eo, quod dicit Apostolus, *Non enim, quod volo, facio bonum, sed quod nolo, malum*, librum doctum & elegantem, quem postmodum collationibus sanctorum Patrum, a se editis, inseruit, & vigesimum tertium Collationum librum praenotavit. Moritur Massiliae non sine opinione sanctitatis, Theodosio, & Valentiniano regnantibus, anno Domini CCCCXXXV. (a)

JOANNES, Constantinopolitanae urbis archiepiscopus, ob auream sermonis praestantiam Chrysostomus, hoc est, aureum os, appellatus, patria Antiochenus, & Antiochenae quondam ecclesiae presbyter, Secundo & Anthusa nobilibus parentibus ortus, in eloquentiae studiis Libanii Sophistae, in philosophia Andragathii clarissimi philosophi, & in divinis Scripturis Diodori episcopi Tarsensis, auditor ac discipulus, Basilio & Gregorio Magnis arctissima familiaritate conjunctus, edidit in sanctas literas plurima, tam Commentariorum, quam Homiliarum volumina: quanquam ex Commentariis, ut arbitror, nihil extet praeter fragmentum expositionis in octo prima capita Esaïae, & integram in epistolam ad Galatas explanationem.

IN Homiliis usus est docendi genere, ecclesiastici praeceptoris officio, & audientium utilitati accommodatissimo, dividens omnes sermones suos quandoque in duas partes, hoc est, Exegeticen, & Ethicen; aliquando vero in tres, hoc est, Paraskeven, Exegeticen, atque Ethicen. In Paraskeve, id est, Praeparatoria parte, nunc argumentum, quod tractaturus est, commendans, nunc auditorum docilitatem, frequentiam, alacritatem, & audiendi cupiditatem collaudans; nunc ea repetens, quae pridie dixerat, auditorum animos ad ea, quae dicenda sunt, praeparat jocundis & saepe fortuitis exordiis, sed interdum prolixioribus, quam optaret avidus auditor morae omnis impatiens, & ad propositae lectionis intellectum

(a) Opera Cassiani expurgata fuerunt Romae, & prodierunt cum adnotationibus e Typographia Vaticana. Vide praesertim Alardum Gazaeum, qui eruditissimas notas eisdem operibus adposuit, & adversus XIII. Collationem adposuit opusculum Prosperi adversus Collatorem, aliaque lectione digna.

Digitized by Google

ctum festinans: quod & ipse Chrysostomus sentiens in Praefatione sermonis De ferendis reprehensionibus excusat, inquiens: REPREHENDUNT nos amicorum quidam, quod productiora sermonum initia faciamus: quibus, sive injuste taxent, sive juste sententiam ferant, ob hanc reprehensionem gratiam habemus.

IN secunda Homiliae parte, quae Exegetica, id est, Expositoria, dicitur, Chrysostomus versatur in explicatione divinae Scripturae juxta historicam, sive literalem intelligentiam, quam semper pro fundamento substernit; atque ita pure, aperte, germane, recte, & appositè exponit, ut alius nemo, expendens singulas quasque allatae Scripturae voces, easque dilucidis illustrans paraphrasibus: nec unquam ex ignorantia historici sensus literam aut detorquet durius, aut, ea relicta, confugit ad remotas quasdam allegorias; ad quas Hieronymus & Augustinus fateri non erubescunt se aliquando ex inopia historici intellectus fuisse coactos: sed in vera propriaque literae sententia continuo persistens, ad imitationem Eusebii Emeseni Episcopi, & Diodori Tarsensis Episcopi, quos praecipue in explicandis sacris Voluminibus sectatur, usque adeo allegoricis abstinet involucris, ut in omnibus ejus explanationibus allegorias, sive anagogias, quae idem sunt apud eos, non reperias, nisi in paucis rarisque admodum locis, in quibus id urgentissima divinae Scripturae necessitas vehementer efflagitat. Ediserit autem in singulis pene homiliis vulgatam suorum temporum translationem, ex Septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, & Theodotionis versionibus concinnatam: unde & multa Scripturae veteris loca saepe aliter explicat, quam in nostris nunc vulgatis Codicibus legantur.

QUAESTIONES curiosas, & ad plebis aedificationem inutiles, pugnas disputationum; & conflictationes de rebus subtilibus & obscuris summo studio devitat; &, quae nonnulli expositores in divinis literis ad ostentationem eruditionis, quaesita disputandi occasione, solent de industria obscurare multis magnisque dubitationum difficultatibus, ipse paucis iisdemque nudis ac simplicibus verbis expedire solet. Cujus rei qualemcunque vel exiguum gustum possumus exempli gratia sumere ex elucidatione illius sententiae Pauli ad Romanos, NON EST VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS, SED DEI MISERENTIS: quam cum acutissimus Augustinus multis involvat subtilibus & abstrusis de Praedestinatione ac Reprobatione, de Gratia & Libero arbitrio disputationibus; Chrysostomus duobus pene verbis omnibus se quaestionum ambagibus exsolvit, inquiens, primum eam sententiam fuisse a Paulo, non ex persona affirmantis, sed ex personas opponentis prolatam; deinde sic Apostoli dictum esse intelligendum, ut cum dicit, *Non est volentis, neque currentis*, subaudiamus, tantum; *sed Dei miserentis* simul ac magis: nam cujus potior majorque est in negocio aliqua pars, illius totum dicimus esse negocium. Verum si quandoque contingat Chrysostomum in difficultatem aliquam non dissimulandam, sed necessario discutiendam incidere; non prius eam aggreditur, quam ostendat se disputationis ejus neque occasionem inveniisse, neque inventam sponte assumpsisse; sed coactum haereticorum perfidia ad refellendas illorum calumnias in eam descendere, hac scilicet dexteritate se accommodans imbecillitati imperitae multitudinis: in qua licet essent nonnulli, qui altiores etiam disputationes possent intelligere; plurimi tamen aderant, qui doctrinae subtilitatem non caperent, utpote homines indocti, atque artifices, & negotiis vilibus occupati, & mulieres in ejusmodi disciplinis minime exercitatae, & puerorum turba, aetateque provecti senes, qui omnes oratione facili instituendi recreandique erant. Interdum tamen ad excutiendum torporem audientium quaestiunculas quasdam non admodum magni momenti proponit; easque de industria insolutas relinquens, illud statim addit: CUR AUTEM, & quomodo id se habeat, vobis investigandum relinquo: neque enim vos oportet a nobis omnia discere, sed & ipsos vos elaborare, & exquirere, ne segniores efficiamini. Atque haec in secunda parte Homiliarum perpetuo servat Chrysostomus.

Augustinus prolixus, Chrysostomus brevis in explicandis Sacrae Scripturae quaestionibus.

IN tertia vero parte, quae semper ethice, sive moralis est, digreditur non solum ad locos illos ethicos, omnibus pro concione loquentibus communes, nempe de divitiarum contemptu, de luxu, crapula, ira, arrogantia, caeterisque vitiis fugiendis: sed expatiatur saepissime in selectis quibusdam moralis institu-

tionis

tionis paradoxis, ſibi uni propriis; quorum haec praecipua ſunt:

VIRTUTEM nec eſſe rem moleſtam, neque acquiſitu difficilem.

MULTO facilius eſſe bene vivere, quam male.

PARVA leviaque peccata majori ſtudio vitanda eſſe, quam magna.

NULLUM ſupplicium mala conſcientia atrocius.

NEMINEM laedi poſſe niſi a ſemet ipſo.

MELIUS eſſe injuriam pati, quam inferre.

MULTOS injuſte laedere, neminem vero injuſte laedi.

IGNOMINIAM hujus mundi eſſe gloriam, gloriam vero mundi ignominiam.

VITAM hanc non eſſe vitam, ſed mortem.

MORTEM eſſe vita meliorem.

MAXIMUM fieri in tribulationibus & tentationibus lucrum.

QUOD omnia ſupplicia, mortalibus a Deo immiſſa, magna ſint divinae pietatis beneficia.

ELEEMOSYNAM eſſe artem omnium quaeſtuoſiſſimam.

SOLITUDINIS & monaſticae vitae commoda omnibus felicitatibus potiora.

QUOD regno Dei privari pejus ſit, quam gehennae ſupplicium.

QUOD nolle omnia ſcire ſumma ſapientia ſit.

QUOD Chriſti divinitatem etiam abſque ullis divinarum literarum teſtimoniis clariſſime, ac fortiſſime adverſus omnes gentes demonſtrare poſſumus.

HJS atque ejuſmodi vere aureis digreſſionibus auditorum animos mirum in modum inflammans, rapiens, elevans in amorem divinarum rerum, & elatos in Deum transformans, denique omnes ſermones concludit in breves precationes, gratiarum actiones, & laudes benignitatis, & miſericordiae Chriſti; cui ſimul cum Patre & Spiritu Sancto honorem, gloriam, & imperium precatur in ſaecula. Amen. Quanquam autem in cunctis pene homiliis eadem moralia loca ſaepius repetita inculcet: ea tamen verborum & ſententiarum varietate eaſdem cogitationes tractat, atque retractat, ut nova ſemper ac diverſa dicere videatur. Hactenus docendi modus Chryſoſtomo proprius.

QUANTUM vero ad verborum rationem, & genus dictionis attinet, omnes ei tribuunt nativam, nudam, ac venuſtam Attici ſermonis puritatem, admirabili docendi facilitate conjunctam, qualem nulli unquam, vel Graecorum eloquentiſſimo contigit. Hanc ejus diſcipulus Iſidorus, Peluſiaci montis abbas, in epiſtola ad Ophelium grammaticum deſcribens, ſic loquitur: JOANNIS linguam, dictioniſque venuſtatem, non aliis dico (parvum hoc enim fortaſſe apud multos eſſet) ſed ipſi Libanio, qui apud omnes in eloquentia praeclariſſimus habetur, magnae admirationi fuiſſe indicio eſt Libanii ipſius epiſtola, ad illum etiam tum juvenem, cum orationem in Imperatorum laudem habuiſſet, ſcripta: ea ſic habet.

Iſidori Peluſiotae de Chryſoſtomi eloquentia teſtimonium.

LIBANIUS JOANNI.

ORATIONEM tuam prolixam & pulchram accepi, & viris, qui & ipſi orationes conſcribunt, legi. Nullus in eis fuit, qui non exiluerit, & vociferatus ſit, eaque omnia fecerit, quae per ſtuporem conſternati ſolent. Me illud delectat, quod dicendi artem, quam agendis in foro cauſis exhibere potuiſti, ad hujus genus orationis conferre malueris: teque beatum judico, qui tantopere principes laudibus ornare potueris: nec minus fortunatos illos eſſe puto, quod laudatorem talem ſint conſecuti. Haec Libanius.

Chryſoſtomi encomium ex Libanio.

Plutarchus vero orationem dilucidam & facilem vere & germane Atticam eſſe cenſet. SIC enim, inquit ille, priſci Oratores dixerunt. Gorgias autem Leontius primus vitium ambitionis & oſtentationis in orationes civiles induxit: quod etiam vitium admirandum Platonem ſaepe contigit. Quod ſi Plutarcho in hac re credendum eſt, multis modis omnes alios Oratores praeclarus ſuperat Joannes; qui in orationibus ſuis ſic Atticiſmum refert, & perſpicuitatem ſermonis retinet, ut neſciam, an alius quiſquam magis retineat. Hucuſque Iſidorus: cui conſentiens Anianus, pervetuſtus Chryſoſtomi interpres, collaudat in eo aequalem dicendi mediocritatem, leniter ſponteque ſua fluentem, ſic ad Horontium epiſcopum ſcribens: CHRYSOSTOMUS illud quaſi peculiare cuſtodit, ac proprium,

Aniani judicium de ſtylo Chryſoſtomi.

Digitized by Google

quod cum semper sollicitus sit, semper vigilans, & noxii stuporis inimicus; nusquam tamen ejus oratio in pompam elevatur dicentis, sed tota ad utilitatem aptatur audientis: est enim stylus ipse ecclesiae auribus accommodatus, priscum illud, sed eruditum dicendi genus exprimens; medius, aequalis, maturus, pudicus, alienus ab omni incuriae culpa, pompaque luxuriae; non squalidus quidem, nec tamen floridus; non impolitus, sed neque nimia subtilitate limatus; non asperitate horridus, nec tamen amoenitate lascivus; maximam ubique copiam, admirabilemque indicans facultatem, nusquam tamen ambitionem loquendi: eo fit, ut illum magis simplex Lector intelligat, & laudet disertus: denique & sancti Basilii admirabilem illam curam loquendi, & plausibilem Antiochi pompam, & sublimem illum Gregorii cothurnum facile intelligas hac Joannis medietate superata: solae ab eo forsitan adolescentulorum minus blande mulcentur aures; quibus in ludo positis literarum non tam placent solida, quam picta; quique pulchra potius, quam utilia, sectantur; nec tam agentia diligunt, quam sonantia; magisque gaudent florum amoenitate conspergi, quam frugum ubertate nutriri. Haec Anianus.

SOLET etiam Chrysostomus, ut in ejus scriptis apparet, supra omnes ecclesiasticos Scriptores abundare similibus, collationibus, & metaphoris ad illustrationem & delectationem rerum explicandarum admirabili artificio concinnatis: nusquam tamen delectandi gratia utitur, vel sententiarum argutiis, ut Ambrosius; vel poëtarum illecebris, & mimorum salibus, ut Hieronymus; vel facetiis & jocis, quemadmodum Tertullianus: sed affectu potius paternae charitatis, & pio quodam juvandi studio mirifice delectat auditores; quos ut majori cum attentione detineat, orationis cursum frequentibus dialogismis, percontatiunculis, & excitatiunculis interrumpit, saepe repetens hujusmodi voces, Quid nam est hoc? Cujus rei gratia haec dicta sunt? Audisti quae hic locutus est? Vidisti, quomodo nihil praecipit grave? Vidisti continentem ejus animum? audisti fiduciam? audi etiam ingentem charitatem. Perspexisti celsitudinem philosophiae? perspice fidem. Intuere, quaeso, hominis virtutem. Vides quomodo hoc facillimum est? Cogita, obsecro, haec verba. Inspice, quod non simpliciter, ac temere haec dicta sint. Papae qualis est haec doctrina, & quam est omnibus mortalibus necessaria. Papae quot bonorum plena est haec sententia. Magna nobis in his verbis prudentia & attentione opus est. Considera mihi beatos illos viros o dilecte. Disce hic quanta sit virtus. Ubi nunc sunt qui haec irrident? Audiant haec qui non credunt. Vellem hic adessent omnes, qui nostra vituperant. Libenter interrogarem eos, qui haec non credunt, num, &c. Ne te conturbent, o dilecte, quae audis. Ne mireris dilecte quod hoc dixerit. Ne mihi dixeris te haec non intelligere. Age & hoc etiam consideremus. Quod dicere semper soleo, id nunc quoque inculcare non desinam. Quibus sane tropis attentionem renovans, tardos excitat, fessos adjuvat, & ad finem usque orationis sustentat. Atque haec de Chrysostomi doctrina, & orationis habitu dicta sint satis.

Nicephori, & Suidae testimonia de numero operum Chrysostomi.

DE numero vero Lucubrationum ejus Nicephorus Callisti testatur se legisse libros mille. Suidas affirmat eum tot exaravisse volumina, ut ea ne percensere quidem numerando possibile sit: sed nos, praetermissis exotericis scriptis, exegetica tantum, quae ad explanationem pertinent Scripturarum, duobus separatis Catalogis recensebimus: quorum prior vere germana & legitima Chrysostomi scripta continebit; posterior vero ejusdem opera pseudepigrapha, hoc est, quae Chrysostomo sub falsae inscriptionis titulo tribuuntur, indicabit.

Operum, quae sine ulla controversia Chrysostomi esse creduntur,

CATALOGUS PRIMUS.

IN GENESIM scripsit continuae & integrae enarrationis homilias LXVII. tempore quadragesimalis jejunii ad populum Constantinopolitanum habitas; quarum prima incipit, Χαίρω καὶ εὐφραίνομαι, ὁρῶν σήμερον τὴν Θεοῦ ἐκκλησίαν: id est, *Gaudeo, & laetor videns hodie hanc Dei ecclesiam.* De his Photius Patriarcha Constantinopolitanus in libro, cui titulus est MYRIOBIBLOS, ita scriptum reliquit:

AC-

Digitized by Google

ACCUSANT nonnulli divinum Joannem, quod in Geneſeos exegeſi, & in his potiſſimum, quae de opificio ſex dierum enarravit, nimium ſimplex ſit, atque omnino deſtitutus omnibus illis ſpeculationibus, quibus Origenes, Hippolytus, Euſebius, Baſilius, caeterique ex ſanctis noſtris Patribus eruditiſſimi, in Hexaëmero praeſertim abundant: qui ſane mihi Joannis mentem tenere non videntur: is enim, ad ſimplicitatem Moſaïcae narrationis reſpiciens, relictis in tempeſtivis theoriis, facilitate & humilitate ſermonis maluit ſequi Moſen: qui non, ut quidam ſatis inepte putant, de mundi opificio ſcribens, obſcuriſſimas res & obſcuriſſimis verbis differere ſtatuit; ſed rudi hebetique populo ſimpliciſſime & clariſſime ea tantum ob oculos ponere voluit, quae craſſae multitudinis ingenio comprehendi poſſent: ſicut & ipſe Joannes in explanatione Hexaëmeri hiſce verbis indicavit: MOSES in exordiis ſuarum narrationum parvitati noſtrae ſe attemperans, nihil de inviſibilibus differuit virtutibus: non enim dixit, In principio fecit Deus Angelos & Archangelos, ſed, Coelum & terram: quia in principiis & praeludiis craſſioribus locutus eſt Judaeis, qui toti praeſentibus rebus inhiabant, neque ſpirituale quicquam comprehendere poterant: itaque eos a ſenſibilibus, & creaturis ad cognoſcendum univerſi creatorem inducit: non enim decebat, ut ſolido paſcerentur cibo, quibus adhuc lactis alimonia opus erat. Nam quemadmodum Magiſtri literarum puerulos, de gremio matris acceptos, & ignaros omnium, atque incapaces ſublimiorum, primis tantummodo imbuunt elementis; deinde eos aliis tradunt magiſtris, qui eos perfectioribus inſtituant diſciplinis: ita Moſes ignaram omnium & rudem hominum naturam, &, ut ita dicam, nuper a lacte depulſam primis divinae cognitionis imbuit elementis, praeparans eam ed praeſtantiores magiſtros, Paulum nempe, & Joannem; qui pueros, primis rudimentis imbutos, ad majora & excelſiora deducunt, ſuperimponentes jam poſito fundamento celſa totius aedificii faſtigia. Haec ille.

Photii judicium de Chryſoſtomi Homiliis in Hexaëmeron.

EDIDIT etiam Chryſoſtomus praeter has homilias iterum in varios Octateuchi locos homilias XIX. videlicet,

In Geneſis caput 1. De principio Geneſeos, homiliam 1. quae incipit, *Jocundum quidem nautis*.

In idem, De principio Geneſeos, hom. 1. *Multa quidem*.

In idem, Cur homines a beſtiis laedantur, cum Deus eas homini ſubeſſe voluerit? hom. 1. ex qua divus Auguſtinus libro primo adverſus Julianum teſtimonium De peccato originali inducit contra Pelegianos.

In Gen. 3. De Deo, in paradiſo deambulante, hom. 1. *Audiſtis antea*.

In Gen. 11. De confuſione linguarum, hom. 1. ex qua Theodoretus fragmentum recitat in Dialogo, qui inſcribitur INCONFUSUS.

In Gen. 14. De Melchiſedech, hom. 1. cujus meminit Chryſoſtomus in Praefatione enarrationis in Pſalmum 41.

In Gen. 17. De mutatione nominis Abrahae, hom. 1. *Haud difficile foret*.

In Gen. 37. De Joſephi continentia, hom. 1. *Mihi quidem ſemper*.

In Levitici cap. 7. De veſtitu ſacerdotali, hom. 1. *Regni Chriſti evangelium praedicaverunt Prophetae*: cujus auctoritate utitur Epiphanius Diaconus in ſecunda Synodo Nicaena, actione 6.

In 1. Regum caput 1. De fide Annae, hom. 1. *Nulla profecto res*:

In idem iterum homil. 1. cujus meminit Chryſoſtomus in Praefatione praecedentis homiliae.

In idem de Anna, & Samuelis educatione, hom. 1. *Niſi videor*.

In 1. Regum cap. 2. In principium Cantici Annae, hom. 3. videlicet, De prima Cantici particula, Confirmatum eſt cor meum in Domino, hom. 1.

De ſecunda Cantici particula, Exaltatum eſt cornu meum in Domino, ho. 1.

De tertia Cantici particula, Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, hom. 1. *Qui theſaurum effodiunt*: in qua teſtatur Chryſoſtomus, ſe primam & ſecundam homilias, quae nunc deſiderantur, ſcripſiſſe.

In Reg. 1. 13. & ſequentia capita, homilias 4. quarum prima, incipit, *Quoties diutina*: ſecunda, *Vos quidem*: tertia, *Equidem arbitror*: quarta, *Non parum civitatem*.

In

Digitized by Google

In 2. Paralipomenon 26. ſuper, Elatum eſt cor Oziae, hom. 2. quarum prima incipit, *Benedictus Deus*: ſecunda vero, *Age expoſitioni de Ozia*.

In Job caput 1. 2. & 3. hom. 5. Laelio Tiphernate interprete, quarum prima incipit, *Magnus ad nos hodierna die certator*: ſecunda, *Magnum rerum pondus*: tertia, *Jam nos omnes*: quarta, *ubique quidem*: quinta, *Proponamus igitur*.

IN PSALTERIUM totum ſcripſit homilias plurimas: in quibus praeter morem ſuum frequenter differuit non ſolum Septuaginta, Aquilae, Symmachi, & Theodotionis translationes nominatim inductas; ſed etiam Hebraicam veritatem, & Syram, ſive Chaldaicam translationem, Hebraicis & Chaldaicis vocibus expreſſas. Has homilias, ut ex Suida apparet, nonnulli Graecorum omnibus Joannis ſermonibus praeferunt tum ſublimitate ſenſuum, tum orationis lenitudine & elegantia. Fertur nunc inter opera Chryſoſtomi volumen homiliarum, ſeu potius expoſitionum in Pſalmos, ex variis diverſorum auctorum ſermonibus contextum, & a Gentiano Herveto latinitate donatum: ex quibus quae tam ex ſtyli indicio, quam ex veterum patrum teſtimonio ipſius eſſe creduntur, hae duntaxat ſunt:

De Pſalmorum utilitate homilia 1. *Quemadmodum cibo vita*.
In Pſalmum 3. homilia 1. *Ducibus exercitus*.
hujus exordium citat Damaſcenus in lib. 3. contra Iconomaſtichos.
In Pſalm. 4. homilia 1. *Non haec dicit Propheta*.
In Pſalm. 5. homilia 1. *Videamus primum*.
In Pſalm. 6. homilia 1. *Quando furorem & iram audiveris*.
In Pſalm. 7. homilia 1. *Oportet quidem*.
In Pſalm. 8. homilia 1. *In priore Pſalmo dixerat*.
In Pſalm. 9. homilia 1. *Longus eſt hic Pſalmus*.
In Pſalm. 10. homilia 1. *Magnae ſunt vires ſpei*.
In Pſalm. 11. homilia 1. *Ardua quidem res eſt virtus*.
In Pſalm. 12 homilia 1. *Non eſt hoc parvum bonum*.
In Pſalm. 38. ſuper illud, Veruntamen fruſtra conturbatur omnis homo vivens, hom. 1. quae incipit, *Piſcatorem ſinus altus*.
In Pſalm. 41. homilia 1. incipiens, *Vos quidem nos nuper admirabamini*.
Theodoretus in Polymorpho producit teſtimonium Chryſoſtomi ex expoſitione Pſalmi 41. quod in hac homilia non reperitur.
In Pſalm. 43. homilia 1. incipiens, *Hunc Pſalmum dicit quidem Propheta*.
In Pſalm. 44. homilia 1. *Vellem nunc adeſſe omnes Judaeos, & Gentiles*.
In Pſal. 44. ſuper, Aſtitit regina, ho. 1. *Suave quidem eſt pratum & hortus*.
In Pſalm. 45. homilia 1. *Solita utitur philoſophia*.
hanc citat Euthymius in Commentario Pſalmorum.
In Pſalm. 46. hom. 1. *Hic etiam Pſalmus idem tangit argumentum*.
In Pſalm. 47. hom. 1. *Hic quoque ſignificat liberationem*.
hanc citat Euthymius in Commentario Pſalmorum.
In Pſalm. 48. hom. 1. *Magna quaedam arcana*.
hanc citat Euthymius in Commentario Pſalmorum.
In Pſalm. quadrageſimum octavum ſuper illud, Noli timere, cum dives factus fuerit homo, homilia 1. *Agricola quidem*.
In Pſalm. 49. hom. 1. incipiens; *Ipſe quoque dixit alibi*.
In Pſalm. 50. hom. 2. quarum prima, *Pictores imitantur*.
ſecunda autem incipit, *Reliquias externae menſae*.
In Pſalm. 100. hom. 1. *Nos rurſus dilectiſſimi*.
In Pſalm. 108. hom. 1. *Magna hic nobis prudentia opus eſt*.
hanc citat Euthymius in Commentario Pſalmorum.
In Pſalm. 109. hom. 1. *Exurgamus, quaeſo, & animũ intendamus*.
In Pſalm. 110. hom. 1. *Quid eſt in toto?*
In Pſalm. 111. hom. 1. *Mihi videtur hujus Pſalmi prooemium*.
In Pſalm. 112. hom. 1. *In Scripturis ſaepe verba fiunt*.
In Pſalm. 113. hom. 1. *Magnam hic teſtatur Dei benignitatem*.
In Pſalm. 114. hom. 1. *Et quis nam eſt, inquit*.
In Pſalm. 115. hom. 1. *Hujus dicti beatus Paulus*.

hanc

Digitized by Google

hanc citat Euthymius in Commentario Psalmorum.

In Psalm.116. hom.1. *Cujus clarum est.*
In Psalm.117. hom.1. *Dictum quidem Psalmi.*
In Psalm.119. hom.1. *Aliorum quidem Psalmorum.*
In Psalm.120. hom.1. *Vide rursus animam.*
In Psalm.121. hom.1. *At nunc multi verbum aegre ferunt.*
In Psalm.122. hom.1. *Prosunt nonnunquam.*
In Psalm.123. hom.1. *Quod saepe dixi, hoc quoque nunc dico.*
In Psalm.124. hom.1. *Cur non dixit absolute, Sicut mons?*
In Psalm.125. hom.1. *Nomen captivitatis est quidem.*
In Psalm.126. hom.1. *Hic Psalmus dictus est de statu rerum.*
In Psalm.127. hom.1. *Vide, quomodo ab eo incipit.*
In Psalm.128. hom.1. *Hic quoque Psalmus.*
In Psalm.129. hom.1. *Quid est, De profundis?*
In Psalm.130. hom.1. *Quid hoc est? Paulus dicit stultum esse.*
In Psalm.131. hom.1. *Alii quidem volunt solum conservari.*
In Psalm.132. hom.1. *Multae quidem res sunt pulchrae.*
In Psalm.133. hom.1. *Psalmos de gradibus.*
In Psalm.134. hom.1. *Ad hoc rursus hortatur.*
In Psalm.135. hom.1. *Postquam dixit superius.*
In Psalm.136. hom.1. *Magnum est his viris.*
In Psalm.137. hom.1. *De hoc saepe vobiscum.*
In Psalm.138. hom.1. *Quid dicis? Novit Deus.*

hanc citat Euthymius in Commentario Psalmorum.

In Psalm.139. hom.1. *Ubi nunc sunt qui dicunt, Quare sunt ferae?*
In Psalm.140. hom.1. *Hujus quidem Psalmi verba.*
In Psalm.141. hom.1. *Vides quomodo ubique.*
In Psalm.142. hom.1. *Est quidem precatio, quae fit per verba.*

hanc citat Euthymius in Commentario Psalmorum.

In Psalm.143. hom.1. *Quid dicis? Deus ne docet bellare?*
In Psalm.144. hom.1. *Hic Psalmus est diligentissime attendendus.*
In Psalm.145. hom.1. *Unde desiit, illic rursus incipit.*
In Psalm.146. hom.1. *Superius quidem in 144. Psalmo dixit.*
In Psalm.147. hom.1. *Non ad civitatem, sed ad eos.*
In Psalm.148. hom.1. *Est hoc sanctis in more positum.*
In Psalm.149. hom.1. *Si spectetur quidem anagoge.*
In Psalm.150. hom.1. *Vel hoc dicit de populo.*
In Sapientiae cap.3. hom.1. *Justorum autem animae.*

IN ESAIAM Prophetam fama est Chrysostomum integros composuisse Commentarios; ex quibus nunc tenemus a principio libri usque ad dimidium octavi capitis continuae juxta historicum, & mysticum sensum explanationis fragmentum, nuper Godofridi Tilmanni industria Latine versum: cujus initium est, *Qua nam potissimum virtute Propheta hic caeteris praeluxerit.*

HABEMUS item Chrysostomi in Esaïae caput primum De poenitentia, quod omnium peccatorum maculas & vestigia aboleat, homiliam unam, quae incipit, *Etsi a vobis aliquantum temporis abfuerim*: & est eadem cum illa, quae inter decem Chrysostomi homilias DE POENITENTIA inscribitur tertia.

Item in Esaïae caput sextum, De visione sedentis in throno homilias tres, quarum prima incipit, *Conspicio vos*: secunda, *Gaudeo conspiciens*. tertia, *Praeclarum nobis theatrum*.

IN JEREMIAE caput ultimum, De Hierusalem devastatione hom.1. cujus recordatur Chrysostomus in Praefatione homiliae super, Oportet haereses esse.

IN JONAM homiliam 1. incipientem, *Factum est*: quae collecta est ex homilia prima auctoris De poenitentia.

ITEM in 2. Maccabaeorum cap.7. de Agone VII. Maccabaeorum hom.1. *Quam speciosa, & grata.*

HAEC sunt, quae ex monumentis Chrysostomi in vetus testamentum usque

ad

Digitized by Google

ad noſtra tempora in lucem prodierunt: quae vero in novum Teſtamentum, aut paſſim invulgata habentur, aut apud veteres auctores citata inveniuntur, infra ſequuntur, videlicet,

IN MATTHAEI Evangelium ab initio uſque ad finem continuae explanationis Homiliae 91. Aniano Diacono, & Georgio Trapenzuntio translatoribus: quarum prima incipit, Ἔδει μὲν ἡμᾶς id eſt, *Oportebat quidem nos*.

Dicitur etiam praeter has homilias ſcripſiſſe in varios ſparſim Matthaei locos ſermones varios, ex quibus duo maxime celebrantur, De martyrio videlicet Joannis Baptiſtae in 12. Matthaei capitulum: horum alter, qui nunc extat, ſic incipit, *Heu me quid agam? unde ſermonis exordium faciam?* alterius vero, quem nunc deſideramus, initium eſt, *Rurſus Herodias inſanit*. Hujus ſermonis occaſionem Socrates in hiſtoria Eccleſiaſtica refert his verbis: EUDOXIA AUGUSTA ob dejectam ſtatuam ſuam a Chryſoſtomo Synodum contra eum paravit: quod ille ſentiens, homiliam in Eccleſia protulit, qua injuſtam Auguſtae perſecutionem praetextu exponendi ſaevitiam Herodiadis in Joannem Baptiſtam graviter conqueſtus eſt, ſic exorſus: Rurſus Herodias inſanit, rurſuſque turbatur, denuo ſaltat, denuo caput Joannis id diſco accipere concupiſcit, &c. quae oratio adeo Auguſtae furorem exacerbavit, ut illum ſtatim in exilium pelleret. Haec Socrates.

Ex oratione Chryſoſtomi exacerbata Eudoxia Auguſta illum in exilium depulit.

Extat item in illud Matthaei 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis, homilia una, quae incipit, *Prata, & nemoroſa loca*.

Item in Matth. 26. De proditione Judae, hom. 1. quae incipit, *Paucis hodie neceſſarium*.

IN MARCUM quoque, & LUCAM relictos fuiſſe a Chryſoſtomo celebres Commentarios, teſtes ſunt Euthymius & Suidas, quos noſtra nondum vidit aetas: ſuperſunt tamen ex variis in Lucam locis ipſius homiliae 6. videlicet,

In Luc. 16. De divite & Lazaro homliae 4. quarum prima incipit, *Heſternum diem*: ſecunda, *Admiratus ſum*: tertia, *Haud mediocrem utilitatem*: quarta, *Quod ſupereſt de Lazari parabola*.

Item in Luc. 18. De publicano, & phariſaeo hom. 1. quae incipit, *Quemadmodum nubium concurſus*.

Item in Luc. 23. De cruce & latrone hom. 1. quae incipit, *Hodierna die*.

IN JOANNIS Evangelium habemus perpetuae ac perfectae enarrationis Homilias ejuſdem numero 87. ex verſione Franciſci Aretini: quarum prima incipit, *Qui agonum certamina*.

Feruntur & in varia hujus Evangelii capita Homiliae aliquot extra numerum praedictarum, de quibus una tantum in Joan. cap. 2. De nuptiis in Cana celebratis auctoris eſſe putatur: cujus initium eſt, *Hirundinum pulli*.

IN ACTUS Apoſtolorum habemus continuae, & integrae expoſitionis homilias 55: incerto interprete: quas licet Eraſmus in dubium verterit; nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin Chryſoſtomi ſint: nam praeterquam quod frequentes interrogatiunculae, dialogiſmi, & digreſſiones locorum communium ſub finem Homiliarum oſtendunt Opus eſſe Chryſoſtomi: ipſe etiam auctor homilia nona profitetur, ſe eſſe epiſcopum, & homilia undecima indicat, ſe epiſcopum eſſe urbis ampliſſimae, in qua degant ſupra centum millia pauperum, quotidiana eleemoſyna indigentium, qualem certe credibile eſt, Chryſoſtomi temporibus fuiſſe Conſtantinopolin. Idem in homilia 9. 10. 11. & 12. legem illam de non ferendis juramentis, uni tantum Chryſoſtomo peculiarem, continuo inculcat; addens etiam ſe illos ab eccleſia ejecturum, qui huic a ſe promulgatae legi non paruerint, & quovis modo juraverint. Et homilia 41. indicat ſe vixiſſe temporibus Juliani Imperatoris. Denique homilia 52. nominis ſui obiter mentionem facit, his verbis: NOMEN habere principis, non eſt eſſe principem: multi enim vocantur magnis nominibus, ut Petrus, Jacobus, & Joannes: ſed non propter nomina ſunt id, quod vocantur; quemadmodum & ego, licet vocer *Joannes*, non tamen ſum Joannes. Sed & Joannes Damaſcenus in 3. libro De fide, & Oecumenius in Catena explanationum in Actus teſtimonia horum ſermonum proferunt, ceu ex vero & germano Chryſoſtomi Opere, cujus initium eſt, *Plurimi ſunt, qui adeo hunc librum ignorant*:

Homiliae in Act. Apoſtol. vindicantur Chryſoſtomo adverſus Eraſmum:

SU-

Digitized by Google

SUPEREST item post hos sermones in 9. caput Actuum De conversione Pauli homilia 1. quae incipit, *Reprehendunt nos*.

IN OMNES Pauli epistolas composuit Chrysostomus magnum & insigne Homiliarum volumen, cujus mentionem faciens Georgius, Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi a se edita, sic scribit: DIVINUS Joannes, cum Pauli epistolas, quas prae caeteris divinis libris vehementi complectebatur amore, explanare coepisset, & in eas ad funalis cerei lumen singulis noctibus enarrationes multas conscripsisset, jamque eas maxima ex parte interpretatus esset, nocte quadam in cubiculo suo sedens, & expositioni incumbens, humano quodam taedio angi coepit, dicens, Et quis novit, Deo ne accepta sint haec, & gratiam ab eo relatura? atque utinam citra notam reprehensionis enarrata sint haec: scopumne attigi sapientis istius, ac tanti viri? Hac de re, ut argumento quopiam redderetur certior, supplex efflagitavit Deum. Et ecce nocte eadem, arreptis in manus chartis, cum pressius incumberet scribendis in Apostolum Commentationibus, venit ad eum Paulus Apostolus, in aures ejus expositionem immurmurans: quem Proclus cubicularius, ad fores cubiculi excubans, per foramen quoddam januae prospectans, manifeste vidit immittentem os suum deorsum versus in aurem Joannis dexteram, & familiariter dictantem ea, quae Joannes scribebat. Forma autem, habitusque Apostoli erat omni ex parte assimilis imagini divi Pauli; quam Chrysostomus, ad vivum depictam, in cubiculo suo summa cum veneratione servabat. Haec Georgius. Catalogus autem Homiliarum hujus voluminis hic est:

Chrysostomo Commentarios in Paulinas epistolas scribenti S. Paulus adstitit.

IN epistolam ad Romanos homilia 32. Germano Brixio interprete; quarum prima incipit, *συνεχῶς ἀκούων*: id est, *Continuo audiens*.

In epist. ad Corinthios primam homil. 44. Francisco Aretino interprete; quarum prima incipit, *ὅρα πῶς εὐθέως*: *Intuere, ut statim*.

In epist. ad Corinth. secundam homil. 30. quarum prima incipit, *ἄξιον ζητῆσαι πρότερον*: *Dignum est quaerere primum*.

In epist. ad Galatas continuatae expositionis Commentarius in nullas homilias divisus; cujus initium est, *πολλὰ τὸ προοίμιον*: *Multa prooemium*.

In epist. ad Ephes. homil. 24. quarum prima incipit, *ἰδὲ πῶς τὸ, διὰ, τῷ πατρὶ δίδωσι*: *Vide, ut illud, Per, Deo patri tribuit?*

In epist. ad Phil. hom. 16. quarum prima incipit, *οἱ φιλιππήσιοι*: *Philippenses*.

In epist. ad Colos. hom. 12. quarum prima incipit, *πάσαι μὲν ἅγιαι*: *Omnes quidem sanctae*.

In epist. ad Thessal. primam hom. 11. quarum prima incipit, *τί δήποτε φιλιππησίοις*: *Quanam ratione Philippensibus*.

In epistolam ad Thessalonicens. secundam hom. 5. quarum prima incipit, *ἐν τῇ πρώτῃ ἐπιστολῇ*: *In priore epistola*.

In epist. ad Timoth. primam hom. 18. quarum generale argumentum incipit, *τῶν τῷ ἀποστόλῳ*: *Vnus ex Apostolis*.

In epist. ad Timoth. secundam hom. 10. quarum prima incipit, *τί δήποτε καὶ δευτέραν*. *Quam nam ratione etiam secundam*.

In epist. ad Titum hom. 6. Ambrosio Camaldulense interprete, quarum prima incipit, *εἷς τῶν Παύλῳ συνόντων*: *Vnus ex Pauli sociis*.

In epistolam ad Philemon. hom. 3. Ambrosio Camaldulense interprete, quarum prima incipit, *πρῶτον ἀναγκαῖον*: *Primum necessarium est*.

In epist. ad Hebr. hom. 33. quarum prima incipit, *ῥωμαίοις γράφων*: *Romanis scribens*: has Constantinus presbyter post mortem Chrysostomi, praeceptoris sui, ex enarrationibus ejus dispersis in unum integrae enarrationis corpus collegit. Mutius vero Scholasticus Latinas fecit.

EXTANT praeter hunc jam descriptum Homiliarum ordinem etiam aliae in varios epistolarum Pauli locos Homiliae viginti, videlicet,

In locum ad Romanos cap. 16. Salutate Priscam & Aquilam, hom. 1. *Nonne docti estis*.

In locum 1. Corinth. 7. Mulier alligata est legi, De libello repudii, homil. 1. *Pridem vobis B. Paulus*.

In locum 1. Corinth. 10. Nolo vos ignorare, quod Patres sub nube fuerunt,

Digitized by Google

Hom.1. *Nautae eam maris partem.*

In locum 1. Cor.7. De virginibus praeceptum, &c. De virginitate liber unus, cujus auctor ipse meminit hom.19. in priorem ad Corinth.

In locum 1. Corinth.11. oportet haereses esse, hom.1. *Concionem vestram.*

In 1.Cor.16. De collatione in sanctos, & eleemosyna, hom.1. *Exsurrexi hodie.*

In illud 2.Corinth.11. Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, hom.1. *Omnes equidem amo.*

In illud ad Philippens.1. Sive occasione, sive veritate Christus annunciatur, hom.1. *Cum pridem Pharisaei.*

In illud 1. Timoth.5. Vino modico utere, hom.1. *Audistis Apostolicam vocem.*

In illud 1. Timoth. 6. Praecipe divitibus non sublime sapere, homil. 1. *Quid dicam, aut quid loquar?*

In illud ad Philem. 1.Paulus vinctus Christi,ho.1.*Principis quidem prudentiam.*

In illud ab Hebr.10. Sponte peccantibus nobis, hom.1. *Omnes arbores.*

Item de laudibus Pauli homil. novem, Aniano interprete, multa tam de Pauli epistolis, quam de his, quae Lucas de Paulo in Actibus scribit, explicantes: quarum prima incipit, *Nihil prorsus erraverit.*

EXTAT item praeter jam enumeratas lucubrationes Translatio utriusque Testamenti in linguam Armenicam, qua nunc Armeni utuntur, Chrysostomi, ut ipsi credunt, industria & sollicitudine edita. Meminit hujus Translationis Georgius, Patriarcha Alexandrinus, in vita Chrysostomi, referens eum, cum in Cucusum Armeniae oppidum exularet, incolas ejus regionis ad Christum perduxisse, ac subinde curasse, ut Psalmi Davidis una cum sanctis Evangeliis, atque aliis veteris instrumenti historiis Armenice verterentur, quo facilius divinae Scripturae cognitionem gentes provinciae illius obtinerent.

HAEC igitur sunt vera & legitima Chrysostomi scripta, quae de tam multis ab eo in Sacras literas editis superstant: caetera vero exegetica scripta, quae sub falso Chrysostomi titulo inter vera ipsius Opera sunt immista, sequens Catalogus comprehendet.

CATALOGUS EORUM, QUAE PERPERAM D.CHRYSOSTOMO PUTANTUR INSCRIPTA.

In Genesis cap.2. hom.1. quae incipit, *Dignitas humanae originis.*

In Gen. cap.2. hom.1. incipiens, *Deus institutor Mundi*: quae collecta est ex centonibus Augustini; suntque in ea duo integra capita, ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus transcripta, nempe trigesimum primum, & trigesimum secundum.

In Gen. cap.2. hom.1.	*Jubetur Adam.*
In Gen. cap.3. hom.1.	*Deus sine initio.*
In Gen. cap.3. hom.1.	*Nemo qui nesciat.*
In Gen. cap.3. hom.1.	*Quoties mecum temporis.*
In Gen. cap.3. hom.1.	*Christiano cum hoste.*
In Gen. cap.15. hom.1.	*Fides est religionis.*
In Gen. cap.25. hom.1.	*Portabat Rebecca.*
In Gen. cap.37. hom.1.	*Filii autem Jacob.*
In Exod. cap.17. hom.1.	*Stabat Moses.*
In Judicum cap.11. hom.1.	*Deus, qui voluit.*
In 1. Regum 13. hom.1.	*Dominus Deus cum David.*
In 2. Reg.7. hom.1.	*Imitatores Christi.*
In 2. Reg.17. hom.1.	*Perdidit Absalon.*
In 3.Reg.17. De Helia hom.1.	*Glorioſus olim.*
In idem hom.1.	*Cum gesta peccata.*

In 4. Reg.2. De ascensione Heliae hom.1. incipiens, *Apud quosdam veteres*: hanc Beda in Quaestionibus libri Regum putat esse Chrysostomi; sed stylus resipit auctorem ejus homiliae, cujus initium: *Exulta coelum, & in laetitia esto terra*: quae ponitur inter pseudepigrapha Hieronymi, in die Dominicae resurrectionis, & inter sermones Eusebii Emeseni.

In 4.Reg.5. De Naaman hom.1. *Cum Naaman.*

In

Digitized by Google

In 4. Reg. 6. De Heliſeo hom. 1.	*Etſi frequenter.*
In Job cap. 1. hom. 1.	*Veruntamen fratres chariſſimi.*
In Job cap. 1. hom. 1.	*Athletam in certamen.*
In librum Pſalmorum Praefatio, incipiēs,	*Poſt Moſem.*
In lib. Pſalm. Praefatio altera incipiens,	*Omnis Scriptura.*
In Pſalm. 1. hom. 1.	*Beatitudo eſt omnium.*
In Pſalm. 2. hom. 1.	*Quemadmodum qui in Solem.*
In Pſalm. 9. hom. 1.	*Creatoris omnium rerum.*
In Pſalm. 9. hom. 1.	*Deus generis noſtri.*
In Pſalm. 13. hom. 1.	*Quemadmodum cum Dominus.*
In Pſalm. 14. hom. 1.	*Eſt pulcher Pſalmus.*
In Pſalm. 22. hom. 1.	*Circulo conſecrato.*
In Pſalm. 24. hom. 1.	*Viatores arctae & anguſtae viae.*
In Pſalm. 25. hom. 1.	*Filii lucis.*
In Pſalm. 26. hom. 1.	*Ex plenitudine verbi.*
In Pſalm. 29. hom. 1.	*Celebritas confeſſionis.*
In Pſalm. 33. hom. 1.	*Sermo divinus.*
In Pſalm. 37. hom. 1.	*Saepe a nobis.*
In Pſalm. 38. hom. 1.	*Et quomodo poteſt Pſalmus.*
In Pſalm. 39. hom. 1.	*Nec hunc quidem Pſalmum.*
In Pſalm. 40. hom. 1.	*Nonnulli quidem.*
In Pſalm. 40. hom. 1.	*Etiamſi Propheta.*
In Pſalm. 42. hom. 1.	*Hic Pſalmus eſt.*
In Pſalm. 42. hom. 1.	*Cohaeret priori.*
In Pſalm. 68. hom. 1.	*Qui orationibus.*
In Pſalm. 71. hom. 1.	*Dominus virtutum.*
In Pſalm. 84. hom. 1.	*Omnis, qui ſe agnoſcit.*
In Pſalm. 90. hom. 1.	*Pſalmum nonageſimum.*
In Pſalm. 93. hom. 1.	*Adverſus fluctus.*
In Pſalm. 95. hom. 1.	*Egregium vereque mirandum.*
In Pſalm. 96. hom. 1.	*Ictus a vipera Paulus.*
In Pſalm. 106. hom. 1.	*Spiritus Sanctus.*
In Pſalm. 115. hom. 1.	*Narratur quod apiculae.*
In Pſalm. 118. hom. 1.	*Benignitas Dei.*
In Pſalm. 118. hom. 1.	*Veritatem praedicandam.*
In Pſalm. 121. hom. 1.	*Dominus noſter.*
In Pſalm. 142. hom. 1.	*Judicia Domini ſicut abyſſus multa.*
In Eſaiae cap. 1. hom. 1.	*Si volueritis, & audieritis.*
In Eſ. 9. hom. 1.	*Chriſtus unam cum Patre.*
In Eſ. 42. hom. 1.	*Vita innovata.*
In Eſ. 62. hom. 1.	*Quoniam tempus venit.*
In Jeremiae 1. hom. 1.	*Magnum Jeremiae meritum.*
In Danielis 3. De tribus pueris hom. 1.	*Trium puerorum ſermo.*
In Dan. 13. De Suſanna hom. 1.	*Divinae lectiones.*
In Zachariae 6. hom. 1.	*Nobilis genere.*

HOS hucuſque enumeratos ſermones, quanquam ipſi eruditi ſint, & digni, qui a ſtudioſis avide legantur, multis tamen non ſpernendis conjecturis apparet non eſſe Chryſoſtomi, ſed aliorum auctorum; quibus neque candor, neque illa perpetua orationis facilitas ineſt, quam in Chryſoſtomo miramur, ſed ſermo commaticus, conciſus, & affectatione duriuſculus, ſimilitudinum, & collationum, quae praecipua ſunt Chryſoſtomi ornamenta, nihil habens: contra vero abundans ſimiliter reſpondentibus vocibus, & ſimiliter terminantibus ſententiis; veluti illud eſt, quod in expoſitione Pſalmi trigeſimi tertii legitur, Eja fratres mei, hic modo reſpondere volo: quanti modo dicunt nolo, qui jam dicebant volo: itemque illud, Oracula ſanctae lectionis, quae ſonant in auribus veſtris, nidum faciant in cordibus veſtris: a quibus dicendi formis maxime abhorret Chryſoſtomus. Continent etiam aliqui ex hiſce ſermonibus notas quaſdam, ex quibus facile ſuſpicari

Digitized by Google

queas auctorem illorum non scripsisse Graece, quales sunt nonnullae orationis figurae, quae aptari non possunt ad Graecum sermonem; & similiter interpretationes aliquae vocabulorum, ceu etymologia Meridiei, quam habes in homilia Psalmi 90. videlicet Meridies dicitur, quia dividit dividit die: Meros enim pars est divisa diei; & in Homil. Psal. 118. Veritas tres sunt syllabae, & septem literae: quia in septima die requievit Deus ab operibus suis. Sunt praeterea homiliae istae contra Chrysostomi consuetudinem destitutae exordiis in ingressu orationis, sine moralibus adhortationibus ante finem, & absque ullis doxologiis ac precationibus in conclusione sermonis: sed & loci communes de peccato originali, de praedestinatione, de praescientia, de induratione, de gratia & merito in quibusdam sermonibus pertractati, Augustino magis peculiares videntur, quam Chrysostomo; qui ut ab his semper abstinet, ita nusquam citare solet nomina ecclesiasticorum Doctorum: ex quibus tamen nonnulli in his sermonibus nominatim inducuntur, ut Hippolytus, & Cyprianus: citatur item Joannes Evangelista sub appellatione Theologi: quod sane cognomen nescio an alicubi Chrysostomus tribuerit Joanni: quem tamen saepe tonitrui filium vocare consuevit. Neque praetereundum arbitror, quod auctor hic lectiones Scripturarum, quaecunque illae sint, dividit & exponit per versiculos, interdum quoque numeratim distinctos, crebro illud repetens, Versiculum, quem modo audivimus: item, Sequitur alter versiculus: item, Revertamur ad propositos historiae versiculos: & rursus, Viso jam primo versu, atque item secundo, videamus & tertium: quam dividendi formulam nullibi in Chrysostomi scriptis reperies. His accedit, quod auctor saepe, relicto historico sensu, citra ullam occasionem ad allegoricos, & anagogicos sensus devolvitur: quod rarissime facit Chrysostomus, & nonnisi necessitate adactus. Caeterum, quisquis ille fuerit horum sermonum scriptor, apparet eum esse vetustum, tum ex antiqua translatione Scripturarum ab eo exposita, quod non leve indicium est vetustatis, tum ex Paschali baptismate, aliisque antiquis ecclesiae ritibus, quos commemorat temporibus suis in observatione fuisse. Hactenus de pseudepigraphis, ad vetus Testamentum pertinentibus; nunc ea, quae ad novum spectant, enumerabimus.

IN MATTHAEUM extat incerti auctoris imperfectum Opus, in Homilias 54. divisum: tametsi nullas habeat homilias, sed perpetuus sit Commentarius, continens continuatam expositionem Evangelistae ab initio videlicet usque ad dimidium 13. capitis, & rursus a principio capitis 19. usque ad finem cap. 25. cujus exordium est, *Sicut referunt Matthaeum*, *&c.* de quo quidem Opere diversa feruntur judicia. Sunt qui ipsum negent esse Chrysostomi, cum ob vulgatam Latinae ecclesiae translationem, quae in eo differitur, tum ob frequentes allegorias, & allegationes apocryphorum scriptorum, quibus auctor utitur, citans Scripturam Seth, Apocryphum Ezechiae, Itinerarium Clementis, & alia his similia, a Chrysostomi usu remotissima. Ad haec addunt Commentariorum phrasin, expositiones, & dogmata, Chrysostomianae linguae, & menti magis contraria, quam ignem, & aquam: nam & dictionis character, & schemata quaedam, ad Graecam orationem minime respondentia, indicant scriptorem fuisse Latinum; haeretica vero dogmata, toto passim Operi insperſa, palam arguunt eundem fuisse haereticum, non uni tantum sectae addictum, sed variis Montani, Manichaei, Arrii, Donati, ac Pelagii haresibus implicitum, & propter eas haereses merito ab ecclesia damnatum, & a Paulo Papa IV. in Catalogo scriptorum suspectae fidei annumeratum.

SUNT ex opposito qui hoc ipsum Opus contendunt esse Chrysostomi, adducti non solum auctoritate Apostolicae Ecclesiae, quae publice inter divinas laudes legit Homilias ex his Commentariis sub nomine Joannis Chrysostomi; sed etiam permoti pondere, & gravitate sententiarum, & propositionum hujus Operis; quae ad confirmationem Christianorum dogmatum sub titulo, testimonio, & auctoritate Chrysostomi inducuntur in glossis authenticis, quas vocant Ordinarias, in catenis Evangelicarum explanationum, in decretis summorum Pontificum, & in Summis theologicis magni nominis theologorum; in quibus multae ex his sententiis, diligentissime expensae, ab omni erroris suspicione vindicantur.

NE-

Digitized by Google

NEQUE his quicquam obest recens edictum Pauli Papae Quarti, quippe quod non simpliciter, & omnino rejecit universum hoc Opus, tot jam saeculis communi ecclesiae assensu comprobatum: sed ea duntaxat hujus Operis exemplaria interdicit, quae praeter auctoris mentem ab haereticis vitiata inveniuntur, & his, quibus nunc scatent, faecibus inquinata. Has autem faeces, & sordes non auctoris culpa, sed haereticorum fraude in hos Commentarios irrepsisse triplici indicio persuadent. Primo, quod exemplaria quaedam vetustissima nihil continent hujusmodi errorum, sed alia manu omnia habeant ascripta in marginibus. Secundo, quod quicquid haereticum est, ita per illationem sit germanae lectioni assutum, ut, si resecetur, ne latum quidem unguem mutetur sententia: quod sane fieri non posset, si ab ipso auctore ingenue fuisset intextum; quemadmodum nec humano corpori membrum aliquod auferri potest absque deformi totius structurae mutilatione. Tertio, quod credibile non sit auctorem, qui nec amens, nec oblivioſus fuerit, iisdem de rebus, & iisdem pene locis scribentem sibi ipsi contraria sensisse, & dixisse, praesertim vero in his, de quibus, ut Arrianus, accusatur: quomodo enim verisimile fuerit eum cum Arrianis de inaequalitate, & diversa patris, & filii substantia convenisse, qui adversus Arrianos unitatem, & aequalitatem utriusque multis locis defendit? praecipue vero hom. 44. super illis verbis, Vaeh vobis scribae, & pharisaei, qui clauditis regnum coelorum: ubi haec scribit: SIC ET modo haeretici sacerdotes claudunt januam veritatis: ideo, quando legunt in populo suo aliquid tale, QUI ME MISIT, MAJOR ME EST, perversa interpretatione claudunt januam veritatis, dicentes filium minorem patre: cum tamen secundum dispensationem carnis dicatur minor. Et hom. 28. in expositione illius sententiae, OMNIA MIHI TRADITA SUNT A PATRE MEO, proponens ac dissolvens argumentum eorum, qui ex his verbis astruebant filium patre minorem, sic inquit: A QUO illi tradita sunt omnia, si unus est pater, & filius? aut quare habere non poterat, nisi tradita illi fuissent, si per omnia patri suo erat aequalis? nam significatio traditionis tam unitatis rationem, quam aequalitatis excludit. Respondeo, tradita sunt ei secundum quod minoratus est paulo minus ab angelis: nam secundum illud, quod non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, Deus unus, & aequalis est ei, qui tradidit omnia. Et hom. 45. exponens illud Matth. 23. ET VOS IMPLETE MENSURAM PATRUM VESTORUM, ait: QUANDO vides haereticos tres per omnia aequales, dicentes non ejusdem esse substantiae, non ejusdem esse auctoritatis, sine principio omnes hos, aliqua parte distantes a se; ne mireris: implent enim mensuram patrum suorum Gentilium, quoniam illi similiter multos deos colebant. Quibus quidem verbis quid apertius dici potuit adversus Arrianam sententiam, quae huic auctori ascribitur? Haec igitur est super his commentariis controversia: de qua judicent me doctiores: ego, quod addam, nihil habeo, nisi hoc ipsum opus disertum & doctum esse, ac dignum, quod assidue legatur, si tamen prius diligentissime expurgatum fuerit ab iis erroribus, quos in sexto libro in censuris super Matthaei expositoribus annotavimus. Floruit auctor hic, ut ex 33. & 49. ejus homiliis colligitur, post tempora Theodosii Augusti: scripsitque etiam in alios Evangelistas consimilis industriae commentarios.

HACTENUS de opere in Matthaeum imperfecto: post quod habetur inter opera Chrysostomi ferrago diversorum sermonum in varios quatuor Evangelistarum locos; quorum alii desumpti sunt ex homiliis Chrysostomi, alii ex jam memorato opere imperfecto, alii vero esse putantur ejusdem auctoris, cujus in Marcum habemus quatuordecim sermones: qui, quantum ex ejus scriptis deprehenditur, monachus fuit sub potestate episcopi constitutus, & ad monachos edidit explanationes suas, frequentibus intermistas allegoriis, & interdum violentis: quod ipse non ignorans hom. 9. in Marcum se his verbis excusat: PUTATIS nos vim facere scripturae: & forsitan aliquis dicat in tacita cogitatione, Iste semper allegorias sequitur, & vim scripturae sanctae facit, &c. Hujus igitur, atque aliae aliorum Homiliae hae sunt:

In Matthaei caput secundum De adventu Magorum, homilia Incerti Monachi: quae incipit, *Hoc futurum Esaias*.

In

In Matth.2.De fuga pueri in Aegyptum homilia Incerti Monachi, *Hunc ergo puerum*.

In Matth.2. De caede infantum hom. Incerti Monachi. *Dedicatur novus*.

In Matth.2. De reditu pueri in Judaeam hom.Incerti Monach.*In eo, quod dixit*.

In Matth.5. De tentatione Christi hom. Incerti Mon. *O incomparabilem*.

In Matth.5. De Beatitudinibus homil. incipiens, *Non tantum corpora*: quae est pars hom.15. Chrysostomi in Matthaeum.

In Matth.5. De maximo, & minimo in regno coelorum homiliae Incerti Monachi. *Cum nobis pro officio*.

In Matth.5. De dilectione inimicorum hom. Incerti Mon. *Per omnia vult nos*.

In Matth.6. De oratione Dominica hom. *Dominica oratio*.

In Matth.6. De jejunio hom. Incerti Monachi. *Sicut in superioribus*.

In Matth.6. De cavendo jejunio hypocritarum homilia Incerti Monachi. *Series lectionis*.

In Matth.7. De cavendis pseudoprophetis hom. Inc. Mon. *Omnibus notum est*.

In Matth.9. De navicula hom. *Christum in humanis actibus*. est Petri Chrysologi.

In Matth.9. De conversione Matthaei hom. *Multae tempestates*.

In Matth.14. De Joannis decollatione hom. *Hodie nobis Joannis virtus*. est Petri Chrysologi.

In Matth.15. De Cananaea hom. *Miratur Evangelista*: habetur inter opera Origenis.

In Matth.18. De necessitate scandalorum. hom. Inc. Mon. *Videtur quidem*.

In Matth.18. De correctione fraterna hom. Inc. Mon. *Exercitia legis*.

In Matth.18. De correctione fraterna homil. *Magnum quiddam*. *&c.* quae sumpta est ex explanatione Chrysostomi in Matth. hom.62.

In Matth.19. De repudio hom. *Justus Dominus*: quae est in opere imperfecto homilia 32.

In Matth.19. de Petro Christum interrogante, hom. *Quoniam possibile*: est pars homiliae 33. operis imperfecti,

In Matth.20. De ascensu Christi in Hierusalem, homilia Incerti Monachi. *Postquam virginei*.

In Matth. 20. De Christo ascendente Hierosolymam, homilia Incerti Monachi. *Proxime cum*.

In Matth.21. De Christo asinis invecto, hom. *Puto res ipsa*: quae est in opere imperf. hom 37.

In Matth.21. De ficu arefacta, hom. Incerti Mon. *Si ad arborem*.

In Matth.22. De Censu, hom. *Omnis malitia*: quae est pars homiliae 42. operis imperfecti.

In Matth.22. De dilectione Dei, & proximi hom. *Frequenter Judaei*: quae est altera pars ejusdem homiliae.

In Matth.26.De coena Domini hom. Inc. Mon. *Ad hodiernum*.

In Matth.26. De coena Domini hom.Inc.Mon. *Secundum Salvatoris*.

In Matth.47.hom.Inc.Mon. *Evangelicae Series*.

In Matth.27.hom.Inc.Mon. *Sufficiant quidem*.

IN MARCI cap.1.De principio Marci hom. Inc.Mon. *Animal illud*.

In Mar.1.De Joanne Baptista hom.ejusdem. *Nunc veniamus*.

In Mar.1.De Jesu veniente a Nazareth Galilaeae, homilia ejusdem. *Videte unitiones*.

In Mar.1.De Christo degente cum bestiis, hom. ejusdem. *Quoniam praeterita dominica*:

In Mar.1.De Christo ingrediente Capharnaum,hom.ejusdem. *Felix & pulchra mutatio*.

In Mar.1.De socru Simonis hom.ejusdem. *Instruxerat Dominus*.

In Mar.5.De sanguinisflua hom. ejusdem. *Interrogat circumspiciens*.

In Mar.8.de panibus hom.ejusdem. *In superiori parte*.

In Mar.9.De transfiguratione hom.ejusdem. *Jurat Christus*.

In

Digitized by Google

In Mar.10.De coeco hom.ejuſdem . *Quoniam ſanctus presbyter .*
In Mar.11.De Chriſto aſinis invecto hom.ejuſdem. *Iſte , qui ligatus .*
In Mar.11.De ficu arefacta hom.ejuſdem . *Ingreditur Dominus .*
In Mar.11.De ejectione vendentium hom. ejuſdem. *In Evangelio ſecundum Joannem .*
In Mar.13.De die judicii hom.ejuſdem . *Evangelica lectio .*
IN LUCAE cap.1.De nativitate Jo:Baptiſtae hom.ejuſdem.*De ſol .*
In Luc.2.De ortu Chriſti hom.ejuſdem . *Joſeph autem non audebat .*
In Luc.10.De eo,qui incidit in latrones , hom.ejuſdem . *Tum dixit Dominus .*
In Luc.15. De duobus filiis hom. *Omnium quidem de ſcripturis*: fertur inter opera Hieronymi , tametſi nec Hieronymi ſit .
In Luc.16.De Zachaeo hom. Incerti Monachi . *Quoniam dixerat .*
In Luc.19.De Zachaeo hom. Inc. Mon. *Si per Chriſtum .*
IN JOANNIS cap.1. De verbo filio Dei , Inc. Mon. hom. *Si credis quod Deus .*
In Joan.1.De Joan.Baptiſta hom.ejuſdem . *De Joanne dicitur .*
In Joan.4.De veris adorantibus, hom.ejuſdem . *Innumera beneficia .*
In Joan.11. De Lazaro hom.*Grandi fratres* : creditur eſſe Chryſologi .
In Joan.15. ſuper , Vos amici mei eſtis , hom. Inc. Mon. *Dominus Chriſtus in Evangelio .*
In Joan.20. de Maria flente ad monumentum homiliae 2.quarum una incipit, *Maria veniens* : altera *Licet omnes .*
In Joan.20. De Thoma hom.1. *Hoc ergo hodie .*
In primam Cor.13. De fide , ſpe , & charitate homil.1. *Apoſtolus Paulus loquitur .*
In 1.Cor.15. ſuper illud , Cum ſubjecta fuerint illi omnia , hom.1. *In heſterno fratres .*

ATQUE haec ſunt , quae in univerſum extant tam indubitata , quam dubia Chryſoſtomi ſcripta ad divinae ſcripturae enarrationem ſpectantia .

SCRIPSERUNT Chryſoſtomi vitam Socrates , Sozomenus , Theodoretus , & Nicephorus in hiſtoria univerſali eccleſiaſticarum rerum : particulariter autem , & ſeparatis voluminibus Palladius, primus Hyberniae epiſcopus , & Georgius, patriarcha Alexandrinus .

Palladius a N. Xyſto dicitur primus Hiberniae Epiſcopus , ſed univerſim ab aliis negatur , & adſtruitur Epiſcopus primum Helenopolis,deinde Alpenae.

MORITUR beatiſſimus hic vir , factione Theophili Alexandrini , & Eudoxiae Auguſtae in exilium actus , apud Comanas oppidulum in finibus Ponti, anno, ut refert Socrates , a Chriſto nato CCCCV. die XIV. Septembris , conſulatu Honorii VII. & Theodoſii II. Ejus Exegetica ſcripta abbreviarunt Theodoretus Cyrenſis epiſcopus , Theophylactus Bulgariae epiſcopus , Euthymius Zigabenus , & Oecumenius (a) ,

JOAN-

(a) Quum omnibus poſterioris aevi Criticis praeluxerit N.Xyſtus in Chryſoſtomi operum criterio,dubio procul facem praetulit lucidiorem , quapropter pauca nobis addenda ſuperſunt, quae ejuſdem ſuae facis lumine nobis conſpicienda reliquit cum ad hiſtoriam tum ad Criterium ſpectantia . Quod ergo ad hiſtoriam ſpectat (eſto ad criticam quoque notitiam faciat) id proculdubio eſt , quod de editione Armenica Bibliorum a Chryſoſtomo Cucuſi commorante peracta tradit, quamque Critici omnes inficiantur , nec Veterum quidem monumenta praeſto ſunt ad rem hanc firmandam , quae ſolum ab aliquibus opinione minus probabili ductis fuit primitus edita in vulgus : nec ratio ulla praeſto eſt ad rem hanc oſtendendam . Scio quidam a N. Xyſto hac de re laudari Georgium Alexandrinum VII. Seculi Scriptorem , qui in Vita S. Joh. Chryſoſtomi id adſerit. Verum fabulas quamplurimas intexuiſſe Georgium finceris Chryſoſtomi Actis cum advertant omnes Critici,praecipue Cl.Savilius,id etiam teſtatur Photius *Codice 96.* & ne ab Armenica hacce Verſione pedem removeamus . Quis unquam , modo mica rationis polleat , facile ſibi ſuadebit Chryſoſtomum per biennium forſaſſe Cucuſi commoratum potuiſſe tam improbum adgredi opus , cum ibi exul manens , ad anguſtias uſque redactus , morbis, iiſque gravibus , oppreſſus , aerumnis , & miſeriis in inclemento aere fatigatus ad mortem, vix potuerit reſpirare ? Gentilium converſioni , ut potuit, ibi non ignavam adhibuit operam valetudinarius homo:at eo etiam munere detentus , qui potuit Armenicam lucubrare Bibliorum editionem Graecanicus homo,qui per menſes fuit infirmitatibus attritus, febribus exuſtus,omnique poenarum genere cruciatus ? Legat , qui veritati incumbit , epiſtolam CXV. Chryſoſtomi e loco exilii ſcriptam,ejus Acta ab Auctoribus in Xyſti Bibliotheca laudatis edita,& acu tanget rem aliter ſe habere ac quidam opinati ſunt Chryſoſtomo primam Armenicam Bibliorum editionem adjudicantes .

Circa librorum , quos edidit Chryſoſtomus, criterium longe major , improbiorque ſupereſt labor , quum toc libros ediderit ille , ut eorum numerum Veteres Critici non ſuſtinuerint , quapropter Iſidoro, ac Svidae , etſi non impoſſibile , difficillimum fuit opus eos exacte deſcribendi , quia pluſquam mille libros Chryſoſtomus edidit, ut idem Svidas , & Caſſiodorus aperte teſtantur . Quod ergo primum animadvertendum eſt , id proculdubio eſt de *Operis imperfecti* authore judicium . Etſi enim N. Xyſtus aliorum ſe-

Digitized by Google

JOANNES Chriſtophori, Dominicanus, in ſcripturis longo tempore exercitatus, & in ſaeculari philoſophia nobiliter doctus, facultate & ſermone ſcholaſticus, ſcripſit Poſtillam ſcholaſticam in quatuor Evangelia, & in omnes Pauli epiſtolas, Claruit anno Domini M.CCXL.

JOANNES Dietembergius, ordinis Praedicatorum, theologiae profeſſor egregius, & haereticae pravitatis inquiſitor, cujus extat opus Confutationum adverſus ſcripturarios Lutheranos, utrunque ſacrae legis inſtrumentum Theutonicae linguae donavit. Claruit ſub Carolo V. Auguſto anno M.D.XX.

JOANNES Docaeus, Laudunenſis epiſcopus, eruditus & facundus, ſcripſit in Evangelia, quae in diebus ferialibus Quadrageſimae leguntur, homilias ſtylo elegantes, & pietate inſignes: quarum prima incipit, *In primis dicamus*: item enarrationem in paſſionem Dominicam ſecundum Matthaeum, quae incipit, *Paulus Vas electionis*. Claruit anno Domini M.D.LV.

JOANNES Dominici, tituli S.Xyſti cardinalis, archiepiſcopus Raguſinus, patria Florentinus, ordine Dominicanus, Antonini archiepiſcopi Florentini praeceptor, vir ſanctitate, ſcientia, & Hetruſca eloquentia effulgens, tantaque ingenii ſolertia, & memoriae tenacitate praeſtans, ut ipſe in libro, quem LUCULAM NOCTIS inſcripſit, interpoſito juramento affirmet, ſe in nulla ſcientia praeceptorem habuiſſe, ſed exemplo Auguſtini, omnes per ſe ipſum diſciplinas edidiciſſe, & intellexiſſe. Hic, cum ad concilium Conſtantienſe a Gregorio XII. pro unione eccleſiae miſſus eſſet, peracto concilio, & unione inita, hortatu Sigiſmundi Imperatoris a Martino Papa V. legatus in Pannoniam mittitur ad extinguendas haereſes Boëmorum nuper exortas: quo profectus, cum reperiſſet animos ita in haereſi obduratos, ut nec exhortationibus flecti, neque ullis aut precibus, aut minis poſſent ab incepto revocari, deſperatis rebus, contulit ſe Budam, Pannoniae regiam; ubi moerore animi contabeſcens, mortalitatem exuit anno Domini M.CCCCXVIII. ſepultuſque eſt in templo divi Pauli primi eremitae, miraculis multis corruſcans. Is itaque inter multas ſcholaſticas ſcripturarum expoſitiones reliquit ſcholaſticos commentarios

In Eccleſiaſten,

In

ſecutus opinionem, cui etiam Henricus Savilius adſtipulatur, in ea videatur fuiſſe ſententia, ut illud, reſectis haeraeſibus, quibus carent vetuſta exemplaria, Johanni Chryſoſtomo adjudicetur, quum ſub ejus nomine laudetur in Gloſſa Ordinaria, in Decreto Gratiani, & in Summa S.Thomae. Tamen nullum faceſſere negotium teſtimonia Theologorum aliorumque XII. & ſequentium Seculorum non ignobilium Scriptorum oſtendunt Critici recentiores de Litteraria Republica, & de Romana Eccleſia optime meriti (ut reticeam Cavium, Ondinum, Rivetum, alioſque Acatholicos) nimirum C.Bellarminus, Labbeus, Poſſevinus, Maldonatus, Dupinius, aliique pene innumeri, & ex N.N. Canus, Natalis, Graveſonius, Nicolai, aliique plures; quandoquidem opus hoc, eſto reſectis erroribus, quos adſerunt poſteriori manu vitilitigatoris adjectos, utpote nunquam graece ſcriptum, nonniſi Latinum Scriptorem redolet, & fortaſſe Monachum, Johannem quoque dictum: quia itidem in eo laudantur libri apocryphi, nimirum Scriptura Seth, liber Ezechiae, ac itinerarium Clementis Romani, quorum nunquam, & nuſquam apud Chryſoſtomum, vel leve veſtigium extat, erroreſque in eo alii notantur, qui Chryſoſtomum dedecent, nec non alia eidem prorſus adverſa, Chryſoſtomo, velle adjudicare illud, eſt virgultum ad puerilem ludum excerptum e trunco, loco Herculeae clavae in manu Gigantis collocare.

Quod itidem ad majorem Tyronum notitiam animadvertendum occurrit, eſt varia multiplexque Operū Chryſoſtomi editio, unde certo certius colligi poteſt exactum genuinorum operum ejus criterium. Quamplures (bene norunt qui eruditi audiunt) percenſentur extantque horumce operum editiones, eas tamen inter praecellere Graecam Henrici Savilii, & Graeco-Latinam Frontonis Ducaei, quibus etiam addenda eſt noviſſima Graeco-Latina itidem Bernardi Montfaucon M.B. nemo, qui ſapiens eſt, inficiatur: quapropter ex hiſce adcuratum eſt deſumendum criterium, quo a genuinis ſuppoſititia nedum, verum & dubia ſecernantur: hanc autem ſpartam feliciter exſecuti ſunt quamplures emunctae naris Critici, Dupinius, nimirum, Cavius, Oudin, aliique, quos conſulere fas eſt ad exactam Critices normam in re tanti momenti ſervandam, praeſertim ad retundendos Haeterodoxos, qui non ſemel ex ſpuriis Chryſoſtomi operibus impetere pertentant Romanam Eccleſiam, & dogmata Orthodoxae Religionis. Apud inſignes quoque Dogmaticos, praeſertim N. Natalem Alexandrum, erit obſervare quam male traducantur ab haereticis quaedam Chryſoſtomi ſententiae, & quo pacto ſit S. Doctoris mens expendenda ad veritatem firmandam. Apud Eruditos quoque erit adinvenire notas, & animadverſiones in Opera Chryſoſtomi ad rem penitius rimandam, quas quidem notas variis Chryſoſtomi libris adjecerunt innumeri, praeſertim laudati Savilius, & Ducaeus, ac noviſſime Praeclariſſimus Regni Noſtri Scriptor Joſephus Catalano Congregationis Oratorii Presbyter: qui innumera pene opera cum laude Romanis typis tradidit, eaque inter notas in librum de Sacerdotio S. Johannis Chryſoſtomi, tanto viro dignas. Sed praecipue catalogum adcuratiſſimum operum, cum genuinorum, tum dubiorum, aut ſuppoſititiorum Chryſoſtomi diſtinctius tradiderunt Dupinius, Cavius, & Oudinius, qui veteres recentioreſque Chryſoſtomi operum editiones perpendentes e N. Xyſto non modicum exceperunt lumen ad ſecernenda a veris falſa dubia & aliena opera, quos conſulat, qui plura exoptat, quum haec adnotaſſe ſufficiat poſt ſyllabum Xyſti.

Digitized by Google

In Cantica Canticorum,
In Evangelium Matthaei,
In epiſtolam ad Romanos,

ITEM in primos novem Pſalmos conciones quinquaginta, quas Florentiae in Eccleſia cathedrali ad populum habuit, a Dominica ſeptuageſimae uſque ad diem tertiam Paſchae, ſcholaſtico ſermone digeſtas,

ITEM in 12. cap. 1. ad Cor. De charitate librum unum, incipientem, *Si linguis hominum loquar*.

JOANNES Driedo, Tornoutenſis, undequaque doctiſſimus, & in florentiſſima Lovanienſi academia publicus ſacrae theologiae profeſſor, ſcripſit facili & non prorſus inculto ſtylo ad Joannem, Luſitaniae regem, de eccleſiaſticis ſcripturis Iſagogicos libros quatuor, eruditos & valde laudandos: quorum partitio haec eſt.

LIBER PRIMUS, quatuor diviſus capitibus, oſtendit in primo capite dignitatem, utilitatem, numerum, ordinem, ac diviſionem librorum ſacrae ſcripturae: in ſecundo difficultates quaſdam, ex ſententiis Patrum ſuper jam dictis emergentes, proponit: in tertio canones quoſdam, difficultatibus diſſolvendis neceſſarios, affert: in quarto difficultates diſſolvit.

SECUNDUS liber tribus capitibus abſolvitur: quorum primum eſt de translationibus ſanctarum ſcripturarum; ſecundum de multitudine ſenſuum ſacrae ſcripturae, tertium de via, per quam inveſtigandus eſt verus ſcripturarum intellectus.

TERTIUS liber continet tractatus, in plura capita diviſos. In primo tradit generalia quaedam praecepta, deſumpta ex libro Auguſtini De doctrina Chriſtiana, ad geminam ſcripturae difficultatem, rerum ſcilicet & vocum, aperiendam neceſſaria. In ſecundo ſpecialiter tractat de obſcuritatibus quibuſdam, quae ſecundum ſermonem, ſeu dictionem in ſcripturis contingunt. In tertio de difficultatibus, quae ſunt in ſcripturis propter res ipſas in ſe difficiles.

QUARTUS liber, in ſex capita diviſus, de libris apocryphis, & de ſcriptis eccleſiaſticorum patrum extra canonem conſtitutis ediſſerit. Totius operis initium eſt, *Tractaturus de rebus fidei*.

POST haec tractatum digeſſit de temporibus ad illuſtrandas obſcuritates in ſacra ſcriptura emergentes, ex vario numero temporum, & diverſa ſupputatione annorum in quinque partes diviſum: quarum diſtributio haec eſt. In prima parte oſtendit diverſitatem & cauſam diverſitatis ſupputandi, quae eſt inter antiquos ſcriptores; ſtatuitque ſequendam eſſe ſupputationem Beroſi Chaldaei, Methaſtenis Perſae, Manethonis Aegyptii, Philonis Judaei, Xenophontis Graeci, & Fabii Pictoris, Catoniſque Romanorum: quorum Chronographiam cum Hebraïca ſanctae ſcripturae veritate concordare demonſtrat. In ſecunda recenſet praedictorum Chronographorum dinumerationem ſcripturae ſanctae conformem. In tertia confert tempora regum ethnicorum, quos ſcriptura commemorat, cum geſtis eorundem regum in ſcripturis commemoratis. In quarta ſupputationem hebdomadarum Danielis deducit. In quinta tractat de temporibus futuris in noviſſimo Chriſti adventu. Hunc tractatum, prius a ſe editum, libro tertio de divinis ſcripturis, quem poſtea ſcripſit, aptiſſime conjunxit. Claruit ſub Carolo V. Auguſto M.D.XL.

JOANNES Dunſius, natione Scotus, ex Minorum familia, Alexandri Alenſis Britanni quondam in gymnaſio Lutetiae auditor, vir admiranda eruditionis ſubtilitate praeditus, ob profundiſſimam dicendi obſcuritatem Σκοτινὸς, id eſt Tenebricoſus, quod olim obſcuriſſimi Anaxagorae cognomen fuit, cognominatus, & ob novam Scholaſticae theologiae academiam de nomine ſuo dictam omnibus ſcholis notiſſimus, fertur ſcripſiſſe commentarios in Evangelium, & in Apoſtolum; e quibus ipſe fragmentum legi in epiſtolam ad Romanos valde eruditum, ac ſenſu profundum, ſed juxta auctoris nomen Tenebricoſum, obſcurum, & vix in ejus ſcola detritis pervium: cujus initium eſt, *Circa epiſtolam Pauli ad Romanos*. Id cum proximis annis typographus Lugdunenſis excudere moliretur, & a me epigramma efflagitaret operis, ut fieri ſolet, initio praefigendum, venit illico in mentem, nullum aptius carmen laboris obſcuritati convenire, quam illud, quod

Digitized by Google

Hieronymus ex tractatu Ezechielis visioni praeponit his versibus

Hic labor, illa domus, & inextricabilis error
Vt quondam Creta fertur labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, quo signa sequentum
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.

Claruit anno Domini M.CCCVIII. (a)

JOANNES Echius, Svevus, natione Germanus, sincerioris theologiae doctor, & fidei Chatolicae adversus Lutheranae haereseos impietatem propugnator acerrimus, scripsit in Aggaeum brevem & eruditum commentarium: edidit-que in Evangelia totius anni duos homiliarum tomos. Idem transtulit utrunque testamentum in Germanicam linguam anno Domini M. D.XL.

JOANNES Ferus, natione Teutonicus, ordinis Minorum, summae apud Moguntiam aedis, concionator, vir in divinis literis nobiliter doctus, eloquentia singulari praeditus, cui parem in officio Evangelicae praedicationis Catholicae Germanorum ecclesiae hac nostra tempestate non habent; scripsit Latino & culto sermone pias & eruditas juxta catholicam doctrinam lucubrationes; in quibus tam veterum, quam recentium expositorum labores veluti in compendium redegit: ex his, quae nunc habentur, & ab omnibus fere concionatoribus studiose leguntur, sunt

IN Genesim commentaria, quorum initium est, *Facies Moysi cum ubique*.
IN Esdram quadragesimales sermones.
IN Psalmum 31. De poenitentia sermones 10.
IN Psalmum 66. sermones 10.
IN Ecclesiasten juxta literam annotationum lib. 1.
IN Matthaeum, pro concione explicatum, commentariorum libri 4.
IN Joan. Evangelium, in concionibus ad populum enarratum, comment. lib. 1.
IN Lucae caput 15. De filio prodigo sermones aliquot.
IN epistolas ad Romanos Exegesis.
IN primam Joannis epistolam annotationum lib. 1.
IN Evangelia festiva totius anni sermonum tomi duo.
Claruit sub Carolo V. anno Domini M.D.XXXVI.

DOMINICUS Sotho, Segobiensis, ordinis Praedicatorum, Annotationes edidit in commentaria auctoris hujus super Joannem, ostendens loca septem ac sexaginta caute in his esse legenda: cui Michaël Medina, Franciscanus, summa probitate atque eruditione laudandus, edito pro defensione eorundem locorum apologetico volumine, respondit. (b)

JOANNES Fiscerus, Roffensis ecclesiae in Anglia episcopus, eruditionis copia, pietatis sinceritate, & animi constantia cuique ex sanctissimis & acerrimis ecclesiae propugnatoribus merito comparandus, cum prophanas nuptias Henrici octavi Anglorum regis, qui repudiata priore uxore, alteram duxerat, summa animi ac verborum constantia reprehenderet, veluti alter Joannes provocavit in se iram atque saevitiam novi Herodis: a quo in carcerem detrusus, & variis, crebrisque tormentis graviter afflictus, tandem cum insignia cardinalitiae dignitatis sibi a Romano Pontifice in testimonium approbatae fidei, & constantiae suae transmissa in vinculis recepisset; sequenti die prius, quam ea induere posset, una cum plerisque aliis innocentibus monachis pro fide & veritate triumphalem martyrii coronam a crudelissimo tyranno suscepit. Is igitur inter multos ac praeclaros ingenii sui foetus, quos adversus haereticos emisit in lucem, reliquit etiam pro usu piorum sanctissimam & piissimam expositionem in septem Psalmos, eruditissi-

(a) Anachronismus castigandus occurrit in vita Johannis Duns Scoti, nec vitio Xysti est vertendus, sed potius Johannis Thritemii, ex quo ille rem totam exscripsit. (utrique subscripsit etiam N. Abraham Bzovius) Nunquam enim Scotus Alexandri Halensis auditor fuit, cum ex adcurata Chronotaxi constet laudatum Alexandrum obiisse priusquam Scotus nasceretur. Vide praeceteris N. Natalem *Histor. Eccles. Sec. XIII.* Mortuus est autem Scotus An. MCCCVIII. sed non infausto illo eventu, quem jactant aliqui de eodem epilepsia correpto, & vivo tumulato: de qua re videsis Natalem, Graveson, Miraeum, aliosque.

(b) Johannis Feri opera omnia prohibentur in Indice Romano, nisi prius correcta; excipiuntur tamen ejus Annotationes, & commentarii in Matth. & Joh. Evangelia, sicut & in Johannis Epistolam I. recognita, & excusa Romae.

Digitized by Google

ditiſſimo epiſcopo & martire conſtantiſſimo dignam. Scripſit etiam in ſeptimum Lucae capitulum De unica Magdalena adverſus Jacobum Fabrum, Viennenſem epiſcopum, aſſerentem plures fuiſſe Magdalenas, libros tres; quorum initium eſt, *Libellum quendam auctore Jacobo Fabro*. Claruit ſub Carolo V. Auguſto anno Domini M.D.XXXVI.

JOANNES Franciſcus Picus, Joannis Pici nepos, Mirandulae Comes, ſcripſit brevem & moralem Pſalmi decimi quinti enarrationem, cujus initium eſt, *Si quis perfectus*: item in Matthaei caput 6. expoſitionem Dominicae orationis. Claruit anno Domini M.D.

JOANNES Franciſcus Quintianus, Brixienſis, venuſtiſſimus poëta, tragoediam ex quatuor Evangeliis graviſſimam de paſſione Domini in morem Sophoclis & Euripidis Latine ſcripſit anno Domini M.D.XX.

JOANNES de Francforte, Germanus, ordinis Praedicatorum, concinnavit in Job ſcholaſticam explanationem; cujus meminit Vincentius Bandellus in libro de Chriſti conceptione: habetur Lugduni in bibliotheca Praedicatorum cum hoc initio, *O vos omnes, qui tranſitis per viam*.

Johannes de Francforte, ſeu de Francovordia in Concilio Cōſtantienſi An. 1414. adverſus Hieronymum de Praga clarus fidei vindex edidit etiam Sermones de Tempore, & de Sanctis.

JOANNES Valois, alias Galenſis, natione Anglicus, ordinis Minorum, in divinis ſcripturis eruditiſſimus, qui in gymnaſio Pariſienſi multo tempore theologiam glorioſe docuit, inter multa praeclara opuſcula ſcripſit in Apocalypſim Joannis librum unum. Claruit anno Domini M.CCLXX.

JOANNES Gagnaeus, Pariſienſis, theologus Chriſtianiſſimi Francorum regis Franciſci, eccleſiaſtes, ac primus eleemoſynarius, vir in ſaecularibus literis doctus, & in divinis ſcripturis, ac praeſertim in declamandis homiliis abſolutiſſimus, collegit brevi compendio clariſſima & facillima in totum novum teſtamentum ſcholia, ex diverſis utriuſque linguae codicibus, & ex praecipuis tam Graecorum, quam Latinorum ſententiis ſelecta, quorum catalogus hic eſt:

IN ſancta quatuor Evangelia lib. 1. qui incipit, *εὐαγγέλιον Graeca vox*.
IN actus Apoſtolorum lib. 1.
IN omnes epiſtolas Pauli lib. 1. cujus initium eſt, *Qui praefantur*.
IN ſeptem Canonicas lib. 1. incipiens, *Hujus auctor epiſtolae*.
IN Apocalypſim lib. 1. incipiens, *Viſum erat Chriſtiane lector*.

IDEM quoque redegit omnes Davidicos Pſalmos in Lyricos diverſorum generum, variarumque odarum verſus, Pindarum & Horatium carminis venuſtate aemulatus, adjectis ad ſingulas odas Pſalmi argumento brevi proſa explicato, deſcriptiſque a latere paginae ipſis Pſalmorum verbis juxta Eccleſiaſticae verſionis veritatem; quam in contextu odarum ubique ſequitur, & una cum Hebraïca veritate floridis paraphraſibus exponit. Opus incipit, *Qui ſtudioſam atque exactam*. Claruit anno Domini M.D.L.

JOANNES Gavver, Germanus. ordinis Carmelitarum, lector coenobii Moguntini theologus, & declamator inſignis anno Domini M. CCCCXL. ſcripſit ſecundum ſcholaſticorum conſuetudinem explanationis in Exodum librum unum; cujus initium eſt, *Lex pro communi utilitate*: item De concordia evangeliſtarum lib. 1. qui incipit, *Quia miſit Deus*.

JOANNES Gerſon, natione Gallus, florentiſſimae Pariſiorum Academiae cancellarius, theologiae ſcolaſticae peritiſſimus, poëta & orator ſuo tempore inſignis, Caroli Francorum regis in concilio Conſtantienſi legatus, multa nobilia volumina in divinas literas ſtylo quidem ſcholaſtico, ſed non prorſus injocundo conſcripſit: in quibus ita ſcholaſticas ſubtilitates dulcibus myſticae theologiae affectibus miſcuit, temperavitque, ut addubitandum ſit, an eruditione pietatem, vel pietate eruditionem ſuperaverit. Ex horum numero extant.

DE ſenſu literali divinae ſcripturae liber 1.
IN 7. Pſalmos poenitentiae commentaria, quae Petri Aliaci, praeceptoris ſui, eſſe creduntur.
MONOTESSARON Evangeliorum, hoc eſt Unum ex quatuor.
IN Canticum Mariae Virginis libri 12. dialogo editi.
IN principium Marci lib. 1.
IN varios Evangeliorum locos ſermonum lib. 1.

Digitized by Google

IN Canticum Canticorum commentarii in extrema ſenectute ſub finem vitae editi; in quibus de quinquaginta proprietatibus divini amoris, toto paſſim Canticorum libro diſperſis, tanta diligentia diſſeruit, ut huic uni omnes divini amoris affectus in numerato fuiſſe videantur. Quo expleto opere, triduo poſt, cum in lectulo decumbens verba illa poſtrema hujus Cantici, *Fortis eſt ut mors dilectio tua*, iterum atque iterum magna vultus & animi conſtantia repeteret, animam Deo reddidit anno 66. aetatis ſuae, noſtrae vero ſalutis anno M.CCCCXIX.

JOANNES Haiton, Anglus, ſcripſit annotationes in quatuor Evangelia, cum eſſet Lyncolniae, anno M.CCCCXXVIII.

JOANNES Hagen de Indagine, Germanus, Cartuſienſis, divinarum & humanarum rerum cognitione praeſtans, inter plurimos ſcholaſticos commentarios, quos edidit in divinae ſcripturae libros, compoſuit

IN quatuor libros Regum juxta quadruplicem ſenſum libros 4.

IN viſionem Danielis cap.7. librum 1.

ITEM in dictum illud, Rogamus, ut integer Spiritus, caro & anima ſervetur, De Spiritu, anima, & carne librum unum.

CLARUIT anno Domini M.CCCCLX. Referuntur in Catalogo librorum nuper a Paulo Pontifice IIII. damnatorum, opera Joannis de Indagine, non quidem hujus, ſed alterius, qui de chiromantia ſcripſit.

JOANNES Halgrinus ab Abbatis villa, decanus Ambianenſis, & cardinalis Sabinenſis, profeſſione, ſtylo, & methodo ſcholaſticus, novo explanationis genere, quod Sextum appellatur, Canticum Canticorum illuſtravit: ſiquidem ante ipſum quinque tantum expoſitionum modi in hunc librum prodierant. Primus eorum, qui totum Canticum ſecundum occidentem literam de amoribus Salomonis, & filiae Pharaonis, ſive Abiſag Sunamitidis interprerantur. Secundus eorum, qui id ipſum, ceu colloquium inter Salomonem & rempublicam Judaeorum exponunt. Tertius eorum, qui alludentes ad librum Martiani Capellae, DE NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCURII inſcriptum, hoc ipſum Canticum eſſe dicunt Epithalamion Sapientis & Sapientiae invicem colloquentium. Quartus eorum, qui librum hunc affirmant eſſe Epithalamium Chriſti & eccleſiae. Quintus eorum, qui eundem exponunt de amore animae ad Deum, & amore Dei ad animam. His igitur quinque expoſitionibus Joannes ſextam ſuperaddidit, Mariae matris Chriſti, & Chriſti filii ejus mutua colloquia enarrantem: cujus enarrationis argumentum ipſe in praefatione commentariorum ſuorum his verbis breviter complexus eſt:

CONTINET hoc canticum Matris & Filii, beatae ſcilicet Virginis & Domini Jesu Chriſti, applauſum jocundum & mutuum: hìc enim applaudit Mater Filio: hic Filius jocundatur in Matre: hìc Matris privilegia deſcribit Filius: hìc excellentiam Filii deſcribit Mater: loquuntur autem in hoc cantico quatuor perſonae, videlicet Mater, & Filius, & Angeli, qui Filio aſſiſtunt, ut Domino, & Adoleſcentulae virgines, quae, tanquam ſuae Dominae aſſiſtunt Virgini, ſicut ſequens ſcripturae ſeries declarabit. Opus incipit, *Ad honorem Matris & Filii Cantica Canticorum expoſiturus*. Aſcenſius Pariſiis excuſit anno M.D.XXI. Claruit hic auctor anno Domini M.CCCCL.

JOANNES Hentennius, natione Germanus, patria Meclinienſis, monachus ordinis divi Hieronymi, ſcripſit breviſſimum in Apocalypſim commentariolum, cui titulum fecit JUDICIUM DE APOCALYPSI ET ANTICHRISTO; in quo Beſtiam illam, tertiodecimo Apocalypſis capite deſcriptam, aſtruit eſſe Mahumetem, falſum Turcarum prophetam: cujus initium eſt, *Ante hos in Apocalypſim commentarios*. Claruit anno Domini M.D.XL. (a)

JOAN-

(a) Johannes Hentenius utique primùm nomen dedit Ordini S. Hieronymi, ſed Lovanium veniens circa Annum MDXLVIII. obtenta venia Praedicatorum ordini fuit adſcitus vir Graecarum Hebraicarumque litterarum peritiſſimus; & Thomiſticae Scholae ſtudiis addictus ita profecit, ut Anno MDLIII. ad gradum Magiſterii fuerit promotus, & Studii Generalis noſtri Lovanienſis Regens fuerit inſtitutus. Anno MDLVI. fidei vindex inquiſitor electus, & Prior Lovanienſis, quando & loco Heſſelii ad Tridentinam Synodum miſſi vices explevit in Lovanienſi Univerſitate, quoque tempore eum Lovanii docentem ſe audiſſe teſtatur Johannes Hayus Soc. Jeſu in *Schol. ad Bibl. Xyſt. Senenſ.* Praeter opus ab Hentenio Hieronymiano editum, quod N.Xyſtus percenſet, alia extant Hentenii Dominicani opera in S. Scripturam typis

Digitized by Google

JOANNES Hoffmeisterus, patria Svevus, instituti divi Augustini, ejusdemque ordinis in Svevia provincialis benemeritus, scripsit

In Tobiam breves & exculras exegeses.

In Matthaeum	librum unum.
In Marcum	lib. 1.
In Lucam	lib. 1.
In duas Pauli epistolas ad Corinthios	lib. 2.
In epistolam ad Philippenses	lib. 1.
In Evangelia dominicalia homiliarum	lib. 1.

CLARUIT anno Domini M.D.XLVI.

JOANNES Hudalrici, Basiliensis, ordinis Praedicatorum, adolescens, ingenii divini potius, quam humani, quem ipsam eruditionem ac fidei sinceritatem dixeris, tantam adhuc juvenis Graecae phraseos nactus est notitiam, quantam vix unus, aut alter ejus aetatis; scripsit ergo in epistolam Pauli ad Hebraeos Graeco & eleganti sermone laudatissima commentaria. Obiit Coloniae anno salutis M. D. XXXVI. adhuc adolescens.

JOANNES Justus Lanspergius, Bavarus, Cartusianus, scripsit in omnes epistolas & Evangelia totius anni enarrationes & sermones, veterem illum atque germanum orthodoxorum patrum sensum pietatemque referens: opus incipit, *Scientes quia &c. Quanquam nulli non tempori*. Claruit anno Domini M.D.XL.

JOANNES de Isdinio, ordinis fratrum hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, theologus non ignobilis, de scripturis divinis benemeritus, & in Parisiensi academia publicus lector, elaboravit scholastica phrasi explanationis in Job librum unum; cujus initium est, *Usque in tempus sustinebit*. Item in Marcum librum unum, cujus initium est, *Similis factus est Leoni*. In omnes epistolas Pauli ad Philippum, Rothomagi episcopum, lib. 14. Claruit anno Domini M.CCCXC.

JOANNES Hininghan, Anglus, lecturam fecit in Threnos: anno Domini nostri Jesu Christi M.CCCXCIX.

JOANNES Ludovicus Vives, Valentinus, natione Hispanus, inter multas nobilissimas lucubrationes, docte prorsus & accurate conscriptas, in quibus summam eloquentiam cum absolutissima eruditione & Christianissima pietate conjunxit, scripsit ad Guillelmum Crovim, archiepiscopum Toletanum, in septem Psalmos poenitentiae disertissimas meditationes; in quibus modo ipse, modo psalmista, modo peccator, modo alius quispiam dulcibus affectibus vel ad Deum, vel ad se ipsum, vel ad alios piissime loquuntur. Harum initium est, *Paucos admodum esse arbitror*. Floruit anno M.D.XVIII.

JOANNES Maitrosius, Scotus, scripsit commentariorum in Matthaeum libros tres anno Domini D.CCXCII.

JOANNES Majoris, Anglicus, scripsit in quatuor Evangelia scholasticam Postillam anno Domini M.CCCC.

JOANNES Montholonius, Eduensis, juris utriusque peritissimus, consarcinavit volumen ingens, cui titulum fecit DIVINI ET UTRIUSQUE HUMANI JURIS PROMTUARIUM: in quo per ordinem alphabeti collegit omnes sententias ac locos, qui in sacris literis, & in utroque jure Caesareo & Pontificio concordant, adjectis multis non contemnendis annotationibus, obscuritatem eorundem locorum aperientibus. Claruit anno Domini M.D.XX.

JOANNES Maria Verattus, Ferrariensis, Carmelita, theologus pie sancteque doctus, & declamator Italica lingua nobilis, edidit ad Hippolytum Estensem cardinalem amplissimum in quinque capita Matthaei, hoc est in quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, & decimum enarrationes locupletissimas, in

typis mandata, nimirum, Commentaria in Quatuor Evangelia ex Chrysostomo collecta ab Euthymio Zigabeno, sed ab Hentenio Latine reddito. Enarrationes in Acta Apostolorum ex Veteribus Patribus concinnatae. Opera Oecumenii, & Aretae in Actus Apostolorum, & Pauli Epistolas ab Hentenio Latina reddita; & castigata Biblia Latina ad vetustissima exemplaria correcta. Alia ejus opera legesis apud N. Echardum, & Bibliothecam Belgicam. Fractus demum laboribus, studiis atque vigiliis, dirisque calculi doloribus cruciatus, magno apud omnes sui desiderio relicto, obdormivit in Domino An. MDLVI. Aetatis suae LXVII. A professione in Ordine Praedicatorum XIX. Gallicae Bibliorum versioni operam tribuisse N. Hentenium etiam constat correctis Calvinianorum erroribus, de qua re legesis Jacobum Lelong. Orat. Domini Jesu *Biblioth. Sacr. Tom. I. pag. 505*.

Digitized by Google

in quindecim libros digeſtas, quae totam Evangelicam legem pulcherrime complectuntur, diſputationibuſque adverſus falſa Lutheri dogmata refertae ſunt. Opus incipit, *Videns Jesus turbas &c. Hic ſermo Domini dividitur*. Scripſit etiam in Evangelia feſtiva totius anni homiliarum tomos 2. Claruit anno Domini M.D.XL.

JOANNES Meclinius, natione Germanus, in ſtudio ſaecularis philoſophiae longa exercitatione conſummatus, & in divinis eloquiis egregie inſtructus, quem Colonienſis academia theologiam multis annis publice docentem habuit, inter caetera opera ſua ſcripſit ſecundum ſcholae methodum expoſitionis in Pſalmos librum unum. Claruit ſub Federico Imperatore III, anno M.CCCCLX.

JOANNES Milbachius, Germanus, ſcholaſtica eruditione tam ſacris, quam prophanis literis clarus, & in Erphordienſi academia publicus theologiae profeſſor, emiſit commentariorum in Paulum ſcholaſtico ritu libros tredecim, anno Domini MCCCCXCIIII.

JOANNES, monachus Benedictinus, theologus, philoſophus & rhetor, Germania oriundus, Caſtellenſis coenobii in Eiſtenſi dioeceſi profeſſor, condidit utiliſſimum totius ſcripturae compendium, cui BREVIARIUM BIBLIAE titulum fecit; item in Evangelia & epiſtolas totius anni ſermonum libros tres. Claruit anno Domini M.CC.XC.

JOANNES Neovilleus, Genvillanus, ſcripſit ad Carolum Lotaringium cardinalem commentaria in ſeptem Pſalmos poenitentiae, incipientia, *Opifex hominum, &c.* anno Domini M.D.L.

JOANNES Nider, ordinis Praedicatorum, natione Theutonicus, in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, & in theologia ſcholaſtica ſufficienter doctus, & in declamandis ſermonibus populo gratiſſimus, ſcripſit rudi, ſed aperto ſermone in vigeſimum caput Exodi de decem praeceptis decalogi eruditum & grande volumen, cujus initium eſt, *Decalogi legem ſacratiſſimam*: item in decimum tertium caput Levitici de lepra morali librum 1. item in Evangelia totius anni ſermonum tomos duos. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore anno Domini noſtri Jesu Chriſti M. CCCCXXX. (a)

Johannes a Paſtura Sanctenſis Benedictinus.

JOANNES a Paſtura, monaſterii Gemblacenſis Prior, edidit in Pſalterium Paraphraſin, ex doctoribus eccleſiae collectam, anno Domini M.D.X.

JOANNES Phefer, Vitembergenſis, Friburgenſis gymnaſii primus illuſtrator, edidit opus inſigne ſcholaſticum, libris quatuordecim diſtinctum, ſuper epiſtolas Pauli, quod publice lectum praenotavit DIRECTORIUM SACERDOTALE: cujus initium eſt, *Circa lectaram epiſtolarum*. Claruit an. Dom. M.CCCC.XC.

JOANNES Picus, Mirandulae & Concordiae in Italia princeps, propter generis nobilitatem, & raram ſingularemque formoſiſſimi corporis & animi pulcherrimi venuſtatem, PHOENIX cognominatus, vir ingenii pene prodigioſi, & in omni artium, ſcientiarum, & linguarum varietate uſque ad miraculum exculti, ſcripſit admodum juvenis, & vix tertium ac vigeſimum annum attingens ad Laurentium Medicem in primum Geneſeos caput brevem, ſed admirandae audaciae, & ſupra adoleſcentiae vires, Latinum commentarium, HEPTAPLI titulo praenotatum, cujus initium eſt, *Movit me aemulatio ſtudiorum tuorum, &c.* in quo, praetermiſſis omnibus, quae Latini, Graeci, Hebraei, & Chaldaei Geneſeos enarratores prius attulerant, auſus eſt non ſolum promittere, ſed & in medium proferre ſeptem novas expoſitiones, a nullo unquam antea tentatas, ſed a ſe ipſo primum excogitatas, inventas, atque perfectas; quarum prima eſt de mundo elementari & corruptibili: in qua ſingula verba primi capitis, continuata expoſitionis ſerie, trahit ad explicandam creationem mundi hujus ſublunaris. Secunda eſt de mundo coeleſti: in qua conſimili artificio omnem Moſaïcam narrationem applicat ad creationem ſpherarum coeleſtium. Tertia eſt de mundo inviſibili & angelico: in qua omnia, quae Moſes ſcribit de opificio ſex dierum, ad primam Angelorum conditionem detorquet. Quarta de mundo humano eſt: quae totum capitulum de hominis natura interpretatur. Quinta eſt de quadruplicis mun-

(a) Johannes Nyder Theuto, patria Svevus, vel Alſatius, ultra laudata ab Authore in Scripturam opera edidit etiam Sermones in Epiſtolas Dominicarum per annum impreſſos Argentinae 1489. Vitã produxiſſe ultra Ann. 1440. creditur, ut optime adnotavit N. Jacobus Echard *Script. Ord. T.I. fol.*792. apud quem etiam eſt legere cetera Opera, & pia Acta ejuſdem Johannis.

Digitized by Google

mundi distinctione, ostendens, quibus inter se operationibus, proprietatibus ac discriminibus quatuor jam commemorati mundi distinguantur. Sexta est de mundorum inter se cognatione, demonstrans, quomodo inter se quatuor hi mundi conveniant. Septima est de mundi Sabbato, & quiete omnium creaturarum in ultima & aeterna felicitate. His septem expositionibus additur veluti pro coronide specimen quoddam octavae explanationis Kabalisticae, hoc est ex Kabala Judaeorum desumptae: quae non solum ex singulis sententiis ac dictionibus multos sensus elicit, sed ex singulis Hebraïcis literis uniuscujusque syllabae mysteria pene infinita deducit.

CAETERUM de hoc opere varia sunt doctorum hominum judicia: quidam ut eruditum & sublime admirantur; quidam contemnunt, ut juvenilis audaciae ostentamentum, extrinsecus tumidum, intus vero prorsus inane. Memini me proximis annis, cum Romae essem, familiariter interrogasse praestantissimum virum Aloysium Lippomanum, Veronensem episcopum, cur inter tot nobiles auctores, a se catenae suae insertos, Joannis Pici egregii viri nullam fecisset mentionem: tum ille ad me conversus summa cum vultus ac verborum asseveratione inquit: Cum catenam explanationum in Genesim contexerem, eos elegi scriptores, qui mihi viderentur Mosis verba & cogitationes expositionibus suis explicare: proinde, cum animadvertissem Picum in hoc uno tantum incumbere, ut Platonicas cogitationes, vel suas potius phantasias verbis ac dictis Mosaïcis exprimeret, nihil me ejus opera indigere existimavi. Aggressus est nobilissimus hic juvenis praeter hanc Heptaplum, quam nuper Antonius Bonagratia, canonicus Pisciensis, in linguam Hetruscam convertit, etiam in Davidicos hymnos juxta LXX. editionem commentarios, & cum his alios quoque in sacras literas labores, multo plures adhuc editurus, nisi eum immatura mors, trigesimum aetatis annum agentem, extinxisset, anno ab orbe redempto M.CCCCXCIIII. Scripsit vitam ejus luculenta oratione Joannes Franciscus Picus, nepos, avitae virtutis haeres. Antonius vero Tibaldeus, poëta non ignobilis, hoc elogium amici sepulchro inscripsit:

Joannes jacet hîc Mirandula: caetera norunt
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

JOANNES Poccanus, praepositus ecclesiae S.Georgii Colonienſis, Psalterium edidit Chaldaïca lingua, sed characteribus Aethiopicis excusum: quo nunc utuntur monachi Aethiopes, qui se Indos appellant; ipsumque in templo, quod Romae habent, publice decantant. Vide quae infra dicentur in Petro Sutore.

JOANNIS de Pratis, Galli, Dictionarium in sacra Biblia vidi in bibliotheca Praedicatorum Lugdunensi manu descriptum: cui tale initium,

Difficiles studeo partes, quas Biblia gestat,
Pandere &c.

JOANNES Quinquarboreus, Arelatensis, latinitate donavit Thargum Kinoth, hoc est Paraphrasim Chaldaïcam in Threnos, addita communi Latina translatione, ut facilius appareat, quid commodi, quidve utilitatis afferat ea translatio, adjectis etiam in singula paraphraseos capita annotationibus non poenitendis. Opus incipit, *Sanctissime scripserunt*. Claruit anno Domini M.D.XLIX. Johannes Quinquarboreus Linguae Chaldaic. & Hebr. Regius Parisiensis Professor Targum in Oseã, Joelem, Amos, Ruth, & Threnos Latio donavit. Obiit 1587.

JOANNES de Regno, Gallus, ordinem Carmelitarum in coenobio Tholosano professus, theologiae ac sermonis genere Scholasticus, scripsit in Evangelium Matthaei librum unum anno Domini M.CCCXLVIII.

JOANNES Rojardus, Antuerpiensis, ordinis Minorum, scripsit homilias juxta literam in omnia Evangelia tam ferialia, quam festiva quadragesimalia adventus ac totius anni medio inter veteres & scholasticos stylo. Claruit anno Domini M,D.XL.

JOANNES Rusbrochius, Cartusianus, summus, atque sanctissimus vir, quem alterum Dionysium Areopagitam vocant, scripsit in Tabernaculum Mosis, & ad id pertinentia commentaria: ubi multa Exodi, Levitici, Numerorumque mysteria divino spiritu dilucide, ac neutiquam vulgariter explicantur. Eorum initium est, *Sic currite, ut comprehendatis*.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES de Sancta fide, Anglus, primam Joannis epiſtolam expoſuit anno Domini M.CCCLIX.

JOANNES Scotus, monachus S.Benedicti, Bedae auditor, Albini levitae & abbatis collega, Carolo Magno in primis charus, & continua divinarum literarum exercitatione eruditus, edidit nitido & aperto ſermone commentariorum in Evangelium Matthaei libros tres. Claruit anno Domini D.CCC.

JOANNES Soarezius, epiſcopus Conimbricenſis, & Arganiſi in Hiſpania Comes, edidit commentarios in Matthaeum, multis utiliſſimis tractatibus diſtinctos: quorum initium eſt, *Beatus Apoſtolus, & Evangeliſta*. Floruit in concilio Tridentino celebris anno Domini M.D.LX.

JOANNES Taceſphalus, Anglicus, Carmelita, ſcripturarum ſanctarum eruditione & concionandi exercitio celebris, reliquit in Apocalypſin Joannis ſcholaſticorum commentariorum libros duos.

Johannes Taulerus admirabilis ſanctitatis vir Anno 1379. clarus, velli-catus circa doctrinam ab Echio vindicatus fuit a Ludovico Bloſio, & commendatus a Jacobo Beniigno Boſſuet.

JOANNES Taulerius, Dominicanus, Germanus, cujus extant ſermones admirabili ſpiritu editi, ſcripſit De paſſione Domini ex quatuor Evangeliis librum unum devotiſſimum; item ſermonum in varios Evangeliorum locos librum unum ſcholaſticarum meditationum.

JOANNES Tritemius, abbas Spanheimenſis, auctor Catalogi illuſtrium virorum, ſcripſit de Graecis quaeſtionibus in Joannis Evangelium, & in varios divinae ſcripturae locos homilias. Claruit anno Domini M.CCCCXC.

JOANNES ex Turre Cremata, ordinis Praedicatorum, cardinalis titulo S.Xyſti, vir in divinis ſcripturis exercitatus, & juris pontificii interpres conſultiſſimus, inter alia ſplendida ingenii ſui opera edidit in omnes Davidicos Pſalmos ad Pium II. Pontificem Maximum breviſſimam, locupletiſſimam, lucidiſſimamque paraphraſim, ſimplici & aperto ſermone dictatam: cujus initium eſt, *Beatiſſimo Patri, & clementiſſimo*. Compoſuit etiam in Evangelia feſtiva totius anni ſcholaſticam Poſtillam; item in eadem Evangelia ſcholaſticarum quaeſtionum librum unum: Claruit anno Domini M.CCCCLX.

Johannes Verdiacus, ſeu de Variaco, Gallus, Autiſſiodorenſis Ann. 1278. clarus ſcripſit etiam poſtillas in Sapientiam, & in alios libros Bibliorum, ſicut & varios ſermones.

JOANNES Verdiacus, ordinis Praedicatorum, ſcholaſticis commentariis librum Canticorum explanavit. Meminit hujus operis Vincentius Bandellus in libro ſuo De Conceptione Beatae Virginis.

JOANNES Viguerius, Granatenſis, Hiſpanus, ex ordine Praedicatorum, profeſſione ſcholaſticus, ſcripſit in epiſtolam ad Romanos commentarios anno Domini M.D.L. (a)

JOANNES Voretam, Londinenſis, Carmelita, ſcripſit Poſtillam in Cantica Salomonis anno M.CCCCVI.

JOANNES Zacharias, Erfordiae in Germania natus, ſaecularis philoſophiae interpres egregius: in divinis voluminibus aſſidua lectione exercitatus, & in concilio Conſtantienſi adverſus Huſſitas & Viclecfitas haereticos catholicae fidei propugnator inſignis, multa praeclara opuſcula edidit: de quibus feruntur in Pentateuchum libri quinque, & in omnes Pauli epiſtolas lib.14. Scholaſtice conſcripti. Claruit tempore Sigiſmundi Imperatoris anno Domini M.CCCCXXX.

JORDANUS Theutonicus, ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, ſcripturarum divinarum explanator egregius, & in declamandis ſermonibus excellentis ingenii, ſcripſit humili & aperto ſtylo anno Domini M.CCCCX. in Apocalypſim non contemnendos commentarios.

JOSEPHUS, Mathathiae ſacerdotis filius, (quem Hieronymus Graecum Livium appellat, recentiores vero Judaei Joſeph Bengarion vocant) natione Hebraeus, patria Hieroſolymitanus, genere ſacerdos, in excidio Hieroſolymae captus, Romam a Tito Imperatore ductus eſt; ibique propter ingenii excellentiam a ſenatu, & populo Romano promeruit, ut, eo vivente, libri ejus publicae bibliothecae traderentur, ipſi vero poſt mortem aenea ſtatua poneretur: amicus fuit Chriſtianorum, quanquam Judaeus eſſet: & Dominum noſtrum Jesum Chriſtum

(a) Johannes Viguerius Granatenſis, non Hiſpanus, ſed Gallus, Aquitanus fuit, Granatae Urbecula in Toloſatium finibus ad Garumnam ſita ortus, ut ex inconcuſſis monumentis oſtendit N.Jacobus Echard *Script. Ord. Tom.II. fol.137.* quem conſulas, ut ex eo etiam corrigas NN. Luſitanum, & Altamura Hiſpanum adſtruentes Viguerium, errore ex Granata Hiſpanica Urbe profluente ſeductos.

Digitized by Google

ſtum in 18. Antiquitatum libro inſigni elogio celebravit (a), qua de cauſa D.Hieronymus eum in cathalogo eccleſiaſticorum ſcriptorum digna cum laude recenſet. Is ergo, cum animadvertiſſet ſolos quinque libros Moſi apud Graecos extare, opera Ptolemaei regis Aegypti a LXX. interpretibus translatos, decrevit, incenſus Epaphroditi vidi doctiſſimi adhortationibus, univerſam veteris teſtamenti hiſtoriam Graecis auribus tradere: quod & effecit, conſcriptis primum Hebraïca lingua, deinde etiam Graeca περὶ τῆς ἀρχαιολογίας, hoc eſt, De antiquitatibus, libris viginti: in quibus, ſervatis ſimul & ſanctarum ſcripturarum veritate, & hiſtoriae legibus, quandam veluti paraphraſim in omnes ferme veteris inſtrumenti libros aptavit; pollicitus etiam, ſi Deus ſibi vitam prorogaret, explicaturum ſe altero volumine hiſtoriae ſacrae cauſas rationesque omnes tam naturales, quam allegoricas. Hos libros Rufinus, Presbyter Aquilejenſis, latinos fecit, editionem ſuam in hunc modum exorſus, *Hiſtoriam conſcribere*, &c. Joſephi teſtimonium de Chriſto.

SCRIPSIT item ad eundem Epaphroditum libros duos adverſus Apionem Grammaticum, & Molonem, multoſque alios, qui ſacras Hebraeorum hiſtorias calumniabantur, ceu rem nuper natam, fabuloſam, & mendacem, eo quod apud Graecos nobiles hiſtoricos nulla de his mentio inveniretur: quibus occurrens Joſephus, tanta protulit ex Phoenicum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, & Graecorum ſcriptis teſtimonia, ſacris hiſtoriis conformia, ut vehementer admiratus ſit D.Hieronymus, quomodo vir Hebraeus, ab infantia ſacris literis eruditus, tantas externorum auctorum bibliothecas potuerit evolvere. Opus incipit, *Sufficienter, ut arbitror*.

SCRIPSIT etiam De ſeptuaginta hebdomadibus Danielis librum unum, cujus recordatur Hieronymus in praefatione libri XI. in Eſaiam.

COMPOSUIT quoque librum valde elegantem περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ εἰς τοὺς μακκαβαίους, hoc eſt De imperatrice ratione; in quo deſcribens agonem ſeptem unius matris filiorum cum ipſa matre paſſorum, oſtendit Maccabaeorum exemplo, quod animus ſit, qui imperium teneat in nobis. De hoc opere Euſebius libro tertio hiſtoriae eccleſiaſticae cap.10. ſic ait: EST & aliud Joſephi elegans volumen inſcriptum, Ἐι αὐτο δίσποτος ἐστι τῶν παθῶν ὁ εὐσεβὴς λογισμός, hoc eſt, *Quod pia ratio paſſionum domina ſit*: quem libellum quidam Maccabaeorum attitularunt pro eo, quod certamina inibi & agones pro pietate Maccabaeis deſudata continentur.

(b) Elogium, quo Flavius Joſephus Chriſtum Servatorem diſtinxit decoravit inſignivit, illud ipſum eſt, quod idem Hiſtoricus perhibet *lib. XVIII. Antiquit. cap.4.* & ex eo refert S.Hieronymus *lib. de Scriptor. Eccleſ.* Cap.22. „ Hinc in decimo octavo Antiquitatum libro manifeſtiſſime confitetur, propter magnitudinem ſignorum, Chriſtum a phariſaeis interfectum, & Johannem Baptiſtam vere prophetam fuiſſe, & propter interfectionem Jacobi Apoſtoli, dirutam Hieroſolymam. Scripſit autem de Domino in hunc modum: Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum oportet dicere, erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt: plurimos quoque tam de Judaeis, quam de gentibus, ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus; cumque invidia noſtrorum Principum cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus, qui eum primum dilexerant, perſeveraverunt. Apparuit autem eis tertia die vivens, Mulea & haec, & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus: & uſque hodie Chriſtianorum gens, ab hoc ſortita vocabulum, non defecit „. Verum an hoc Joſephi de Chriſto teſtimonium genuinum ſit, extetque ita in authographo Joſephi, an vero ſubditicium ſit, & pia fraude alicujus Chriſtiani inſertum ſit ibi? ſicut an re vera quoad omnia ſit ita ab eodem Joſepho ſcriptum, vel fortaſſe verba aliqua pridem in margine ſcripta, deinde ignavia librariorum in textum inrepſerint? non eſt ita certum apud Criticos ut omnes in unam eandemque iverint ſententiam. In plures quippe claſſes diviſi diverſimode pro, & contra ediderunt diſſertationes: quas vel indigitaſſe ſufficiat, quum nec tempus, nec locus ſuperſit rem ab ovo exordiendi, & ad malum uſque perducendi; ſufficietque ad rem clarius perſpiciendam primum contra luculentum Joſephi Teſtimonium litem moviſſe Tanaquillum Fabrum, quem ſecuti ſunt alii, praeſertim e Calvini Schola, Iſaac Voſſius, David Blondellus, Richardus Montacutius, Ludovicus Cappellus, aliique. Extant porro pro genuino Joſephi teſtimonio ab Hieronymo relato, & a N. Xyſto indigitato vindiciae inluſtrium virorum, qui pro aris, & focis adverſus aliquos intemperantioris Critices viros illud vindicant, quas conſulere poterit ſtudioſus quiſque, ut rem acu tangat: nobis autem ſatis erit eos, vel ex parte, referre, reliquos autem, qui veritatem rimatur exquiret invenientque. E Romana Communione quidem illud ipſum praeſertim ex teſtimonio Euſebii Caeſarienſis, Hieronymi, Iſidori Peluſiotae, Sozomeni, Calliſti, aliorumque veterum uti genuinum purumque tuentur Cardinales Baronius, Bellarminus, & N. Gotti, Henricus Valeſius, Daniel Huetius, Cornelius a Lapide, Antonius Pagi, Antonius Poſſevinus, Sebaſtianus Tillemontius, Auguſtinus Calmet, aliique pene innumeri: e NN. autem ultra laudatos Xyſtum, & Gotti, Natalis Alexander, Jacobus Hyacinthus Serry, Hyacinthus Amat de Graveſon, aliique plures. Ex Acatholicis vero Teſtimonium illud vindicant Guillelmus Cave, Johannes Erneſtus Grabbe, Chriſtophorus Adamus Rupertus, Thomas Reineſius, Carolus Daubuz, aliique. Conſule Segebertum Havercampum, qui in editione Operum Joſephi Amſtelodami 1726. plura in medium profert ad examen hujuſce Joſephi Teſtimonii de Chriſto, vide etiam Johannem Popeblount *Cenſur. Celebr. Auct. v. Joſeph.*

Digitized by Google

nentur. Opus incipit, φιλοσοφώτατον λόγον.

CLARUIT ſub Veſpaſiano & Tito Auguſto, pervenitque uſque ad Trajanum Auguſtum, hoc eſt ad annum Domini C.

JOSEPHUS, natione Judaeus, patria Tyberienſis, dignitate Comes, & ingenti miraculo ad fidem pertractus, cum nondum Chriſtianus eſſet, uſque adeo Chriſtianos dilexit & coluit, ut B. Euſebium, Fregellarum in Italia epiſcopum, a Conſtantio Imperatore Arriano ob fidem orthodoxam fugatum, hoſpitio receperit, & Epiphanium epiſcopum una cum pleriſque ſanctis fratribus illuc profectum, ad viſitationem ejus honorifice introduxerit: poſt converſionem vero multas Chriſtianorum eccleſias in urbibus Judaeorum Tyberiade, Diocaeſarea, Nazareth, & Capernaum extruxit: hic itaque, ut Epiphanius teſtatur, primus emiſit in lucem Evangelium Matthaei Hebraïcum, ipſa Matthaei manu Hebraïce conſcriptum, quod in occulto gazophylacio Judaeorum apud Scythopolim una cum Evangelio Joannis, & actibus Apoſtolorum de Graeca lingua in Hebraeam translatis adinvenit. Claruit ſub Conſtantio Principe, moriturque nonagenarius anno Domini CCCLXX.

JOVITA Rapicius, Brixienſis, ſcripſit ad Reginaldum Polum Paraphraſim in Pſalmos duos & viginti, vario carminum genere concinnatam: cujus initium eſt, *Non qui Maeoniae caput*. Floruit anno Domini M.D.L.

IRENAEUS, Lugdunenſis, in Gallia poſt beati Photini martyris triumphum, epiſcopus, Polycarpi martyris quondam auditor, vir ſumma eruditione & pietate praeditus, ſub Papa Eleutherio legatus Romam miſſus, non minus ſanctitate, quam doctrina clariſſimus comprobatus eſt. Scripſit hic Graeco eloquio multa egregia volumina, praeſertim vero, ut Euſebii Chronica teſtantur, in Apocalypſin commentarios: de quibus Hieronymus in praefatione 18. libri commentariorum in Eſaiam ſic loquitur: APOCALYPSIN Joannis, ſi juxta literam accipimus, judaizandum eſt: ſi autem ſpiritualiter, ut ſcripta eſt, accipimus; multorum videbimur opinionibus contraire, praecipue Irenaei Lugdunenſis epiſcopi: adverſus quem vir eloquentiſſimus Dionyſius, Alexandrinae eccleſiae Pontifex, elegantem ſcribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, ocium Sabbati, circunciſionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium ſervitutem, rurſusque bella, exercitus, ac triumphos, & ſuperatorum neces, mortemque centenarii peccatoris: cui duobus voluminibus reſpondit Apollinarius, quem non ſolum ſuae ſectae homines, ſed & noſtrorum, in hac parte duntaxat, plurima ſequitur multitudo. Moritur hic beatus Pontifex, ſaeviente perſecutione, cum omni fere civitatis ſuae populo pro fide catholica martyrio coronatus ſub Marco Antonino, anno Domini C. LXXV.

Iſaac Argyrus An. 1373. clarus.

ISAAC, profeſſione monachus, Graecae literaturae peritiſſimus, Graece ſcripſit in illud, Hoc mando vobis, ut diligatis &c. homiliam unam.

ISIDORUS Senior, Cordubenſis epiſcopus, ſaecularium literarum non ignarus, divinarum vero peritiſſimus, ſanctitate quoque vitae ſub Theodoſio & Honorio celebris, ſcripſit ad S. Oroſium presbyterum Hiſpanum in omnes libros Regum libros quatuor. Auguſtinus ſermones 35. De ſanctis citat expoſitionem Iſidori hujus in Lucam. Claruit ſub Honorio anno Domini CCCCXX. (a)

ISIDORUS Clarius, Brixianus, ex monacho Caſſinate epiſcopus Fulginatenſis, in totum Bibliorum corpus, a ſe iterum translatum, ſcholia collegit: quae cum primum Chriſtianis interdicta eſſent, demum, praeciſis prologo & prologomenis, reſtituta ſunt auctoritate ſacroſanctae Tridentinae Synodi. Scripſit etiam in Sermonem Domini, in monte habitum, ex quinto, ſexto, & ſeptimo Matthaei capitibus orationes ad populum 69. quarum initium eſt, *Pulchrum quidem eſſet*: item in varios Lucae Evangeliſtae locos orationes ad populum 54. verborum elegantia, & ſententiarum gravitate refertas; quarum prima incipit, *Quod primum tempore vobis*. Floruit anno Domini M.D.XL.

ISI-

(a) Sermo XXXV. *de Sanctis*, nunc in nova editione in *Appendice* CCVIII. non eſt S. Auguſtini, ſed Authoris longe poſterioris aetatis, fortaſſe Fulberti Carnotenſis. Vide PP. BB.

Digitized by Google

ISIDORUS, Hiſpalenſis epiſcopus, ad differentiam Iſidori ſenioris Cordubenſis epiſcopi Iſidorus Junior appellatus, &, ut quidam putant, divi Gregorii diſcipulus, vir eximiae ſanctitatis & eruditionis, divinarum ſcripturarum peritiſſimus, & in legendis, colligendis, coaptandiſque dictis, ac ſententiis, & rapſodiis veterum patrum ex innumeris & immenſis eorum voluminibus deſiderium habens inexplebile, & vires omnino inexhauſtas, congregavit ex aliorum laboribus innumerabilia pene omnium artium ac ſcientiarum praeclara volumina: de quibus in expoſitionem totius ſanctae ſcripturae breve duntaxat, ac exiguum allegoriarum in Octateuchum legi compendiolum, ex Origene, Victorino, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro, Fulgentio, & ſui potiſſimum temporis Gregorio collectum: in cujus exordio indicat ſe jampridem in eoſdem divinae ſcripturae libros explanationes ad literam exaraſſe. Hunc libellum incipientem, *Hiſtorias ſacrae legis*, Tritemius, ad amplificandam lucubrationum Iſidori copiam, in duodecim libros diſſecuit, addens eum ſcripſiſſe in caetera utriuſque teſtamenti volumina libros 62. quorum tamen nec initia annotavit, nec a ſe conſpecta oſtendit. Floruit ſub Heraclona Imperatore Heraclii filio temporibus Siſebuti, regis Gothorum, in Hiſpania, anno Domini D.CXXX. cui ob ſanctitatem vitae die XVI. Januarii annui ſtatuti ſunt honores.

ISIDORUS Peluſiota, monachorum Peluſiaci montis in Aegypto abbas, D.Joannis Chryſoſtomi diſcipulus, angelicam in carne degens vitam, multa ſcripſit variae utilitatis plena, potiſſimum autem epiſtolarum omnis generis divina ſimul & humana gratia refertarum prope chiliades decem, ſive decem millia: in quibus omnes divinas utriuſque teſtamenti ſcripturas expoſuit, & omnes omnium hominum mores inſtituit, uſus in eis dicendi genere maxime ad docendum accommodato. Vidimus in bibliotheca Marciana Venetiis volumen manu ſcriptum, complectens hujus ſancti viri 1148. epiſtolas: quarum prima ſic incipit, ἐπειδὴ κοινὸν ἐστι πᾶσι χρόνε. Claruit ſub Theodoſio Juniore anno Domini CCCCXL. Nicephorus lib.14. cap.53.

ISIDORUS, Theſſalonicenſis epiſcopus, vir pius & doctus, ſcripſit Graecas homilias in Lucam, quae in bibliotheca Vaticana habentur.

Iſidorus Theſſalonicenſis Anno 1401. clarus ſcripſit etiam orationes varias, quas memorat Leo Allatius.

ISOTA Nogarola, Veronenſis, literarum ſtudiis ac perpetuae virginitati addicta, dialogum confecit, in quo ſuper tertio Geneſeos capite Latino ſermone diſſeruit, Qui prius, ac magis Adam ne, an Eva peccarit? Claruit ſub Nicolao Quinto & Pio Secundo; ad quos etiam orationes permultas conſcripſit.

ITALA utriuſque teſtamenti Translatio, incertum habens auctorem, fuit olim ante D.Hieronymi verſionem in eccleſia celebris: hanc Auguſtinus in 2.De doctrina Chriſtiana caeteris praetulit, utpote verbis tenaciorem, & ſententiae perſpicuitate clariorem: quibus de cauſis ipſam Latina eccleſia uſque ad tempora D.Gregorii habuit in uſu: quae quantum a noſtra vulgata editione in ſingulis diſcrepet, indicio eſt Auguſtini liber, SPECULI titulo inſcriptus; in quo innumera hujus Translationis teſtimonia ex omnibus utriuſque teſtamenti voluminibus colliguntur.

JUDAS, natione Syrus, de ſeptuaginta apud Danielem hebdomadibus pleniſſime diſputavit, & ipſarum chronographiam per ſuperiora tempora uſque ad decimum Severi produxit annum: in qua erroris arguitur, quod adventum Antichriſti circa ſua tempora futurum eſſe dixerit; ſed hoc ideo, quia magnitudo perſecutionum praeſentem mundi minabatur occaſum. Claruit anno Domini CC.

JUDOCUS Clictoveus, Neoportuenſis, Carnotenſis Eccleſiae in Gallia canonicus, theologus, philoſophus, orator, & in ſacris eloquiis enarrandis egregius, collegit ex Chryſoſtomo & Auguſtino explanationis in Evangelium Joannis libros quatuor, eoſque inſeruit commentariis divi Cyrilli, ut ex duodecim libris, quos beatus ille pater ediderat in Joannem, quatuor intermedios, injuria temporum deperditos, ſuppleret, ac perficeret, hoc eſt quintum, ſextum, ſeptimum & octavum: in quibus ex Evangelio Joannis enarrat ab eo loco ſeptimi capitis, Dicebant ergo quidam ex Hieroſolymis, Nonne hic eſt, quem quaerunt interficere? uſque ad ea verba duodecimi capitis, Si quis audierit verba mea, & non cuſtodierit. Opus incipit, *Dicebant ergo*, Scripſit item in Evangelia feſtiva totius

Digitized by Google

anni homiliarum tomos duos. Claruit anno Domini M.D.XIII.

JULIUS Africanus, cujus quinque De temporibus extant volumina, ſub Imp. Marco Aurelio Antonino; Hoc eſt anno ab orbe redempto 220. ſcripſit Graeco ſermone in aliquot divinae ſcripturae locos varias epiſtolas: è quibus celebratur apud veteres ſcriptores elegans ad Ariſtidem philoſophum epiſtola, qua ſuper diſſonantia, quae videtur eſſe in genealogia Salvatoris apud Matthaeum, & Lucam, pleniſſime diſputavit: cujus diſputationis magna pars ab Euſebio in principio eccleſiaſticae hiſtoriae recitatur, & ab Auguſtino in tertio libro adverſus Fauſtum citatur. Scripſit quoque ad Origenem brevem epiſtolam, & paucis multa continentem ſuper Suſannae hiſtoria; quam ob multas conjecturas exiſtimabat eſſe adulterinam; & a neoterico auctore confictam. Cui Origenes pro defenſione ejuſdem hiſtoriae longam, & eruditam reſcripſit epiſtolam: cujus initium eſt, *Epiſtola tua, per quam intellexi, quae de Suſanna, &c.* Africani vero epiſtola ſic incipit, *Sacram cum haberes diſputationem*. Utranque Latine vertit Ambroſius Mediolanenſis, monachus Caſſinenſis, ſancti Benigni abbas, vir trium linguarum peritiſſimus; qui nuper Origenis, & Cyrilli opera plurima nondum Latinis cognita Romanis auribus donavit (a).

JULIANUS, Celanenſis in Campania epiſcopus, a Gennadio, Honorio, & Tritemio inter ſcriptores eccleſiaſticos relatus, rhetor peritiſſimus, &, ſicut libellus ipſius ad Demetriadem virginem, temere divo Hieronymo inſcriptus, oſtendit, eloquentiae Tullianae non infelix imitator, prius quam aperte profiteri coepiſſet Pelagii haereſim, ſcripſit plauſibili, ſed inſidioſo ſtylo in Canticum Salomonis commentaria, de quibus Beda in praefatione ſuarum explanationum in Cantica ſic loquitur: SCRIPTURUS, juvante gratia ſuperna, in Cantica Canticorum, primo admonendum putavi lectorem, ut opuſcula Juliani Celanenſis epiſcopi a Campania, quae in eundem librum confecit, cautiſſime legat, ne per copiam eloquentiae blandientis in coenum incidat doctrinae nocentis: ſed, ut dici ſolet, ita carpat botrum, ut & ſpinas caveat, id eſt in dictis ejus ſanos ſenſus ſcruteur, & eligat, ut non minus viret inſanos: vel potius illud faciat Maronis;

Virgilius Eclog. 3.

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga,
Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba,

hoc eſt, ſe ab ejus ſuper omnia lectione compeſcat, cum habeat eos, qui eundem librum, & ſanis ſenſibus, & ſimplicioribus verbis expoſuerunt. Eſt enim homo ut rethor peritiſſimus, ita gratiae Dei poſt Pelagium impugnator acerrimus; ut apertius ſcripta ejus, quibus contra ſtrenuiſſimum ejuſdem gratiae propugnatorem Auguſtinum inſanivit, oſtendunt. Scribit Gennadius, hunc tempore publicae famis omnia ſua in eleemoſynas pauperibus erogaſſe, & per hunc modum magnam nobilium multitudinem, pietatis ſpecie deceptam, in haereſim ſuam pertraxiſſe. Moritur ſub Valentiniano Auguſto Conſtantii Caeſaris, & Placidiae ſororis Honorii, & Archadii filio, anno Domini CCCCXL. (b)

JU-

(a) Quae N. Xyſtus adjudicat Ambroſio Mediolanenſi, adjudicanda ſunt cum ceteris innumeris operibus Ambroſio Camalduenſi Abbati Generali Anno 1440. claro, utriuſque linguae, Graecae, nimirum, & Latinae peritiſſimo. Vide Criticos ſaepius laudatos.

(b) Quia de Patria, & Cathedra Juliani (utinam & ipſum neſcire licuiſſet) verbum facit N. Xyſtus, & res nimium implexa eſt, nec poteſt tuto vindicari Sixtinum adſertum, etſi ab aliis quoque id ipſum traditum fuerit, lubet in medium producere verba Cl. Cardinalis Norifii, ut plene inſtruantur Tyrones, quidve circa rem hanc ceteri ſenſerint haud ignorent. Ita enim ſcribit doctiſſimus Purpuratus *Hiſtor. Pelagian. Lib. 1. cap. 18.* „ De Juliani Patria, ac Sede „ Epiſcopali inter Scriptores non convenit, & ut „ olim ſeptem Urbes de natali ſolo Homeri poëtarum Graecorum Principis contenderunt, ita Juliano ſeptem ſeu patrias, ſeu ſedes Eccleſiaſticas aſſignari video. Gennadius in lib. de Script. Illuſtr. „ cap. 45. Julianum *Capuanum* Epiſcopum dicit, cui „ Baronius, Ughellus, aliique frequentius adhaereſe„ re. Gelaſius in decreto de libris apocryphis, item„ que Beda in praefat. in Cantica *Celanenſem* eun„ dem faciunt. Petrus Diaconus in fine libri de In„ carnatione, & Gratia *Edanenſem* illum vocat. „ Vignerius in praefat. ad opus imperfect. S. Augu„ ſtini tradit eundem natum *Celiae* in Apulia. Hol„ ſtenius, ac Roſuveydus, hic in notis ad carmen 40. „ Paulini, ille in notis ad Italiam Cluverii *Celennen„ ſem* in Campania Julianum pronunciant. Non„ nulli ex Proſperi depravato Chronico *Attelenſem* „ fuiſſe contendunt, eſt autem Atella Neapolim inter, „ & Capuam *Averſa Italis* vulgo nuncupata. At ex „ melioribus Codicibus Scaliger, ac Pontacus, ita „ in Proſpero legunt ad Conſulatum Theodoſii Auguſti XVII. *Hoc tempeſtate Julianus Eclanenſis „ jactantiſſimus pelagiani erroris aſſertor &c.* Voſſius „ lib. I. hiſt. Pelag. c. 6. *Heracleenſem* illum dicen„ dum eſſe ſuſpicatur. Has inter opiniones non re„ cenſeo, quod libro 2. de Vit. S. Auguſtini gallice ſcripta a Claudio Maimburgio cap. 11. Julia„ nus

JUNILIUS Afer, incertae urbis in Africa episcopus, bonis artibus in saeculo eruditus, & in scripturis sanctis peritissimus, eloquio brevis, & sensu acutus, hortante Primasio Afro episcopo Uticensi, collegit ad utilitatem simplicium explanationes in Genesim: pro quibus typographorum fraus supposuit nobis exiguum commentarium, incipientem, *De principio libri Geneseos*. Atqui fragmenta ex Moralibus Gregorii, huic opusculo immissa, arguunt illud non esse Junilii, qui Gregorii tempora praecessit annis ferme ducentis. Arbitror auctorem operis esse Bedam, in cujus vetustissimis voluminibus id invenitur, & sub cujus titulo centones ex eodem opere decisi in glossa, quam vocant ordinariam, leguntur. Floruit sub Theodosio juniore Augusto anno Domini CCCCXL. Junilius ex adcurato cōputo claruit An. 550.

JUSTUS, Urgelitanae ecclesiae in Hispania episcopus, trium episcoporum, videlicet Justiniani, Nebridii, & Elpidii frater, in scripturis sanctis exercitatus, & doctus; hortatu Justi diaconi scripsit ad eum in Canticum Canticorum juxta editionem B. Hieronymi brevem quidem commentariolum, sed eruditum, elegantem, ac pium. Ejus initium est, *Cupiens in domo Dei*. Claruit anno Domini D.XL. sub Sergio Papa, cui etiam praesens opus suum dedicavit.

JUSTUS, genere & religione Judaeus, patria Tyberinensis, ex provincia Galilaeae, quem Hieronymus inter scriptores ecclesiasticos numerat, conatus est, & ipse Hebraïcarum rerum ex divinis scripturis historiam texere, & quosdam in sacros libros commentarios scribere: sed hunc Josephus sub finem vigesimi libri Antiquitatum in quibusdam mendacii suspectum facit. Claruit sub Vespasiano Augusto anno Domini LVI.

JU-

b) nus Patavii, ubi haec ipsa conscribimus, Episcopus asseratur, Typographi enim forte error fuit. Verum ex Mario Mercatore Juliani Antagonistae lis ex parte finem sortitur, nam pag. 13. Codicis Vaticani cap. 9. laudati ait: *Simul admonere volens Julianum etiam Episcopum Oppidi Eclanensis haereticum pelagianum, seu Coelestianum hunc secutum esse Theodorum, &c.* Quare Prospero concinit, qui itidem & ipse Juliano convixit; & sane Codices Gelasii, Bedae, ac Petri Diaconi depravati sunt unius litterae transpositione, vel conjunctione; etenim in voce Celanenfi *e* per imperitiam amanuensium post *e* ponitur, quae litera si praeponatur *eclanensem* leges: in codice vero Petri Diaconi, ubi Edanensis appellatur, litera *d* dividenda est in *e* & *l*, quae perperam junctae errorem continent: haec minuta adnotare libuit, ut ex communi veterum sententia Julianus Eclanensis Episcopus appareat. Illustrissimus Suaresius Augustini studiosissimus in dissert. 2. de opere imperfecto S. Doctoris pag. 16. scribit, Julianum *Eclanensem Episcopatum obtinuisse*, qui quidem doctissimus raraeque eruditionis Antistes Juliani sedem mihi primitus indicavit, antequam in Mercatoris Codicem incidissem. Fuit Eclanum, seu Eculanum, antiqua Hirpinorum urbs Plinio, Ptolomaeo, Ciceroni, aliisque memorata, distans Benevento ex itinerario Antonini M. P. XV. seu ex tabulis Peutingerianis XVI. Camillus Peregrinius in eruditis Commentariis de Ducatu Beneventano pag. 15. scribit Eclanum postea Frequentum dictum fuisse, quod Anno 986. terremotu dejectum, ut ait Ostiensis in Chronico, deinde ob bella propemodum civibus viduatum Anno 1465. die 7. Maji sedem Episcopalem amisit, atque in Abellinensis Episcopi jurisdictionem transiit, ut ex tabulis Ughelli Tom. 8. Ital. Sacr. intelligitur. At Lucas Holstenius in Frequenti territorio prope Mirabellam fuisse Eclanum contendit, ubi etiamnum antiquorum moenium ruinae visuntur; in quibus nobiles statuae repertae sunt, & a Prorege Neapolitano in Hispaniam transmissae: addit posteriori aevo Quintodecimum fuisse appellatum, cujus mentio fit in actis S. Mercurii Martyris, ac postea a Constantino Graecorum Imperatore funditus eversum An. 669. in notis ad paginam 1203. Italiae Cluverii. Verum in Chronico antiquo Beneventano Monasterii S. Sophiae, in calce tom. 9. Ughelli non semel Quintodecimi mentio habetur, pag. 620. *Qui habitare videntur in Decimo-Quinto loco, qui Pontilia dicitur*. Insuper quaedam donatio ibidem recitatur facta anno 17. Radelchis Principis Longobardi Indictione 3. Julio mense. Radelchim Beneventi Dominum Leo Ostiensis lib. 1. cap. 31. memorat Anno 851. Indictio vero tertia currebat Julio mense Anno 855. quo anno adhuc extabat Quintodecimum. Eclanum vero Quintodecimum dictum fuisse cum eodem Holstenio affirmo, is enim ea loca praesens diligentissime exploravit, & distantia a Benevento hoc ipsum comprobat, nam Frequentum in M.P.XII. circiter distat; Eclanum vero XV. unde Quintodecimum postea appellatum. Ceterum tamen est Episcopalem sedem Eclano destructo Frequentum, vulgo *Frigento*, fuisse translatam, ut plane idem antea Eclanensis, qui postea Frequentinus Episcopus fuerit. De patria vero Juliani non constat; Attellanensem fuisse scribit Baronius ad Annum 430. n. 6. Verum non in Campania, ubi Attella sita est, sed in Apulia eundem natum diserte tradit S. Augustinus lib. 6. oper. imperf. cap. 18. *Neque enim*, inquit, *quia te Apulia genuit, ideo Poenos vincendos existimas gente, quos potes mente*. Cum vero sciamus urbes antiquitus doctissimos Cives in Episcopos elegisse, Eclani pariter natum Julianum suspicor: alteraque conjectura idipsum indicatur, quod Emilius Beneventanus filiam Juliano in vicina urbe degenti, ac proinde sibi satis superque noto, despondit. Neque quis repugnet, quod Augustinus gente Apulum Julianum dixit, cum Eclanum in Campania fuerit, ut ex itinerario Antonini patet, ubi ait: *A Capua Equo Tutico M. P. LIII. ubi Campania limitem habet*. Distat autem Equus Tuticus a Benevento intra Hirpinos M. P. XXI. Nam Hirpini medii sunt inter Campaniam, & Apuliam, unde modo Campaniae, modo Apuliae deputati. Servius lib. 7. Aeneid. Hirpinos intra Apuliam locat, & Vossius, lib. 1. Hist. Pelag. c. 6. Eclanum Apuliae Peucetiae Oppidum dicit, laudatque *veteres, & recentiores Geographos*; Ex divisione vero Adriani Eclanum & Beneventum ad Campaniam pertinebant, &c.

Digitized by Google

JUSTINUS, genere Samaritanus, Stoïcae sectae philosophus, ut ipsemet in secunda Apologia pro Christianis ad Antoninum Imper. testatur, civis fuit Flaviae Neapolis Palaestinae, Prisci Bachii filius; Romaeque habuit τὰς διατριβὰς, & Crescentem Cynicum vita, & religione adversarium. Hic itaque inter multa ingenii sui immortalia monumenta reliquit in Apocalipsim Joannis commentaria. Creditur etiam esse auctor cujusdam libri, qui praenotatur CENTUM ET QUADRAGINTA SEX QUESTIONUM: quas Gentes ex variis locis utriusque testamenti Christianis objiciebant: cujus initium sic habet, *Unde principium est*. Hunc Joachimus Perionius Benedictinus Latine vertit. Sed, cum in ejusdem libri quaestionibus 82. 86. & 115. citentur Irenaeus, & Origenes, longe eo posteriores, alterius auctoris oportet esse opus. Stylus non est absimilis a quaestionibus Theodoreti in Octateuchum. Claruit sub Antonino Pio martyrio coronatus anno Domino C.L.

JUVENCUS, nobilissimi generis Hispanus, presbyter, poëta sui aevi celebratissimus, quatuor Evangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros Evangelicae historiae composuit, primus omnium ausus Evangelii majestatem sub metri leges mittere, Constantino principe, & filiis ejus imperantibus, anno Domini CCCXXX. Opus sic incipit,

Immortale nihil mundi compage tenetur,

L

LANFRANCUS, Cantuariensis in Britannia episcopus, natione Italus, patria Papiensis, abbas quondam coenobii Codonensis, omnium sui temporis in omni literarum genere doctissimus, & in concilio, quod Romae adversus Berengarium diaconum ecclesiae Andegavensis haereticum a 113. Episcopis sub Nicolao II. celebratum est, longe clarissimus, inter alia praestantis ingenii sui monumenta reliquit pios, atque eruditos in totum Psalterium, & in omnes Pauli epistolas commentarios. Claruit sub Henrico Imperatore III. anno Domini M.LX.

LAURENTIUS Justinianus, patria Venetus, ordinis Coelestini, inclytae Venetiarum urbis patriarcha, vitae sanctitate, miraculorum gloria, & sincerae eruditionis candore clarissimus, scripsit non ineleganti stylo in Joannis cap. 12. 13. & 14. De sermone Domini in ultima coena librum unum, dulcibus colloquiis suavissimum. Claruit anno Domini M.CCCCX. (a)

LAURENTIUS Villavincentius, Hispanus, apud Burgenses concionator, ordinis Eremitarum, collegit tabulas rerum memorabilium, quae tractari possunt in singulis Evangelicis, & epistolaribus lectionibus festorum dierum, concionatoribus apprime utiles. Harum praefatio incipit, *Officium postulat*. Floruit anno Domini M.D.LX.

LEANDER, Hispalensis ecclesiae in Hispania episcopus, natione Afer, patria Carthaginensis, instituto monachus, vir sanctarum scripturarum eruditione illustris, cui Gregorius primus Pont. Max. sua in Job commentaria dedicavit, multa edidit amplectendae lectionis volumina, inter caetera vero duplicem ordinem orationum, ac meditationum in totum Psalterium. Claruit sub Richardo piissimo Visigothorum rege; quem ab Arriana perfidia una cum universa Visigothorum gente illi subdita ad fidem catholicam convertit; cum ante ab eadem impietate reduxisset fratrem quoque ipsius Hermigildum, Levigildi Gothorum regis filium; quem crudelissimus pater, Arianae impietatis defensor, in vigilia paschae pro catholicae fidei confessione capite truncatum martyrii laurea coronavit. Claruit sub Mauritio Imperatore anno Domini D.XC. (b)

In Dialogis S Gregor. M. Lib. III. c. 31. scribitur Hermenegildus Rex Leovigildi Regis Visigothorũ filius.

LEO Papa primus, natione Thuscus, in divinis scripturis eruditissimus, & in declamandis homiliis facundissimus, sub Leone Augusto anno Domini CCCCLXI. inter multas homilias scripsit in Matth. cap. 5. homilias duas: quarum

(a) Laurentius Justinianus patria Venetus, dignitate Patricius ab Eugenio IV. Anno circiter 1431. vel 1435. Venetiarum Episcopus renunciatus, a Nicolao V. autem An. 1450. Patriarchae titulo decoratus, Anno autem 1455. Coelo redditus, & ab Alexandro VIII. Anno 1690. Sanctorum Albo adscriptus, non fuit Ordinis Coelestini alumnus, sed Canonicus Regularis S. Augustini Congregationis S. Georgii in Alga.

(b) S. Leander natione Hispanus, Chartaginensis, seu Carthagenae in Hesperia natus, non vero Afer, ut Author scribit.

Digitized by Google

rum prima incipit *In illo tempore videns Jesus turbas*. Secunda vero, *Praedicante Domino*. Item de transfiguratione Christi ex Math. cap. 17. Sermonem incipientem Evangelia dilectissimi (a).

LEONARDUS Giphonensis, sive ex Jovis phano, quod oppidum Campaniae est, Franciscanorum XXIII. generalis antistes, ac deinde Romanae ecclesiae cardinalis, scholasticae theologiae professor nobilissimus, scripsit ingentem lecturam scholasticam super Canticum Canticorum in centum quadraginta Cantica, hoc est in totidem ejus libri particulas, vel sententias divisam, multa abstrusioris, theologiae arcana continentem: quam Antoninus, archiepiscopus Florentinus, se vidisse, & legisse scribit in tertio Chronicorum suorum volumine. Claruit sub Carolo IV. Aug. M.CCCLXX.

LEONTIUS, Episcopus Neapoleos Cypri, vir disertus, & eruditus, qui adversus Iconomachos libros quinque composuit, & multas panegyricas dictavit orationes, scripsit in Matth. cap. 17. De transfiguratione Domini homiliam unam, citatam in 6. actione synodi secundae Nicaenae. Floruit circa tempora Phocae Imp. anno Domini D.CX.

LUCAS, abbas montis S. Cornelii, ordinis Benedictini, in exponendis divinis scripturis nobile sortitus ingenium, scripsit opusculum, ex Aponii monumentis collectum, in Cantica Canticorum, anno Domini M.CXXX. (b)

LUcas Lossius scripsit Annotationes scholasticas in Evangelia Dominicalia, & ea, quae festis diebus leguntur: adjecitque in singula Evangelia districha argumenta, doctrinas summarias, locos, & objectiones cum solutionibus dialecticis.

LUCAS, monachus Graecus ex instituto D. Basilii, scripsit expositionem in quatuor Evangelia, quae in bibliotheca S. Salvatoris Graece scripta servatur Bononiae.

LUCIANUS, vir disertissimus, Antiochenae ecclesiae presbyter, & postea Nicomediae episcopus, ac martyr sanctissimus, visis omnibus ante se factis editionibus, & cum Hebraïca veritate diligentissime collatis, propriam, ut Euthymius testis est, Graecam editionem multo superioribus emendatiorem Christianis tradidit: quae apud Nicomediam manu ejus conscripta reperta est in turre quadam apud Judaeos calce illita post ipsius Luciani mortem, sub Constantino Imperatore Magno. Haec cum LXX. interpretum editione in sensu consentit, ejusque exemplaria λουκιανεῖα hoc est Lucianaea, a nonnullis dicta sunt, apud aliquos verò Septimae editionis nomen accepere. Quanquam Isidorus, Hispalensis episcopus, arbitretur Origenem fuisse non solum quintae, & sextae, sed septimae quoque editionis repertorem: Hujus Lucianaeae translationis publica lectione ac fide omnes a Constantinopoli usque ad Antiochiam ecclesiae usae sunt. Passus est autem Lucianus Martyr Nicomediae ob confessionem Christi, sub persecutione Diocletiani & Maximiani; sepultusque Helionopoli Bithyniae, anno Domini CCLXXX.

LUCRETIUS Tyroboscus, Asulanus, Carmelita scripsit ad Joannem Trivisanum inclytae Venetiarum urbis Patriarcham succinctam in Psalmum 118. paraphrasim, cui titulum fecit, ethicam Spiritus Sancti, Anno Domini MDLXVI.

LUDOLPHUS, natione Saxo, ex ordine Praedicatorum, post trigesimum suae professionis annum ad Instituta Cartusianorum translatus, & in monasterio Argentinensi receptus, vir in sanctis Voluminibus studiosissimus, professione Scholasticus, sermone simplex, & fervidis quibusdam affectibus amabilis, collegit ex Hieronymi, Augustini, Cassiodori, & Petri Lombardi sententiis exactam in Psalmos expositionem; in qua typicos sensus maxime sectatur, non ita tamen, ut literalem intelllgentiam negligat; addens ad calcem cujuslibet Psalmi devotam, & consonam ipsi Psalmo precationem. Operis initium est, *Sicut olim manna*. Idem ex quatuor Evangelistis unicam collegit vitae Christi historiam, quam lucidissimis, & piisimis juxta quadruplicem sensum explanationibus illustravit, adjectis ad finem singulorum capitulorum devotissimis precationibus, praecedentis ca-

(a) Leonem I. Rom. Pontificem natione Thuscum dixit N. Xystus ex Authore libri *Pontificalis*. Verum natione Romanum illum fuisse ex inlustribus Viris habetur, & constat etiam ex aliis MSS. ejusdem Pontificalis. Vide Guillelmum Cave, & dissertationem I. novissimae editionis Operum S. Leonis.

(b) Lucas Abbas Montis S. Cornelii prope Leodium fuit Ord. Praemonstratensis.

Digitized by Google

capituli argumento deſervientibus. Opus incipit, *Fundamentum aliud*. Claruit ſub Ludovico Imperatore IV. anno Domini MCCCXXX.

LUDOVICUS Junior Pariſetus, Regienſis, ſcripſit heroïco verſu ad Varium Tolomaeum fratrem in primum Geneſeos caput Theopejae libros ſex: quorum initium eſt,

Inceſſit jam dudum animum Tolomaee cupido.

CLARUIT anno Domini MDL.

LUDOVICUS Pictorius, Ferrarienſis, poëta non ignobilis, edidit ſoluta oratione Paraphraſin in Pſalterium, anno Domini MDX.

M

MAMMOTREPTUS, ſic ab inſcriptione Dictionarii a ſe editi cognominatus, vir ſimplex, & devotus, ex ordine Minorum, illius pauperculae viduae inopem largitatem ſecutus, quae de ſua tenui pauperie duo minuta in Gazophylacium templi conjecit, ipſe quoque de ſua exigua facultate obtulit in templum Domini quod habebat, hoc eſt, Dictionarium vocabulorum totius Bibliae, Latinarum vocum prolationem, accentum, & ſignificationem craſſa, & rudi Minerva explicans. Quod quia rudibus clericis, & adhuc in Latina lingua infantibus, veluti mammam ſugendam, & infantibus manibus tractandam inſtar piae nutricis, exhibuerat, MAMMOTREPTUM inſcripſit, tacito ob humilitatem ſuo ipſius nomine: pro quo poſtea Mammotrepti nomen invaleſcenti conſuetudine ſortitus eſt. Opus incipit, *Impatiens propriae imperitiae*, Claruit anno Domini MCCCCL.

MAPHAEUS Veggius, natione Italus, patria Laudenſis, Martini Papae V. Datarius, vir divinae Scripturae non ignarus, orator & poëta nunquam ſatis laudatus, cujus ditiſſimae venae foelicitatem liber 13. Virgilianae Aeneidi ab ipſo additus, ſatis ſuperque oſtendit; in ultima ſenectute ſua emiſit Elegiaco verſu in ſeptem Pſalmos elegantem & vere cygneam Paraphraſin. Claruit anno Domini MCCCCXXX.

MARBADUS, epiſcopus Redenenſis, liberalibus diſciplinis eruditus, poëta ſuorum temporum eximius, & ſacrorum eloquiorum Profeſſor inſignis, edidit eleganti carmine pulcherrimam explanationem in Cantica Salomonis juxta triplicem ſenſum anagogicum, allegoricum, & moralem. Claruit ſub Henrico III. anno Domini ML.

MARCUS Ulmenſis, Germanus, ex ordine Minorum, profeſſione Scholaſticus, Diſtinctionarium in univerſam Scripturam ſanctam collegit, Scholaſticis expoſitoribus utiliſſimum: cujus initium eſt, *Abſtinentia multipliciter ſumitur.* Claruit anno Domini MCCCC.

MARIANUS, monachus Fuldenſis, natione Scotus, ordinis S. Benedicti, hiſtoriae ſcriptor, compoſuit De concordantia Evangeliorum librum unum. Moritur anno Domini MLXXXVI.

MATTHAEUS de Aquaſparta, ordinis Minorum duodecimus miniſter generalis, & poſtea epiſcopus Portuenſis, S. Romanae Eccleſiae Cardinalis, in ſaeculari philoſophia juxta morem ſui temporis magnifice doctus, & in divinis Scripturis excellentiſſimus, edidit ſub Rodulfo Imperatore anno Domini MCCXC. in epiſtolas Pauli librum unum.

MATTHAEUS Aulae regiae monachus, natione Germanus, vir in diſputando ſubtilis & acris, in Boëmia cum Joanne Huſſio Pragenſi haereſiarcha ſaepe congreſſus, eum cum haereticis ſectatoribus ipſius ſaepiſſime devicit: ſed poſt nimiam haereſeon pullulationem, ex Boëmia in Germaniam ad monaſterium Veteris cellae ordinis Ciſtertienſis, tanquam in portum, venit; in quo fratres aſſidua ſacrorum lectione inſtruens, reliquit in omnes Pſalmos Scholaſticam lecturam ſatis laudandam. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore anno Do. MCCCCXV.

MATTHAEUS Aurogallus, natione Germanus, trium linguarum peritiſſimus, Euſebium aemulatus edidit librum de Hebraïcis urbium, regionum, populorum, fluminum, montium, & aliorum locorum nominibus, quae in ſanctis Scripturis leguntur: in quo omnes appellationes Hebraïcis characteribus

per..

Digitized by Google

per ordinem alphabeti disposuit, citatis singulis divinae Scripturae locis, in quibus ipsa nomina inveniuntur: liber incipit, *Cum nuper mecum, &c.* Claruit sub Carolo V. Augusto, anno Domini MDXXVI.

MATTHAEUS Bredembacchius, Kerspensis, apud Embricam, dum vixit, Gymnasiarcha, scripsit in Matthaeum, atque in novem & sexaginta Psalmos pulchra Commentaria, partim ex vetustis, partim ex recentioribus auctoribus collecta. Floruit anno Domini MDL.

MATTHAEUS Doringus, natione Saxo, Minoritanus, provinciae Saxoniae minister, Scholasticae theologiae Professor egregius, inita pro defensione Doctoris sui Nicolai Lyrani pugna adversus Paulum episcopum Burgensem, Postillam ejusdem Nicolai impugnantem, objectiones ejus evertere annitus est, editis novis concertationibus, quas, Commentariis Lyrani statim post Paulinas additiones subjectas, REPLICAS ADVERSUS PAULUM BURGENSEM attitulavit. Operis initium est, *Modestiam antiquam*. Claruit sub Friderico Imperatore III. anno Domini MCCCCXL.

MATTHAEUS Ebroicensis, Nortmannus, Praedicatorii ordinis Professor, subtilis sacrorum voluminum perscrutator, Carolo VI. Gallorum regi ob eximiam religionem eruditionemque gratissimus, composuit in quinque libros Mosi, & in Esaiam utilissimam Postillam. Matthaeus Ebroicensis circa Annum 1390. clarus.

MATTHAEUS Oryus, Hispanus, Dominicanus, haereticae pravitatis per Gallias inquisitor, scripsit in dictum Pauli, *Volo quinque verba loqui*, adversus haereses librum unum. Matthaeus Ory non Hispanus, sed Gallus, Armoricus, obiit Parisiis An. 1557.

MATTHAEUS, Patriarcha Constantinopolitanus, ordinis Praedicatorum, totum divinae Scripturae corpus redegit in quatuor locorum communium libros; quorum initium est, *Omnia poma nova*: servatur Bononiae in Bibliotheca nostra Praedicatorum.

MATHIAS, Vindonicensis Presbyter, historiam Tobiae elegiaco versu exposuit, sic exorsus,

Ex agro veteri virtutum semina morum.

CLARUIT inter Scholasticos, anno Domini MCCCC.

MAURICIUS, Episcopus Parisiensis, ingenio subtilis, sermone Scholasticus, & eruditione singularis, edidit sermonum in Evangelia festiva libros duos. Claruit anno Domini MCXC.

MAXIMUS Monachus, sermonem edidit in illud Exodi 37. De Candelabro, & septem lucernis: ex quo Thomas in libro contra errores Graecorum testimonia profert, quod Spiritus a Patre procedat. (a)

MAXIMUS, Taurinensis ecclesiae episcopus, sanctarum Scripturarum peritissimus, & extemporalis declamator admirabilis, scripsit elegantissimas Homilias in varios utriusque Testamenti locos. Moritur sub Theodosio Juniore, anno Domini CCCCXX.

MELCHIOR Cano, Hispanus, Episcopus Fortunatarum insularum, ordinis Preedicatorum, librum utilissimum composuit De locis difficillimis divinae Scripturae: item in illud Lucae capit. decimotertio. Nisi poenitentiam egeritis. De poenitentia librum unum, anno Domini MDLX.

MELITO Asianus, Sardensis Ecclesiae Episcopus, sanctitate & eruditione venerabilis, quem Tertullianus asserit ab antiquis veluti Prophetam habitum, excerpsit ex omnibus sparsim Scripturis.

Ἐκλόγων, id est, Excerptorum, ad Onesimum fratrem suum libros sex: in quibus diversa Scripturarum testimonia, ad institutionem Christianae vitae conducibilia, pulchro ordine aptavit.

ITEM in illud Gen. 1. Faciamus hominem, De Deo incorporeo librum unum.

DE vita Prophetarum librum unum.

IN Apocalypsin librum unum.

(a) Ex Maximo Monacho S. Thomas loco laudato, cap. quod incipit. *Item Cyrillus*, testimonium profert pro processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio. Sunt enim haec Maximi verba, quae S.D. profert: „ Spiritus Sanctus quemadmodum per naturam existit a Deo Patre secundum essentiam, sic & ex Filio secundum essentiam existit veraciter, tanquam „ ex Patre per Filium procedat Deus: intelligitur „ autem, & est ex Patre, sicut ex ipso procedens „ .

Digitized by Google

DE Catalogo divinorum utriuſque Teſtamenti voluminum ad Oneſimum epiſtolam unam.

CLARUIT ſub Marco Antonino Vero, anno Domini CLX. (a)

METHODIUS (qui & Eubulius dictus eſt) Olympi Lyciae, & poſtea Tyri Epiſcopus, vir ſanctitatis & doctrinae ſingularis, eloquii nitidi compoſitique ſermonis, conſcripſit pro defenſione ſanctarum Scripturarum adverſus inſanum Porphyrium, qui eas oppugnaverat, praeclariſſimum Opus.

RELIQUIT etiam in Geneſim Commentarios.

ITEM in caput 28. primi Regum De Pytoniſſa librum unum.

IN Cantica Canticorum librum unum.

IN Apocalypſim librum unum: cujus fragmenta leguntur in Rapſodiis explanationum Arethae in Apocalypſin.

MORITUR autem ſub ultima Eccleſiae perſecutione, vel, ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano in Chalcide, Graeciae civitate, Martyrio coronatus, anno Domini CCLV.

MICHAËL Adam Judaeus, converſus, Biblia vertit in linguam Germanicam, & in uſum Judaeorum characteribus Hebraïcis expreſſit.

MICHAËL Angrianus, Bononienſis, Carmelitarum generalis antiſtes, theologus, philoſophus, & canoniſta ſummus, qui ordinem ſuum ſub Urbano Papa VI. novem annis juſte, ſancteque rexit, ſcripſit Scholaſtico more in totum Pſalterium Commentariorum libros quinque, & in Lucae Evangelium lib. 1. qui apud ejuſdem Inſtituti Profeſſores magno in precio habentur. Moritur ultimo anno Venceslai Imperatoris anno Domini MCCCXCVI. (b)

MICHAËL, natione Hetruſcus, ex oppido Maſſae, Eremitanus, theologus Scholaſticus valde acutus, cujus multos in ſacra Biblia Commentarios temporum abſumpſit injuria, ſcripſit ſtylo Scholaſtico,

IN Eſaïam	librum unum.
IN Matthaeum	librum unum.
IN Lucam	librum unum.
IN Marcum	librum unum.
IN Joannem	librum unum.
DE paſſione Domini ex quatuor Evangeliis	librum unum.

CLARUIT anno Domini MCCCL.

Michaël de Furno Inſulanus, ſeu Picardus Anno 1340. clarus ſcripſit quoque Poſtillas in Lucam, Joannem, & Apocalypſin.

MICHAËL de inſula Picardiae, ordinis Praedicatorum, ſcripſit Lecturam ſcholaſticam in Canticum Canticorum, incipientem, *Cantabo dilecto meo, &c.* & Poſtillam in Danielem, quae incipit, *Abſcondita produxit*. Servatur Venetiis in Bibliotheca D. Joannis & Pauli.

MICHAËL Mediolanenſis, ordinis Minorum, theologus & declamator celebris, vitae quoque exemplo conſpicuus, edidit Scholaſtico more ſermones undecim in Decalogum ex vigeſimo capite Exodi. Claruit an. Do. MCCCCLXXX.

N

NEPOS, incertae urbis in Aegypto Epiſcopus, vir plane bonus & eruditus, ſed Chiliaſtarum errore deceptus, ſcripſit interpretationem omnium repromiſſionum, quae habentur in Apocalypſi Joannis; eaſque corporaliter intelligendas eſſe docuit; & ſanctos mille annis in deliciis corporeis in hac terra eſſe cum Chriſto regnaturos ex iiſdem Joannis teſtimoniis confirmavit: de quo Dionyſius Alexandrinus in ſecundo volumine explanationis in Apocalypſin ſic loquitur: COMMENTARIOS quoſdam proferunt Nepotis, quibus innituntur plurimum, & per quos putant oſtendi, qualiter regnum Chriſti futurum ſit ſuper terram: ſed in aliis quidem multis etiam ego amplector, & diligo Nepotem vel pro fide ſua, vel pro eruditione Scripturarum, & praecipue pro exercitio pſallendi: quoniam quidem multi fratrum libenter pro hoc ejus elegere conſortia: eſt ergo etiam mihi magis erga eum multa reverentia: & inde magis, quia jam praeceſſit ad Deum ſed

(a) Quamplura in Geneſim ex Catena Graeca Melitoni tribuuntur, quae tamen, ut Petrus Alloix, & Helias Du-Pin optime obſervant, indigna ſunt tanto Viro, & puerilia continent.

(b) Michaël Angrianus idem eſt ac *Incognitus*.

Digitized by Google

ſed revera plus omnibus amanda & praeferenda eſt veritas: laudare oportet, & abſque invidia amplecti, ſi quid recte ab eo dictum eſt; rejici vero, ſi quid minus ſane ab eo ſcriptum eſt: ſicut in his libris, in quibus docet nihil excelſum, nihil magnificum ſentire de adventu Salvatoris noſtri Jesu Chriſti, neque de reſurrectionis gloria, & noſtrae congregationis in ipſum ac ſimilitudinis repromiſſae; ſed parva quaedam, ac ſemper mortalia; & non alia, quam ſunt ea, quae nunc videmus, ſuadet ſperare in regno Dei. Haec Dionyſius. Claruit ſub Galieno Imperatore anno Domini CCLXX.

NICEAS, Romacianae urbis Epiſcopus, vir in divinis Scripturis ſtudioſus, inter alia multa ſua Opuſcula, ſcripſit ſub Theodoſio Auguſto, anno Domini CCCCXX. De victima agni Paſchalis in duodecimum Exodi caput librum 1. Nicaeas Romatianae, hoc eſt Aquilejae Epiſcopus, ut Baronius Not. in Martyrol. ad 23. Junii interpretatur.

NICEPHORUS Calliſtus, Xantopulus, cujus extant 18. libri hiſtoriae Eccleſiaſticae, edidit Synopſin, id eſt, Contuitum totius divinae Scripturae, jambis trimetris digeſtum: in quo argumenta omnium ſacrorum Voluminum breviter complexus eſt. Opus ſic incipit,

Ὅς παπὰ τῆς ἐστὶν ἀνάρχος φύσις.

CLARUIT ſub Emanuele Imperatore anno Domini MC.

NICOLAUS Anapus, ex ordine Praedicatorum, Patriarcha Hieroſolymitanus, zelo charitatis inſtinctus decerpſit ex ſacris Voluminibus Enchiridion: in quo ad utilitatem concionatorum univerſa, tam virtutum, quam vitiorum exempla, in libris utriuſque Teſtamenti diſperſa, collegit ſumma brevitate, ac ſub diverſorum argumentorum titulis ſecundum literarum conſequentiam diſpoſitis. Operis principium tale eſt, *Tanta pollet excellentia*. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore, anno Domini MCCCCXXX. (a)

NICOLAUS, Brixinenſis Epiſcopus, & Cardinalis titulo S. Petri ad vincula, ex Cuſa Germaniae oppido, vir in omni literarum genere admirandus, mathematicus, philoſophus, & theologus, ſupra quam cuiquam credibile ſit, eruditiſſimus, cui docta quaedam, tam in verbis, quam in ſententiis amica fuit obſcuritas, edidit in principium Geneſeos brevem Dialogum tantae obſcuritatis, ut vix a doctiſſimis viris poſſit intelligi: ejus initium eſt, *Saepe delectabiliq*. Item in illud Jacobi 1. Omne datum optimum, ad Gerardum Epiſcopum Solonenſem, De dato patris luminum, librum unum. *Etſi ante*. Item ſermones encyclicos per anni circulum & quadrageſimam: quorum longitudinem ipſe pertaeſus, collegit ex his, veluti ex uberrimis campis, flores elegantiores, & in libros 10. EXERCITATIONUM SPIRITUALIUM praenotatos, digeſſit: horum initium eſt, *Tu quis es?* Claruit ſub Federico III. Imperatore anno MCCCCLX.

NICOLAUS Cabaſilas, Epiſcopus Theſſalonicenſis, ſcripſit anno Domini, milleſimo trecenteſimo, Obſervationum in viſionem quatuor animalium Ezechielis librum unum, qui Graece in Vaticano ſervatur.

NICOLAUS Chenton, Carmelita, Anglus, ſcripſit in Hiſtoriam Heliſei Prophetae, & in Cantica Canticorum Poſtillam, anno Dom. MCCCCLXVIII.

NICOLAUS Clenardus, Meclinienſis, trium linguarum peritiſſimus, multis annis bonas literas Mecliniae publice profeſſus eſt; atque, ut omnibus prodeſſet, quaedam tum Latina, tum Graeca, Hebraïca quoque in lucem edidit: è quibus ſunt Meditationes grammaticae in Threnos, in gratiam eorum, qui viva Hebraïci praeceptoris voce deſtituuntur. Claruit anno Domini MDXXX.

NICOLAUS Dincelſpulus; Germanus, Viennenſis Academiae rector, ſcripſit juxta ſcholae conſuetudinem in illud Eſaïae, Et requievit ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus, &c. De ſeptem donis Spiritus Sancti librum unum, anno MCCCCXX. Nicolaus Dinckelſpulius Patria Svevus interfuit Concilio Baſileenſi delegatus Academiae Viennenſis.

NICOLAUS Gallus, ordinis Praedicatorum, a confeſſionibus regis Gallorum, reliquit in omnes D. Pauli epiſtolas ſcholaſticam Poſtillam, quae incipit, *Dedi te in lucem gentium*. *Eſaiae cap.* 49.

(a) Summam Vitiorum, & Virtutum ab Nicolao Hanape in ordinem Alphabeticum bene redactam ad legentium commodum Anno partae Salutis 1751. in vulgus edidit F. Seraphinus Montorio Congregationis N. Sanitatis alumnus, qui etiam alia Typis mandavit, aliaque ejus MSS. ſervantur a nobis.

Digitized by Google

NICOLAUS Gorranus, ordinis Praedicatorum, provincialis Franciae, in Scholasticis quaestionibus tractandis acutus, & in sanctorum lectione exercitatissimus, anno salutis nostrae MCCCXC. edidit scholastico & aperto sermone breves in universa Biblia Commentarios, sacrorum Voluminum studiosis valde proficuos: de quibus Venetiis in Bibliotheca divi Joannis & Pauli subjecta vidi, scilicet,

In Pentateuchum	lib. 5.	*In principio, &c.*
In Psalterium	lib. 1.	*Laudationem Domini loquetur os meum.*
In Ecclesiasten	lib. 1.	*Aspexi terram.*
In Ecclesiasticum	lib. 1.	*Sapientia aedificavit.*
In Threnos	lib. 1.	*Huic planctui.*
In Cantica Canticorum	lib. 1.	*Cantate Domino canticum novum.*
In Matthaeum	lib. 1.	*Liber Geneseos &c. sicut fluvius paradisi.*
In Marcum	lib. 1.	*Filiae Sion exultate, &c.*
In Lucam	lib. 1.	*Disciplinam medici.*
In Joannem	lib. 1.	*Ecce intelligat servus meus.*
In omnes epistolas Pauli	lib. 14.	*Dedi te in lucem gentium.* (a)

NICOLAUS Grandis, ordinis Minorum, sacratissimae facultatis Theologus, scripsit ad Franciscum, Gallorum regem, in epistolas Pauli ad Romanos & ad Hebraeos elegantes Commentarios, innumeris Patrum sententiis excultos: in quibus, ubi sese locus offert, animi potius lenitate, modestiaque Christiana lapsos erigere, quam sermone censorio atque objurgatorio exasperare, aut rabido dente circumrodere, annititur, non de contradicentibus victoriam, sed contra mendacium veritatem sollicitius investigans. Opus incipit, *Summae ingratitudinis insimularer*. Claruit anno Domini MDXLVI.

NICOLAUS Herbron, ordinis Minorum, regularis observantiae generalis Commissarius Cismontanus, scripsit Latino eloquio enarrationes Evangeliorum quadragesimalium, apud Coloniam Agrippinam Germanica lingua declamatas; item in Psalmum 78. enarrationem lamentatoriam, incipientem, *Quis dabit capiti meo, &c.* anno Domini MDXXX.

NICOLAUS Lyranus, natione Anglus, vel, ut quidam scribunt, ex Lyra Brabantiae oppido, genere Judaeus, & Hebraïcis literis a prima pueritia imbutus, post conversionem vero Franciscanae religioni addictus, Scholasticae theologiae Professor, & sententiarum ejus expositor non ignobilis, tanta quoque divinarum Scripturarum vera, pura, ac germana intelligentia praeditus, ut in eis exponendis nullum eruditissimorum theologorum sui temporis habuerit parem, edidit in singula, tam veteris, quam novi Testamenti volumina Scholasticae Postillae libros 85. studiosis sanctarum Scripturarum, ac praecipue tyronibus ad majora properantibus non utiles solum, sed valde etiam necessarios: in quorum prioribus quinquaginta libris universum sanctae Scripturae corpus absque orationis lenocinio, & verborum involucris brevi, nudo, & aperto sermone exposuit, summa in singulis diligentia aperiens & elucidans literae sensum caeteris divinae Scripturae sensibus, ut praestantiorem, ita difficiliorem; allatis in id non modo veterum ecclesiae Patrum expositionibus, sed Rabbinorum quoque sententiis, quarum apud Judaeos praecipua est auctoritas. Quo expleto Opere, iterum repetito labore, in triginta quinque posterioribus libris utrunque instrumentum moreli expositione illustravit. Initia librorum ejus habes apud Tritemium. Claruit sub Ludovico Imperatore anno Domini MCCCXX. Scripserunt Annotationes ac Censuras in omnia ejus Opera Paulus episcopus Burgensis, Diegus Deza, & Matthaeus Doringus: quorum prior Lyrani expositiones, ceu Hebraeis & Christianis

(a) Haec N. Nicolao Gorrano tribuit Xystus, qui haec ipsa vidit illius opera Venetiis in Bibliotheca SS. Johannis, & Pauli: verum innumera alia laudati Nicolai opera in aliis Orbis Bibliothecis servari adferit N. Jacobus Echard *Scriptor. Ord. Tom. I. fol.* 437. & praecipue quae ad rem praesentem spectant, in Josue, Judices, Ruth, Libros IV. Regum, Paralipomenon, Esdrae, Job, in Proverbia, Sapientiam, Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, & XII. minores Prophetas, in Machabaeos, in VII. Canonicas Epistolas, & in Apocalypsin. Ex quo etiam observandum occurrit, quod initium Commentarii in XIV. Paulinas Epistolas non est illud quod N. Xystus praefigit: *dedi te in lucem gentium*, quod etiam inscribitur commentario Nicolai Galli, sed *Vidi alterum Angelum volantem*. Quamvis commentarii ejusdem Nicolai Gorrani in Epistolam ad Timotheum idem habeant praefixum initium, seu thema *dedi te in lucem &c.*

Digitized by Google

ſtianis auctoribus contrarias, oppugnavit: poſterior adverſus locos aliquot, in quibus Lyranus D.Thomae adverſatur, defenſiones edidit: tertius pro Lyrano adverſus Burgenſem epiſcopum decertat.

NICOLAUS Tacitus Zigenus, Minorita, ex Dyſtemio oppido Brabantiae, edidit ad Julium Tertium, Pontificem Maximum Caſtigationes in novum Teſtamentum in quibus depravata reſtituuntur, adjecta reſecantur, & ſublata adjiciuntur: cui titulum fecit Epanorthotes, ſive Reſtitutor locorum depravatorum, ſeu alteratorum. Opus incipit, *Tanta eſt paſſim*. Idem collegit in omnes novi Teſtamenti libros ſcholia, quibus loci difficiles, aut etiam ambigui juxta originalem Scripturae phraſim, ac vetuſtiſſimorum theologorum citationem doctiſſime ac exquiſite ſunt explicati. Opus ſane omnibus recte divinam Scripturam ſecare volentibus longe utiliſſimum. Claruit anno Domini MDXL.

NICOLAUS Trivet, Anglus, ordinis Praedicatorum, ſcripſit Scholaſtico more ad Haymericum, magiſtrum ordinis, Poſtillam in Leviticum, incipientem, *Venerando patri F.Haymerico*: item in Pſalterium ad fratrem Joannem, provincialem Angliae, Poſtillam, incipientem, *Reverendo patri F.Joanni*. Claruit anno Domini MCCCC. (a)

NINIANUS, Pictorum epiſcopus, regio Britannorum ſanguine editus, cum Romam adoleſcens veniſſet, ibique Chriſtianam ſapientiam ſummo ſtudio didiciſſet, reverſus in Septentrionales regiones, Pictorum gentes ab idolorum impietate ad Chriſti cultum deduxit: cumque apud eas divina eloquia aſſidue docuiſſet, ſcripſit aliqua in Sacras literas magnae pietatis & eruditionis Commentaria: de quibus maxime celebrantur Meditationes in Davidicos hymnos. Vixit, ut ex Bedae hiſtoria colligitur, anno ſalutis noſtrae CCCCXL.

NILUS, patria Conſtantinopolitanus, ex ejuſdem urbis praefectura ad monaſticam vitam tranſiens, multorum in Oriente monachorum pater, ſanctitate & eruditione celebris, cujus ſexta Synodus ſcripta veneratur, ſcripſit in Job Commentarios. (b)

NONIUS Marcellus Saja a Rocca glorioſa, emiſit in ſeptem Pſalmos poenitentiales precatorias Paraphraſes, anno Domini MDL.

NONNUS Panopolitanus, inter Graecos Chriſtianorum poëtas praecipuus, cujus feruntur Dionyſiacon libri quadraginta octo, heroïce conſcripti, Paraphaſin hexametris Graecis carminibus in Joannis Evangelium compoſuit, quam nos typis Aldi excuſam legimus: ejus initium eſt, ἀχρόνος ἦν καὶ χυὸς ἐν ἀρρήτῳ λόγος ἀρχῇ. Nonnus gente Aegyptiacus urbe Panopolitanus An. 410. clarus.

O

ODO, Primus Abbas Cluniacenſis, ordinis S.Benedicti, Remigii Antiſiodorenſis quondam auditor, muſicae periſſimus, archicantor eccleſiae Turonenſis, divinae Scripturae ſtudioſiſſimus, declamator Homiliarum praecipuus, rogantibus fratribus, libros quinque & triginta Commentariorum beati Gregorii ſuper Job in unicum breve volumen perſtrinxit. Claruit anno Domini DCCCCXX.

ODO, epiſcopus Cameracenſis, vir Latino ſermone eleganter doctus, theologiae peritiſſimus, declamator apud ſuos praecipuus, ſcripſit De villico iniquitatis librum unum: cujus initium, *Homo quidam erat dives*. Odo Cameracenſis Anno 1105. clarus.

ODO Gallus, ex ordine Praedicatorum, ſcholaſticam Poſtillam ſcripſit in omnes Pauli epiſtolas, quae Venetiis habetur in Bibliotheca S.Joannis & Pauli; & incipit, *De comedente exivit cibus*.

OECUMENIUS, Graecus auctor, valde doctus, in explicandis divinis Scripturis brevis, apertus, & elegans, atque in veterum Commentariis evolvendis aſſidue verſatus, collegit ſolerti cura ex dictis praeſtantiſſimorum Graecae eccleſiae Doctorum nobiles annotationum Commentarios in Octateuchum; quos ipſe in Commentariis ſuis in epiſtolam ad Hebraeos capite ſexto ſe ſcripſiſſe teſtatur; col-

(a) Nicolaus Trivet, vel Treveth ultra enumeratos ab Xyſto libros in S. Scripturam ſcripſit etiam Commentarios in Geneſim, & Exodum. In libros Paralipomenon, & in Pſalterium, nec non in Sacra Biblia catenam ex SS. Patribus: alia item inſignia opera ſcripſit quae praecipue recenſet N. Jacobus Echard *Script. Ord. Tom.I. p.562.*

(b) Ex quonam Authore N. Xyſtus tradat Nilum Monachorum in Oriente Patrem edidiſſe commentarios praefatos, nec ex eo, qui nullum indigitat, nec ex aliis colligere potui. Univerſim enim qui de Hiſtoria literaria pertractant, dum Nilum Chryſoſtomi diſcipulum Anno 440. clarum & inſignem in Oriente Abbatem laudant, plura eidem opera, etiam in Sacram Scripturam, adjudicant, at de commentariis in Jobum nec verbum quidem habent.

Digitized by Google

collegit etiam persimili industria in totum novum Testamentum Catenam explanationum: ex quibus legi,

IN Acta Apostolorum librum unum, cujus initium est, *Lucas Evangelista*.
IN omnes epistolas Pauli libros 14. quorum initium est, *Eutalii Diaconi*.
IN epistolas Canonicas libros septem. *Hunc scribit Jacobus.*
IN Apocalypsim librum unum. *Sciendum quod universum.*

NOMINA vero auctorum, ex quorum explanationibus contexta est, haec sunt:

Papias,	Eusebius,	Gregorius Nazianzenus,
Clemens,	Methodius,	Severianus,
Methodius,	Basilius,	Gennadius,
Dionysius,	Gregorius Nyssenus,	Arethas,
Irenaeus,	Acacius,	Andreas,
Origenes,	Isidorus,	Cyrillus,
Hippolytus,	Photius,	Theodoretus.
Athanasius,	Chrysostomus,	

HIS explanationibus Oecumenius suas quoque explanationes proprio nomine praenotatas inseruit; ut ex titulo cognosceret Lector, & quid ab ipso, & quid ab aliis Patribus haberet. Transtulit hoc Opus in Latinam linguam Joannes Hentennius Meclinensis, monachus Hieronymianus, adjectis Annotationibus locorum aliquot, in quibus Oecumenii editio differt a vulgata Graeca novi Testamenti editione. Claruit, ut ex temporibus auctorum, qui ab eo citantur, apparet, post annum Domini DCCC.

OLYMPIODORUS monachus, natione Graecus, philosophus Peripateticae scholae, cujus exrant praeclari in meteora Aristotelis Commentarii, scripsit Graece juxta triplicem sensum enarrationem in Ecclesiasten succinctam, eruditam, brevem, & elegantem: quam Zenobius Acciajolus, Florentinus, in Latinum transtulit: ejus initium est, *Rerum certam cognitionem*.

OLYMPIODORUS Diaconus, natione Graecus, vir doctus, scripsit Graece in totum librum Job eruditissimos & elegantissimos juxta literae sensum Commentarios: quorum multa fragmenta adhuc extant in Catena Graeca super Job, quae Genuae habetur in Bibliotheca Saulia. Opus incipit, ὑπόθεσις μὲν ἡμῖν. Opus vero integrum in Bibliotheca Vaticana servatur. (a)

ORESIESIS, monachus & eremita, Pachomii & Theodori monachorum in solitudinibus Aegypti commorantium collega, vir in sanctis Scripturis ad plenum instructus, congregavit ex divinis eloquiis volumen, universam monasticae disciplinae institutionem continens; in quo totum vetus, ac novum Testamentum compendiosis dissertationibus juxta duntaxat monachorum necessitatem invenitur expositum, quod vice Testamenti prope diem obitus sui fratribus obtulit. Claruit sub Honorio Augusto anno Domini CCCCXX.

ORIGENES Adamantius, patria Alexandrinus, Leonidae martyris filius, Ammonii praestantissimi philosophi in philosophia, & Clementis Alexandrini in Sacris dogmatibus auditor, ac discipulus, vir tantae fuit eruditionis & ingenii, ut ei parem doctissima Graecia, foeliciissimorum ingeniorum parens, nunquam habuerit: nam quod ad saeculares disciplinas attinet, ita Graecam & Hebraïcam linguam tenuit, sic rhetoricam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, musicam, astronomiam, & physicen novit, ita omnem philosophiam, & cunctas philosophorum sectas, auctores, assertoresque sectarum, omnesque earum assertiones, & dogmata; omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam & inexplebili mentis capacitate complexus est, ut magni nominis philosophos, licet alienos a Christo, sectatores, admiratores, & laudatores habuerit: de quorum numero Porphyrius, acerrimus Christiani nominis hostis, cum in libris illis, quos adversus religionem nostram emisit, divinas Scripturas una cum ipsarum explanatoribus impie criminaretur, convicia & calumnias in Origenem conjecit, apud

(a) Olympiodorus, Monachus Graecus, floruit circa Annum 990. quum certus aetatis, qua claruit, Annus adsignari nequeat ex varia Scriptorum opinione. Diaconum eum fuisse omnes adstruunt, sed aliqui Alexandrinae, alii Constantinopolitanae Ecclesiae Levitam eum adserunt. Num autem idem ille sit qui Commentarios in Aristotelis Metheora edidit? incertum etiam est ex varia Scriptorum opinione; & ut advertit Casimirus Oudin *T. II. col. 513.* etiam N. Xystus ambigue loquitur, Consule Criticos saepe laudatos. Extat ejus Commentarius in Ecclesiasten Graec. Latin. in Auctar. PP. Ducaeano T. II.

Digitized by Google

apud nos omni laude & commendatione digniſſimas, in hunc plane modum ſcribens: ADHAERENT, Chriſtiani ineptiis Judaïcarum Scripturarum; & ea, quae Moſes agreſti & ſimplici ſermone conſcripſit, divinitus ſancita, & figuris, atque aenigmatibus obtecta eſſe confirmant, atque, ut ingentibus repleta myſteriis, exponunt: cujus abſurdae expoſitionis genus initium habuit a viro, quem ego, cum adhuc eſſem valde puer, vidi, arcem totius eruditionis tenentem: ſicut etiam ex his, quae poſteritatis memoriae tradidit, comprobatur. Origenes hic eſt: cujus ingens gloria inter eorum magiſtros habetur: qui aſſecutus fuerat omnia Platonis ſecreta: inſtitutus fuerat in libris Numenii, & Chronii, & Apollophanis, & Longini, & Moderati, atque Nicomachi: in Pythagoricis vero ſummorum virorum eum non latuere Commentaria: attigit etiam Cheremonis Stoïci, & Cornuti volumina: ex quibus omnia ſecreta & myſtica, quaecunque apud Graecos habentur, aſſumens, ritui barbaro, & ſuperſtitionibus Judaïcis coaptavit, & philoſophorum gloriam ad externa & peregrina Chriſtianorum dogmata convertit. Haec Porphyrius in tertio adverſus Chriſtianos volumine. Qualis autem, quantuſque in divinis Scripturis fuerit Origenes; facile poſſemus ſcire, ſi ingens ille Origenicorum voluminum Index ſupereſſet, quem Euſebius Caeſarienſis in libro De vita Pamphyli Martyris, & Hieronymus in epiſtola ad Paulam, Euſtochii matrem, deſcripſerunt.

SED copioſiſſimi indicis loco ſufficere poſſunt ad id oſtendendum clariſſimorum eccleſiae Patrum de eo teſtimonia. Didymus in primis appellat eum ſecundum poſt Apoſtolos eccleſiarum magiſtrum. Athanaſius eum fidei ſuae teſtem lucupletiſſimum vocat. Severus Sulpicius aſſerit eum in ea parte, qua probatur, neminem poſt Apoſtolos habuiſſe aequalem. Hieronymus eundem praedicat ſacrorum omnium Expoſitorem victorem, optans cum invidia Origenici nominis ejus quoque intelligentiam habere ſcripturarum. Epiphanius & Rufinus eum ſex millia voluminum in ſacras Scripturas elaboraſſe referunt. Vincentius Lirinenſis, utrique ſynchronos, addit, neminem mortalium plura ſcripſiſſe, quam Origenem; cujus Opera non ſolum perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſibile ſit. Pamphilus, Martyr ſanctiſſimus, ita eum adverſus omnes ſui temporis haereſes fortiter & conſtanter armis Scripturae divinae dimicaſſe affirmat, ut omnia haereticorum aedificia, & diabolicae machinationis fundamenta ſubverterit: denique tanta fuit ſacra Origenis doctrina, etiam cum mira vitae ſanctitate conjuncta, ut quidam de ſummis eccleſiae Proceribus dicere aliquando non dubitaverint, malle ſe cum Origene errare, quam cum aliis bene ſentire.

Didymus in Periarch. apud Socratē, Athanaſius lib. de Nicaen. Synod. Severus Dialog. 1. Hieronymus de Vir. Illuſtrib. Epiphanius Haer. 64. Rufinus in Apolog Lirinenſis Commonit. c. 23. Pſeudo-Pamphilus, ſeu Euſebius Caeſarienſis in Apologia.

CAETERUM quanquam talis, tantuſque eſſet Origenes; gravem tamen laborum ſuorum jacturam paſſus eſt, fraude, ac vitio haereticorum: qui omnia ejus Opera innumeris haereſibus contaminarunt, ut ſub praetextu ac favore nominis Origenici impias cogitationes ſuas facilius perſuaderent, & charius venderent. Quam haereticorum adulterationem multi vel non animadvertentes, vel auctoris crimen id eſſe magis, quam haereticorum depravationem, credentes, Origenem cum Operibus ſuis inter haereticos rejecerunt. Sed utcunque ſit, Origenes, adhortante Ambroſio Alexandrino, & victum, chartas, libros, impenſas, & notarios ſuppeditante, edidit praeter infinitos exotericos libros etiam in univerſam ſcripturam ſanctam innumerabilia Exegematica, hoc eſt, Explanationum volumina: quae quidem Hieronymus in Praefatione Commetariorum in Ezechielem ad Vincentium triplici genere diſtinxit, hoc eſt, in Scholia, Homilias, ac Tomos.

PRIMUM quidem genus, quod Graeci Σχολιαστικὸν dicunt, Scholiis deputavit: quae Latine vocationes, ſive otia, ſeu per otium excerpta dici poſſunt: quibus quoties ad plenam commentationem otium deeſſet, ea tantum, quae ſibi videbantur obſcura, brevibus quibuſdam annotationibus ſummatim perſtringebat.

IN ſecundo vero genere, quod Graeci Ὁμοιλητικὸν vocant, nos Familiare colloquium dicimus, collocavit ſermones & conciones; quibus, ut B. Pamphilus teſtis eſt, Origenes quotidie, & quaſi ex tempore ſcripturas ad populum enarrabat, excipientibus ex ore ejus ſeptem notariis, totidemque velociſſimis in ſcribendo puellis, aliiſque ſcriptoribus, qui eas ad monumentum poſteritatis tradiderunt. Stylus ejus in hoc Homiliatico genere familiaris eſt, apertus, ac ſimplex, & ab om-

Digitized by Google

omni rhetorici apparatus pompa alienus, brevis, ſuecinctus, & abſque prolixis Praefationibus, ac longis crebriſque digreſſionibus; quales multae apud Chryſoſtomum, & Auguſtinum in eorum homiliis reperiuntur. Attingit autem Origenes in Homiliis ſuis parum ac leviter hiſtoricam explanationem, idque juxta vulgatam Septuaginta Interpretum editionem: ſed ad altioris allegoricae intelligentiae ſenſus aſcendit, & ab his iterum ad locos morales, & breves exhortationes deſcendit.

IN tertio genere, quod Origenes Τόμους, nos Volumina nuncupamus, Hieronymus majores Commentarios repoſuit, eos ſcilicet, in quibus Origenes, exponens divinas Scripturas juxta Hebraïcam veritatem, tota ingenii ſui vela ventis ſpirantibus dedit; & recedens a terra, ita in medium altiſſimorum ſenſuum, & myſteriorum pelagus aufugit, ut doctiſſimis etiam Lectoribus, illuc eum ſequi volentibus, metum & periculum induxerit. In his tamen tam reconditis arcanis pertractandis ſumma ſemper animi humilitate, ac verborum modeſtia uſus eſt, nihil temere affirmans; ſed, ut diſcendi avidus, ſingula humiliter inquirens, & magis excitans Lectorem ad commune inveſtigandi ſtudium, quam docens; his perpetuo monendi formulis eum compellans, videlicet, Intuere, ſi forte haec, quae dicimus, ſacrae Scripturae aptari poſſint? Videamus, ſi hoc, quod dicimus, in divinis Scripturis invenire poſſimus; item, Ego quidem ſic ſuſpicor, vide tu, num hoc ita eſſe poſſit? atque his ſimilibus excitatiunculis ubique uti voluit, prout decebat hominem pene αὐτοδίδακτον, & qui primus aggreſſus eſſet explanationem omnium divinarum Scripturarum nondum ob ingentem earum difficultatem ab aliquo attentatam. Delectatus eſt etiam tam in hoc, quam in ſuperiori genere uſque adeo allegoriarum ſtructura, ut ei ab aemulis ſuis objectum ſit, quod allegoriae involucris, & anagogiae ambagibus vim fecerit reclamanti literae, & veritatem Scripturarum ſuſtulerit. Utitur quoque in hoc potiſſimum genere multis ad imitationem Clementis Praeceptoris ſui apocryphis teſtimoniis ex vetuſtiſſimis reconditorum voluminum monumentis, ut ſunt, liber Paſtoris, liber Enoch, Evangelium ſecundum Hebraeos, Praedicatio Petri, Oratio Joſeph, Teſtamentum duodecim Patriarcharum, & alia his ſimilia.

HIS tribus expoſitionum generibus alia quoque duo addit Euſebius, nempe Ἐπιστολικὸν, & Ἑρμηνευτικὸν id eſt, Epiſtolare, & Interpretativum. In Epiſtolari quaeſtiones ex divina Scriptura, amicorum literis, ad ſe miſſas, reſcriptis explicavit epiſtolis: in quibus eſt magnifica illa de Suſannae hiſtoria ad Julium Africanum epiſtola, inter centum Origenicas epiſtolas ab Euſebio collectas, maxime celebrata. In interpretativo, ſeu Translativo genere demum ponendae ſunt omnes divinae Scripturae translationes, quas ipſe in Hexaplis, Octaplis, & Palaeſtinae editionis codicibus complexus eſt. In hac ergo adeo multiplici laborum varietate licet ſemper ſe eundem Origenes oſtenderit: divus tamen Ambroſius, ad Clementianum ſcribens, cenſet eum longe majorem fuiſſe in veteri Teſtamento, quam in novo. Quae autem ex unoquoque horum ordinum volumina adhuc extant, vel apud veteres tantum auctores citata reperiuntur, haec ſunt:

TRANSLATIONUM variarum totius veteris Teſtamenti collectanea. Origenes enim, ut Epiphanius in libro De ponderibus & menſuris ſcribit, poſt quatuor editiones, videlicet, LXX. interpretum, Aquilae, Symmachi, & Theodotionis, duas alias Graecas traductiones invenit, unam cum pleriſque aliis Hebraïcis & Graecis voluminibus, in Hiericunte urbe Palaeſtinae, quam Quintam appellavit; alteram vero in litore Actiaco in Nicopoli, in doliis occultatam, quam Sextam editionem nuncupavit: ex quibus ſex verſionibus Origenes duo diverſa genera exemplariorum compoſuit, Hexapla ſcilicet, & Octapla, & primum quidem Hexapla; in quorum codicibus ſex columnellas per ſingulas paginas ita diſtinxit, ut in prima columnella ipſa verba Scripturae Hebraïca, & Hebraïcis literis ponerentur; in ſecunda vero Graecis literis e regione Hebraïca verba deſcriberentur propter eos, qui Hebraïca legere neſciebant: in tertia Aquilae translationem ſubjunxit: in quarta Symmachi: in quinta Septuaginta interpretum: in ſexta Theodotionis editionem collocavit: & propter ejuſmodi compoſitionem, ut Euſebius annotat, exemplaria haec Ἑξαπλᾶ nominavit: qua de cauſa etiam a nonnullis,

Digitized by Google

lis, ut Suidas, & Joannes Zonara teſtantur, dicta ſunt Τετραπλᾶ, hoc eſt, Quadrupla, propter quatuor Graecas editiones, Septuaginta, ſcilicet, Aquilae, Symmachi, & Theodotionis. Deinde poſt haec ſeſcuplicia exemplaria Origenes alia rurſum Octapla exemplaria compoſuit: in quibus diſpoſitis per ſingulas paginas octo columnellis, quintam & ſextam editiones poſt quatuor praedictas adjecit; quas quia ſine titulo ſuorum auctorum invenerat, ex his alteram Quintam appellavit, praefigens ei inſcriptionem per literam E, quinarii apud Graecos numeri indicem; alteram vero Sextam nominavit, eique ſenarii numeri notam, videlicet, ϛ, quam Graeci vocant epiſigmon, inſcripſit: & haec poſtmodum exemplaria propter numerum octo columnarum Octapla dicta ſunt. Quae poſtquam Origenes non ſine ingenti labore explevit, iterum aliam translationem in quotidianum uſum Eccleſiae adorſus eſt: quam ex duabus conflavit editionibus, Septuaginta videlicet, ac Theodotionis, ſimul utranque permiſcens, & aſtericis deſignans, quae minus eſſent; obelis vero, ac metobelis, quae ſuperfluo viderentur appoſita. Quae editio cum poſtea a Pamphilo Martyre, & Euſebio epiſcopo Caeſarienſi invulgata eſſet, Palaeſtina translatio dicta eſt, eo quod ipſius lectionem omnes Palaeſtinae, & Syriae eccleſiae in quotidianis lectionibus receperunt. Meminit Origenes hujus a ſe editi laboris tractatu 8. in Matthaeum, & in Joannem Tomo 6.

SCRIPSIT etiam librum De interpretatione Hebraïcorum nominum, in Sacris literis extantium; cujus meminit Juſtinus in libro Quaeſtionum, & Epiphanius in libro De ponderibus & menſuris.

COMPOSUIT quoque Stromateos, hoc eſt, Variegati Operis libros decem, in quibus ſanctarum Scripturarum & philoſophorum ſententias comparans, omnia Chriſtianae religionis dogmata ex philoſophorum dictis confirmavit: horum librorum nonum & decimum, totos in expoſitione commatica libri Danielis, atque totius epiſtolae ad Galatas conſummavit.

DICTAVIT deinde in quatuor prima Geneſeos capita continuatae explanationis Tomos tredecim, altiſſimis ſenſibus, & myſteriis ſublimioribus refertiſſimos, hoc eſt, a principio libri uſque ad illam ſententiam quarti capitis, *Omnis, qui occiderit Cain, punietur ſeptuplum*: in cujus expoſitione, ut Hieronymus in Quaeſtionibus ad Damaſum teſtatum reliquit, duodecimum & tertiumdecimum Tomum dictando compoſuit. Horum, ut arbitror, impraeſentiarum nihil ſupereſt, praeter Diſputationem quandam De aſtris, & fato, tribus foliis comprehenſam; quae habetur apud Euſebium lib 6. De praeparatione evangelica cap. 9. Suſpicor hos Tomos, ita volentibus priſcis Patribus, interiiſſe, ob multa ſuſpecta dogmata eis inſperſa, de quibus nonnulla recenſentur libro ſequenti in cenſuris libri Geneſeos.

EDIDIT praeterea, ut Rufinus in 2. contra Hieronymum volumine indicat, Homiliarum in Geneſim libros duos: e quibus duntaxat decem & ſeptem in varios ejuſdem libri locos ad nos pervenerunt, videlicet,

IN GENESIS caput primum De Mundi principio, homilia 1.
In Gen. 6. De fabrica arcae, hom. 1.
In Gen. 17. De circunciſione Abrahae, hom. 1.
In Gen. 18. De tribus viris Abrahae viſis, hom. 1.
In Gen. 19. De Loth & filiabus ejus, hom. 1.
In Gen. 20. De Abimelech, Sarae nuptias appetente, hom. 1.
In Gen. 21. De nativitate & ablactatione Iſaac, hom. 1.
In Gen. 22. De Abraham, filium immolante, hom. 1.
In Gen. 22. De promiſſionibus Abrahae factis, hom. 1.
In Gen. 24. De Rebecca, ad hauriendam aquam egreſſa, hom. 1.
In Gen. 25. De Abraham, deſponſante ſibi Cethuram, hom. 1.
In Gen. 25. De conceptu & partu Rebeccae, hom. 1.
In Gen. 26. De puteis ab Iſaac effoſſis, hom. 1.
In Gen. 26. De Deo, qui ad puteum apparuit Iſaac, hom. 1.
In Gen. 45. De filiis Jacob annunciantibus patri imperium Joſeph in Aegypto, homil. 1.

Digitized by Google

In Gen.47. De terra Aegypti, tempore famis empta a Joseph, hom.1.
In Gen.49. De benedictionibus Patriarcharum, hom.1.

ELABORAVIT etiam alias fere innumeras in Octateuchum lucubrationes, de quarum numero sunt,

IN EXODUM Excerptorum, sive Annotationum, liber unus, a Rufino in praedicto loco citatus.

ITEM Homiliarum in Exodum liber unus, quarum nunc ex versione Hieronymi tredecim tantum extant, scilicet,

In Exodi cap.1. De initio Exodi, hom.1.
In Exod.1. De obstetricibus Hebraeorum, hom.1.
In Exod.4. De decem plagis, hom.1.
In Exod.12. De profectione filiorum Israël, hom.1.
In Exod.15. De Cantico Mosis, hom.1.
In Exod.15. De aqua Marath, hom.1.
In Exod.17. De siti populi in Raphidin, & Amalechitarum bello, hom.1.
In Exod.20. De initio Decalogi, hom.1.
In Exod.21. De muliere praegnante, quae duobus litigantibus viris abortivis, &c.hom.1.
In Exod.26. De Tabernaculo, hom.1.
In Exod.34. De facie Mosis velata, hom.1.
In Exod.35. De rebus ad Tabernaculum offerendis, hom.1.

IN LEVITICUM Excerptorum liber unus, cujus in Opere jam dicto recordatur Rufinus.

ITEM in Leviticum Homiliarum ex variis locis liber unus, ex quibus 16. habentur a Hieronymo translatae, nempe,

In Levit. cap.1. de principio Levitici, hom.1.
In Levit. cap.2.3.& 4. De variis sacrificiorum ritibus, hom.1.
In Levit.5. De non reticendis aliorum sceleribus, deque immunda tangentibus, hom.1.
In Levit.6. De eo, qui mentitur proximo super depositio & societate, hom.1.
In Levit.6. De lege hostiae pro peccato, hom.1.
In Levit.7. De sacerdotalibus indumentis, hom.1.
In Levit.9. & 11. De vino & sicera sacerdotibus sub ingressum Tabernaculi non bibendis, hom.1.
In Levit.12. 13. & 14. De Muliere post partum per septem dies immunda, & de lepra, hom.1.
In Levit.16. De sacrificiis propiciationis & duobus hircis, hom.1.
In Levit.16. De jejunio in die propiciationis, hom.1.
In Levit.20. in illud, Sancti estote, hom.1.
In Levit.21. De magno sacerdote, hom.1.
In Levit.23. De diebus festis, candelabro, & mensa, hom.1.
In Levit.24. De filio matris Israëlitae & patris Aegyptii, hom.1.
In Levit.25. De venditionibus & redemptionibus domorum, hom.1.
In Levit.26. De benedictionibus Levitici, hom.1.

IN NUMERI cap.1. De prima filiorum Israël numeratione, hom.1.
In Num.2. De castrametationis ordine, hom.1.
In Num.1. De Levitis, ex medio filiorum Israël assumptis, hom.1.
In Num.3. De Levitis viginti duobus millibus, hom.1.
In Num.4. De plebe Caath non externinanda, hom.1.
In Num.11. & 12. De Mose ad populum exeunte, hom.1.
In idem, De Aethiopissa & lepra Mariae, hom.1.
In Num.14. De his, quae exploratores retulerunt, hom.1.
In Num.16. & 17. De batillis Chore & seditione populi contra Mosen, hom.1.
In Num.18. De eo, quod dixit Dominus ad Aaron, Tu & filii tui, &c.hom.1.
In Num.20. De puteo & Cantico, hom.1.
In Num.22. De his, quae superfuerunt superiori tractatui, hom.1.
In Num.22. De Balaam, hom.1.

In

Digitized by Google

In Num.23. De prima prophetia Balaam, hom.1.
In Num.23. De ſecunda prophetia Balaam, hom.1.
In idem, De quarta prophetia Balaam, hom.1.
In idem, De quinta & ultima prophetia Balaam, hom.1.
In Num.25. De eo, qui fornicatus eſt cum Madianite, hom.1.
In Num.26. De ſecunda populi numeratione, hom.1.
In Num.27. De filiabus Salphaat & de ſucceſſione Moſis, hom.1.
In Num.28. in illud, Munera mea data mea, hom.1.
In Num.29. & 30. De ſacrificiis cujuslibet Feſti, & de votis, hom.1.
In Num.31. De ultione in Madianitas, hom.1.
In idem, De ſumma numeri filiorum Israël, hom.1.
In Num.33. De manſionibus filiorum Israël, hom.1.
In Num.34. De terrae ſanctae deſcriptione, hom.1.
IN JOSUE cap.1. De principio libri Joſue, hom.1.
In Joſ.1. De eo, quod dicitur Moſes, Famulus meus defunctus eſt, hom.1.
In Joſ.2. De duabus & ſemis tribubus Ruben & Gad & ſemi tribu Manaſſe, homil.1.
In Joſ.3. De tranſitu Jordanis, hom.1.
In Joſ.4. & 5. De duabus & ſemis tribubus, quae tranſierunt Jordanem, & de populo, petrinis gladiis circunciſo, hom.1.
In Joſ.5. De Paſcha in Galgala celebrato, hom.1.
In Joſ.6. De Hierichuntis excidio, hom.1.
In Joſ.8. De everſione civitatis Hay, hom.1.
In Joſ.9. De Deuteronomio in lapidibus altaris ſcripto, hom.7.
In Joſ.9. De Gabaonitarum dolo, hom.1.
In Joſ.9. De Jeſu Gabaonitis opitulante, hom.1.
In Joſ.9. De bellis Joſue ſpiritualiter intelligendis, hom.1.
In Joſ.10. De urbibus Lachis, Lebna, & Chebron, hom.1.
In Joſ.11. De Jabin rege Aſor, hom.1.
In Joſ.11. De geſtis poſt devictum Jabin, hom.1.
In Joſ.13. De Jeſus ſenectute, hom.1.
In Joſ.13. De Levitis terram non accipientibus, hom.1.
In Joſ.14. De initio diviſionis terrae promiſſionis, hom.1.
In Joſ.14. & 15. De finibus haereditatis tribus Judae, hom.1.
In Joſ.15. De Caleph accipiente Hebron, hom.1.
In Joſ.15. de filiis Juda non valentibus diſperdere Jebuſaeos, hom.1.
In Joſ.16. De tribu Ephrem, & de Chananaeis, hom.1.
In Joſ.18. De ratione ſortium, ubi ſeptem tribus capiunt haereditatem, hom.1.
In Joſ.19. De Amorrhaeis habitantibus cum Ephrem, & Jeſu recipiente civitatem a filiis Iſraël, homilia una.
In Joſ.21. De civitatibus, & ſorte Levitarum, hom.1.
In Joſ.12. De petrinis gladiis in terram ſepultis; & aris trans Jordanem extructis, hom.1.
IN JUDICUM cap.2. De eo, quod populus ſub Joſue Domino ſervivit, hom.1.
In Jud.3. De Iſraëlitis in manu hoſtium traditis, & de Othoniel, & Ajoth, homilia 1.
In Jud.4. De Semegad, Jabin, & Syſara, hom.1.
In idem, De Devora, & Barach, hom.1.
In Jud.5. De Cantico Devorae, hom.1.
In Jud.6. De Iſraëlitis in manus Madian translatis, hom.1.
In Jud.6. de Gedeone, hom.1.
In Jud.7. de praelio Gedeonis cum 300. viris, hom.1.
IN REGUM 1. cap.2. De Cantico Annae, hom.1.
In 3. Reg.3. De judicio Salomonis, hom. 1. cujus meminit Origenes hom.3. in Joſue.
IN JOB Homilias, ſive tractatus emiſit plurimos, quorum meminit Hieronymus in Vigilantium ſcribens; pro quibus nunc habemus Origenicis voluminibus

Digitized by Google

bus insertum duplex explanationum Opus; unum valde prolixum,in tres libros distinctum,continens expositionem ab exordio historiae Job usque ad dimidium tertii capitis; alterum,quod breviter admodum, & quasi paraphrastice totius libri Job historicum sensum ediserit, industria Joachimi Perionii nuper e Graeco translatum: Sed neutrum Origenis est, tametsi utrunque eruditum, & lectu dignum: nam praeterquam quod amborum phrasis, & docendi methodus longe distat ab Origenica dictione; illud quoque accedit,. quod auctor prioris Operis contra Origenis consuetudinem innumeris pene battologiis redundat, multumque temporis consumit, dum personis orationes plus aequo longiores affingit; & nunc ad Job, nunc ad diabolum per apostrophen loquitur; & inter haec Luciani Martyris celebrat agonem; & Homousii nomen, & Homousianorum sententiam commemorat. In posteriore vero Opere, in quo praeter Origenis morem nudae literae insistit, verba quoque illa uxoris Job exponit, quae in Graecis codicibus capite secundo habentur, & ab ipso Origene, ceu apocrypha, & asciticia, reprobantur. deinde Luciani Martyris expositionem in tertio capite Job inducit; & in septimo, & in octavo capitulo Manichaeos nominatim refellit; & in 38. cap. Homousianistarum mentionem facit. Constat autem, & Lucianum Martyrem, & Manichaeos post Origenem fuisse; ipsumque Homousii & Homousianorum nomen longe post Origenis tempora enatum. Rursum in eodem trigesimo octavo capite damnat sententiam eorum, qui stellas affirmant animatas: quod proprium Origenis est dogma. Leguntur in utroque Opere paucula quaedam censura digna, quae insequenti censurarum libro invenies annotata.

IN PSALTERIUM quoque duplicem laborem exhibuit Origenes: scripsit enim, ut in Praefatione Psalmorum indicat Hieronymus, Enchiridion in omnes Psalmos commatico, sive inciso expositionis genere, strictis ac necessariis interpretatiunculis annotatum: composuit deinde in gratiam Ambrosii Alexandrini in Psalterium latissimas explanationum enarrationes juxta editionem Septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, & quintae, & sextae editionis ordinem: primusque omnium Graecorum, ut Hieronymus in epistola ad Augustinum testis est, edidit in integrum Psalmorum Corpus tomos plurimos: de quibus idem Hieronymus refert vertisse se tomos, sive tractatus septem, a decimo videlicet Psalmo usque ad decimum sextum. Notissima est inter alios tractatus ejus in Psalterium Psalmi primi expositio; quae propter varietatem maximarum rerum in omnibus pene veterum scriptis discutitur. Extant adhuc sub nomine Origenis Tractatus in Psalmos tres, videlicet, 36. 37. & 38. quos Rufinus, non indicato auctoris ipsorum nomine, asserit se de Graeco in Latinum transtulisse, & ad majorem legentium commoditatem in novem homilias dissecuisse. Tritemius in Catalogo refert, se vidisse Origenis in Psalterium Tractatus 150. quorum initium esset, *Beatus vir, &c. Hunc Psalmum*. Apud Epiphanium vero, & in Catena Psalmorum Graeca, Praefatio Originis in Psalmos sic incipit, Κεκλεῖσθαι, καὶ ἐσφραγίσθαι τὰς θείας γραφάς: id est, *Conclusas, & obsignatas esse divinas Scripturas*.

POST HAEC ELABORAVIT Origenes in Proverbia Salomonis Commentarios, a B.Pamphilo in Apologia citatos,

In Ecclesiasten quoque explanationes; quarum in libro de Resurrectione meminit Methodius, Olympi episcopus.

ITEM in Canticum Canticorum Commentariorum libros decem: quorum primos quinque conscripsit Athenis, alios autem quinque regressus Caesaream consummavit. Habuit & in eundem librum Homilias aliquas ad populum; de quibus Hieronymus duas vertit, praefixa in fronte earum epistolari Praefatiuncula ad Damasum Papam: in qua tam Commentariorum, quam Homiliarum encomium apposuit, his verbis: ORIGENES, cum in caeteris omnes vicerit, in Canticis Canticorum ipse se vicit: nam, decem voluminibus explicitis, quae ad viginti usque versuum millia pene pervenerunt, primum Septuaginta interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quam in Actio litore inveniisse se scribit, ita magnifice aperteque disseruit, ut inde mihi videatur in eo completum esse, quod dicitur, Introduxit me rex in cubiculum suum: itaque, illo opere praetermisso, quia ingentis est ocii, la-

Digitized by Google

laboris & ſumptuum, tantas res, tam dignum opus in Latinum transferre ſermonem, hos duos tractatus, quos in morem quotidiani eloquii parvulis adhuc lactantibus compoſuit, fideliter magis, quam ornate, interpretatus ſum, guſtum tibi ſenſuum ejus, non cibum offerens: tu animadvertas, quanti ſint illa aeſtimanda, quae magna ſunt, cum ſic poſſint placere, quae parva ſunt. Haec Hieronymus. Fertur & aliud ſub nomine Origenis, pium, eruditum, ac diſertum Opus, vel potius Operis fragmentum; in quo duo prima Canticorum capita eloquentiſſime ac doctiſſime explicantur: hoc in vetuſtis quibuſdam codicibus erat nomine HIERONYMI praenotatum: diviſit, neſcio quis, illud in quatuor Homilias, cum Homiliae non ſint, ſed continens ac perpetua explanatio: ejus initium eſt, *Epithalamium libellus*: Magiſter Sententiarum lib. 3. diſt. 29. & D. Thomas in ſecunda 2. qu. 26. teſtimonia citant ex opere hoc ſub nomine Ambroſii. Scripſit praeterea

IN ESAIAM ſubſcripta volumina, videlicet in totum Eſaïam ſparſim ΣΗΜΗΩΣΕΩΝ, hoc eſt, Annotationum, vel Excerptorum librum unum.

ITEM in partem Eſaïae juxta quatuor editiones uſque ad viſionem quadrupedum in deſerto, hoc eſt, a principio libri uſque ad trigeſimum caput continuae explanationis tomos triginta: in quibus per liberos allegoriae campos evagans, interpretando ſingularum rerum nomina, ingenium ſuum fecit Eccleſiae Sacramenta: ex his autem voluminibus liber vigeſimus ſextus Hieronymi tempore jam perierat.

ITEM De viſione Τετραπόδων in deſerto, quae incipit, *Onus Jumentorum Auſtri in terra tribulationis & anguſtiae*, ſuper trigeſimum caput Eſaïae ad Gratam, illuſtrem foeminam, libri duo: quos plerique falſo de nomine Origenis inſcriptos putaverunt.

ITEM in varios Eſaïae locos Homilias ad populum 25. de quibus tantum infraſcriptae novem ſuperſunt, videlicet,

In illud ex 4. cap. Apprehendent ſeptem mulieres virum unum, hom. 1.
In 6. cap. De prima viſione Eſaïae, hom. 5.
In Eſ. 7. De verbis Angeli ad Achaz, hom. 1.
In Eſ. 8. ſuper illud, Ecce ego & pueri mei, hom. 1.
In Eſ. 10. ſuper illud, Sicut feci Samariae, ſic faciam Hieruſalem, hom. 2.

IN JEREMIAM quoque ſcripſiſſe fertur ingentem Homiliarum numerum: ex quibus Rabanus, archiepiſcopus Moguntinus, in Praefatione Commentariorum in Jeremiam affirmat ſibi cognitas quinque & quadraginta: de quorum numero tantum quatuordecim infraſcriptas Hieronymo interprete habemus, videlicet,

In Jer. 1. De principio Jeremiae, hom. 1.
In Jer. 2. Quod de Babylone fugiendum ſit, hom. 1.
In Jer. 2. De vite in amaritudinem converſa, hom. 1.
In Jer. 3. ſuper illud, Et dixit Dominus ad me in diebus regis Joſiae, hom. 1.
In Jer. 5. De Malleo totius terrae confracto, hom. 1.
In Jer. 10. De faciente terram in fortitudine ſua, hom. 1.
In Jer. 11. ſuper illud, Audi verba teſtamenti hujus, hom. 1.
In Jer. 12. De terra exterminata, hom. 1.
In Jer. 12. ſuper illud, Notum fac mihi Domine, & cognoſcam, hom. 1.
In Jer. 13. De utribus vino implendis, hom. 1.
In Jer. 13. & 14. De comminationibus Dei ad Hieruſalem, hom. 1.
In Jer. 15. ſuper illud, Heu mihi ego mater, hom. 1.
In Jer. 16. De Miſſione piſcatorum, hom. 1.
In Jer. 17. De perdicis clamore, hom. 1.

IN THRENOS etiam Jeremiae ſcripſit Origenes, cum eſſet Alexandriae, Tomos novem: quorum Nicephorus meminit in quinto hiſtoriae volumine: &, cum Athenis degeret, jam ſexagenario major elaboravit, Euſebio teſte.

IN EZECHIELEM Tomos 25. cum prius in eundem Prophetam homilias plurimas dediſſet; de quibus 14. extant interprete Hieronymo, quae ſunt

In Ezechiel. caput primum, De captivitate populi Israël, & Joachim regis, & viſione Ezechielis, homilia una.

In Ezechielis 13. De malis prophetis prophetantibus in Hieruſalem, homilia

lia una, quae incipit, *Nullam ſpeciem peccatorum*.

In idem ſuper illud, Fili hominis obfirma faciem tuam, hom.1.

In Ezech.14. De peccatis peccatricis Hieruſalem, hom.1.

In idem 14. De duabus plagis, romphaea ſcilicet, ac morte, hom.1.

In Ezech.15. De parabola ligni vitis, hom.1.

In Ezech.16. ſuper illud, Radix & generatio tua de terra Canaam, hom.1.

In idem, De veſtibus a Deo traditis peccatrici Hieruſalem, hom.1.

In idem, De increpatione peccatricis Hieruſalem conſtituentis lupanar, ho.1.

In idem, De eo, quod ſcriptum eſt, Pater veſter Amorrhaeus, & mater veſtra Cethaea, homilia una.

In idem, De eo, quod ſcriptum eſt, Confundere, & accipe ignominiam tuam, hom.1.

In Ezech.17. De Aquila magna, Libanum intrante, hom.1.

In idem, De Nabuchodonoſor, Hieruſalem intrante, hom.1.

In Ezech.28. De eo, quod ſcriptum eſt, Tu, ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, homilia una.

IN DANIELIS caput 13. ſcripſit ad Julium Africanum pro defenſione hiſtoriae Suſannae epiſtolam unam, nuper ab Ambroſio Mediolanenſi monacho Caſſinate, viro doctiſſimo, Latine verſam: de qua Euſebius in 6. hiſtoriae Eccleſiaſticae libro ſic ſcribit: PER ID tempus erat etiam Africanus vir in ſcripturis Eccleſiaſticis nobilis: hujus epiſtola fertur ad Origenem ſcripta objicientis ei, vel proponentis, quod hiſtoria Suſannae, quae in Daniele ſcripta eſt, ficta videatur, & aliena a ſcriptura prophetica: cui Origenes magnificentiſſime reſcribens, nequaquam Judaeorum commentis & fraudibus auſcultandum, ſed hoc ſolum pro vero habendum in ſcripturis divinis, quod LXX. interpretes tranſtuliſſent: nam id eſſe ſolum, quod auctoritate Apoſtolica confirmatum ſit. Haec Euſebius.

RURSUS totum hiſtoriae Suſannae contextum Origenes in decimo libro Stromateon commatica explanatione proſecutus eſt: cujus pars nunc in Commentariis Hieronymianis ſuper Danielem habetur, ab ipſo Hieronymo ſub titulo Origenis inſerta.

SCRIPSIT praeterea in quatuordecim Prophetas minores Ἐξηγήσεων, id eſt, Enarrationum libros quamplurimos: ex quibus Euſebius viginti tantum & quinque ſe vix invenire potuiſſe conqueritur: de his Hieronymus in Catalogo Scriptorum ſic loquitur: REPERI IN XII. Prophetas volumina manu beati Pamphili Martyris exarata, quae tanto amplector, & ſervo gaudio, ut Croeſi opes habere me credam: ſi enim laetitia eſt unam epiſtolam habere Martyris: quanto magis tot millia verſuum, per quae mihi videtur ſui ſanguinis ſignaſſe veſtigia?

EX HIS libris duos particulariter exaravit in Oſeam; unum, cui titulum impoſuit, Περὶ τῶ πῶς ὀνομάδη τῷ Ὡσηὲ Ἐφραίμ, hoc eſt, *Quare appellatur in Oſee Efraim*, volens oſtendere, quaecunque contra eum dicuntur, ad haereticorum referenda perſonam; alterum vero, ἀκέφαλον, καὶ ἀπέλεσον, ſic dictum, quod & capite careat, & fine.

ITEM in Zachariam ſcripſit libros duos, vix tertiam partem a principio libri uſque ad viſionem quadrigarum allegorice ediſſerens.

ITEM in Malachiam allegoricae expoſitionis libros tres.

ATQUE haec ſunt, quae in vetus Teſtamentum ab Origene ſcripta reperi: quae vero ad novum pertinent inſtrumentum, haec ſunt:

IN MATTHAEUM explanationis genus triplex, hoc eſt, Tomi, Scholia, & Homiliae: ex his vero primum compoſuit in totum hoc Evangelium Tomos 36. ex quibus decem primi tomi deſiderantur; caeteri ſuperſunt, ab explanatione videlicet ejus loci, *Tunc, dimiſſis turbis, venit in domum ſuam*, ex capite 13. uſque ad 27. caput; quos Librarii imprudenter in tractatus, ſive homilias 35. diviſerunt; cum nec veſtigium in ipſis appareat homiliatici generis, quod ſemper a brevibus exordiis in Praefatiunculas, & doxologias decurrit.

SECUNDO ſcripſit etiam in eundem Evangeliſtam Scholaſtici generis lib.1. in quo per commata & intervalla brevibus quibuſdam ſcholiis, quaecunque ſibi videbantur obſcura, breviter annotavit.

TER-

Digitized by Google

TERTIO edidit ex Homiliatico genere in varios Matthaei locos Homilias ad populum viginti quinque: harum, quae nunc ſuperſunt, hae ſunt:

In Matth.1. De Maria deſponſata, hom.1.

In Matth.2. De apparitione Angeli ad Joſeph, hom.1.

In Matth.6. ſuper illud, Cum jejunatis, hom.1.

In Matth.8. De leproſo mundato, hom.1.

In Matth.15. De Cananaea, hom.1.

In Matth.25. De adventu filii hominis ad judicium homilia 1. cujus prior pars reſecta eſt ex tractatu Origenis in Matthaeum 34. poſterior vero pars videtur continere duo Latinorum patrum fragmenta: quorum alterum habetur in fine commentariorum Hieronymi in Eſaiam: alterum apud Gregorium libro 15. Moralium, capite quarto decimo. Nec dubium eſt pleraque his ſimilia, hinc inde excerpta, inveniri etiam in nonnullis homiliis, quae ſub Origenis nomine in varios Evangeliorum locos leguntur.

IN LUCAM dictavit Tomos quinque, qui nunc deſiderantur, & Homilias plurimas, de quibus 39. adhuc extant; quas, quoniam parum elaboratae ſunt, & nonnullis etiam damnatis erroribus inſperſae, Hieronymus, earum interpres, excuſat, tanquam ab Origene admodum juvene enatas: alia enim ſunt juventutis praeludia, & alia ſenectutis ſeria. Ex his tres & triginta priores homiliae explicant Lucam continuata expoſitionis ſerie, a principio Evangelii uſque ad medium quarti capitis: ſex vero poſteriores diſperſos quoſdam Lucae locos enarrant, & ſunt hae:

In Luc.10. De eo, qui incidit in latrones, homilia una.

In Luc.12. ſuper illud, Eſto conſentiens adverſario, homilia una.

In Luc.17. ſuper illud, Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, homilia una.

In Luc.19. De pullo aſinae, homilia una.

In Luc.19. De fletu Chriſti ſuper Hieruſalem, homilia una.

In Luc.20. De quaeſtione Sadducaeorum, homilia una.

IN JOANNIS Evangelium integrae explanationis ad Ambroſium Alexandrinum Tomos 39. quos Hieronymus in praefatione 39. homiliarum Origenis in Lucam excuſat ſe non auſum vertere in Latinam linguam, deterritum magnitudine laboris ac ſumptus. Latuere omnes uſque ad noſtram aetatem Latinis incogniti, ſed nuper ex his Joachimus Perionius, monachus Caſſinas, tomos novem primus in Latinum convertit: tot enim ſolummodo ſupererant in Graeco vetuſtiſſimo codice, quem ex clariſſima bibliotheca regis Gallorum nactus eſt; & hi quidem multis in locis mutili, minimeque ſequentes, & interpolati, videlicet primus, ſecundus, ſextus, decimus, decimus tertius, decimus octavus, vigeſimus, vigeſimus octavus, trigeſimus ſecundus.

QUORUM primus praefationem Operis continet una cum expoſitione primae tantum propoſitionis, videlicet In principio erat Verbum: ejus initium eſt, *Quemadmodum vetus populus*.

In ſecundo exponitur illud ex primo capite, Et Verbum erat apud Deum, uſque ad ea verba ejuſdem capitis, Qui poſt me venit, ante me factus eſt.

In ſexto exponuntur verba illa ex capite primo, Et hoc eſt teſtimonium Joannis, uſque ad illud, Ecce agnus Dei.

In decimo explicatur illud ex capite ſecundo, Poſt haec deſcendit Capharnaum ipſe & mater ejus, uſque ad finem ejuſdem capitis, Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

In 13. enarratur illud ex quarto cap. Reſpondit Jeſus, Omnis, qui biberit ex hac aqua, uſque ad illud ejuſdem capitis, Cum ergo veniſſet in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei.

In 18. exponitur illud ex cap.8. Neque me ſcitis, neque patrem meum, uſque ad ea verba, quae paulo poſt eodem in capite ſequuntur, Niſi credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.

In 20. exponitur ex capite octavo ſententia illa, Scio, quia ſemen Abrahae eſtis, uſque ad illam in eodem capitulo, Nunc cognoſcimus, quia daemonium habes.

In

In 28. explicatur illud ex capite undecimo, Dixit Jesus, Tollite lapidem, & caetera, quae sequuntur; usque ad finem ejusdem capituli.

In 32. exponitur illud ex capite 13. Et coena facta, cum diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas, usque ad ea verba ejusdem capitis, Quaeritis me, &, sicut dixi Judaeis, quo ego vado, vos non potestis venire.

HOS novem interruptae explanationis tomos Graeculus quidam incerti nominis novo impostura genere dissecuit in Tomos duos & triginta, ut Opus, numerorum multitudine auctum,& arithmeticae supputationis ordine continuatum, optabilius redderet, ac majori precio venderet, cujus fraude illusus Ambrosius Mediolanensis, monachus Cassinas, vir alioqui sagax & solertis ingenii, hoc ipsum opus Latine vertit, & sub triginta duorum Tomorum partitione impressum evulgavit, sic incipiens, *Quemadmodum qui olim populus Dei*.

EDIDIT etiam in hoc Evangelium homilias aliquot, sed nunc duae tantum extant, ejus titulo inscriptae, una in principium Joannis, altera in initium 20. cap. de Maria ad monumentum flente: quarum priorem, cujus initium est, *Vox spiritualis aquilae*, apparet Origenis non esse, tum ex Manichaeorum, tum ex Arianorum nominibus in ea commemoratis, quae multo post Origenem exortae sunt. Haec de Evangeliorum explanationibus: post quas Paulum explicare aggressus, elaboravit.

IN EPISTOLAM AD Romanos commentariorum libros quindecim: de quibus libet subnectere judicium Hieronymi ex praefatiuncula, quam iisdem commentariis, a se translatis, praefixit, in hunc modum ad Heraclium scribens: VOLENTEM me parvo subvectum navigio oram tranquilli litoris stringere, & minutos de Graecorum stagnis piscículos legere, in altum frater Heracli laxare vela compellis; relictoque Opere, quod in transferendis homiliis senis Adamantii habebam, suades, ut nostra voce quindecim ejus volumina, quibus in epistolam Pauli ad Romanos disseruit, explicemus: in quibus ille, dum sectatur Apostoli sensum, in tam profundum pelagus effertur, ut metus ingens sit illuc eum sequi, ne magnitudine sensuum; velut immanitate opprimar undarum. Deinde nec illud aspicis, quod tenuis mihi est spiritus ad implendam ejus tam magnificam dicendi tubam. Super omnes autem difficultates est, quod interpolati sunt ipsi libri: desunt enim fere apud omnium bibliothecas (incertum sane quo casu) aliquanta ex ipso corpore volumina: & haec adimplere in Latino opere, & integram consequentiam dare, non est mei ingenii, sed, ut tu credis, qui haec exigis, muneris fortasse divini. Addis autem, ne quid laboribus meis desit, ut omne hoc quindecim voluminum corpus, quod Graecus sermo ad quadraginta fere, aut eo amplius millia versuum produxit, abbreviem, & ad media, si fieri potest, spacia coarctem. Dura satis imperia, & tanquam ab eo, qui pondus operis hujus scire nolit, imposita: aggrediar tamen, si forte orationibus tuis, quae mihi, tanquam homini, impossibilia videntur, aspirante Domino possibilia fiant: sed ipsum jam, si videtur, Origenem, qualiter praefationem suscepti Operis dirigat, audiamus. Haec Hieronymus. Sunt qui putent versionem horum commentariorum esse Rufini, sumpta conjectura ex peroratione ipsius interpretis, in fine totius Operis appositа. Scripsit item Origenes,

IN EPIST. ad Corinthios primam commentarios, quorum meminit Hieronymus in epistola ad Pammachium; quae incipit, *Christiani pudoris*.

IN EPIST. ad Galatas secundum triplex genus expositionis varia elucubravit, hoc est, Continuae & integrae enarrationis in totam epistolam Tomos quinque.

ITEM ex decem Stromateon suorum libris decimum volumen commatico sermone super hujus epistolae explanatione complevit.

ITEM Ἐκλόγων, seu Excerptorum librum unum.

ITEM Tractatus ad populum non paucos: quae omnia temporis injuria absumpsit. Meminit horum Hieronymus in epistola ad Augustinum.

IN EPIST. ad Ephesios Tomos tres, quos Hieronymus in praefatione commentarii in epistolam ad Ephesios & in apologia prima contra Rufinum se fatetur secutum.

IN EPIST. ad Colossenses commentariorum lib. 3. quorum tertium librum citat Pamphilus in Apologia.

IN

Digitized by Google

IN EPIST. ad Theſſalonicenſes primam libros plures, ex quibus tertium Hieronymus in epiſtola ad Minerium & Alexandrum citat, inquiens: ORIGENES in tertio volumine Ἐξηγητικῶν, epiſtolae Pauli ad Theſſalonicenſes primae poſt multa, quae vario prudentique ſermone differuit, haec intulit; in quibus nulli dubium eſt Acacium pleraque libaſſe &c.

IN EPIST. ad Titum librum unum, cujus fragmentum citatur a Pamphilo in Apologia.

IN EPIST. ad Hebraeos libros plures, ex quibus Pamphilus citat in Apologia fragmentum.

HAEC igitur ſunt Origenis in ſacras literas opera. De vita vero & ſanctitate ejus, deque caeteris exotericis voluminibus extra explanationem divinarum ſcripturarum, ab eo compoſitis, ſi quis plura ſcire deſiderat, legat Euſebium in 6. eccleſiaſticae hiſtoriae libro. Scripſerunt pro defenſione operum Origenis multi clariſſimi viri varios apologeticos libros, videlicet Pamphilus Caeſarienſis, martyr ſanctiſſimus, librum unum, cui adjungitur Gregorii Neocaeſarienſis epiſcopi De laudibus Origenis liber unus; Euſebius Caeſarienſis epiſcopus libros ſex; Didymus Alexandrinus librum unum; Methodius Olympius Palinodiae a ſe quondam vituperati Origenis librum unum; Baſilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus communi labore librum unum; Rufinus presbyter Aquilejenſis ad Macharium libros duos; Joannes Picus Mirandulanus librum unum; Jacobus Merlinus Viſturnienſis librum unum.

S. Gregorius Thaumaturgus Origenis auditor, Origenianae ſcholae valedicturus Origeni panegiricum euchariſticum publice recitavit.

CLARUIT Origenes ſub Alexandro, Mammeae filio, uſque ad Gallum & Voluſianum, ejus filium, id eſt uſque ad ſeptuageſimum aetatis ſuae annum; & mortuus eſt Tyri, atque ibidem ſepultus anno a Chriſto nato CCLX. (a)

(a) Sicut ſemel, & iterum obſervavi, N. Xyſtus erudite nimis de Patrum operibus criterium efformavit, cujus propterea fax ceteris recentioribus Criticis pervium fecit iter, ita nunc tertium repetendum cenſeo de operibus Origenis ab eodem ad incudem revocatis. Quod ſi poſt noviſſimas eorumdem operum editiones rem ad lydium lapidem probare quis optaverit, legat prae ceteris Danielem Huetium in ſuis *Origenianis*, & Ludovicum Elliens Du-Pinium *Biblioth. Nov. T.I.*

Animadvertendum tamen hic in Noſtro Authore cenſeo, quod judicium de Origenis doctrina efformatum lene nimium ſit, & dum ex relatis Apologiſtis Origenem plurimum commendare contendit, in recto criterio defecerit, etſi ex quadam pietate id egerit (qua & de cauſſa ab criminationibus Theophili Raynaudi, ſeu Petri de Valle clauſa, viriliter vindicavit eundem Xyſtum N. Vincentius Baronius *Tom. IV. Lib. II. Sect.* 1. quem conſulas) Nec inficior quoſdam Veteres, quos laudat, Sciptores pro Origene Apologias ſcripſiſſe, quorum ſecuti tramitem alii itidem recentiores pro Origene ſteterunt, Noſtroque Xyſto auxiliares porrexerunt manus, praeſertim Picus Mirandulanus, Petrus Alloix, Jacobus Merlinus, & Stephanus Binetus, quibus aliquando adhaeſit Daniel Huetius, quamvis hic poſtea re melius perpenſa ſuam revocaverit ſententiam. Verum horumce judicio haud ſtandum eſſe, & ex aliis, iiſque validis momentis floccipendenda fore quae in medium proferunt Apologiſtae laudati, & Origenem in pluribus turpiter erraſſe, praecipue in libris περὶ ἀρχῶν oſtendunt viri ſummi, qui in Origenem cenſoriam virgam extendunt, & haereſes in eo ventilant: nimirum ampliſſimi S.R.E. Cardinales Baronius, Bellarminus, Noriſius, Bona, N. Gotti, aliique ex eodem Senatu: Chriſtianus Lupus, Dionyſius Petavius, Daniel Huetius, Antonius Poſſevinus, Henricus Spondanus, Aubertus Miraeus, Antonius Pagi, Johannes Maldonatus, Johannes Cabaſſutius, Petrus Annatus, Helias Du-Pin, aliique plures. E Noſtris S. Thomas Aquinas, Melchior Canus, Dominicus Gravina, Johannes Nicolai, Michaël Lequien, Vincentius Contenſon, Natalis Alexander, Hyacinthus Graveſon, & alii univerſim. Ex Acatholicis vero Theodorus Beza, Petrus Cunaeus, Johannes Popeblount, Guillelmus Cave, aliique. Quandoquidem, ut laudati Orthodoxi Theologi animadvertunt, & ratiocinantur, quomodo ab errorum maculis vindicari poteſt, quomodo innoxius poteſt adſeri Origenes, quem haereſeon labe pollutum PP. univerſim conclamant (etſi ejus eruditionem maximam admirentur) Hieronymus nimirum *lib. II. Apolog. adverſus Rufinum*, & alibi pluries, Demetrius Alexandrinus ab Hieronymo ibidem laudatus, S. Petrus Alexandrinus in ſua *Myſtagogia*, cujus teſtimonium etiam laudat Juſtinianus Caeſar in *Tract. adverſ. errores Origen. ad Mennam*, Theophilus Alexandrinus in ſua Synodo, ut patet ex epiſtola ad *Epiphanium*, quae extat inter epiſtolas Hieronymi 67. & *ad Hieronymum* ipſum ibidem 69. nec non in *Serm. ad Monachos*, cujus meminit etiam Juſtinianus ubi ſupra, S. Methodius *Orat. de Reſurrectione*, S. Cyrillus Alexandrinus epiſt. *ad Monachos*, qui erant in Phua, S. Epiphanius epiſtola *ad Joh. Hieroſolymitanum*, & in Panario *Haeref.* 64. S. Auguſtinus *Lib. de Haereſibus cap.* 43. Vincentius Lirinenſis in *Commonitorio cap.* 23. S. Johannes Damaſcenus *lib. de haeref.* S. Bernardus *Serm. de verb. quibuſdam Origenis?* Qui ergo fieri potuit, ut tot Clariſſimi viri fuerint hallucinati, & fere nodum in ſcirpo quaerentes Origeni detraxerint? Quomodo poteſt adſtrui unquam ab haereticis fuiſſe corruptos Origenis libros, & quod hoc latuerit tam inſignes Viros, eoſque non in uno loco ſtantes, ubi facile potuerunt plures Codices, etſi non omnes, vitiari ab Heterodoxis, ſed in diverſis diffitiſque, quos certe furor ille vitilitigatorum pervadere nequivit? Qua fronte id poteſt adſeri de vetuſtiſſimis aliquibus praeſertim, qui Origeni proximiores fuerunt, niſi eorum vitio vertatur criterium & ſententia eorundem? luteum crudumque certe eſt lavare laterem dum in vindicando Origene conſumitur tempus. Qui iuſuper hujuſce rei praecipui laudantur Origenis Hyperaſpiſtae Euſebius, & Rufinus Origenem potius accuſant, quam excuſant, quum, ut ſupra vidimus, Euſebius fuerit Arianorum Patronus, cui propterea nimium intererat Origenem, Arianorum fontem (ut eum S. Thomas adpellat innoxium

Digitized by Google

ORONTIUS Finaeus, Delphinas, regius mathematicarum Lutetiae professor, delineavit Chorographiam terrarum, ad sacrae scripturae intelligentiam necessariarum, quam vocant D. Pauli Peregrinationem, anno Domini M.D.XL.

OROSIUS Presbyter, natione Hispanus, vir in saecularibus ac divinis literis eruditissimus, divi Augustini discipulus, ad quem etiam librum historiarum suarum scripsit, & a quo vicissim pro discenda quaestione de animae origine ex Hispania in Bethlehem ad Hieronymum missus est, scripsit in Canticum Canticorum laudatissimos commentarios anno Domini CCCCXX. Honorio & Arcadio regnantibus (a)

OTFRIDUS, natione Germanus, monachus Benedictinus, Vissemburgensis coenobii, Rabani Moguntini archiepiscopi viri praestantissimi auditor, poëta, rhetor, philosophus, & theologus temporibus Ludovici, Lotharii, & Caroli omnium opinione doctissimus, inter multa nobilia eruditionis suae monumenta reliquit commentariorum in totum Psalterium libros tres; item in quatuor Evangelia ad Luitbertum, episcopum Moguntinum, Opus insigne, quinque libris digestum, quod GRATIAM THEOTISTAE inscripsit: ejus initium est *Dignitatis culmine*. Claruit sub Lothario Imperatore anno Domini *. (b)

OTHOMARUS Luscinius, Germanus, patria Argentinus, monachus, & lector coenobii SS. Uldarici, & Afrae Augustensis, vir & exemplo vitae, & eruditione haud vulgari clarus, hortatu Joannis Schrotii, abbatis sui, scripsit compto sermone ad Volfangum Ramum, Sveviae triumvirum, librum Isagogicum ad mysticam Psalterii intelligentiam; in quo omnes reconditas, & magis abstrusas Psalmorum dictiones secundum ordinem literarum digessit; earumque spirituales, & allegoricos sensus pure, apte, & germane explicavit. Libri initium est, *Ablactatus, Scita admodum &c.* Claruit sub Carolo V. Augusto M.D.XX.

P

Paduanus Grassus, seu de Grassis Ordinis Minor. Conventualium.

PADUANUS Crassus, natione Apulus, patria Barolitanus, instituti Franciscani, theologus scholasticus, in Scotistarum scholis assidua exercitatione detritus, declamator quoque Italica facundia celebris, collegit in morem dialogi ex Augustino, & aliis Patribus compendium locorum in omnibus epistolis Pauli apparenter pugnantium, quod CONCILIUM PAULI inscripsit. Floruit anno a Christi, Servatoris nostri, ortu millesimo quingentesimo, & quadragesimo septimo.

PA-

noxium declarare, &, ut ex S. Hieronymo constat, Rufinus suspectae nimium fidei fuerit, seu, ut ille loquitur, regio morbo interius exteriusque correptus. S. Pamphilus vero idem est ac Eusebius martyris larva contectus. S. Methodius, qui prius laudaverat Origenem, postea sugillavit: nec unquam Basilius, & Nanzianzenus pro eo steterunt.

Damnatum quoque idcirco, quia videlicet haereseos labe pollutus erat, Origenem novimus in Synodo Alexandrina a Theophilo Episcopo ex totius Aegypti, Libiae, & Pentapoleos Provinciis congregata, ex S. Cypriano in Synodo Cypri, ab Anastasio Rom. Pontifice in epist. *ad Joh. Hierosolym. de translatione περὶ ἀρχῶν*, & tandem in Oecumenica Synodo V. a Vigilio Rom. Pontifice coacta, in qua anathema fuit dictum Origeni, & sectatoribus ejus, ut constat ex Actis ejusdem Synodi, & una voce fatentur Author Chronici Alexandrini, Gregorius Syncellus, Photius, Nilus Rhodius, & duo Anonymi, quos refert Henricus Justellus, Zonaras, Glicas, Cedrenus, Nicephorus, aliique. In VII. Nicaena Synodo id ipsum pariter fuit firmatum *Actione I.* his verbis: „ Sanctae venerabilis Quintae Synodi, quae „ Constantinopoli congregata est, communi, & uni„ versali submissi sunt anathemati Origenes, & Theo„ dorus Mopsuestiae, & ea quae ab Evagrio, & Dy„ dimo dicta sunt . . . consentientibus, & praesenti„ bus quatuor Patriarchis „ Idem habetur ibidem *Actione III. & VI.* & in professione fidei, confossis aliis haereticis, haec adduntur: „ Cum quibus, & Ori„ genis, & Evagrii, & Dydimi fabulas anathemati„ zamus, sicuti, & Constantinopoli congregatum „ Quintum Concilium egisse dignoscitur „. Id ipsum pariter testantur. PP. VI. Synodi *Actione XVIII.* Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus Epistola Synodica *ad Sergium Patriarcham* CP. relata in VI. Synodo *Act. II.* & Leo II. epistola *ad Constantinum Pogonatum*, quae Synodi VI. appendix quaedam est.

(a) Paulo Orosio N. Xystus adjudicat Commentarios in Cantica Canticorum (qui etiam inter Origenis opera reperiuntur) & certe ex Trithemio: verum ex alto Veterum silentio, praesertim Gennadii, & Honorii Augustudunensis, alteri est restituendum hoc opus, nec incongrue Honorio, cujus nomen in Orosium ex insciția Amanuensium mutatum errori occasionem dedit, ut erudite Dupinius adnotavit *T. III. Bibl. Nov.* Commentarii autem in XII. Prophetas, quos Orosio addicit Anonymus Mellicensis XI. Seculi Scriptor, ab eo prorsus sunt abjudicandi: Vide Miraeum, Cavium, Dupinium, Calmetum, aliosque.

(b) Otfridus Monachus Wissemburgensis clarus sub Ludovico, Lothario, & Carolo Calvo Anno DCCCLXX. ut scribit Trithemius, in Evangelium scripsit grande volumen, cui ab Trithemio adscritur praefixus titulus *Gratiae Theotistae*, & idipsum scripsit N. Xystus. Sed Joh. Albertus Fabricius in *Biblioth. Ecclesiast.* advertit Titulum Othfridi metaphrasis in Evangelium, quam Theotisca lingua condidit, hunc esse: *Incipit liber Evangeliorum primus, Domini gratia, Theotisce conscriptus*, Additque Fabricius: „ Pro„ xime speramus insigne hoc veteris linguae Theo„ tiscae monumentum Otfridi metaphrasim Evan„ geliorum ex Codice Caesareo recensitum, doctis„ simeque illustratum videre a Viro Nobilissimo Die„ derio Vonstade „.

Digitized by Google

PAGANUS Bergomenſis, ex ordine Praedicatorum, ſcholaſticam Poſtillam ſcripſit in Canticum Canticorum, incipientem, *Sponſus & ſponſa dicunt, Veni*: extat Venetiis in bibliotheca D.Joannis & Pauli. (a)

PANTALEON, magnae Dei eccleſiae diaconus, ſcripſit Graeco & eleganti eloquio de luminibus ſanctis, de Domino Jesu Chriſto, & ſancto Joanne, ejus praecurſore, ſermonem in illud, Ego debeo a te baptizari: qui incipit, *τὴν τῆς πανηγύρεως χάριν*, id eſt, *Hanc feſtivi hujus conventus gratiam*. (b)

PANTAENUS, Stoicae ſectae philoſophus, poſt converſionem ſuam veteris Alexandrinae ſcholae a Marco Evangeliſta inſtitutae praefectus, ob praecipuam tam ſaecularis literaturae, quam ſacrae eruditionis gloriam a Demetriano, Alexandriae epiſcopo, miſſus eſt in Indiam, ut Chriſtum apud Brachmanas, Gymnoſophiſtas, & alios gentis illius philoſophos philoſophus ipſe praedicaret: hujus multa in ſanctas ſcripturas commentaria Hieronymus temporibus ſuis extitiſſe teſtatur: apud quos cum Evangelium ſecundum Matthaeum, Hebraïcis ſcriptum literis, praedicaſſet, ipſum revertens Alexandriam ſecum retulit. Claruit ſub Septimio Severo, & ejus filio Caracalla, anno Domini CC.

PATHERIUS, D. Gregorii Papae ejus nominis primi auditor, diſcipulus & notarius S.Romanae eccleſiae ſecundicerius, vir divinarum literarum ſtudioſus, conſarcinavit ex omnibus operibus divi Gregorii libros tres explanationum in varios locos utriuſque teſtamenti, ſervato in his ordine ac numero librorum & capitulorum ſacrae ſcripturae, citatiſque nominatim libris B.Gregorii, ac librorum capitibus; ex quibus eas deſumpſit explanationes, quarum partem jam inchoatam cum D.Gregorius legiſſet, commendavit, ipſumque Patherium ad opus perficiendum hortatus eſt. Meminit hujus operis Beda in praefatione ſeptimi libri in Cantica Canticorum, inquiens: AUDIVI, quod Patherius quidam, beati Gregorii Papae diſcipulus, de tota ſancta ſcriptura quaecunque ille in ſuis operibus explanavit, collecta, ex ordine in unum volumen collegit. Initium hujus operis, quod nuper Romae excuſum eſt, ſic habet, *Dum beatiſſimi, atque apoſtolici*. Claruit ſub Mauritio & Phoca Imperatoribus anno Domini DC.

PASCHASIUS Ratbertus, abbas Corbrienſis, Benedictinus monachus, theologus & philoſophus Graece Latineque doctus, carmine perinde valens, ac proſa, ſcripſit eleganti eloquio in Threnos librum unum. Claruit ſub Carolo Craſſo Imperatore anno Domini DCCCVIII. (c)

PATROPHILUS Scytopoleos, Palaeſtinae epiſcopus, in prima Nicaena Synodo clarus, omnem Hebraïcam ſcripturam Graece vertit anno Dom.CCC. Meminit hujus translationis Gregorius, Laodicaenus epiſcopus, in vita Euſebii Emeſeni apud Socratem. Socrates Lib. II. Hiſt. Eccl. capite IX.

PAULUS, Burgenſis epiſcopus, natione Hiſpanus, ex oppido S.Mariae, genere Hebraeus, Levitici ſanguinis inter ſuos, Rabbinus, ſeu magiſter praeſtantiſſimus, & poſt ſuam converſionem primum novae Carthaginis, & deinde Burgi, Hiſpanicarum eccleſiarum antiſtes, & archicancellarius invictiſſimi Hiſpaniarum regis, diſſeruit in gratiam filii ſui Alphonſi, Decani Compoſtellanae eccleſiae, ex ſingulis divinae ſcripturae libris loca quamplurima adverſus Nicolai

(a) Paganus de Bergomo (alter certe a Martyre ejuſdem nominis, & Ordinis, qui floruit Anno 1277.) ut a Leandro adſeritur, clarus Anno 1325, dumtaxat ab Authore N.adſeritur author Commentariorum in Cantica Canticorum. Et fortaſſe, qui fuerunt a N. Xyſto Venetiis viſi, perierunt, quum eos Thomamaſinus non laudaverit. Vide N. Echardum *Tom.I. Script. Ord. fol.* 554. Ex NN. autem Luſitano, Caſtillo, & Altamura, quos idem Echardus laudat, Paganus adſeritur author poſtillarum in Pentateuchum, Libros Joſue, Judicum, Paralipomenon, Eſdrae, Job, Eccleſiaſtici, in Pſalmos, Prophetas Majores, Evangelia, & Epiſtolas Pauli. Vide Echardum.

(b) Quo tempore floruerit Pantaleon Magnae Conſtantinopolitanae Eccleſiae Diaconus, & Cartophilax non adnotat N. Xyſtus, & prudenter quidem, quum certa non ſit aetas, qua ille claruit, ut ingenue fatetur Cavius *Differt. I. Hiſt. litter.* Sunt qui dimidio XIII. Seculo eum floruiſſe adſtruunt. Vide quae de ejus operibus, eodemque ſcribunt N. Combefiſius, Allatius, aliique, nec non ejus opera inſerta Tom.XII. Bibliothecae Vet. Patrum.

(c) Paſchaſius Ratbertus gente Gallus, natus Anno circiter 786. Corbejenſis Abbas inſtitutus Anno 844. & denatus Anno 851. plura edidit in Sacram Scripturam opera (quae in unum cum aliis collecta edidit Jacobus Sirmondus Pariſiis Anno 1618.) nimirum expoſitionem in Evangelium S. Matthaei, & ſeorſim in illud Matthaei: *Coenantibus autem illis*. In Pſalm. XLIV. Libros tres, in Threnos Jeremiae libros V. Eique pariter a Luca Dacherio *Spicileg. Tom.XII. p.1.* vindicantur libri duo de partu Virginis, qui hactenus prodierunt ſub nomine S.Ildelphonſi Toletani Archiepiſcopi.

Digitized by Google

Lyrani commentarios, quibus has decertationes ſuas adjecit, conatus in his omnes Lyrani explanationes vel tanquam reprehenſione dignas corrigere, vel tanquam inabſolutas deficienteſque ſupplere: inſcripſit hoc opus, ADDITIONES NOTABILES AD POSTILLAM NICOLAI DE LYRA: quarum initium eſt, *Quid tibi vis, ut vivens donem*. Claruit ſub Sigiſmundo Imperatore anno Domini M. CCCCXXX. (a)

PAULUS, Emeſae epiſcopus, in Epheſina ſynodo concionem habuit ſuper illa Joannis ſententia ex Joannis Evangelio, Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: in qua cum duas in uno & eodem Chriſto naturas luculentiſſime demonſtraſſet, ſchiſma, quod hujus dogmatis cauſa in concilio erat, magna omnium laetitia ſuſtulit, & pacem eccleſiae reddidit, anno Dom. CCCCXXXVI.

PAULUS Ricius, Israëlita, vir doctiſſimus, ad Chriſtianam fidem ante paucos annos converſus, & Maximiliani Caeſaris medicus factus, multa praeclara exaravit volumina, inter caetera vero De ſexcentis & tredecim Moſaïcae ſanctionis, ſeu Pentateuchi edictis librum unum: item compoſuit in Pſalmum primum De divina providentia librum unum. Claruit anno Domini M.D.

PAULINUS, Nolae Campaniae epiſcopus, Rufino, Hieronymo, & Auguſtino ſumma devinctus amicitia, vir fuit divinae ſcripturae ſtudioſiſſimus, & eloquentiae ſingularis: de quo Hieronymus in epiſtola quadam, PAULINUS, inquit, in epiſtolari ſtudio prope Tullium repraeſentans, voce me provocat ad ſcribendum, terret eloquentia. Sed & ea pietatis, ac miſerationis virtute claruit, ut, cum omnia in pauperes erogaſſet, ſe ipſum denique pro redemptione filii cujuſdam viduae piratis in ſervitutem tradiderit, a quibus paulo poſt ob admirabilem vitae ſanctitatem dimiſſus, multa uſque ad mortem pia volumina conſcripſit: in quibus etiam edidit de benedictionibus patriarcharum juxta allegoriam latino ac nitido ſermone librum unum, ad imitationem Rufini, Aquilejenſis presbyteri, a quo per epiſtolas impetraverat ejuſdem argumenti libros duos. Claruit anno CCCCXX. (b)

PEREGRINUS Grimaldus, Genuenſis, ſcripſit Meditationem in Pſalmum 102. ad Victoriam Piſcariam, illuſtriſſimam foeminam, quae incipit, *Quid agemus o anima?* Claruit anno M.D.XL.

PETRUS Aliacus, epiſcopus Cameracenſis, S.Romanae eccleſiae cardinalis, Pariſienſis gymnaſii quondam cancellarius, praeceptor Joannis Gerſonis vir divinarum ſcripturarum peritiſſimus, & in Peripatetica philoſophia & aſtronomicis diſciplinis abſolutiſſimus, eloquio elegans, & declamator facundus, aggregavit ex Auguſtino, & aliis patribus plurima in ſacras literas volumina: ex quibus legi.

QUAESTIONUM in Hexaëmeron librum unum, quarum initium eſt, *In principio libri*.

In totum Pſalterium paraphraſticam expoſitionem, quae incipit, *Verbum abbreviatum*.

In 7. Pſalmos poenitentiales Meditationes, quae etiam Gerſoni aſcribuntur.

In Pſalmum 30. Meditationem, quae incipit, *Terret me*.

In Pſalmum 41. Meditationem, cujus initium eſt, *Summe Sacerdos*.

In Cantica Canticorum Meditationum librum 1. *Oſculetur me*.

FLORUIT ſub Sigiſmundo Auguſto in concilio Conſtantienſi clarus anno Domini M.CCCCXVI. PE-

(a) Paulus Carthagena a S. Maria natione Hiſpanus, Burgenſis a patria dictus, Secta Judaeus, & gentilium ſuorum nobilitate, doctrina, & opibus facile Princeps (num autem Levitici ſanguinis? credat Judaeus Apella, non ego: quum hanc ſucceſſionem ſive Aaronicam, ſive Leviticam nequeant demonſtrare in praeſentiarum Judaei, nec ab antiquis adhuc retro temporibus id poſſint jactare ex Tribuum confuſione atque commixtione) e Synagoga ad Eccleſiam ex lectione operum S. Thomae Aquinatis converſus ſimul cum tribus aliis filiis ſuis, ex quibus unum habuit in ſua Burgenſi ſede ſucceſſorem, alterum Placentinum Epiſcopum, tertium vero ſuae familiae propagatorem reliquit, ultra *additiones notabiles ad poſtillas Nicolai de Lyra* edidit etiam *Scrutinium Scripturarum*, & Quaeſtiones XII. *de nomine Tetragrammato*.

(b) Pontius Paulinus genere Romanus, ex Patricio Conſulari ſanguine Burdigalae in Gallia natus, ſolum in Pſalmum I. II. & CXXXVI. poëmata edidit. Librum autem de benedictionibus Patriarcharum nunquam edidit, nec ei unquam adjudicarunt Veteres, qui de ſcriptoribus Eccleſiaſticis egerunt; primus, qui hoc opus laudato Paulino adjudicavit, fuit Johan. Trithemius, ex quo N. Xyſtus in eam ſententiam ivit. Ex Honorio Auguſtudunenſe igitur liber ille reſtituendus eſt Paulino S. Ambroſii Diacono, illiuſque Vitae Authori, de quo alibi fecimus verbum.

Digitized by Google

PETRUS, Archiepiſcopus Senonenſis, in divinis ſcripturis jugi ſtudio eruditus, & veterum lectione dives, atque in ſaecularibus literis nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, ſcripſit in omnes epiſtolas Pauli libros quatuordecim. Claruit anno Domini M.CC.

PETRUS Berthorius, natione Gallus, patria Pictavenſis, prior monaſterii ſancti Eligii Pariſienſis, ordinis Benedictini, ſcripſit in totam Bibliam quatuor inſignia volumina: quorum primum inſcripſit MORALE REDUCTORIUM UTRIUSQUE TESTAMENTI, in quatuor libros diviſum: in quo, praetermiſſo hiſtorico ſenſu, breviter univerſa capita ſcripturae tropologice expoſuit, intermiſtis interdum allegoriis, ſtyloque uſus demiſſo, & aperto, & ad ſenſus animi explicandos maxime accommodato: operis initium eſt, *Cum jam per opacam naturae ſylvam.*

SECUNDUMM volumen, REPERTORIUM MORALE, ſive DICTIONARIUM BIBLICUM praenotatum eſt, tribus magnis voluminibus diviſum, & per ordinem alphabeti digeſtum: cujus initium eſt, *Reverendo in Chriſto patri.*

TERTIUM, quod INDUCTORIUM MORALE intitulatur, in tres libros partitum, incipit, *Videte, quoniam non ſolum.*

QUARTUM, quod BREVIARIUM HISTORIARUM BIBLIAE dicitur, ſic incipit, *Conſiderans hiſtoriae.*

CLARUIT temporibus Caroli Imperatoris IIII. & Innocentii Papae VI. anno Domini M.CCLX.

PETRUS, Novae civitatis epiſcopus, natione Italus, ex oppido Brunaquello, profeſſione Eremitanus, theologiae ſcholaſticae praeceptor, dicitur Lecturas ſcholaſticas edidiſſe in totam Bibliam: ex quibus nihil me vidiſſe recolo: audivi tamen extare adhuc in Germania commentaria ejus in tres libros Salomonis, hoc eſt in Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Canticorum. Floruit ſub Ruperto, Romanorum rege, anno Domini M.CCCCX.

PETRUS Cantor, Pariſienſis, & poſtea ejuſdem, ut fertur, urbis epiſcopus, inter alia praeclara opera a ſe edita ſcripſit ſcholaſticam Gloſſam in univerſa ſacroſancta Biblia: ex qua ipſe in Bibliotheca Praedicatorum Lugdunenſi infraſcriptos libros vidi:

In Pſalterium lib. 1. *Flebat Joannes, quia non erat, qui librum aperiret.*
In Proverbia lib. 1. *Parabolae Salomonis ſecundum Hebraicam veritatem.*
In Eccleſiaſten lib. 1. *Beatus vir, cujus auxilium abs te.*
In Sapientiam lib. 1. *Summi regis palatium.*
In Ezechielem lib. 1. *Et factum eſt in trigeſimo anno.*
In Actus Apoſtolorum lib. 1. *Liquefacta eſt terra.*
In Canonicas epiſtolas lib. 1. *Os meum loquetur ſapientiam.*
In Apocalypſin lib. 1. *Haec ſola inter libros novi teſtamenti prophetia vocatur.*

Claruit anno Domini M.CC.

PETRUS Comeſtor, eccleſiae Trecenſis presbyter, qui a ſcholaſticis per excellentiam Magiſter hiſtoriae ſcholaſticae dictus eſt, omnes libros hiſtoricos tam veteris, quam novi teſtamenti continuata ſerie ſcripturarum breviter in unum corpus redegit, intermiſtis ad integrum abſolutae ſtructurae complementum non ſolum multis externis hiſtoriis, ſcripto probatiſſimorum auctorum proditis, ſed etiam multis apocryphis narrationibus, ſola veterum traditione ſine ullo ſcripto acceptis. Adjecit item variis in locis breves quaſdam ex dictis Patrum annotationes, quae locos hiſtoriae obſcuros illuſtrarent: ejus opus, quod jam ex uſu praenotatum eſt HISTORIA SCHOLASTICA, ſic incipit, *Imperatoriae majeſtati, &c.* Claruit ſub Friderico Imperatore primo anno Domini MCLX. cujus opus Gualterus Hunterus, Anglus, abbreviavit.

PETRUS, Archiepiſcopus Ravennas, ex foro Cornelii, quod Imolam vocant, claris parentibus ortus, vir tam vitae ſanctitate, quam omni eruditionis genere excellens, & ob auream ingenii atque eloquentiae ubertatem CHRYSOLOGI cognomen adeptus, dictavit in varias quatuor Evangeliorum lectiones ſermones centum viginti duos, breves quidem, ſed ſenſus gravitate venerandos, candore ſermonis, venuſtiſque verborum floſculis amoenos, argutis quibuſdam ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiolis naturali quadam facilitate fluentibus jocundos, & validis quibusdam affectibus, tragicis interdum verbis expressis admirandos. Moritur apud Forocornelienses circa annum Domini D. sub Anastasio Augusto cum jam praefuisset ecclesiae Revennati annos circiter sexaginta, duobus conciliis, quibus summa cum laude interfuit, magnopere illustratus. (a)

PETRUS, Edessenae ecclesiae presbyter, scripsit in morem sancti Ephrem Syro sermone Homilias in singulos Psalmos elegantissimas, & fervido Spiritus ardore succensas: idemque totum Psalterium Graecis diversorum generum carminibus cecinit. Claruit anno Domini CCCCL.

PETRUS Gottifredus, doctor scholasticae theologiae, edidit commentationem Scholasticam in Proverbia.

Petrus Herantalius, gente Belga, patria Brabantus, Coenobii Floreffiensis Prior, scripsit etiam commentarium in IV. Evangelia. Obiit post Annum 1436.

PETRUS Herentlasius, Florensis, monachus Praemonstratensis, collegit Catenam explanationum in Psalmos ex variis orthodoxorum Patrum monumentis anno Domini millesimo quadringentesimo ac nonagesimo editam.

PETRUS Izuzquius ex Navarra Hispaniae, ordinis Praedicatorum, opus unum, ex quatuor Evangeliis a se conflatum, luculenta explanatione dilucidavit; ipsumque Seriem sacri Evangelii Jesu Christi, ex quatuor Evangeliis concinnatam, inscripsit.

PETRUS Joannis, ordinis Minorum, Baccalaureus formatus Sorbonae Parisiorum, Postillas scripsit in omnem fere divinam scripturam anno Domini MCCCC.

PETRUS Lombardus, Parisiensis episcopus, quem omnes theologorum scholae singulari quadam venerationis excellentia Magistrum Sententiarum appellant, & in cujus theologiae compendium innumerabilia disputationum volumina eruditissimi clarissimarum toto Christiano orbe academiarum theologi elaborarunt, collegit in omnes Psalmos Davidicos, & in omnes Pauli epistolas ex sententiis Ambrosii, Hilarii, Augustini, Cassiodori, & Remigii, suppressis eorum nominibus, commentarios omni eruditione refertissimos; in quibus etiam de suo aliqua non prorsus abjicienda interposuit. Commentaria Psalmorum incipiunt, *Cum omnes Prophetas Sancti Spiritus revelatione constet esse locutos*. Commentaria vero in Paulum incipiunt, *Principia rerum sunt inquirenda*. Claruit sub Conrado Imperatore III. anno Domini M.CXL.

PETRUS Nannius, Alcmarianus, in collegio Buslidiano latinae lingue professor, scripsit in Canticum Canticorum Paraphasin & Scholia, incipientia, *Cum vulgo*. Item in Sapientiam Salomonis eodem modo, incipiens, *Saepe rogatus sum*. Floruit anno Domini M.D.L.

PETRUS Paludanus, patriarca Hierosolymitanus, genere Gallus, instituto Dominicanus, juris canonici consultissimus, theologus inter scholasticos satis celebris, Thomisticaeque doctrinae defensor praecipuus, scripsit juxta triplicem sensum, literalem, moralem, & allegoricum, Postillam in universa sacrosancta Biblia; ex qua ipse in bibliotheca Praedicatorum Lugdunensi tantum infrascripta legi:

In totam Bibliam Praefationum emplissimarum librum unum, qui incipit, *Constituens bibliothecam*

In Genesim	librum 1.	*Hic est liber Adam*.
In Exodum	lib. 1.	*Deus eduxit eos de Aegypto*.

In Psalterium opus ingens, septem voluminibus digestum, quod incipit, *Implemini Spiritu Sancto*.

CLARUIT anno Domini M.CCCXXX. (b)

PE-

(a) Ex aliorum errore N. Xystus nimium protraxit vitam, & Episcopatum S. Petri Chrysologi. Laudatus quidem Pater fuit institutus Episcopus Ravennas An. 433. & dubio procul ante annum 451. ad Superos evolavit: quum extet Epistola S. Leonis M. ordine XXXVII. ad Leonem Ravennatem Episcopum S. Petri Chrysologi successorem (seu ex editione Quesnellii ad Nonam Ravennatem Episcopum ordine CXXXV.) data, Martiano & Adelpho Consulibus, Anno, nimirum, 451.

(b) Petri de Palude opera in Sacram Scripturam, quae Lugduni viderat N. Xystus, memoriae commendavit: verùm adcuratissimus N. Jacobus Echardus, qui innumeras Orbis, & Ordinis Bibliothecas lustravit, pluresque ad suas manus habuit codices, quos habere non potuerunt Veteres nonnulli, plura alia a N. Paludano edita in Sacram Scripturam opera commemorat.

Digitized by Google

PETRUS Perpinianus, cognomento Rimes, natione Cathalanus, Carmelita, cui par fuit saecularis philosophiae & sanctarum scripturarum eruditio, scripsit juxta scholae consuetudinem in totum Psalterium Lecturam non aspernandam. Claruit anno Domini M.CCC.

PETRUS Riga, Remensis ecclesiae presbyter, scholasticus poëta, quantum sua ferebant tempora, celebris, & sanctarum literarum cognitione illustris, omnes historicos divinae scripturae libros versibus partim elegis, & partim hexametris leonini generis juxta literalem & allegoricum sensum breviter exposuit. Opus autem suum AURORAM inscripsit: cujus libri, eorumque initia ex bibliotheca Praedicatorum Lugdunensi desumpta haec sunt:

In Genesim	liber unus.	*Initium mundi quales.*
In Exodum	liber unus.	*Haec duodena Patrum sunt nomina.*
In Leviticum	lib.1.	*Vox autem Domini Mosen.*
In Numeros	lib.1.	*Alloquitur Mosen Deus.*
In Deuteronomion	lib.1.	*Haec sunt verba Dei,*
In Josue	lib.1,	*Post Mosen Josue populo.*
In Judicum	lib.1.	*Peccat Hebraeus, ait.*
In Ruth	lib.1.	*Ad Ruth festinat.*
In Regum	lib.3.	*Monte manens Effra.*
In Canticum Canticorum	lib.1.	*Solus Origenes cum doctos vicerit omnes.*
In quartum Regum	lib.1,	*Regnavit Salomon.*
In Danielem	lib.1,	*Postquam subjectos sibi.*
In Tobiam	lib.1,	*Qui legis historiam.*
In Job	lib.2,	*Librum Job Mosi quidam.*
In Judith	lib.1,	*Eustochio Paulaeque.*
In Esther	lib.1.	*Usque sub Aethiopum.*
In libros Maccabaeorum	lib.1,	*Magnus Alexander,*
In quatuor Evangelia	lib.1.	*Claruit Herode,*
In Actus Apostolorum	lib.1.	*Tiberii nonodecimo,*
Recapitulationum	lib.1.	*Haec de lege nova veteriqae.*

CLARUIT sub Friderico Imperatore Primo, anno Domini M.CLXX.

PETRUS Rosenheimensis, Germanus, monachus Benedictinus in coenobio Mellicensi Austriae poëta scholasticus, divinarum literarum non ignarus, scripsit ad Brandam, titulo S. Clementis cardinalem, elegis distichis succinctum opusculum omnia utriusque testamenti capita breviter perstringens, cui titulum dedit; ROSEUM MEMORIALE DIVINORUM: principium vero tale, *Astripotens coelum terram.* Claruit sub Sigismundo Imperatore anno Domini M.CCCCXL.

PETRUS Rufus, Cartusiae prior trigesimus secundus, scripsit in Psalterium, & in Canticum Canticorum commentarios anno Domini M.D.III.

PETRUS Scala, episcopus Veronensis, ordinis Praedicatorum, edidit Postillam scholasticam in Joannem, quam manu descriptam in membranis vidi Genuae in bibliotheca Minoritarum observantium: ejus initium est, *Nunquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, &c.* (a)

PETRUS Sutor scripsit De translationibus Bibliorum contra Erasmum anno Domini millesimo quingentesimo ac quadragesimo. (b)

PETRUS, Tripolitanus abbas, ut Cassiodorus in primo libro De institutione divinarum scripturarum testatur, ex dictis opusculorum B. Augustini in omnes epistolas Pauli commentarios collegit anno CCCCXCVIII. Servantur Bononiae in bibliotheca Dominicana, tale praeferentes initium, *Primum quaere post Evangelia, quae, &c.*

PE-

(a) Petrus de Scala, seu Scaliger ex Dynastica familia Veronesi Borgomi natus, & Anno MCCXC. ad Veronensem Ecclesiam regendam adsumtus, ultra laudatam postillam, quam ei adjudicat Xystus, quia eam solum vidit, alia elaboravit opera in Sac. Scripturam, nimirum postillas in Matthaeum, & in alios Scripturae libros, quae jam perierunt, Sermones de Tempore, & de Sanctis. Vide Echardum *Tom. I. Script. Ord. fol.* 417.

(b) Jacobus le Long ita de hac versione loquitur *Tom. II. Bibliot. Sacr. Indic. Alphabet.* „ Leus „ (Eduardus) Guillelmus Abbas Hirsaugensis, Joannes Aragonum Rex, Joannes Pocanus, Petrus Sutor: hi quinque viri cum aliis, de quibus loco suo „ dicitur, inter S. Scripturae translatores recensentur a Sixto Senensi, & a Possevino &c, nihil tamen unquam ex sacris libris in quamlibet linguam „ converterunt „.

Digitized by Google

PETRUS Verberius, S.Romanae ecclesiae cardinalis, episcopus Aquensis, cognomento Aureolus, professione Franciscanus, doctor & lector academiae Parisiensis, in qua temporibus Ludovici Bavari Imperatoris scholasticum theologiae genus publice docuit, vir omni scientiarum peritia clarissimus, ecclesiastes & concionator ob singularem scripturarum eruditionem apud suos in summa admiratione habitus, scripsit scholastico stylo breve compendium omnium sanctorum voluminum, BREVIARIUM BIBLIAE attitulatum: cujus principium est, *Venite, ascendamus ad montem Domini*. Claruit sub Ludovico Bavaro Imperatore anno Domini M.CCCXVII.

PHILIBERTUS Aresches, Augustinianae familiae doctor; theologus facultate, origine, & conventu Parisiensis, edidit in lucem commentarios breves ac dilucidos in epistolam divi Pauli ad Romanos: in quibus, post exactam expositionem apostolicae mentis, diffinitiones quoque vocum difficiliorum, & diversarum significationum acceptiones, auctoritates item ex veteri testamento, sive Septuaginta interpretum, sive Hebraïcae veritatis, quas interdum sequitur Apostolus, lucidissimis annotationibus explicavit, anno Domini M.D.XL.

Philippus Otterburgensis ex Oudino floruit Anno 1390. ex Posseuino Anno 1430.

PHilippus, Abbas monasterii Otterburgensis, dioecesis Vormaciensis, ordinis Cistertiensis, Germanus, cujus animum & morum sanctitas & divinarum rerum studium exornarunt, emisit commentariorum in Cantica opus praeclarũ & insigne.

PHILIPPUS Alberti de Nussia, Germanus, Carmelita, Postillam fecit in Cantica anno Domini M.CCCCXCV.

Philippus Grevius edidit Sermones CCCXXX. in Psalmos, scripsit quoque Commentarios in Job, & Evangelia.

PHILIPPUS, Cancellarius Parisiensis, & magnae Parisiorum scholae praefectus, vir undequaque doctus, & in Sacris declamationibus populo charus, habuit in singulos Psalmos duos vel tres eruditos, ac disertos sermones. Claruit anno Domini MCCXXX.

PHILIPPUS, presbyter & monachus, B.Hieronymi auditor optimus, & plurimum paupertatis amator, edidit sermone, ut Gennadius ait, simplici Commentarios in Job: pro quibus Adamus, Basiliensis typographus, proximis annis evulgavit Commentationum mysticae expositionis in Job ad Nectarium episcopum libros tres, incipientes, *Adhortante te, imo potius compellente, Nectari pater beatissime*. Hos rursum Joannes Hervagius, Basileae impressor, inter Opera Bedae, & sub titulo BEDAE excudit, Caeterum ipse Beda in libello de ratione unciarum haec ipsa commentaria suo vindicans auctori PLEROSQUE, ait, imperitos turbat, quia Philippus in expositione beati Job aestum maris Oceani describens adjunxerit hunc aequinoctialis horae quadrante tardius sine intermissione sive die venire sive nocte. Habetur autem hic locus a Beda citatus in explanationibus Job quas nuper sub nomine Philippi idem excussit Hervagius lib.3.ad expositionem illius sententiae. *Nunquid ingressus profunda maris &c.* Job 38. Moritur Martiano, & Avito regnantibus, anno Domini CCCCXXX.

PHILIPPUS, presbyter Sidae, in Pamphylia natus. Troïli Sophistae cognatus, Diaconus cum esset, Joannis Chrysostomi fuit auditor, multaque Asiaticum affectans dicendi genus, conscripsit, praesertim vero Opus magnificum pro defensione totius divinae Scripturae; in quo septem libros Juliani Imperatoris adversus sacrosancta Biblia editos, evertit. Moritur anno Domini CCCCXL. relictis triginta & sex Historiarum libris.

PHILON, Carpathius episcopus, scripsit in Canticum Canticorum Graecam expositionem, cujus initium est, *Qui equorum certamina*: quae non unius Philonis esse existimatur, sed plurium auctorum: quoniam qui apud Graecos Philonis nomine circunfertur Commentarius, breve admodum Opusculum est. Sunt, qui putent ab Eustachio, & Eusebio, quorum rogatu Philo ipse Commentariolum hunc confecerat, multis fuisse accessionibus locupletatum: quod an ita sit, haud temere ausim affirmare. De Philone autem testis est Suidas, his verbis: *Φίλων Καρπάθιος ἔγραψεν ὑπόμνημα εἰς ἆσμα τῶν ἀσμάτων.* De illis vero nihil certi me legisse memini, nec quo tempore fuerit. Stephanus Salutatus, Pisciensis, Commentarios istos Latinos fecit. (a)

PHI-

(a) Philo (ubi natus incertum) Carpasiae Urbis in Cypro Episcopus, commentarium certe in Cantica Can-

Digitized by Google

PHILO Judaeus, patria Alexandrinus, Levitici sanguinis, in quem unum omnes sese Christianorum Patrum laudes effundunt, ab Eusebio & Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiae idcirco positus est; quia librum de prima Marci Evangelistae apud Alexandriam ecclesia scribens, Christianorum gentem miris encomiis exornavit. Hic sane vir fuit Pythagoricae, Platonicae, & Aristotelicae philosophiae peritia omnibus suae memoriae hominibus longe superior; sed & Graecae facundiae inter omnes, tam Christianos, quam Judaeos, & Ethnicos, aetatis suae facile principem locum obtinuit: unde etiam ab ipsis Graecis Plato Judaeus dictus est; abiitque de eo apud illos in Proverbium, ἢ πλατὼν φιλονίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει: hoc est, AUT PLATO PHILONIZAT, AUT PHILO PLATONIZAT: tanta fuit amborum similitudo sensus, & eloquii. Non defuere tamen, qui ei propriae, hoc est, Hebraïcae linguae imperitiam adscripserint. Hujus Opera in tantum admirati sunt Romani, ut digna existimarent, quae in ipsorum publica Bibliotheca, tanquam monumenta quaedam, reponerentur. Fuit praeterea ultra quam dici queat, admirabilis in divinis Scripturis exponendis; quas triplici sensu juxta Septuaginta editionem praeclarissime explicavit, literali scilicet, morali, & praecipue allegorico: in quo quidem expositionis genere ita excelluit, ut omnes pervetusti Ecclesiae Doctores in deducendis mysticis allegoriis imitati sint ipsum, tanquam primum sacrarum allegoriarum inventorem & artificem; qui ut divinam Sapientiam, veluti reginam, in throno suo honorificentius collocaret, ancillarum suarum famulitio stipatam, innumera de saecularibus scientiis in suis explanationibus assumpsit, praecipue vero de physicis disciplinis juxta Peripateticorum sententiam, & de ultramundanis speculationibus secundum Pythagorae & Platonis mentem.

SCRIPSIT autem in vetus Testamentum plurima & nobilissima volumina, quae Eusebius secundo Ecclesiasticae historiae in tres classes digessit, hoc est, primo in libros continuae explanationis: secundo in libros Quaestionum, continentes sparsim de diversis Scripturae capitulis; in quibus, quae requiri debeant, & proponit, & solvit: tertio in libros propositionum, in quibus varias Scripturae sententias separatis Commentariis pertractat. His classibus addi possunt alii tres ordines librorum ejus, videlicet, Grammatici, Historici, sive Paraphastici, & Chronographici, quos ipse ad intelligentiam dictionum, historiarum, ac temporum, in Sacris literis contentorum, conscripsit. Ex his igitur tam diversi generis Opusculis tantum infrascripta, quorum major pars ad Pentateuchum pertinet, sub diversi generis titulis inveni, partim a Laelio Typhernate, & Sigismundo Gelenio in Latinum conversa, partim a vetustis auctoribus hinc inde citata. Sunt autem haec:

DE interpretatione Hebraïcorum nominum, quae in veteri Testamento reperiuntur, juxta ordinem voluminum sanctae Scripturae liber unus, secundum literarum seriem dispositus: in quo omnium nominum etymologiae, sive proprietates, summa fide, ac diligentia, Graece explicantur: cui Origenes Adamantius adjecit interpretationes omnium Hebraïcarum dictionum, quae in novo Testamento habentur; ut quod Philo quasi Judaeus omiserat, ipse ut Christianus impleret. Transtulit hunc librum B. Hieronymus, praeposita Praefatiuncula, quae Operis auctorem testaretur: ea incipit, *Philo, vir disertissimus, &c.*

EPITOME Chronicon, hoc est, Breviarium temporum: in quo omissis fabulosis gentilium historicorum supputationibus, omnem annorum numerum ab initio mundi usque ad Christum, juxta veritatem Scripturae sacrae, & secundum tempora vitae virorum illustrium veteris Testamenti exactissime fidelissimeque supputavit. Hunc Joannes Annius, Viterbiensis, ordinis Praedicatorum, locupletissimis Commentariis, ex Beroso, Methastene, Manethone, Xenophonte, Fabio Pictore, & Catone collectis, splendidissime illustravit. Operis initium est, *Ab Adam usque ad diluvium.*

LIBER, qui BIBLICARUM ANTIQUITATUM praenotatur, in quo per

Canticorum edidit, ut praeceteris testatur Suidas V. φίλων. Verum qui nunc extat Tomo V. Bibliothecae Vett. PP. aut ipsius non est, aut nimium interpolatus. Commentarius autem genuinus Philonis in Canticum simul cum interpretatione habetur MS. apud Bigotium propediem ab eo evulgandus, ut scripsit Casimirus Oudin; num autem jam fuerit in vulgus editus, ignotum adhuc. Vide quae de eo scripserunt Miraeus, & Bellarminus.

Digitized by Google

modum brevis historiae vetus omne Testamentum perstringitur: sed phrasis ejus ubique Hebraïsmum redolens, & narratio rebus apocryphis passim abundans, indicant Opus, aut hujus non esse Philonis; aut, si forte ejus sit, non Graeco, sed Hebraïco sermone ab ipso fuisse conscriptum. Operis initium est, *Initio mundi Adam genuit tres filios*: cujus ego tantum fragmentum vidi, hoc est, a generatione filiorum Adae usque ad obitum Saulis, primi regis Judaeorum.

IN totum Geneseos librum juxta Septuaginta interpretum editionem quamplurima, sub diversis titulis elegantissima Graeca Opuscula, triplici explanationis genere distincta, hoc est, in Commentaria continuatae expositionis, in Commentaria propositionum de Genesi expositarum, & in Commentaria quaestionum & solutionum: ex quibus Opusculis tantum reperi libros triginta quinque, majori ex parte a typographis excusos, reliquos vero partim a diversis vetustis auctoribus, partim ab ipso Philone citatos. Horum omnium inscriptiones, argumenta & initia, juxta seriem capitulorum Geneseos a nobis primum disposita, haec sunt:

Κοσμοποιΐαν librum scripsit Empedocles, cujus in metaphysicis meminit Aristoteles.

In Geneseos caput primum περὶ τῆς κοσμοποιΐας: hoc est, De Mundi opificio, sive, De ea, quam Moses describit, mundi generatione, liber unus: in quo verba totius primi capitis literali & allegorica explanatione sublimiter & copiose explicantur. Liber incipit, τῶν ἄλλων νομοθετῶν. *Caeteri legislatores*.

In Geneseos caput secundum, De allegoriis sacrae legis post sex dierum opus, liber primus: in quo exponuntur allegorice omnia, quae narrantur ab initio secundi capitis usque ad ea verba ejusdem capitis, In quacunque hora comederitis, morte moriemini. Libri initium est, *Igitur perfecti sunt coeli*, &c. *Postquam dementis*, &c.

In Gen. cap. 3. De allegoriis sacrae legis liber secundus, continens allegoricam expositionem illorum verborum, Et abscondit se Adam, usque ad illa, Terra es, & in terram reverteris. Libri exordium est, δόγμα εἰσηγεῖται. *Dogma introducitur*.

In Gen. caput 3. De Cherubin, & flammeo gladio, & de Caino, qui primus ex homine natus est, liber unus: in quo triplici sensu enarrantur verba Mosis ab eo loco, Et expulit Dominus Adam de paradiso, usque ad locum illum 4. cap. Possedi hominem per Deum. Liber hoc habet principium, καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδάμ: hoc est: *Et expulit Dominus Adam. Hunc dicit expulsum*.

In Gen. caput quartum, De sacrificiis Abelis, & Caini, liber unus: in quo explanatur locus ille, Rursumque peperit fratrem ejus Abel, usque ad illum locum ejusdem capitis, Subtus te erit appetitus tuus, &c. Libri principium est, καὶ προσέθετο τεκεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἄβελ: id est, *Et apposuit parere fratrem ejus Abel*.

In Gen. cap. 4. De eo, quod deterius potiori insidiari soleat, liber unus: explanans residuum hujus capitis ab illa sententia, Dixitque Cain, Egrediamur foras, usque ad illam, Egressus est Cain a facie Domini. Liber sic incipit, καὶ εἶπε Κάιν πρὸς Ἄβελ. *Et dixit Cain ad Abel*.

In Gen. cap. 5. De successione generis humani, liber unus, continens enarrationem genealogiae, seu posteritatis Adae. Liber incipit, Ἀδὰμ ἐγέννησε. *Adam genuit tres filios*.

In Gen. cap. 6. De Gigantibus, liber unus, edisserens verba illa in initio capitis, Cumque coepissent homines multiplicari, usque ad illa, Postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum. Liber incipit, καὶ ἐγένετο. *Et factum est*, &c. *Quaerendum opinor, cur post*, &c.

In Gen. cap. 6. quod Deus sit immutabilis, liber unus: in quo explicantur verba illa, Posteaquam ingressi sunt filii Dei, &c. & Poenitet me fecisse hominem, usque ad illa, Finis universae carnis venit coram me. Liber sic orditur, καὶ μετ' ἐκεῖνα φησίν. *Et post hoc ait*.

In Gen. caput nonum, De agricultura, liber unus, exponens propositionem illam, Coepitque Nohe vir agricola exercere terram: in quo de spirituali animi per virtutes cultura pertractat: cujus initium est, καὶ ἤρξατο. *Coepitque Nohe*.

In Gen. cap. 9. De plantatione Nohe, liber unus: in dictum illud, Plantavit Nohe vineam: ἐν μὲν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ. *In primo quidem libro*.

In

Digitized by Google

In Gen. cap.9. De temulentia Nohe, liber unus: in dictum illud, Bibensque Nohe vinum, inebriatus est: cujus initium est, ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις φιλοσόφοις εἰρημένα περὶ μέθης. *Quae ab aliis philosophis de ebrietate dicta sunt*: in quo enarrat, quid mystica Nohe significet ebrietas.

In Gen. cap.9. De resipiscentia Nohe, liber unus: in dictum illud, Evigilans autem Nohe ex vino &c. qui incipit, τὰ περὶ μέθης. *Post ea, quae de ebrietate*.

In Gen. cap.11. De confusione linguarum, liber unus: in illud, Erat autem terra labii unius, &c. qui incipit, περὶ μὲν δὴ τούτων ἀρκέσει τὰ εἰρημένα. *Hactenus de his dixisse sufficiat*.

In Gen. caput duodecimum, De migratione Abraham, liber unus: in illud, Dixit Dominus ad Abraham, Egredere de terra tua, usque ad illud, Tulitque Saram uxorem suam: ejus initium est, καὶ τίνι τρόπῳ κύριος. *Et dixit Dominus*.

In Gen. caput 12. De Abrahamo, sive, de vita sapientis per doctrinam perfecti, sive, De legibus non scriptis, liber unus: in quo vitam Abrahami, & singula ejus gesta, quae ab initio capitis 12. usque ad 23. caput referuntur, Philo historice & mystice exponit, ostendens Mosem in Abrahamo imaginem, exemplar, ac legem viri theoretici, seu per contemplationem sapientis coloribus quodammodo vivis depinxisse: liber incipit, τῶν ἱερῶν ἐν πέντε βίβλοις: hoc est, *Sacrae legis quinque volumina*. Abraham viri speculativi exemplar.

In Genesis caput decimum quintum, De mercedibus liber unus, in illud, Ego sum merces tua magna nimis: quem ego non vidi: citatur tamen a Philone in Praefatione libri, De haerede divinarum rerum.

In Gen. cap.15. De haerede divinarum rerum, vel, Quis rerum divinarum sit haeres, liber unus: in quo totum quintumdecimum capitulum continuae expositionis serie explicatur. Libri principium est, ἐν μὲν τῇ πρὸ τούτου βίβλῳ. *In proxime praecedenti libro*.

In Genes. cap.16. De congressu quaerendae eruditionis gratia liber unus super illud. Igitur Sara uxor non genuerat, usque ad illud, Affligente igitur eam Sara: quo in libro allegorice ostendit, quod anima nostra non est idonea prolem bonorum operum ex divina sapientia suscipere, nisi prius congrediatur cum ejus famula, hoc est, saeculari literatura, exemplo Abrahae, qui de Sara sobolem non potuit accipere, nisi posteaquam cum Agar ancilla Aegyptia concubuit. Liber incipit, Σαρρᾶ δὲ ἦν γυνὴ Ἀβραάμ, *Sara autem erat uxor Abrahae*. Abrahae congressus cum Sara, quid significet.

In Genes. cap. 16. De profugis liber unus: in quo exponuntur verba Scripturae, ab eo loco, Affligente igitur eam Sara, usque ad finem ejusdem capitis. Ejus initium est, καὶ ἐκάκωσεν αὐτὴν Σαρρᾶ. *Et afflixit eam Sara*.

In Gen. cap.17. De circumcisione liber unus, super illud, Circumcidetur ex vobis, &c. in quo traditur, circumcisionem institutam esse a Deo ob sex causas, quatuor videlicet physicas, & duas mysticas. *Capita legum, &c.* Circumcisionis causae sex.

In Gen. cap.28. De somniis liber unus, cui testatur Philo alterum quoque librum se De somniis praemisisse, sic in Praefatione scribens: SUPERIORE tractatu diximus de priore somniorum divinitus missorum specie, quando coeleste numen ultro per somnum visiones immittit: dicemus nunc de posteriore, quando nostra mens mota videtur per se ipsam divinare, praesagireque, quid ferant futura tempora. Explicat autem hoc libro mysticam significationem celebris illius insomnii Jacob de scala coelesti, capite 28. descripti. Hieronymus & Sophronius asserunt Philonem scripsisse, De insomniis libros quinque: sed de his nullum vidi, praeter hunc unum, cujus initium est, ἃ μὲν ὖν πρὸ τούτων γραφὴ. *In proxime praecedenti tractatu*.

In Gen. cap.35. De mutatione nominum, vel, Quare quorundam in scripturis mutata sint nomina, liber unus, in illud, Non vocaberis ultra Jacob, sed Israël: qui liber, a Hieronymo & Sophronio citatus, nondum mihi visus est.

In Gen. cap.37. De vita viri civilis, sive, De Jôseph, liber unus: in quo vita ac gesta Joseph enarrantur, exponunturque juxta ea, quae a 37.capite usque in finem libri scripta sunt; ostenditurque exemplo Joseph, qualis sit vir vere Politicus, & ad gubernacula Reipublicae idoneus. Liber incipit, τρεῖς μὲν εἰσὶν ἰδέαι. *Tres quidem sunt species*. Joseph politici viri exemplar.

Digitized by Google

PRAETER haec ſcripſit etiam quaeſtionum, & ſolutionum in totum Geneſeos volumen libros tres, quos ego nondum vidi: legi autem ſub nomine Philonis Judaei fragmentum quaeſtionum & ſolutionum in Geneſim: quod quidem ipſa doctrina & phraſis arguunt viri eſſe Judaei, non tamen Philonis: nam praeterquam quod Philonis nomen in ipſo Opere non ſemel citatur, & ejuſdem ſententia taxatur: damnantur etiam in eo nominatim Apollinariſtae haeretici, quod negaverint animam humanam fuiſſe in Chriſto: quanquam non negaverim potuiſſe hoc accidere vitio imperiti Scriptoris, qui intra contextum auctoris ea inſeruit, quae forte ſtudioſus quiſpiam extra contextum literae in margine libri annotaverat: exponuntur autem in hoc fragmento allegorice tota fere 25. & 27. Geneſeos capita. Ejus initium eſt, *Quare quadraginta annorum erat Iſaac, cum nupſiſſet?*

ULTRA ſupradictos libros Euſebius, Hieronymus, & Sophronius, teſtantur, Philonem ſcripſiſſe in Geneſim, De natura & inventione rerum, librum unum, De diviſione aequalium & inaequalium, librum unum, De pactis libros duos. Atque haec eſt ſumma librorum triginta quinque Philonis in Geneſim: ex quibus Baſilius & Ambroſius multa in Commentariis ſuis ſuper Geneſim, ut infra annotabimus, mutuarunt. Fertur & alia multa praeclara Opera elucubraſſe in Geneſim, quae me prorſus latent. Volfangus Lazius, Viennenſis, Caeſareae majeſtatis Hiſtoricus, dicit extare in Bibliotheca ſua Commentaria quaedam Philonis in Geneſim & in Exodum, cum Praefatione D. Hieronymi, ab incerto interprete translata. Scripſit poſt haec,

IN EXODUM libros 13. quorum inſcriptiones & initia haec ſunt:

QUAESTIONUM ac ſolutionum in Exodum libri quinque.

DE vita Moſis, ſive Paraphraſeos univerſae hiſtoriae, quae in Exodo ac tribus ſequentibus libris deſcribitur, libri quatuor; quorum initium eſt, Μωυσέως τὸ κατὰ μὲν τίνας νομοθέτου: hoc eſt, *Moſis, ut quidam cenſent, legislatoris.*

In Exod. cap. 20. De Decalogo, quod eſt totius juris ſummarium, liber unus: βίος τῶν κατὰ Μωυσέα σοφῶν ἀνδρῶν: hoc eſt, *Vitas ſapientum, quos Moſes.*

In Exod. cap. 20. De ſpecialibus legibus, quae referuntur ad duo Decalogi praecepta, ſextum, videlicet, contra libidinoſos, ac ſeptimum contra homicidas, liber unus: ἦν ποτὲ χρόνος. *Fuit olim tempus.*

In Exod. cap. 20. De Judice & teſtibus, quod ad penultimum Decalogi praeceptum pertinet, liber unus. *Quibuſdam placet.*

In Exod. cap. 25. περὶ τῆς σκηνῆς: hoc eſt, *De Tabernaculo, liber unus.*

In Leviticum; De monarchia, liber unus, qui SECUNDUS inſcribitur, pertractans de conditionibus & officiis ſacerdotum, in Levitico enumeratis: cujus initium eſt, τῶν μὲν ἀναπάλιν. *Superum quidem.*

De ſacerdotum praemiis & honoribus, in Levitico deſcriptis, liber unus: τοῖς ἱερεῦσιν: hoc eſt, *Sacerdotibus, &c.*

De victimis, ſeu, De animalibus, ſacrificio idoneis, & de victimarum generibus, quae in Levitico referuntur, liber unus: τῶν εἰς τὰς ἱερουργίας ζώων: *Animalium, quae in ſacris.*

De Victimas offerentibus, vel quales eſſe debent victimarum oblatores, liber unus: Εὐλόγιαι τοῦ ἄγοντα τὰς θυσίας: hoc eſt, *Offerenti victimas.*

IN DEUTERONOMION propoſitionum expoſitarum libri quatuor; quorum inſcriptiones, & initia, ſunt haec:

In Deut. decimum ſeptimum, ſuper illud, Non poteris alterius gentis hominem regem facere: liber unus, explicans, quales conditiones exigat eligendus in principem: cujus initium eſt, οἵοις τὰς κληρωτὰς εἰσαγήσατο ἀρχὰς.

In Deut. 20. & 22. De fortitudine, liber unus: in quo contraxit, & expoſuit praecepta proficiſcentium in bellum, quae habentur Deut. 20. & praecepta pertinentia ad veſtitum, tam virilem, quam muliebrem, ex 22. cap. Deut. Operis initium eſt, *De juſtitia, & his, &c.* in cujus Praefatione teſtatur ſe ſcripſiſſe alios duos libros, alterum de Juſtitia, alterum de Modeſtia.

In Deuteronomion vigeſimum tertium, liber unus, De meretricis mercede non recipienda in ſacrarium, ſuper illud, Non offeres mercedem proſtibuli: qui incipit, παίν καλῶς ἐν τοῖς ἱεροῖς τοῦ νόμου. *Maxime pulchrum in ſacris legis.*

In

Digitized by Google

In Deuteron. 28. liber unus: περὶ ἀθλων καὶ ἐπιτιμιῶν: hoc est, De praemiis, poenis, & execrationibus, quas Deus proponit his, qui jus fasque colunt, vel negligunt: cujus initium est, τὸ προφήτου Μωυσέως λόγων. *Mosis Prophetae sermonum.*

ALIA quoque multa in Mosen scripsisse dicitur, quae ad manus meas non pervenerunt. Floruit sub Cajo Imperatore ad quem legatus suae gentis missus est, & sub Claudio & Nerone Imperatoribus, usque ad annum Salutis nostrae quinquagesimum. (a)

PHOTIUS, Patriarcha Constantinopolitanus, in colligendis Patrum sententiis sedulus, excerpsit ex variis auctorum Commentariis in omnes Pauli epistolas laudatissima scholia: quorum magna pars in Catena expositionum Oecumenii legitur. Claruit sub Michaële & Theodora matre, anno Domini DCCCX. Photius Graecanici Schismatis author in CP. Synodo, Oecumenica VIII. damnatus Anno 869.

PIERIUS, Alexandrinae ecclesiae Presbyter, sub Cajo & Diocletiano Principibus, eo tempore, quo eandem ecclesiam Theonas episcopus regebat, florentissimè docuit populos, & in tantam sermonis, diversorumque tractatuum venit elegantiam, ut Origenes Junior vocaretur: constat hunc mire ἀσκήσεως, & appetitorem voluntariae paupertatis, scientissimumque dialecticae & rhetoricae artis, & post persecutionem omne vitae suae tempus Romae fuisse versatum. Hic in Oseam Prophetam longissimum tractatum reliquit, quem in exordium hujus Prophetae die vigiliarum Dominicae passionis extemporali & diserto sermone profudit. Haec Hieronymus in Catalogo, & Praefatione Oseae. Scripsit etiam in priorem ad Corinthios epistolam Commentarios locupletissimos, quorum meminit Hieronymus in epistola ad Pammachium, quae incipit, *Christiani pudoris.* Claruit sub Diocletiano Imperatore anno Domini CCXC. (b)

PLACIDIUS Parmensis, ex ordine Praedicatorum, Theologus nostrorum temporum celebris, reliquit in omnes Davidicos Psalmos explanationem, eruditione, elegantia, & brevitate insignem; quam nuper Veneta Academia typis suis excudit, Henrico Gallorum regi dicatam. Moritur anno Dom. MDLVIII.

POLYCHRONIUS, Episcopus Apamenus, Theodori Mopsuestiae episcopi frater, & Diodori Tarsensis episcopi auditor, vita & verbo optime docens, scripsit Graeca Commentaria in Job, & in Ezechielem: quorum fragmenta plurima habentur in Catena Graeca explanationum in Job: & in volumine Joannis Damasceni, adversus imaginum destructores nonnulla citantur. Claruit anno Domini CCCC. (c)

PONTIUS Carbonellus, ordinis Minorum, sancti Ludovici regis Franciae Praeceptor, Postillam in utrunque Testamentum scripsit. Pontius Carbonellus, Catalanus, S. Ludovici (non Regis, sed Tholosatis Episcopi, Ord Min.) Magister ex Wadingo.

PRETIOSA Catena super quadraginta Psalmos, numero & ordine succedentes, ex orthodoxis Patribus Latino sermone collecta, & nondum typis excusa, habetur Venetiis in nobilissima Venetorum Academia.

PRETIOSA Catena Graeca in omnes Prophetas, tam majores, quam minores, collecta ex explanationibus praestantissimorum Patrum, extat manu descripta apud inclytam Venetorum Academiam, quam speramus propediem in lucem prodituram.

PRIMASIUS, Uticensis in Africa episcopus, divi Augustini, ut creditur, discipulus, collegit in omnes Pauli epistolas ex Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & aliorum Patrum monumentis Collectanea: in quibus ita contra Pelagianos pro gratiae defensione invehitur, ut aliquando libertati arbitrii nostri, ac meritis nostris praejudicare videatur. Horum initium est, *Primo intelligere nos oportet.* Scri-

(a) Inter opera, quae Philoni Judaeo adjudicantur, discutienda praesertim occurrunt, quae inscribuntur *de Biblicis antiquitatibus*, & *Breviarium de temporibus*. De priori quidem prudenter ambigit Xystus, & non immerito aliqui illud ipsum Philoni abjudicant. At posterius, quod Philoni ex Annio vindicat Xystus, omnino eliminandum ab eo fore contendunt Critici omnes. Vide quae superius de Annio dixi.

(b) Orationem in Oseam habuisse Pierium in die Vigiliarum Dominicae Passionis scribit Xystus; at S. Hieronymus *catal. de Script. Eccles. cap. 76.* habitam eam fuisse a Pierio dicit Vigilia Paschae, seu, ut ex interpretatione Sophronii, qui vertit Παννυχίδι & ex vetustissimis exemplaribus, *in Pervigilio Paschae* legendum putant Erasmus, & Marianus Victorius. Ultra laudata ab Authore N. opera edidit etiam Pierius commentarium in I. ad Corinthios, cujus fragmentum recitat S. Hieronymus *Epist. 2. ad Pammachium*: ταῦτα λέγων ὁ Παυλος αντικρὺς ἀγαμίαν κηρυσσει. Scripsisse etiam fertur commentarium in Lucam, in quo aliqua minus recta notat Photius *Cod. 119.*

(c) Item Polichronii expositio in Cantica Canticorum a Meursio Graece edita cum Eusebii, & Pelli expositione prodiit Lugduni Batavorum An. 1617. 4. Alia itidem ejus opera jam edita profert Caveus.

Digitized by Google

Scripsit etiam ad Castorium in Apocalypsin Commentarios mysticae expositionis, collectos, tum ex Augustini explanationibus, tum ex Ticonii Afri commentationibus: ex quibus veluti gemmas de stercore secernens, ea tantum defloravit, quae eligenda fuerant, omissis his, quae non essent sanae doctrinae consentanea. Opus incipit, *Tuis vir illustris*. Claruit anno Domini CCCCXL.

PROBA Falconia, illustris foemina, Adelphi Romani proconsulis uxor, rari & elegantis ingenii, matrona Graece & Latine ad summum erudita, divinarum literarum amantissima, & quasi altera Christianorum Latina Sappho, prima omnium excogitavit ex versibus Virgilii Maronis, quem totum memoria tenebat, varios utriusque Testamenti locos metrice describere. Excerptis ergo hinc inde ex Virgilii poëmate nunc integris versibus, nunc hemistichiis, & hemistichiorum particulis, propositum Opus, veluti centonem, ex multis pretiosis pannis, ac laciniis insutum, servata hexametri lege, collegit, ipsumque VIRGILIO CENTONAS inscripsit: ejus initium est,

Jandudum temerasse duces pia foedera pacis.

Fulgosius in Collectaneis suis refert eandem hoc ipsum Homericis carminibus confeciss̃e. Sunt, qui putent hujus foeminae opera Romanam urbem primum in potestatem Gothorum venisse, anno ab ejus origene MCLXIIII. cum enim jam biennium Alaricus, Gothorum rex, urbem obsideret, & Romana plebs absque ulla spe auxilii passim fame, ac morbis pecudum more caderet, Proba, communem calamitatem miserata, portam Gothis patefecit; tolerabilius existimans barbarorum imperium pati, quam totam urbem fame, ac peste interire. Claruit sub Honorio & Thodosio Juniore circa annum Domini CCCCXXX.

S. Procli CP. opera prodierunt Graece Latine Lugduni Batavorum. An. 1617. Auctiora Romae 1630. Homilias ejus Graec. Latin. edidit N. Fr. Combefisius in Auctario Parisiis Anno 4648. T.I.

PROCLUS, post Maximianum Constantinopolitanus episcopus, ex primaeva aetate Lector fuit, & rethoricae operam dedit: cum autem in virum evasisset, Joanni Chrysostomo episcopo Constantinopolitano frequenter aderat, & librorum ejus amanuensis fuerat; a quo Diaconus & Presbyter ordinatus, deinde episcopus Cyzigenus, postea Constantinopolitanus, Theodosio Juniori charissimus fuit. Hic, cum Scythae, duce Ruga, adversus Romanum imperium arma sumpsissent, edidit in prophetiam Ezechielis capite 39. *Fili hominis vaticinare contra Gog & Magog* luculentissimam orationem; in qua adaptans vaticinium ad occasionem praesentis belli, poenas ab Ezechiele praedictas, barbaris imminere praedixit: quam praedictionem statim Deus comprobavit igne coelitus demisso, & praecipuis barbarorum incendio absumptis.

SCRIPSIT etiam in illud Esaïae 9. *Puer natus est nobis*, sermonem unum: cujus initium est, *τὸ παιδίον ἐγενήθημέν*: quem citat Theodorus Monachus in libro, Quod Pater semper generat. Claruit sub Theodosio Juniore, anno Domini CCCC.

PROCOPIUS Gazaeus, Sophista, Christianus, vir liberaliter eruditus, & Graeca eloquentia facundus, conscripsit Graeco sermone primum enarrationes in Octateuchum, quas ex Patribus orthodoxis, aliisque Graecis authoribus magna diligentia comportavit, secutus varia monumenta & homilias piorum hominum: caeterum cum singulorum sententias, nihil etiam mutatis verbis, parum curans, sive inter se dissentirent, vel consentirent, illo in Opere Lectori proposuisset, & exinde volumen ejus immensum crevisset; voluminis magnitudinem paululum diminuere deliberavit: quod ut commodius fieret, statuit illa, in quibus unanimiter conveniren. autores, semel dicere: sicubi vero dissiderent, ut ea innotescerent Lectori, ea pauciss̃imis explicavit, volens omnium interpretationes in perfecti corporis consonantiam redigere; ex quo ceu fonte unico liceret Lectori omnium explanationes haurire, ac si unus, & solus loquatur: verum, ut essent omnia magis dilucida, perspicuaque, interdum & de suo aliquid adjecit. Fusior est in Genesi & Exodo, pressior in sex libris sequentibus, in quibus veluti annotationes quasdam collegit. Edisserit autem juxta quadruplicem divinae Scripturae intelligentiam non solum Septuaginta interpretum, Aquilae, Symmachi, Theodotionisque editiones, & Samaritanorum, ac Judaeorum codices; sed & divi Hieronymi, quem saepe nominatim citat, versionem, a Sophronio ex Latino in Graecum conversam. Operis principium hoc est, *Ante quidem Deo coeptis benigne aspirantibus, &c.* Scripsit eodem

Digitized by Google

dem ordine & cura in Esaiam Commentarios, qui nondum Latino versi in Bibliotheca Marciana Venetorum servantur. Claruit, quantum conjectura assequi potuimus, sub Anastasio Imperatore anno Domini D.

PROSPER, Rhegii Flaminiae in Italia episcopus, natione Aquitanus, Leonis Papae Primi quondam notarius, vir acris ingenii, dictionis pressae, nervosae, & elegantis, magnam cum vitae sanctitate divinarum & humanarum rerum eruditionem habens, scripsit in quinquaginta postremos Psalmos, hoc est, a Psalmo centesimo usque ad ultimum, brevissimos juxta literalem, ac spiritualem sensum Commentarios, stricto & arguto expositionis genere comprehensos: quorum initium est, *Misericordiam & judicium, &c. Psalmus iste de primo versu, &c.* Item de promissionibus, & praedictionibus Dei libros tres; quibus omnia vaticinia, & pollicitationes de Christo, & ecclesia, in Sacris literis expressas elucidavit. Libri exordium est, *Omnis fidei ratio*. Claruit sub Leone Magno Augusto anno Domini CCCCLX. (a)

PSELLUS, Graecus auctor, scripsit in Canticum Canticorum ad Stephephorum Commentarios breves & dilucidos; quorum initium est, *Cum animus tuus, o Stephephore, discendi avidus*. Michael Psellus, Junior, ex Senatore CP. Monachus, Anno ML. Clarus, scripsit etiam metricam paraphrasim in Cantica.

R

RABANUS Magnentius Maurus, sextus archiepiscopus Moguntinus, natione Germanus, ex urbe Fuldensi in Buconia, quartus Abbas quondam coenobii Fuldensis, ordinis D. Benedicti, Albini Anglici auditor, vir omnium disciplinarum cognitione absolutissimus, rhetor, poëta, astronomus, philosophus, & theologus, cui nullum parem eo saeculo Germania habuit; hic, inquam, offensus improbitate monachorum suorum, qui eum damnabant, quod nimium Sacrarum literarum studiis intentus temporalia negligeret, ingratos deseruit, & ad Ludovicum Augustum se recepit, & cum eo mensibus aliquot permansit, revocantibus eum obnixe monachis, quos jam facti poenituerat: sed non impetrarunt, ita volente Deo, qui ipsum paulo post in eorum confusionem ad Moguntinum archiepiscoparum assumpsit. Is ergo, cum adhuc esset in monasterio suo, hortatu Freculfi episcopi Lexoviensis, & Ludovici, ac Lotharii Augustorum composuit in omnes divinas Scripturas juxta literae sensum, & spiritualem intelligentiam Commentariorum libros 172. quos ex omnibus Latinis Patribus continuata serie a Hieronymo usque ad Bedam collegit, servatis ubique ipsorum dictis, ac sensibus: & in his locis, in quibus Patrum expositionem non invenit, propriis explanationibus usus est, notatis in fronte paginarum, tam suo, quam aliorum Interpretum nominibus, quorum sententiae in codicibus coaptaverat; ut sciret Lector, & quid a Patribus, & quid ab eo haberet, & quo judicio singula forent legenda. Praeter haec etiam collegit in omnem divinam Scripturam Dictionarium mysticarum significationum ad spiritales sanctorum voluminum sensus utilissimum. Horum voluminum ipse tantum infrascripta legi, typis excusa, initiis majori ex parte diversis ab his, quae Tritemius in Catalogo suo annotavit:

In Genesim ad Frecul. Lex. episc.	libros 4.	*Magnorum virorum conamen.*
In Exodum ad eundem	lib. 4.	*Inter caeteras Scripturas.*
In Numeros ad eundem	lib. 4.	*Numerorum librum.*
In Deuteronomion ad eundem	lib. 4.	*Decursis igitur.*
In Ecclesiasticum ad Octarium archiep.	lib. 10.	*Sciens benevolam.*
In Jeremiam ad Lotharium Imp.	lib. 18.	*Post Commentariolos.*
In Threnos ad eundem	lib. 3.	*Ultimam partem Jeremiae.*

quos typographi, Hieronymianis operibus insertos, & falso HIERONYMI titulo inscriptos, venditarunt: caeterarum lucubrationum initia, nondum a nobis conspecta,

(a) Tiro Prosper ex concordi Eruditorum calculo laicus, nec Sacerdos, potiori jure nunquam Episcopus Rhegiensis fuit, ut praeceteris ex validis monumentis ostendit Labbaeus *tom. 2. p. 247.* Neque ei adjudicandum est opus *de promissionibus, & praedictionibus*, quum illius Author Africanum se dicat, qui Carthagine Aurelium Episcopum vidit, quique in Vandalica persecutione fuit depulsus, & Italiam deportatus, quod nec per jocum de Prospero Aquitano potest effari. Stylus itidem illius longe abit a Prosperiano stylo, nec unquam Gennadius hujusce operis meminit: adjudicandum est igitur laudatum opus Africano Patri anonymo, & ignoto, ut adnotavit Paschasius Quesnellus *dissertat. de vit. S. Leonis ad an. 444.* Hunc autem anonymum Scriptorem fuisse coaevum Cassiodoro existimat Guillelmus Cave. Vide Jacobum Usserium *in Biblior. Theol. MS.*

Digitized by Google

ſpecta, habes apud Tritemium. Floruit anno Domini DCCCLV. (a)

RADULPHUS, Monachus Benedictinus Flaviacenſis, vel, ut alii dicunt, Fuldenſis in Germania coenobii, vir in literis politioribus ſuo tempore clariſſimus, & in explanandis Scripturis divinis divinum ſortitus ingenium, edidit Commentariorum in Leviticum libros viginti: quibus ita diſerte, pie, & erudite omnia hujus libri myſteria, tam ſecundum hiſtoricum, quam ſecundum ſpiritualem ſenſum explicavit, ut in comparatione ejus caeteri ejuſdem libri expoſitores minime expoſuiſſe videantur. Operis exordium eſt, *Cum inter ſocios aliquando de Judaeorum contentionibus ſermo incidiſſet*. Scripſit etiam in omnes Pauli epiſtolas libros 14. Claruit anno Domini DCCCCX.

Reinaldus, ſeu Reginaldus de Priverno, vernacule Piperno, S. Thomae Aquinatis individuus comes, & arcanorum omniſi conſcius, Anno 1280. clarus.

RAINALDUS Pipernas, ordinis Praedicatorum, collegit ex explanationibus D. Thomae Aquinatis Scholaſticam lecturam in Evangelium Joannis, incipientem, *Vidi Dominum*: extat manuſcripta in Bibliotheca Praedicatorum Bononiae.

RAINERIUS Snoygoudanus, medicus, collegit ex Hieronymo, Arnobio, Auguſtino, Caſſiodoro, & ex aliis veteſtis patribus Paraphraſim, ſeu potius Scholia in omnes Davidicos Pſalmos: quos ita explanavit, ut ne ullum quidem verbum ab eo omiſſum ſit, interpoſitis intra contextum gloſſulis adeo ferruminatis, ut niſi characteribus diſparibus verba Pſalmi diſtincta ſint, haec ab illis diſtingui non poſſint; additis quoque ſub finem ſingulorum Pſalmorum nonnullis piis precatiunculis, ex viſceribus praecedentis Pſalmi excerptis. Opus incipit, *Pſalterium ſacroſanctum*. Claruit anno Domini MDL.

REMIGIUS, Antiſiodorenſis epiſcopus, monachus Benedictinus, in divinis & humanis literis eruditiſſimus, doctrina & ſanctitate illuſtris, ſcripſit ſuccinctam enarrationem in omnes Pſalmos; in qua, quaecunque Ambroſius, Auguſtinus, & Caſſiodorus, ſcripſerunt in Pſalmos, breviſſime coarctavit, adjectis etiam, ac de ſuo intermiſtis non omnino ſpernendis cogitationibus. Opus incipit, *Dicendum, quid ſit prophetia*.

SCRIPSIT item conſimili induſtria in Pentateuchum libros quinque.
In Cantica Canticorum librum unum. *Salomon inſpiratus*.
In XII. Prophetas libros undecim.
In Matthaeum librum unum.
In omnes Pauli epiſtolas libros quatuordecim. Claruit ſub Carolo Calvo Imperatore, anno Domini DCCCLXXX. (b)

Remigius Nanni ex clara, vetuſtaque, & patricia gente Florentiae natus.

REMIGIUS Nanninus, Florentinus, ex ordine Praedicatorum, theologiae profeſſor, poëta elegantis ingenii, hiſtoriarumque peritus, ſcripſit in ſacros utriuſque teſtamenti libros Annotationes non poenitendas: quibus hiſtoriam virorum

(a) Mirum certe non eſt, quod Cl. N. Xyſtus haud enumerarit omnia Rabani opera exegetica, qui pauca illius ſuo tempore vidit, aliaque latitabant in Germanicis Bibliothecis: plura alia poſt Xyſti fatum fuerunt publici juris facta, & in unum omnia laudati Scriptoris opera collecta, & in ſex tomos fol. diſtributa cura Georgii Colvenerii Duacenſis Academiae Cancellarii prodierunt Coloniae 1627. In eis quippe ultra innumera varii argumenti opera extant Commentariorum in Geneſim Lib.IV. in Exodum lib.IV. In Leviticum Lib.VII. In Deuteronomium Lib.IV. In Librum Judicum Lib.II. ad Hambertum Epiſcopum. In librum Ruth Liber unus. In IV. Libros Regum Lib. IV. ad Hilduinum Abbatem. In duos Libros Paralipomenon Lib.IV. ad Ludovicum Regem. In librum Judith lib. unus. In Lib. Eſther liber unus ad Emmam Reginam. In Cantica, quae ad Matutinas laudes per Septimanam dicuntur, commentarius ad Ludovicum Germaniae Regem. In Proverbia Salomonis Lib.III. In librum Sapientiae Lib.III. ad Otgarium Archiepiſcopum Moguntinum. In Eccleſiaſticum Lib.X. ad eundem. In Jeremiam Prophetam comprehenſis ejus Threnis Lib.XXX. In Ezechielem Prophetam Lib.XX. ad Lotharium Imperatorem. In Machabaeorum Libros duos Commentarius ad Ludovicum Regem. In Evangelium S. Matthaei Lib.VIII. ad Haiſtulphum Archiepiſcopum. In XIV. S. Pauli Epiſtolas Lib.XXX. ad Samuelem Epiſcopum. Homiliae ſuper Epiſtolas, & Evangelia a Natali Domini uſque ad Vigiliam Paſchae numero LXI. & a Vigilia Paſchae uſque ad XV. Dominicam poſt Pentecoſten. Homilia de Evangelio Liber Generationis Jeſu Chriſti. Et tandem Allegoriae in univerſam Sacram Scripturam. Extant itidem in Bibliothecis nonnullis alia anecdota Rabani exegetica opera, quae Guillelmus Cave memorat, denotatis etiam Bibliothecis, in quibus MSS. aſſervantur, nimirum Commentarius in Acta Apoſtolorum, Expoſitio de Paſchate, & Agno Paſchali, Gloſſarium Latino-Theotiſcum in tota Biblia Sacra Veteris, & Novi Teſtamenti. Advertit tamen idem Caveus, quod ex Commentariis in Pentateuchum, ſub nomine Rabani editis, ſolum in Geneſim Rabani ſunt, reliqui vero Walfrido Strabo Rabani diſcipulo potius ſunt tribuendi. Obiit autem Rabanus Anno DCCCLV. ut ex vetere Chronico edito a Pithaeo, quod probat Card. Baronius, conſtat.

(b) Remigio Antiſſiodorenſi (Monacho, non Epiſcopo) reſtituendi ſunt Commentarii in Paulinas epiſtolas olim adjudicati vel Remigio Remenſi, vel Haymoni.

Digitized by Google

rum illuſtrium, & deſcriptionem animalium, plantarum, lapidum, montium, fluminum, urbium, oppidorum, caeterarumque hujuſmodi rerum, quae paſſim divina ſcriptura commemorat, diligentiſſime complexus eſt. Collegit etiam in encyclicas epiſtolarum, & Evangeliorum lectiones Scholiorum volumen, Italica lingua editum; & Davidicos pſalmos Hetruſcis carminibus reddidit. Vivit uſque ad praeſentem ſalutis noſtrae annum MDLXVI. annos natus XLIV.

RAETHICIUS, Haeduorum Auguſtudunenſis epiſcopus, celeberrimae famae in Galliis habitus, a Conſtantino Imperatore ſub Sylveſtro Papa ob cauſam Montenſium miſſus eſt Romam: ubi prius ſub Miltiade Papa una cum his interfuerat, qui Donatum ſchiſmatis auctorem damnaverant, & Caecilianum, epiſcopum eccleſiae Carthaginienſis, abſolverant. Hic commentarios in Cantica Canticorum edidit; cujus Hieronymus, ad Marcellam ſcribens, eloquentiam Gallicano cothurno elatam probat, eruditionem vero, & judicium improbat. Vixit anno Domini CCCXX.

RICHARDUS, Cluniacenſis Monachus, doctus, & pius, compoſuit librum, praenotatum *τῶν ἀντικειμένων*, hoc eſt, CONTRARIORUM, ſive CONTRAPOSITORUM, comprehendentem quaeſtiones ex utroque teſtamento in ſpeciem pugnantes, earumque dilucidas ſolutiones, ſecundum interrogationem, & reſponſionem ſuccincta brevitate explicatas: cujus initium eſt, *Cur in Geneſi ſeptem, &c.* Alfonſus Caſtrenſis lib. 14. adverſus haereſes Salviano, Maſſilienſi epiſcopo, tribuit hoc Opus. Claruit ſub Friderico Imperatore primo anno Domini MCLX.

RICHARDUS Exceſtrienſis, Anglus, ſcripſit Poſtillam in Pſalmos anno Domini milleſimo trecenteſimo ac trigeſimo.

RICHARDUS Lavinan, Carmelita, Anglus, ſcripſit Poſtillam ſcholaſticam in Eſaiam anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo primo. (a)

RICHARDUS Mediavillanus, Anglicus, ex ordine Minorum, in divinis ſcripturis, in jure pontificio, & in doctrinis ſaecularibus apprime eruditus, ſcripſit ſermone ſcholaſtico in quatuor Evangelia libros quatuor, ſingulos, in ſingulos, anno Domini MCCXC. Richardus de Mediavilla, ſeu Midleton, Anglus, non Scotus, ut in aliquibus editionibus legitur.

RICHARDUS, monachus, & prior coenobii Victorini Pariſienſis, ordinis canonicorum Auguſtinenſium, vir honeſtate converſationis, & eruditionis doctrina conſpicuus, ingenio ſubtilis, & eloquio medius inter Auguſtini argutiam, & Bernardi dulcedinem incedens, ſcripſit multa in divinas ſcripturas myſtici ſenſus opuſcula; in quibus intellectum erudit, affectum accendit, & lectoris ſtudium ad majora promovet, ac producit. Ex horum numero ſunt.

EPITOMES totius divinae ſcripturae liber unus.

In Geneſis cap. 14. De Melchiſedech myſtice liber unus.

In Gen. cap. 15. De ſacrificio Abrahae myſtice, lib. 1.

In Gen. 49. cap. De benedictionibus patriarcharum lib. 1.

In Exodi 26. De tabernaculo foederis libri duo, unus ad literam, alter myſticus.

In 3. librum Regum ex cap. 6. De templo Salomonis ad literam liber unus.

In eundem librum Chronographiae ad D. Bernardum liber unus, ad intelligentiam eorum, quae a duodecimo capite libri tertii Regum uſque in finem quarti Regum ſcribuntur, maxime neceſſarius: in quo tractatur De diviſione regni Judae, & Iſraël, & de concordia temporum regum corregnantium ſuper Judam, & ſuper Iſraël. Suntque in eo tabulae duae, quarum prima repraeſentat ea, quae faciunt, & inferunt contrarietatem temporum regum corregnantium ſuper Judam, & ſuper Iſraël: ſecunda vero oſtendit concordiam eorundem regum corregnantium ſuper Judam, & Iſraël. Liber incipit, *In his, quae in libro Regum*.

ITEM in Canticum Canticorum interpolatae explanationis commentarii, qui varias ejuſdem libri ſententias hinc inde ſpiritualiter exponunt. Operis initio praefixa eſt praefatio quarti libri Dialogorum divi Gregorii his verbis, *Poſtquam de paradiſi gaudiis*.

(a) Richardus Lavinan teſte Poſſevino edidit poſtillam in Tobiam, & in Epiſtolam Pauli ad etiam Dictionarium in Sacram Scripturam, nec non Titum.

Digitized by Google

SCRIPSIT quoque in illud Esaiae 7. Ecce virgo concipiet, libros duos, DE EMANUELE praenotatos; in quibus ad refellendam Judaeorum perfidiam fortissime ostendit paedictum vaticinium non posse intelligi nisi de Virgine Maria. Opus incipit, *Ecce virgo*.

AD HAEC elucidavit descriptionem templi Ezechielis, literali explanatione adhibita; in qua decentissimis picturis, ac geometricis demonstrationibus singulas templi partes diligentissime expressit. Operis initium est, *Locuturus de Ezechielis aedificio*.

EXARAVIT item in totum Danielem explanationis mysticae librum unum, a Tritemio citatum: quem cum diu quaesitum non inveniissem, tandem magnam ejus partem reperi in compendio Allegoriarum Godifredi Tilmanni super librum Danielis.

EDIDIT etiam explanationis multorum locorum in omnibus epistolis Pauli difficillum librum unum; qui incipit, *Si ea, quae de lege*.

COMPOSUIT & in Apocalypsin Opus praeclarum juxta septem visiones, quas Joannes vidit, in septem libros divisum: cujus initium est, *Accipe frater*. Claruit sub Conrado Imperatore III. anno Domini MCXL.

Richardus Hampolus, cognomine Rollus, Ord. Erem. S. P. Augustini, claruit Anno Dom. 1340.

RICHARDUS Pampolitanus, Angloſaxo, eremita, vir sincerae pietatis, & eruditionis, scripsit in Psalterium compendiosam lucidamque expositionem, incipientem, *Magna spiritualis jocunditas*. Item in lectiones, quae in suffragiis mortuorum ex septimo, & decimo capite Job leguntur, libros duos, quorum posteriorem ex dictis D. Gregorii collegit. Operis initium est, *Taedet animam meam*. Scripsit etiam in Psalmum vigesimum peculiarem libellum, incipientem, *Cum Christus*. Et in Threnos Jeremiae librum unum, exordientem, *Threni, ut ait Hieronymus*.

RODON Asianus, Tatiani in scripturis sanctis auditor, & discipulus, composuit Graeco sermone in primum Geneseos capitulum, quod a Graecis HEXAEMERON, dicitur, elegantissimos tractatus, sive homilias ad populum: in quibus praecipue haeresin Apellis Marcioniſtae, asserentis mundum universum a Deo malo conditum, fortissime confutavit. Floruit temporibus Commodi, & Severi Imperatorum anno Domini CC.

RUDOLPHUS Agricola, Frisius, omnium eruditissimorum sui temporis princeps, Philosophus, rhetor, & poëta nobilissimus, Graecae, Latinae, & Hebraïcae linguae egregie peritus, transtulit ex Hebraïca veritate Psalterium, quod ab eruditis Habraeae linguae summopere commendatur. Claruit sub Friderico Imperatore III. anno Domini MCCCCLXXXV.

Genevenses Ministri corruperunt doctrinam Ricardi Bayni.

RUDOLPHUS Baynus, Cantabringensis, in sacris eloquiis eruditissimus, & omnium linguarum, ac praesertim sanctae linguae publicus Lutetiae professor, scripsit ad Henricum, regem Gallorum, in Proverbia Salomonis commentariorum libros tres; in quibus historicum sensum, ab aliis antea expositoribus pene intactum, juxta proprietatem linguae Hebraïcae candida, & aperta expositione prosecutus est, allegoricis ac sublimioribus sensibus non neglectis. Operis praefatio sic incipit, *Praeclarum magnis patribus est*. Claruit anno Domini MDLIII.

RUDOLPHUS Langius, Germanus, Monasterienſis eccleſiae in Vestphalia canonicus, vir omnibus artibus ac scientiis exornatus, ingenii, & eloquentiae singularis, scripsit ad Hermannum Langium, ejusdem eccleſiae diaconum, de urbe Hierusalem libros duos, ad intelligendum ea, quae de Hierosolymitanis rebus divina scriptura commemorat, non inutiles: in quibus ejus Urbis antiquam formam, situm, statumque luculenter exposuit. Operis initium est, *Splendidissimae quondam urbis*. Floruit sub Maximiliano Imperatore anno Domini MCCCCXLIV.

RUFINUS Toranus, monachus, Aquilienſis eccleſiae presbyter, rogante Paulino episcopo Nolano scripsit ad eum Latino sermone De benedictione Judae patriarchae librum unum juxta triplicem divinae scripturae sensum: cujus initium est, *Quanto magis ego me tibi excuso*. Deinde, eodem Paulino efflagitante, librum alterum edidit ad eundem, in quo caeteras undecim patriarcharum benedictiones triplici explanatione prosecutus est. Liber incipit, *Sciendum primo est*.

Scri-

Digitized by Google

Scripsit quoque in Oseam librum unum, in Amos librum unum, & in Joëlem librum unum. Claruit anno Domini CCCC.

RUPERTUS Gallus, Carmelita, scholasticae theologiae professor, declamator sua lingua facundus, & scripturarum sanctarum non contemnendus expositor, scripsit in omnes epistolas Pauli libros quatuordecim, anno MCCCL.

RUPERTUS Goulletus, Parisiensis academiae doctor, collegit ex quatuor Evangelistis unicum Evangelicae historiae corpus, quod TETRAMENON EVANGELICUM inscripsit: ejus initium est, *Tametsi doctores*.

RUPERTUS Holchot, natione Anglicus, ordinis Praedicatorum, in scholastica theologia valde exercitatus, & in sanctis scripturis exponendis praestans, scripsit Lecturam in librum Sapientiae, quae incipit, *Dominus petra mea*. Et Lecturam in Canticum Canticorum. Novissime vero composuit in septem priora capita Ecclesiastici Lecturam scholasticam, in octoginta, & octo lectiones divisam, copiosa, & subtili eruditione refertam, quam imperfectam reliquit, oppressus repentina morte ex atri illa pestilentia, quae fuit sub Carolo quarto Imperatore anno Domini MCCC. Opus incipit, *Magister, & dominus Gandi salvus*. (a)

RUPERTUS, Episcopus Liconiensis, cognomento Grossateста, inter philosophos, ac theologos sui saeculi primum locum adeptus ingenii acumine subtilissimus, eloquio brevissimus, & sententiarum pondere copiosissimus, scripsit in totum Psalterium succinctos commentarios: quorum initium est, *Psalmorum liber Graece*. Extant manuscripti Bononiae in bibliotheca Dominicana. Claruit sub Conrado Imperatore anno Domini MCXL. (b)

RUPERTUS, Abbas Limburgensis, monachus Benedictinus, natione Germanus, vir sanctitate, & divinis revelationibus illustratus, philosophus quondam in academia Parisiorum celebris, & post religionis ingressum sanctarum scripturarum assidua meditatione peritissimus, edidit aperto simplici, & non inelegante stylo commentariorum in Cantica libros quatuor, quorum initium est, *Quicumque sui ipsius rerum*. Floruit sub Henrico Imperatore quinto, anno Domini MCXXIV.

RUPERTUS Roseus, Anglus, Carmelita, scripsit in Genesim, Exodum, Leviticum, & Ecclesiasticum scholasticam Postillam anno Domini MCCCCXX.

RUPERTUS Anglus, ordinis Praedicatorum, professione Scholasticus, Postillam fecit in Job, in Danielem, in Joannem, in Matthaeum, & in Lucam: quae Bononiae in Bibliotheca Praedicatorum visitur.

RUPERTUS, Abbas Tuitiensis, juxta Coloniam Agrippinam, professione Benedictinus, natione Germanus, vir in divinis scripturis Spiritu sancto per visionem illustrante doctissimus, eloquio praestans, hortatu Cunonis abbatis Sigembergensis, postea archiepiscopi Ratisponensis, collegit in omnes divinas scripturas egregia varii sensus, & maxime allegorici, quamplurima ex Patrum scriptis succincta commentaria: ex quibus fertur insigne volumen, cui titulus est DE S. TRINITATE, ET OPERIBUS EJUS, in utrunque testamentum ad Cunonem, abbatem Sigembergensem, libri 42. Quod opus ipse ita in tres partes divisit, ut prima pars propria Patris opera in tribus libris contineat; hoc est a prima mundi creatione usque ad ejectionem Adae de Paradiso. Secunda vero pars habet propria Filii opera, quae ab ejectione Adae usque ad incarnationem, & mortem filii Dei in figuris, vaticiniis, visionibus, & scripturis propter venturum Christum dicta factaque sunt in lib. 30. Tertia pars concludit in libris novem opera Spiritus sancti propria, scilicet ab incarnatione filii Dei usque ad finem saeculi in scripturis recitata. Quorum 42. librorum simul adunatorum hic est Index.

(a) Robertus Holkot ex saepius laudato Echardo T. I. Script. Ord. fol. 630. ultra enumerata a N. Xysto opera in Sacram Scripturam alia id genus edidit, nimirum in Proverbia Salomonis, In Ecclesiasten, in XII. Prophetas Minores, in IV. Evangelia, nec non Allegorias utriusque Testamenti. Videsis laudatum Echardum, apud quem reperies innumera alia ab eodem Holkot edita opera cum Theologica, tum Philosophica, tum denique aliarum materierum.

(b) Robertus, seu Rupertus Capito, ultra enunciatum a Xysto opus scripsit de cessatione Legalium & Moralitates super IV. Evangelia.

Digitized by Google

PRIMA PARS.

De sancta Trinitate, & operibus Patris in prima tria Geneseos capita commentariorum libri tres: quorum primus incipit, *Scripturarum omnium*.

SECUNDA PARS.

De Trinitate,& operibus Filii commentariorum libri 30. videlicet

In residuum libri Geneseos commentariorum	lib.6.	*Humanae creaturae.*
In Exodum commentariorum	lib.4.	*Qua causa, vel quo ordine.*
In Leviticum commentariorum	lib.2.	*Liber iste.*
In Numeri commentariorum	lib.2.	*Apertum in Apocalypsi.*
In Deuteronomium	lib.2.	*Iste liber.*
In Josue commentariorum	lib.1.	*Septem periodis.*
In Judicum, & Ruth	lib.1.	*Post mortem Josue.*
In quatuor libros Regum, adjuncto libro Psalmorum,	lib.1.	*Post ampla virtutis.*
In Esaiam	lib.1.	*Omnis anima, quae Christum, &c.*
In Jeremiam	lib.1.	*Quintae aetatis saeculi crepusculum.*
In Ezechielem	lib.1.	*Hac mundi aetate.*
In Danielem, Zachariam, & Malachiam simul	lib.2.	*Aperiente Christo.*
In Maccabaeos	lib.1.	
In volumen quatuor Evangelistarum	lib.1.	*Sexta mundi aetate.*

TERTIA PARS.

DE operibus Spiritus sancti a Christi adventu usque ad finem saeculi lib. 9. *Omnipotentis iram.*

PRAETER haec autem scripsit latiori stylo in varios scripturae sanctae libros plures commentarios: in quibus sunt De incarnatione Domini in Canticum juxta sensum mysticum libri septem eruditissimi; quorum initium est, *Qui contra hominem.*

In XII. Prophetas minores ad Fridericum, archiepiscopum Colonienſem, libri 30. quorum primus incipit, *Spiritui sancto.*

AD Cunonem Abbatem De gloria & honore filii hominis in Matthaeum libri 13. quorum initium est, *Exigis a me o Philochriste Cano.*

IN Joannis Evangelium lib. 14. *Discipulus, quem, &c.*

AD Fridericum, archiepiscopum Colonienſem, commentariorum in Apolypsin lib. 12. quorum initium est, *Ut tu quoque, o venerabilis Colonienſium Archipraesul.*

MORITUR anno Domini MCXXIIII.

RUPERTUS Valsigen, Anglus, Carmelita, patria Nordovicensis, scripsit more scholastico in Ecclesiasticum commentarios anno Domini MCCCX.

S

SALONIUS, Viennensis in Gallia episcopus, vixdum decem natus annos eremum ingressus, inter sanctorum eremitarum manus enutritus, & illic ab Honorato, & Hilario Arelatensi, & Salviano sanctissimis & eruditissimis viris per omnes spiritualium rerum disciplinas deductus, demum ab Eucherio Lugdunensi episcopo divinis literis una cum fratre suo Veranio postea episcopo imbutus, multa edidit in sanctas scripturas egregia commentaria: e quorum numero adhuc supersunt breves in Parabolas & in Ecclesiasten Salo monis ad fratrem suum Veranium commentarii, in morem dialogi concinnati: in quibus sub personis Salonii & Veranii variae de singulis capitulis quaestiunculae per interrogationes & responsiones explicantur. Initium prioris commentarii est, *Veranius. Parabolae qua lingua dicuntur?* secundi vero commentarii exordium est, *Veranius. Quibus nominibus appellatus est Salomon?* Claruit sub Valentiniano, & Marciano anno Domini CCCCL.

SALVIANUS, Massilienſis ecclesiae episcopus, divina & humana literatura copiose instructus, episcoporum sui temporis magister, scripsit Latino, candi-

do,

Digitized by Google

do, & succincto sermone multa laudatissima opuscula: inter alia vero De principio Geneseos usque ad conditionem primi hominis librum elegantissimo carmine composuit; itemque in extremam partem Ecclesiastis ad Claudianum, Viennensem episcopum, commentariorum librum unum: composuit etiam τῶν ἀντικειμένων, id est Locorum contrapositorum, ex utroque testamento librum unum. Claruit sub Zenone Imperatore anno Domini CCCCLXXX. (a)

Sanctius Porta, gente Aragonus, Anno 1429. clarus.

SANCTIUS de Porta, ordinis Praedicatorum, professione scholasticus, & vita & eruditione venerandus, scripsit rudi ac simplici sermone in lectiones Evangeliorum & epistolarum mistim, quae per dominicos totius anni dies in ecclesia leguntur, sermonum Tomos duos, pia moralitatae refertos. Tomus primus incipit, *Aspiciens a longe*. Tomus secundus, *Haec dies, quam fecit &c.*

SANCTES Pagninus, Lucensis, Praedicatorii ordinis, concionator apostolicus, vir in divinis scripturis apprime eruditus, & trium linguarum, sed Hebraeae potissimum, peritissimus, cum animadvertisset celebrem illam Hieronymi versionem temporum injuria & hominum incuria vel magna ex parte intercidisse, vel magna ex parte fuisse corruptam, tentavit & ipse novam aggredi totius scripturae translationem, Leone X. Pont. Max. hortante, & sumptus Operi necessarios praebente. Collatis igitur inter se multis, iisdemque probatissimis Hebraeorum exemplaribus, quanta maxime valuit diligentia ac fide, omne vetus testamentum ex Hebraïca veritate Latinitati donavit, & Hebraïcorum nominum multitudinem, quam priores interpretes in Latinas voces inflexerant, Hebraïcae linguae prolationi restituit: utque lector haberet rectam rationem pronunciandi Hebraïce, accentus Hebraeis dictionibus superposuit: additis quibusdam in margine totius voluminis numeris, qui indicarent, quot in singulis Hebraïcae scripturae capitulis versiculi, quos Pesuchim appellant Judaei, continerentur. Quae omnia tam solerti cura executus est, ut ejus editionem peritissimi Hebraeorum Rabbini omnibus, quae nunc extant, translationibus praeferant, multis eam laudibus attollentes. Vertit quoque non minori laude novum omne Testamentum juxta Graecam fidem: in quo, sicut & in veteri Testamento, vulgatae editionis auctoritatem, manente Graeci contextus sententia, sequi conatus est. Opusque suum Clementi VII. Pont. Maximo dedicavit.

His addidit de interpretatione Hebraearum, Chaldaearum, Graecarumque dictionum sacris in literis contentarum librum unum: in quo juxta idioma cujusque linguae propria posuit interpretationes, derivationes, ac eorum compositiones, citatis libris, atque capitibus divinae scripturae: ubi unaquaeque dictio sic, ut ab eo interpretata & exposita est, continetur.

IDEM collegit ex omnibus Hebraïcis Rabbinorum dictionariis ingens Hebraïcum Lexicon, THESAURUM LINGUAE SANCTAE non immerito appellatum; in quo omnes opes, ac divitias linguae sanctae in usum eorum, qui ad Hebraïcam sacrarum literarum peritiam aspirant, affluenti copia congregavit.

EDIDIT praeterea ad imitationem Ticonii & Augustini librum unum, cui titulus est ISAGOGE AD SACRAS LITERAS: in quo ex antiquis Patribus multas regulas collegit, ad exponendas obscuras phrases, figuratas locutiones, & mysticos divinarum scripturarum sensus summopere necessarium: cujus initium est, *Linguam Hebraeam fuisse*.

COMPOSUIT quoque consimilis argumenti libros decem & octo, admiranda omnium coelestium rerum copia, varietateque refertos; quos ISAGOGAS ad mysticos sacrae scripturae sensus intelligendos inscripsit; quia in eis de mysticis & spi-

(a) Salvianus Massilienſis certe Presbyter fuit, nunquam vero Episcopus, ut constat ex Gennadio Massilienſe authore synchrono, qui dum Salvianum laudat, etsi aetate grandaevum, Presbyterum dumtaxat eum dicit: idipsum constat etiam ex SS. Eucherio, & Hilario Arelatenſe, nec non ex Adone Viennenſe. Quod autem a N. Xysto, Card. Bellarmino, Conrado Rittershusio, aliisque dicatur Episcopus, id provenit, quia in quibusdam Gennadii editionibus ex Amanuensium oscitantia & errore dicitur „ Homilias Episcopus factus multas composuisse „ quum legendum sit, „ ad Episcopos, vel Episcopis factas „ multas composuisse „; ut praeceteris adnotavit Stephanus Baluzius. Libri autem tres τῶν ἀντικειμένων (*in quibus loca Veteris, & Novi Testamenti in speciem pugnantia conciliantur*.) Salviano adjudicati a N. Xysto, & Alphonso de Castro *adv. haeres. lib.* 14. restituendi sunt Juliano Episcopo Toletano ex communiori Eruditorum sententia. Vide Possevinum, Caveum, alioſque; sicut & Salviano aliqua restituemus dum de Tertulliano habebitur verbum.

Digitized by Google

ſpiritualibus ſacrarum dictionum ſenſibus juxta literarum ſeriem pertractat, univerſam pene divinam ſcripturam ſub hujus occaſionis praetextu myſtice exponens. Incitatus eſt autem ad hunc laborem, ut ipſemet indicat, exemplo D. Eucherii, epiſcopi Lugdunenſis, qui librum non diſſimilis argumenti, DE DIVINIS FORMULIS praenotatum, ex multis veterum monumentis collegit. Operis initium eſt, *Daemonia ſeptem*.

COLLEGIT item non ſine magno labore Opus ingens in Pentateuchum, ſex magnis voluminibus diſtinctum, CATENAM ARGENTEAM appellatum: In quo Hebraeorum, Graecorum, ac Latinorum expoſitiones veluti annulis quibuſdam invicem inſertis contexuit.

CONSIMILI etiam induſtria congregavit Catenam argenteam in totum Pſalterium, in tres partes diſſectam.

ITEM in totum Pſalmum 118. grammaticam Hebraïcorum verborum explanationem, tyronibus linguae ſanctae utiliſſimam; quae inſtitutioni Hebraïcae ejuſdem auctoris annexa eſt. Moritur Lugduni an. Dom. MDXLI. & ibi ſepultus eſt marmoreo tumulo in medio choro ſacrae aedis Praedicatorum. (a)

Angelus Sangrinus obiit Caſſini Anno 2593.

SANGRINUS Angelus, ſive Angelus Sangrinus, poëta non ignobilis, abbas Caſſinenſis, Paraphraſim compoſuit in Pſalterium, vario metri genere excultam; quae incipit, *O quam beatum praecino*.

SEPTUAGINTA duo interpretes, natione Hebraei, viri ſapientiſſimi, atque ſanctiſſimi, primi omnium, ut Philo & Epiphanius ſcribunt, univerſum vetus Teſtamentum, quod apud Judaeos viginti duobus libris ſervabatur, in Graecam linguam tranſtulerunt, hortatu Ptolemaei Philadelphi, ſecundi regis AEgypti: qui cum maxime optaret bibliothecam toto orbe celebrem Alexandriae conſtruere, praecepit Demetrio Phaleraeo, eruditiſſimo viro, bibliothecae ſuae praepoſito, ut ex univerſo terrarum orbe, quotquot habere poſſet volumina, compararet, diſtributis per opportuna loca hominibus, qui libros, nulla habita ſumptuum ac laborum ratione, & emerent, & tranſcriberent. Cum igitur audiſſet ab eis, qui miſſi fuerant, extare Hieroſolymis ſacras Judaeorum Leges, regia bibliotheca dignas, ſi ex Hebraïca lingua, in qua ſcriptae erant, verti in Graecam potuiſſent; rogationem tulit ad regem, ut Hebraeos interpretes una cum libris illis acciret, qui eos in Graecum eloquium fideliter tranſcriberent: qua rogatione accepta, rex literas ad Eleazarum, Judaeorum pontificem, ſcripſit, ut ex omni tribu ſex viros, optimis quidem moribus inſtituros, aetate venerandos, ac ipſius Legis meditatione doctiſſimos, una cum Lege Judaeorum ad ſe mitteret; ut, multis omni mentis acumine interpretantibus, conſonum quoddam eligentes rem tanto Opere dignam conficerent. Igitur cum ex cunctis Judaeorum tribubus ſex viri, ab Eleazaro miſſi, ad regem veniſſent, ipſeque vereretur, ne plene ac ingenue interpretarentur veritatem, divinis voluminibus inſertam, ſed aliqua de induſtria occultarent, juſſit ſingulos in Pharos inſula ſeparatis cellulis aſſervari, & in his ſeorſum poſitos eadem interpretari: divino autem conſilio factum eſt, ut omnes iiſdem verbis, iiſdem nominibus, atque ſententiis ab initio uſque ad finem viginti duo veteris inſtrumenti volumina verterent: ita ut rex, ac ipſi Gentiles manifeſte agnoſcerent, non humano, ſed divino nutu divinas illas ſcripturas fuiſſe interpretatas; quas Ptolemaeus rex ſummo cum gaudio amplectens, bibliothecae ſuae dedicavit.

SCIENDUM eſt autem, hos ſeptuaginta duos interpretes multa prophetarum Teſtimonia de Chriſto, ac ſancta Trinitate in ſua translatione praetermiſiſſe, non quidem ex incuria vel malitia, ſed pio prudentique conſilio, & non levibus de cauſis tacuiſſe. In primis vero, quia cum ante adventum filii Dei in carnem interpretarentur, multa venturi Chriſti ſacramenta, nondum plene ſaeculis illis perſpecta, ſcire nequiverunt, ita diſponente Deo, ut omnia ejus divinitatis myſteria ſub exortum Evangelicae lucis, Chriſti ſplendore pandenda, ſervarentur. Itaque, quod illi aut ignoraverunt, aut non plene cognoverunt, vel dubiis & am-

(a) Quamplura alia edidit opera Sanctes Pagninus, quae legere eſt apud Cl. N. Echardum *Tom. II. Script. Ord. fol.* 118. quae autem ad praeſentem rem faciunt, ſunt Annotamenta in totum Vetus inſtrumentum, quae multa continent volumina, Sermones quamplures in Evangelia, Iſaiam, Joëlem, Zachariam, Apocalypſin, & Paulinas Epiſtolas, quae in Adventu leguntur.

Digitized by Google

& ambiguis ſententiis tranſtulerunt, vel omnino tacuerunt, volentes potius de incognitis bene tacere, quam de his, quae non noverant, loquendo male pronunciare. Deinde, ne Ptolemaeum regem ſcandalizarent, multa de filio Dei, ac de ejus adventu occultarunt; ne forte rex, audiens Deum habere filium, putaſſet Judaeos juxta Platonis dogma duplex habere divinitatis numen, & duos Deos adorare; quos magni idcirco faciebat, quia unum tantum Deum colere dicerentur. Demum multa quoque alia praeter haec ſacramenta ſiluerunt, ne cuncta fidei ſuae myſteria ethnicis proderent, indignum exiſtimantes juxta Chriſti ſententiam dare ſanctum canibus, & margaritas ante porcos projicere. His igitur juſtiſſimis cauſis multa a LXXII. interpretibus omiſſa ſunt, quae poſterioribus interpretibus novas editiones parandi occaſionem praebuere. Nomina autem horum LXXII. interpretum juxta ordinem duodecim Hebraïcarum Tribuum, ab Ariſtea collecta, haec ſunt:

EX JUDA TRIBU Joſephus, Ezechias, Zacharias, Joannnes, Ezechias, Eliſeus.
EX RUBEN TRIBU Judas, Simon, Samuel, Adeus, Matthias, Eſchemias.
EX GAD TRIBU Nehemias, Joſephus, Theodoſius, Baſeas, Ornias, Datis.
EX ASER TRIBU Jonathas, Auxeas, Eliſeus, Ananias, Chabrias, Sachus.
EX NEPHTHALIM TRIBU Jaſachus, Jacobus, Jeſus, Gabateus, Simon, Levi.
EX MANASSE TRIBU Judas, Joſephus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias.
EX SIMEON TRIBU Sabatheus, Jaſon, Jeſus, Theodorus, Joannes, Jonatas.
EX LEVI TRIBU Theodoſius, Jaſon, Jeſus, Theodorus, Jonas, Jonathan.
EX ISACHAR TRIBU Theophilus, Abraham, Arſamis, Jaſon, Endemias, Daniel.
EX ZABULON TRIBU Jeremias, Eleazarus, Zacharias, Baneas, Eliſeus, Datheus.
EX EPHRAIM TRIBU Samuel, Joſephus, Judas, Joathes, Cabel, Doſitheus.
EX BENIAMIN TRIBU Iſaëlus, Joannes, Theodoſius, Arſamenes, Abiethas, Ezecelus.

Omnes hi ſeptuaginta duo viri claruerunt ſimul temporibus Eleazari Judaeorum pontificis, & Ptolemaei Philadelphi ſecundi regis Aegypti, olympiade 124. anno ante Chriſti ortum CCCL. quorum hiſtoriam ſcripſerunt Ariſteas, Ptolemaei ſupradicti regis hyperaſpites, in libro de LXXII. interpretibus ad Philocratem, fratrem ſuum, particulariter edito, Philo in ſecundo libro De vita Moſis, Joſephus item in libro XII. Judaïcarum antiquitatum, Epiphanius quoque, Salaminae epiſcopus in libro De ponderibus & menſuris, & D. Hieronymus in multis ſuis opuſculis: ex quibus autoribus haec pauca deſumpſimus. Nec praetereundum arbitror, quod Philo in libro jam citato ſcribit hujus translationis tantam olim apud Judaeos fuiſſe venerationem, ut ſingulis annis conſueverint plerique eorum in inſulam Pharum trajicere, ut ſolenni celebritate locum honorarent, in quo primum edita eſſet divinae legis interpretatio, & pro tanto beneficio Deo gratias agerent. Teſtatur etiam idem Philo omne vetus Teſtamentum a LXX. interpretibus translatum, quamvis Joſepus referat Pentateuchum duntaxat ab eis conversum. Franciſcus Xymenius, cardinalis, totam hanc ipſorum editionem Latinis auribus donavit. (a)

SE-

(a) Dum N. Xyſtus ex Ariſtaea mutuatus eſt LXXII. Graecam Bibliorum editionem, & hiſtoriam ab eodem Ariſtea conſcriptam in medium protulit, id proculdubio tradidit, quod ſua aetate ne dum, verum & longe antea ab omnibus Theologis, Hiſtoriciſque fuerat memoriae commendatum velut indubium authenticumque probatiſſimum monumentum: praeſertim quia ex eodem Ariſtaeae fonte Veteres Judaei Philo Alexandrinus, & Flavius Joſephus veluti certam hiſtoriam commendarunt, quam deinde ſuo calculo comprobarunt univerſim Eccleſiae Patres, qui nobiliöribus detenti laboribus, nullo adhibito criterio, eandem exceperunt, ut videre eſt in Juſtino M. Clemente Alexandrino, Euſebio, Cyrillo Hieroſolymitano, Epiphanio, Tertulliano, Hieronymo; Auguſtino, aliiſque Veteribus, cum Graecis, tum Latinis; ex quibus pariformiter eadem bona fide illam tranſcripſerunt ceteri ſequioris aetatis Patres, Interpretes, Theologi, Hiſtoricique: quamvis Hieronymus, qui emunctioris fuit naris, fraudem eam ſubodoratus, quam non adverterunt alii ſimpliciores, detexerit confutaritque; quapropter fabulam de LXXII. cellulis, in quibus ſeorſim clauſi LXXII. Seniores uno ſpiritu ſinguli, non conlata inter se verſione, ſeorſim eandem, nec apice variato, perfecerunt (quam fabellam Judaei quidam venditarunt primum Juſtino Martyri, cui propterea oſtenderunt rudera quaedam diruta Baſilicae, ibi digito monſtrantes, & arte comminiſcentes praefatas cellulas) primus omnium confutavit, eamque praecipue ad quiſquilias amandavit, quia nec Philo Judaeus, nec Flavius Joſephus memorarunt. Qua de cauſſa *Praefat. in Pentateuchum* ait: „ Neſcio quis primus author ſeptuaginta cellu„ las Alexandriae mendacio ſuo extruxerit, quibus „ divi-

„ divisi, eadem scripserint: cum Aristeas, ejusdem „ Ptolemaei ὑπερασπιστὴς, & multo post tempore Jose„ phus, nihil tale retulerint, sed in una Basilica con„ gregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud „ est enim vatem, aliud esse interpretem: ibi spiri„ tus ventura praedicit, hic eruditio, & verborum „ copia ea, quae intelligit, transfert „. Omitto itidem quodnam fuerit laudati Hieronymi judicium de Seniorum horumce Graeca versione, quum res ista nota sit cunctis, praesertim ex contentione Hieronymum inter, & Augustinum eadem de re exorta.

Non diffiteor quidem Authenticam eandem Graecam editionem (propterea universim LXX. vel LXXII. dictam) probatamque in Ecclesia fuisse. At num propterea sic fuerit adpellata, vel quia sic dicta fuerit probata? pro certo adseverari non potest: saniori quidem consilio dicendum existimo editionem eandem primitus ab Alexandrinis, fortasse Judaeis, (quotquot ii fuerunt), seu ab Hellenistis elaboratam authenticam evasisse quia in Synedrio ab LXXII. Senioribus (quibus illud erat compactum) fuit probata, & ab Ecclesia Christi recepta postmodum fuit. Ex illa veritatem firmari adversus fidei hostes pro comperto est apud omnes, etsi temporum successu, ut consuevit, ex librariorum oscitantia aliqua fuerint depravata, quae corrigenda sunt, & ab eruditis fuerunt ad limam revocata: De qua re consuli possunt, qui ex professo ea de re agunt; sicut num primitus solus Pentateuchus fuerit Graece versus, an integre Scriptura Veteris Testamenti? sicut etiam, num prima ea fuerit inter Pelasgas editiones? in praesentiarum ad incudem revocare non lubet, quum non sit mei muneris, nec id occasio postulet. Postulat quippe Xysti N. locus, ut ad trutinam revocem, quae ipse ex concordi traditione docuit, quodve ita strenue ceteri vindicandum adsumserunt, ut acrius, quam fas erat, censoriam virgam in alios, eosque non ignobiles recentiores Criticos, extenderint. Eos inter summopere mihi displicuit Honoratus a S. Maria, qui in *Tom. I. Animadverss. Critic.* Protestantibus dumtaxat adcensuit opinionem adstruentem suppositititium fore Aristeae libellum, & commentitiam propterea dicendam fore historiam ab eodem ibidem descriptam, quam ex eodemmet transcripserunt Josephus, Philo, ceterique Patres supra laudati: quum non adverterit Religiosus Criticus a Protestantibus quoque, a Briano Walton praesertim, & ab Isaaco Vossio traditam, sententiam, quam ipse tuetur: & e contra oppositam adversamque opinionem, nedum a Clarioribus inter Protestantes Criticis traditam fuisse, praecipue ab Josepho Scaligero, Antonio Vandale, & Humfredo Ody, sed ab inlustrioribus Romanae Communionis Criticis, quibus propterea insultare, quia contra veterum sententiam in re mere historica, & a Patribus ad lydium lapidem non probata, sentire ausi sunt, piaculum est, & insciția, ut notum est etiam iis, qui vel a limine Positivam Theologiam salutarunt: ex quibus itidem compertum est ea in re heterodoxos non esse, etiam eos, qui aliunde a fidei articulis longe abeunt. Adversus communem vulgatamque eam historiam de Graeca versione Bibliorum in Insula Pharos peracta a LXXII. Senioribus tempore Ptolomaei &c. ut Aristeas primum tradidit, non inerudite sensserunt scripseruntque e Catholicis Henricus Valesius *animadv. in Lib. V. Euseb.* Ludovicus Helias Du-Pin *Prolegom. Sac. Script. & Praefat. in Biblioth. Nov.* Daniel Huetius *Demonstr. Evangel. Prop. IV.* Richardus Simonius *Hist. Critic. Vet. Test. Lib. 2. cap. 2.* Antonius Pagi *Critic. in Baron. ad An.* 182. Augustinus Calmet in *Dict. Biblic.* & in *Dissertat. in Esther.* Renatus Massuet *admot. in S. Irenaeum. lib. III. adverss. haeres*, aliique plures Critici recentiores: quinimo Ludovicus Vives in *Cap. 42. Lib. XVIII. S. Augustin. de Civit. Dei*, de Aristaea loquens ait: „ Circumfertur libellus ejus nomine de LXX. Interpre„ tibus, confictus, ut puto, ab aliquo recentiore „: idipsum quoque adserunt Leo de Castro *praefat. in Commentar. Isaiae cap. 35.* & Alphonsus Salmero *Prolegom. 6.* ut etiam ex ipso Possevino in *Apparatu V. Aristaeas* constat: &, quod magis adcurate perpendendum est, ipsemet Cl. N. Natalis Alexander *Hist. Eccles. Vet. Testam. Dissert. VIII.* quamvis laudatam historiam ab Aristaea primum traditam vindicet & studeat concordare tempora, Aristaeae tamen opus suppositititium lubentissime adfirmat: quomodo autem ad scopum collimet vera ea historia ex commentitio Authore? ipse videat, qui ita sentit; nobis quid adnotarunt Critici recentiores pandendi onus incumbit, etsi brevitate retenta, ne Critica notitia praetereatur juxta nobis propositam methodum: quapropter hic subnectere fas est quod laudati recentiores Critici non omittendum curarunt, nimirum Aristobolum, in alterum testem, & fontem vetustae traditionis advocatum, fictitium hominem esse in scenam inductum ad fabulae firmamentum. Ut ergo res tota perficiatur, primum ostendam Aristaeam illius authorem suppositititum esse, deinde historiam illam a capite ad calcem fabulis scatere, ex quibus sua sponte profluet adsertum recentiorum, ut sub initium indigitavi.

Quod enim Aristaeas hic fictitius homo fuerit, & reapse junior quidam Hebraeus, qui, ut fucum faceret simplicioribus, Gentilis larva contectus theatrum conscendit, ubi fabulam recitaret, variis momentis ostenditur. I. Quaecumque in praefato libro extant, sive Ethnicorum, sive Judaeorum verba, & acta, ita unum eundemque hominis unius stylum referunt, ut idem omnino videatur a secretis fuisse Demetrio scribenti, & Eleazaro respondenti. Etsi quae diversitas styli occurrat in iis epistolis, quas refert S. Epiphanius *lib. de ponderibus, & mensuris*, ea certe non favet, & solum ab Epiphanio corruptum codicem fuisse perfectum probat, quum apud Josephum, & Eusebium laudatae epistolae unius ejusdemque sint styli, & faciei. II. In epistola Demetrii Phaleraei ad Ptolomaeum Philadelphum ab eodem Pseudo-Aristaea laudata falsitas, eaque manifesta, occurrit de Hecataeo Abderite in testimonium inducto, & veluti antiquo scriptore ad firmitatem historiae laudato, quum constet Hecataeum non fuisse Demetrio antiquiorem, sed coaequalem, & coaevum, ut testantur Suidas, & Josephus *lib. 1. cont. Apionem*. III. Epistola illa Demetrii Phaleraei, quam addit Aristaeas, insulsa plane est, & barbaris vocibus undequaque referta, quum ex adverso constet Demetrium, utpote Athenienssem, fuisse virum eloquentissimum. IV. Idem Pseudo-Aristaeas ibidem meminit Heptastadii, quod procul dubio post tempora Philadelphi fuit aedificatum. V. Si Ethnicus fuisset Aristaeas, ut se dicit Judaeus ille larvatus persona Gentilis, citra omnem dubietatis aleam Deorum pluralitatem, aut Serapin, aut Isidem, aut Anubin, aut Apin, aut ulla alia, *qualia demens Aegyptus portenta colit*, memorasset, eorumque cultores saltem indigitasset Demetrium Phaleraeum, Sosibium, Andream, Menedemum, plureſque alios, quos refert; hic autem, & se, & alios unius veri Dei, ejusque ut cunctis noti, Dei nimirum Judaeorum, dicit adoratorem, ejusdemque Religionis ceteros adstruit: quod num competat Pagano? credat Judaeus Apella, non ego. VI. Sic quoque utitur voce νόμος, seu *lex* pro *systemate*, seu *syntagmate legum*, seu pro libro, seu libris, qui plures simul leges complectuntur, quod Graecis Latinisque plane insolitum est, nisi ils, qui aut Judaica, aut Christiana professione censentur. VII. Loquitur de lege Judaica, quasi ea foret Ethnicis plane nota, & pro divina habita πρὸς τὴν ἑρμηνείαν τῷ θείου νόμου *ad interpretationem Legis divinae*. Tum alibi ad ipsum Ptolomaeum Κατεῤῥόνησάς σου τὴν βασιλείαν τὸ παντελὲς τοὺς ἀνοσίους θεοὺς τὸν νόμον, καθὼς προεῖρηκαμεν. τὸν γὰρ πάντων ἐπόπτην καὶ κτίστην θεὸν ὅσοι σέβονται, ὃν καὶ πάντες, ἡμεῖς δὲ μάλιστα, προσονομάζοντες ἑτέρους Ζῆνας

„ Et prae-

Digitized by Google

„ Et praeſertim cum idem Deus, qui ipſis legem de-
„ dit, te tuumque Regnum feliciter gubernet; quem-
„ admodum hoc ego diligenter perpendi. Nam illi
„ DEUM OMNIUM INSPECTOREM colunt;
„ quem etiam alii omnes homines, & nos imprimis:
„ ſed nominantes aliter vocamus Ζῆνα „. Idipſum
quoque dicentem Ptolemaeum ad Eleazarum inducit. Quae omnia, quam procul abeaſt praeſertim a moribus Ethnici Aegyptii, quis non videt, niſi ſit talpa coecior? loquendi hic modus nonne Judaei eſt, ſecus vero Pagani? Ubi nam ibi, vel levis mentio numinum, quae colebat Aegyptus? ubi nam Aegyptiorum ſimultas contra Judaeos? Solum autem Ζῆνα *Jovem* fuiſſe ab Aegyptiis praeſertim cognitum, ut Deorum Patrem, quis, vel leviter eruditus, ultro libenterque non adfirmabit? A capite ad calcem uſque in praefata hiſtoria eſt demirari Helleniſtam Ethnici larva contectum ad Judaeorum fidem, & legem exaltandam deditum cauſſa eruditionis promovendae in Aegypto.

Quod autem ab eo conſcripta, ſeu conficta, hiſtoria fabulis ſcateat, & commentitia omnino ſit, poſſet vel ex ſuppoſititio Scriptore, & ſcenico hiſtrione dignoſci; verum ut clarius veritas innoteſcat, momenta, eaque propatula, ſat eſt vel digito monſtrare ad rem acu tangendam. Imprimis Hiſtoriae illius Auctor dum loquitur de Ptolemaeo Philadelpho eum deſcribit indigitatque virum probum, ac Religioſum Principem, qui ne dum divinae legis libros exoptavit, ſed eos exceptos fere ſepties pronus in terram adoravit; e contra vero Ethnici Scriptores, quibus res certior erat, & virum hunc apprime notum habebant, ſceleſtiſſimum eum adſerunt, vitiis implicitum, omnique ex parte infamem. Pauſanias enim, ſeu Atticus *lib. 1. pag.* 11. adſerit Regem hunc ſibi conjugio cooptaſſe propriam ſororem, geminoſque inſontes fratres interemiſſe. Athenaeus *Dipnoſophiſtarum lib.* 13. adſtruit eum ſuperſtitioni Serapidis addictiſſimum, qui Deorum coetui ſolemni apotheoſi adgregandas curavit binas ſorores ſuas, & ut Plinius *lib.* 34. *c.* 15. tradit, uxorem ſuam Berenicem poſt ejus mortem Divis adcenſuit, pari modo parilique ritu ſuperſtitionis ſervato. Ut reticeam morem hunc adorationis non fuiſſe Aegyptiis conſuetum, qui in ſuperſtitioſae religionis monimentum manum ori admoventes illam deoſculabantur, & baſia digitis imprimentes Deorum aut Delubra aut Statuas colebant, ut Minutius Felix in *Octavio*, & Apulejus in *Apologia* teſtantur. II. Paris conditionis Demetrium Phaleraeum Ptolemaeo charum deſcribit Pſeudo-Ariſtaeas, quum ex adverſo reclament profani Scriptores nullo praejudicio detenti: Duris quidem *Lib. 6. Attic.* apud Athenaeum *Dipnoſophiſtarum lib.* 12. Demetrium adſtruit crapula potentem, ad exceſſum uſque prodigum, turpibus obſcoeniſque amoribus implicitum, effaeminatum eo uſque, ut fuco & pigmentis facie & coma delibutus fuerit, quique, dum rempublicam Athenienſem moderaretur, legum obſervantiam urgebat, legum omnium plane contemtor. Tradunt inſuper Hermippus apud Laërtium *lib.* 51. & Suidas in *Demetrio*, eundem invitum Athenis profugum adiiſſe Thebas, deinde petiiſſe Aegyptum apud Ptolemaeum Soterem filium Lagi, ubi longo temporis ſpatio manſit. Soteri itidem ibi ſuaſit, ut ex Euricide natis filiis Regni haereditatem relinqueret; verum quia ille praetulit Philadelphum Berenice exortum, hic poſt Soteris obitum, & Regno potitus extorrem Demetrium ſub cuſtodia retineri juſſit, quod pertaeſus Demetrius, & in deſperationem actus, aſpidis morſu finem ſibi & exilii & vitae procuravit, ut etiam tradit Cicero *pro Rabirio*. III. Feſtum a Philadelpho inſtitutum in memoriam feliciſſimae ſortis obtentorum, nempe librorum Judaicae legis, Ariſtaeas memorat, ovanteſque deſcribit Aegyptios in promulgatione legis, Deoque illos rependiſſe grates: quod quam alienum ſit a moribus Aegyptiorum *is ſolum* ignorat, qui inexotica hiſtoria plene hoſpes eſt & peregrinus. Juvenalis *Satyra XV.* Aegyptiorum religionem deſcribens ita cecinit:

„ Quis neſcit Voluſi Bithynice, qualia de-
„ mens
„ Aegyptus portenta colat? Crocodilon adorat
„ Pars haec, illa pavet ſaturam ſerpentibus
„ Ibin.
„ Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci,
„ Dimidio magicae reſonant ubi Memnone
„ chordae,
„ Atque vetus Thebe centum jacet obruta
„ portis.
„ Illic caeruleos, illic piſcem fluminis, illic
„ Oppida tota canem venerantur, nulla Dia-
„ nam.
„ Porrum, & cepe nefas violare, ac frange-
„ re morſu.
„ O ſanctas gentes, quibus haec naſcuntur
„ in hortis
„ Numina „ &c.

Et heinc colligere fas eſt quaenam potuerit unquam eſſe Judaeis commixtio cum Aegyptia gente, eorumque menſis aſſidendi licentia quaenam potuerit horumce animos invadere, quum notum ſit omnibus quam ſtricte fuerit hoc vetitum Judaeis, qui propterea profanum exiſtimabant veſci cum eis abominationes Aegyptiorum, Graece βδελύγματα eorum cibos adpellantes, ut ex Veteri Teſtamento Exodi VIII. & ex Interpretum, aliorumque Eruditorum concordi unanimique calculo conſtat.

IV. Affirmat Ariſteas, quod intra ſpatium LXXII. dierum peracta Verſio fuerit a Demetrio Phaleraeo lecta coram omnibus Judaeis ibidem congregatis, nec non coram Senioribus ac Gubernatoribus Civitatis, & cum ab Hebraeis, tum ab Ethnicis fuerit adclamatum laudatae LXXII. Seniorum verſioni, utpote ad umbilicum redactae. „ Quoniam recte, ſancte, ac
„ per omnia accurate perfecta eſt iſta interpretatio,
„ par eſt, ut per omnia ſic iſta permaneant, nec
„ ulla fiat immutatio. „ Additque ſimiliter, quod
„ Omnibus ad haec cum approbatione acclamanti-
„ bus, juſſit Demetrius illis, ut haberent in more
„ imprecari dira illi, ſi quis immutaturus eſſet quid-
„ quid vel addendo, vel transferendo, vel auferen-
„ do. Quod recte fecerunt, ad hoc ut perpetuo
„ conſervarentur illa ſalva, & cum diuturnitate in-
„ violata. „ At quis, licet craſſae minervae obeſaeque naris, non percipit gerris narratiunculam redundare, non ſubodoratur male olentis perſonae fraudem & fucum? Quum enim Alexandrini illi Judaei apprime Hebraice, & Graece docti ita memoriae retinuerint autographum Bibliorum, ut ex ſolo legente Graecanicam verſionem, divina verba percipientes, dignoverint ad ſcopum cuncta perfecte collimare, ad quod nec doctiſſimi Rabbini ad manus habentes utrumque codicem poſſunt pervenire, ut quid e Jeroſolymis adcitos voluerunt LXXII. Seniores, &, ut illos ſeligeret Eleazarus, praeceperunt, donis etiam magnificis miſſis, gravique impendio Regii aerarii enutritis tranſvectiſque Interpretibus illis? Nonne id peragere poterant Alexandrini Judaei citra omnem dubietatis aleam ex Ariſtaeae narratione ceteris Jeroſolymitanis Judaeis doctiores? Quomodo Ethnici Alexandrini, Aegyptiique alii poterant ita confeſtim & unico temporis momento criterium efformare & ſententiam ferre de conſonantia Hebraici textus cum Graecanica verſione, qui nec libros legis unquam viderant, nec erant Hebraice docti? Potiori quidem jure poterant hi transferre libros legis ſine miniſterio Judaeorum, aut ſaltem ſat eis erat tranſvehere e Hieroſolymis Sacros Codices in propria regione vertendos. Ut quid etiam imprecatio adverſus eos, qui vel transferre auderent Graecanicam verſionem, quando & Hebraicum textum transferre licuit eis? Nonne

Digitized by Google

SERAPHINUS Cumiranus, Feltrenſis, ex regulari familia Minorum, in ſanctis ſcripturis exercitatiſſimus, collegit ex omnibus divinae ſcripturae libris locorum, qui inter ſe pugnare videbantur, Tomos duos, unum de locis veteris Teſtamenti in ſpecie pugnantibus, alterum de locis contrariis novi teſtamenti; in quibus non minus pie, quam docte ex ſententia Patrum orthodoxorum divinarum ſcripturarum apparentes pugnas diſſolvit, ac ſedavit. Titulus operis eſt, *Conciliatio locorum communium totius Scripturae ſanctae, qui inter ſe pugnare videntur*. Vivit adhuc inter eruditos religionis ſuae celebris, anno Domini MDLXVI.

SERAPION Θμώτως, Aegypti urbis epiſcopus, in Chriſti confeſſione ſub Conſtantio Auguſto inclytus, cujus nuper legi ingens ac nobiliſſimum adverſus Manichaeum opus, Graeco ſermone conſcriptum, quique ob ingenii elegantiam SCHOLASTICI meruit cognomen, Antonio Monacho magno in primis charus, monachus quondam & abbas, circiter decem millia monachorum proprio labore viventium ſub ſe habens, conſcripſit de pſalmorum titulis librum unum. Claruit ſub Conſtantio Auguſto anno Domini CCCXL.

Sertorius Fortanerius Generalis Ordinis Minorum tempore Clementis VI. R. Pontificis.

SERTORIUS Fortanerius, archiepiſcopus Ravennae, patriarcha Gradenſis, Sanctae Romanae Eccleſiae cardinalis, ordinis Minorum, ex oppido Angliae Galenſi, compoſuit in omnes pene ſanctas ſcripturas multa ſcholaſticae explanationis volumina. Claruit anno Domini MCCCLVI.

SEVERIANUS, Gabalenſis epiſcopus, quae civitas eſt Syriae, eruditus & eloquens, a Joanne Chryſoſtomo & Arcadio Imperatore Conſtantinopolim ſaepe vocatus eſt ad ſacros ſermones in eccleſia pronunciandos; eique Chryſoſtomus eccleſiam ſuam commendavit, dum urgeretur in exilium, non tantum in eo doctrinam, ſed & vitae meritum veneratus, at ille plus, quam decebat, populo ſe commendans, inter eum & Joannem diſcordiae fomitem miniſtravit: ſed reverſo Chryſoſtomo ab exilio, iterum cum ipſo in gratiam rediit. Hic inter caetera ingenii ſui monumenta reliquit in Geneſim Homilias plures; ex quibus quatuordecim nondum ex Graeco translatae ſervantur Viennae in Bibliotheca Braſſicana: reliquit etiam in epiſtola ad Galatas commentarios. Oecumenius in commentariis epiſtolae primae ad Corinthios citat octo & quinquaginta ſermonum ipſius volumina. Claruit anno Domini CCCC.

Severiani Orationes VI. de Creatione Mundi extant impreſſae in Auctario Combefiſii Pariſ. 1672.

SIGEBERTUS, Monachus Gemblacenſis, ordinis Benedictini, natione Gallus, poëta ſui temporis celebratiſſimus, & in divinis ſcripturis a juventute detritus, ſcripſit in librum Eccleſiaſtis hexametro carmine librum unum. Claruit anno Domini MCX.

SIMON Affligemenſis, monachus Benedictinus, divinarum ſcripturarum eruditione, & converſationis ſanctimonia praeclarus, eloquio ſuccinctus & elegans, ſcripſit in Ezechielem breves commentarios: idemque libros 33. commentariorum B. Gregorii in Job contraxit, redegitque ad numerum decem parvorum voluminum anno Domini MCCC.

SIMON Anglus, ordinis Praedicatorum, Poſtillam collegit ſuper prophetas quatuor majores, & ſuper libros Maccabaeorum, in Proverbia Salomonis, & in

& ſalva cuncta ſubſiſtebant, dum in alienum idioma fuiſſent verſi libri Graecanicae editionis? Certe libri legis Hebraici, iique extra omnem controverſiam Originales, autographi, ſanctique nullam ſublere diminutionem dum LXXII. editio Graeca fuit peracta: pariformiter quoque ſalva ſubſiſtente Graecanica verſione poterant ad eruditionem & profectum ab aliis nationibus transferri ad normam & exemplum Aegyptiorum, qui eo ex momento illoſmet vertendos curarunt. Plura itidem in eiſdem relatis verbis ponderanda occurrunt, quae ſubleſtam Ariſtaeae fidem manifeſtant, quae brevitatis cauſſa omitto.

V. Ut reliqua tandem praeteream, quae hiſtoriam praefatam elevant, id certe falſitatem illius notam facit, quod de ſelectione LXXII. Seniorum, ſex nempe e qualibet Tribu, ab Eleazaro facta, uti indubium ab illius Authoribus traditur. Siquidem tunc temporis in Judaea aliae non erant Tribus praeter Judam, & Beniamin, ac partem Leviticae Tribus, reliquis olim a Salmanazare in Mediam deportatis. Haec enim omnia in medium proferre exiſtimavi, ut oſtenderem non iniquo ſpiritu, non infrunito animo, nec intemperantiori Criterio ab eruditis nonnullis ad fabulas amandari Ariſtaeae librum, ex quo bona fide fraudem non advertentes Flavius Joſephus, aliique inſignes Scriptores cum laude relati, eandem hiſtoriam retulerunt. De reliquo cum haec res ſit merae hiſtoriae, unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, ut ei fas eſſe docet Angelicus *Quodlibeto III. Art.* 10. Quod mei erat inſtituti, exſequendum curavi: quod mei muneris erat, perficiendum ſtuduj; nullum carpendi animus inſedit, etiamſi propriam ſententiam tuendi, & pro aris, & focis, ut dici conſuevit, eam magnificandi ſpiritus adfuerit: propria vindicavi, alios non accuſavi. Conſulat qui plura exoptat Authores praeter propter laudatos.

Digitized by Google

& in Praefationes biblicas D. Hieronymi. (a)

SIMON a Caſſia, Hernicorum oppido, ordinis Eremitarum, doctus & eloquens, prophetico ſpiritu illuſtratus edidit de geſtis Salvatoris opus inſigne, quindecim libris digeſtum; in quibus univerſam quatuor Evangeliſtarum hiſtoriam, ſub unius narrationis ordine diſpoſitam, juxta hiſtoricam & myſticam intelligentiam luculenter expoſuit: ejus initium eſt, *A bono & ſuper bono*. Claruit anno Domini MCCCXL.

SIMON Jatumaeus, epiſcopus primum Gyratii, & mox Thebarum archiepiſcopus, patria Conſtantinopolitanus, Graece, Latine, & Hebraïce doctus, & in divinis ſcripturis continua lectione exercitatus, totius novi inſtrumenti ſeriem ex emaculatiſſimis Graecorum codicibus ſuprema diligentia in unum redegit, ſubinde vero & in Hebraeum & in Latinum vertit ſermonem, verbum de verbo fideliſſime interpretatus: demum has tres editiones in tribus per ſingulas paginas columnis tanta induſtria diſpoſuit, ut linea lineae, & dictio dictioni ſibi e regione oppoſitae tam ſenſu, quam verbo aptiſſime reſponderet. Claruit anno Domini MCCCC.

SIMON Corroyus, ordinis Caeleſtini, compoſuit Monoteſſaron in Evangelia, quod PANDECTAM EVANGELICAM appellavit, incipientem, *quis primus*. Claruit anno Domini MDL.

SIMON Spirenſis, ordinis Carmelitarum, theologus Pariſienſis, Poſtillam ſcholaſticam in Paulum ſcripſit, a ſe Coloniae praelectam, anno Domini MCCCXL.

SIXTUS Senenſis, ex ordine Praedicatorum, inter eccleſiaſticos declamatores minimus, licet diu multumque recuſaverim ignobilis & obſcuri nominis mei mentionem huic inſerere catalogo: mihi tamen, ita volentibus amicis, neceſſe fuit ineruditos labores meos, & vix ulla commemoratione dignos breviter hoc loco annotare, exemplo Hieronymi, Gennadii, Honorii, & Tritemii, qui in catalogis ſcriptorum, a ſe editis, lucubrationes ſuas recenſuerunt. Scripſi igitur uſque ad praeſentem annum aetatis meae quadrageſimum ſextum, & humanae ſalutis M.D.LXVI. in divinas literas ſubjecta volumina:

IN totum Bibliorum corpus bibliothecae ſanctae libros octo.

DE uſu Concordantiarum ſacrae Bibliae librum unum.

IN varios divinae ſcripturae locos Aſtronomicarum quaeſtionum librum unum.

IN varios divinae ſcripturae locos Geographicarum quaeſtionum librum unum.

In varios divinae ſcripturae locos Phyſicarum quaeſtionum librum unum.

IN varios divinae Scripturae locos Problematicarum epiſtolarum librum unum.

In quatuor, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Sapientiae, & Eccleſiaſtici, volumina, Sophias Monoteſſaron, hoc eſt, Sapientiae unius ex quatuor, librum unum.

In epiſtolam ad Romanos ad Joannem Baptiſtam, titulo S. Clementis Cardinalem, Scholaſtici compendii, librum unum.

In eandem epiſtolam ad eundem Scholaſticarum quaeſtionum, librum unum.

In Evangelia quadrageſimalia, quatuor annis Genuae pro concione enarrata, Homiliarum Tomos quatuor, hoc eſt, in ſingulos annos, Tomos ſingulos.

In Evangelia, quae in Feſtis Pentecoſtes, & Adventus, ſex annis Genuae pro concione enarravimus, Homiliarum Tomos ſex, in ſingulis annis Tomos ſingulos.

In Hepraëmeron, Homilias 8.

In tria prima Job capita, Homilias 6.

In Pſalmum primum, Homilias 6.

In Pſalmum quinquageſimum, Genuae in concionibus explicatum, Homilias 20.

(a) Simon Anglus ex N. Altamura floruit Anno MCCCXCI.

Digitized by Google

SIXTUS Vicedominus, ordinis Praedicatorum, patria Novocomenſis, profeſſione Theologus, ita cum ſacris Theologiae ſtudiis ſcientiarum omnium opes & eloquentiae ornamenta conjunxit, ut in Oecumenicis Reipublicae Dominicanae comitiis, anno MDLXIIII. Bononiae habitis, non dubitaverit admodum juvenis ἐγκυκλοπαιδείαν, hoc eſt, in Orbicularem ac perfectam diſciplinarum omnium comprehenſionem in publicis diſputationibus proponere, provocatis in Palaeſtram cunctis Academiarum gymnaſiarchis: quibus cum ad ſingula, tum interrogata, tum objecta reſpondiſſet ſumma eruditione, parique ſermonis elegantia, ingentem ſibi ſapientiae, & eloquentiae gloriam adeptus eſt: is nunc Veronae diſputativam ſeu ſcholaſticam Theologiae partem in gymnaſio Anaſtaſiae Martyris ediſſerens, & alteram Theologiae partem, quae ſanctorum voluminum interpretationem complectitur, ad populum enarrans, ſcribit etiam in varios divinae Scripturae libros praeclaras explanationes: e quibus propediem expectamus in lucem ampliſſimas in epiſtolam ad Romanos Commentationes, coacervata expoſitionis methodo elaboratas. (a)

SMARAGDUS, Abbas Benedictini coenobii D. Michaëlis, vir divinarum Scripturarum eruditione clarus, ſcripſit in Pſalterium Commentarios, & in epiſtolas & evangelia, quae per annum leguntur, expoſitiones breves ac perſpicuas; quarum initium eſt, *Epiſtola Graecum vocabulum eſt*. Floruit anno Domini DCLXXX.

SOPHRONIUS, Graecis & Latinis literis nobiliter eruditus, D. Hieronymo familiariſſimus, convertit in Graecum Latinam totius veteris inſtrumenti editionem, quam Hieronymus ex Hebraïca veritate tranſtulerat. Hanc Graecam translationem, ut ex Collectaneis Procopii Sophiſtae in Octateuchum apparet, multi Graeci expoſitores, citato etiam Hieronymi nomine, Commentariis ſuis illuſtrarunt. Claruit ſub Theodoſio Auguſto anno Domini CCCC.

STEPHANUS Anglicus, gymnaſii Pariſienſis quondam decus & rector, in divinis Scripturis ſtudioſus, & eruditus, atque in philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore ſecundus, Theologiam multis annis glorioſe docuit, & primus Scripturam ſacram moraliter exponere coepit: & hinc mos inolevit, ut magiſtri Scholaſticae theologiae divinos libros in ſcholis lucidius & facilius aperirent. Scripſit ergo in Sacras literas multas praeclaras expoſitiones, ſed praeſertim in Octateuchum Commentariorum libros undecim, & in ſexdecim Prophetas libros ſexdecim, ſtylo & affectibus non ingratos, ſicut ex fragmentis ejus, nuper a Tilmanno Cartuſiano in Tomis Allegoriarum publicatis, apparet. Claruit anno Domini MCC.

Stephanus Langion, ſeu Lancton.

STEPHANUS Langion, Anglus, D. Chryſogoni presbyter cardinalis, Cantuarienſis archiepiſcopus, ſcripſit in Octateuchum libros duodecim, & in omnes Pauli epiſtolas libros 14. Claruit anno Domini MCCXXVIII. Hic an ſit diverſus a Stephano ſuperiore, non ſatis ſcio. (b)

STEPHANUS Paris, Aurelianenſis, epiſcopus Abellunenſis, Doctor Theologus, ordinis Praedicatorum, ſcripſit eleganti ſermone ſuper illud, Verbum caro factum eſt, expoſitionem prolixam, concionantibus per adventum valde accomodatam, & per lectiones digeſtam: cujus initium eſt, *Pietati, & religioni*. Item ſermonum quadrageſimalium librum unum. Claruit anno Domini MDL.

STEPHANI Poloniaci, Galli, ordinis Praedicatorum, Poſtillam ſuper Joannem vidi in Bibliotheca Dominicanorum Lugdunenſi, ſic incipientem, *In manibus abſcondit lucem*.

STEPHANUS, Pariſienſis Doctor, Poſtillam ſcholaſticam in epiſtolas ad Romanos, & ad Hebraeos emiſit; cujus meminit Vincentius Bandellus in tractatu De Conceptione.

STRA-

(a) Alia, quae non enumerat N. Xyſtus, compoſita a Sixto de Vicedominis, opera refert N. Echardus *Tom. II. ſcript. Ord. fol.* 299. cum edita, tum anecdota, nimirum Conciones in Evangelia de Adventu, & Quadrageſima, Homilias in Evangelia pene totius Anni. In Iſaiam, In VII. Pſalmos Poenitentiales. In Evangelium ſecundum Joannem, In Epiſtolam ad Coloſſenſes, & in Epiſtolam I. S. Petri.

(b) Stephanum Langtonum eundem eſſe cum priore Stephano Anglo adſerit Guillelmus Cave ad An. 1206. dum ei adjudicat etiam munera, & opera, quae de priori Stephano enunciat Xyſtus, nec non addidit Langtoni commentarios in Judith, Eſther, Tobiam, Eidram, & Machabaeos, in Iſaiam, Eccleſiaſticum, Evangelia, & Epiſtolas de Dominicis per anni circulum.

Digitized by Google

STRABO Monachus, natione Anglicus, patria Cantabrigenſis, Bedae Venerabilis presbyteri frater, & ſtudiorum ejus collega, doctus ac pius, ſcripſit in totum librum Geneſeos non ignobiles Commentarios; quos ex dictis orthodoxorum Patrum ad imitationem fratris diligenti ſolertia collegit, anno Domini DCCL.

STRABUS, Monachus coenobii Fuldenſis, natione Germanus, Rabani Mauri Moguntini archiepiſcopi quondam auditor & ſcriba, vir ſaeculari literatura abunde expolitus, divinae Scripturae peritiſſimus, & veterum auctorum lectione varia & aſſidua delectatus, inter alia Opuſcula, quibus claro & ſuccincto ſermone illuſtravit quoſdam particulares Sacrae legis libros, collegit etiam ad imitationem praeceptoris ſui ex dictis ſanctorum Patrum, appoſitis eorum nominibus, Commentarios in univerſa ſacroſancta Biblia; quos nunc GLOSSAM ORDINARIAM appellant, ab aliis poſtea Scriptoribus multis, variiſque antiquorum Doctorum ſententiis locupletatam. Floruit ſub Ludovico Auguſto, anno Domini DCCCXL.

SYLVESTER Prieras, Pedemontanus, ordinis Praedicatorum, collegit ex Commentariis divi Thomae ſcholaſticam Poſtillam in lectiones Evangelicas totius anni, quam AUREAM ROSAM praenotavit, additis quaeſtionibus non omnino contemnendis, anno Domini MDX. Sylveſter Mozolinus, de Priero dictus, Apoſtolici Palatii Magiſter.

SYMMACHUS, tertius Scripturarum Graecus interpres, natione Samaritanus, de numero Sapientum Samariae, cum ambîtum apud ſuos principatum obtinere non potuiſſet, indignatus, ad Judaeos defecit, atque inter eos proſelytus factus, iterum ſecunda circunciſione circunciſus eſt: hoc enim moris apud veteres Hebraeos fuit, ut qui a Judaeis ad Samaritas, & a Samaritis viciſſim ad Hebraeos profugerent, denuo circunciderentur, adjuti auxilio cujuſdam medici inſtrumenti attractorii, quod Spatiſterem appellant: quo quidem pudendi cuticulam ſupra glandem attrahebant; & glutinatoriis circundatis iterum praeputium denudatae jam glandi ſuperinducebant, ſuperinductumque iterum circuncidebant: cujus rei Paulus in prima ad Corinthios epiſtola mentionem faciens, inquit: CIRCUNCISUS aliquis vocatus eſt, ne attrahatur ipſi praeputium: in praeputio aliquis eſt, ne circuncidatur: tametſi Hieronymus, expendens illud, quod in primo Maccabaeorum legitur, *Et fecerunt ſibi praeputia*, affirmet id non in ipſis Patribus, ſed in eorum filiis intelligendum eſſe. Hic itaque Symmachus, cum iterum circunciſus apud Judaeos inglorius viveret, ad Chriſtianos tranſiit, & Hebionitarum haereſim amplexus eſt: juxta quorum dogmata ſcripſit etiam in Evangelium Matthaei Commentaria, conatus illinc ſuam confirmare impietatem: qua contendebat Chriſtum fuiſſe purum hominem, occaſione ſumpta ex carnali generatione, quae in principio Evangelii a Matthaeo recitatur. Ab hoc igitur tertia divinae Scripturae translatio ſic edita fuit, ut non verbum de verbo (quod Aquila fecerat) ſed ſenſus de ſenſu in ea exprimeretur. Claruit ſub Septimio Severo Imperatore anno Domini CXC. 1. Cor. 7. 28. 1. Mach. 1. 16.

SYRA Editio, quam ſaepe Graeci Patres una cum caeteris Graecis ac Latinis editionibus ediſſerunt, a quibuſdam creditur eſſe Chaldaïca translatio, a Judaeis Thargum, hoc eſt, Paraphraſis, vocata, ipſiſque olim non ſolum familiaris, ſed vernacula, dum promiſſionis patriam inhabitarent, & nunc etiam ſummae apud eos auctoritatis: quae tametſi clarior ſit multis in locis ipſo Hebraïco textu; tamen e LXX. interpretum translatione non modica ſui parte conflata deprehenditur locis maxime obſcuris. Jacobus, epiſcopus Chriſtopolitanus, aſſerit auctorem translationis hujus fuiſſe Jonathan Abenuziel Judaeum; qui anno primo, & vigeſimo Octavii Auguſti, hoc eſt, anno ante Chriſtum natum XXI. tranſtulit totum vetus inſtrumentum in linguam Chaldaïcam, ſive Syram; ſenſum magis de ſenſu, quam verbum de verbo exprimens. Narrat item in expoſitione Pſalmi 20. idem epiſcopus hunc Jonathan in ſua Thargum multa de Chriſti divinitate, ac de ſancta Trinitate myſteria explicaſſe, veluti in editione Pſalmi ſecundi: in quo dum paraphraſticôs illuſtraret ſententiam illam, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te, &c.* ita ſcripſit: DUO HI, Pater, & Filius; tres ſunt in una tertia perſona, nimirum Spiritu Sancto: & hi tres unum ſunt, una, inquam, ſubſtantia, una eſſentia, & unus Deus. Quae dum Jonathas literis

Digitized by Google

ris mandaret, repente vox ad eum de coelo allata est, inquiens: Quis est iste, qui audet secreta mea gentibus revelare? Tum Jonathas, Ego, inquit, Domine ob reverentiam, & gloriam nominis tui hoc tentare ausi. Haec episcopus Christopolitanus: quae an ita se habeant, aliis inquirendum relinquo. Plane constat, verba haec non haberi in Chaldaïca Psalmorum interpretatione, quae nunc circunfertur. Judaei tradunt, Thargum a tribus peritissimis Rabbinis conditam, Onkelo, Jonatha, & Josepho: ex quibus Onkelos Pentateuchum solum vertit; Jonathas Pentateuchum, & prophetas priores, ac posteriores; Joseph vero Psalmos, Proverbia, Job, Ecclesiasten, Ruth, & Esther. Franciscus Xymenius Cardinalis, in Praefatione editionis Complutensis docet hanc translationem Chaldaïcam in solis quinque libris Mosis fideliter Hebraïcae veritati respondere, in caeteris autem divinis voluminibus corruptam esse, & in multis locis conspersam meris fabulis, & Thalmudistarum nugis.

T

TATIANUS, a D. Hieronymo in Catalogo ecclesiasticorum Scriptorum numeratus, natione fuit Syrus; & Justini philosophi, & Martyris discipulus. Is, cum omni disciplinarum copia, & magna Oratoriae artis vigeret potentia; reliquit ingenii sui infinitum librorum numerum, inter caeteros vero insigne propositionum,& quaestionum volumen: in quo, ut Eusebius in 4. historiae Ecclesiast. cap.29. scribit, omnia, quae in divinis Scripturis obscura sunt, & difficilia, reseravit. Idem ex quatuor Evangeliorum historia unam compaginavit, cui titulum imposuit DIATESSARON, id est, Unum ex quatuor, vel, De quatuor Evangeliorum harmonia: ad quam Victor, Capuanus Episcopus, Astronomus excellentissimus, qui floruit circa annum Domini CCCCLXXX. numeros Evangelicorum canonum ex Eusebio Caesariensi per loca congrua diligenter affixit, praeposita Praefatione, quae sic incipit, *Dum fortuitu in manus meas incideret*. Abbas Tritemius facit Victorem hujus Operis auctorem, reclamante Victoris Praefatione, quae Tatiani Opus esse testatur. Hic quandiu praeceptor ejus vixit, in ecclesia Catholica maxime floruit: sed post mortem ipsius, novam condidit haeresim, Encratitarum appellatam. Claruit sub Imperatore M. Antonio Vero, & L. Aurelio Commodo, anno Domini, CLXX.

TERTULLIANUS Florens, cui Quinti Septimii praenomen fuit, dignitate Presbyter, natione Afer, patria Carthaginensis, patre Centurione proconsulari, vir profecto acris, ac vehementis ingenii, humanis non minus, quam divinis disciplinis imbutus, suorum quoque temporum rhetor praestantissimus, & publicus ejus artis in urbe Carthaginensi praeceptor, multa Latino eloquio eleganter scripsit, sed stylo nimium elaborato, ac duro, & propter inusitatam vocum novitatem obscuro: Unde & Hieronymus, ad Paulinum scribens, haec duo potissimum illi ascribit, nimirum quod sit in sententiis creber, & in loquendo difficilis. Lactantius vero in quinto divinarum Institutionum libro, ejusdem phrasim describens; SEPTIMIUS, inquit, Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comptus, & multum obscurus. Hujus scripta beatus Cyprianus tanti fecit, ut nullam diem sine eorum lectione praeteriret, illud crebro inculcans Paulo Concordiensi, notario suo, *Da magistrum*, Tertullianum videlicet significans.

HIC igitur inter alia ingenii sui monumenta reliquit.

IN GENESEOS caput secundum, De Paradiso, librum unum, cujus ipse auctor mentionem intulit in fine libri de Anima.

ITEM in 7. Gen. caput, tractatum unum, inquirens in eo, cur Deus, qui fecit omnia valde bona, animalia immunda, una cum mundis,in arcam introduceret. Meminit Hieronymus hujus Opusculi in Praefatione Quaestionum ad Damasum.

ITEM Sodomitanae conflagrationis in decimum octavum Gen. caput, librum unum, heroïco versu eleganter conscriptum: qui incipit,

Jam Deus omnipotens primaevi crimina saecli
Vindice diluvio cunctis aboleverat undis,
Quas coelum sparsit, Tyrii maris expulit aequor.

ITEM

Digitized by Google

ITEM De veſtibus Aaron in Exodum 28. librum unum: de quo Hieronymus in epiſtola De veſtitu ſacerdotum ad Fabiolam, ſic ait: FERTUR in Indice Septimii Tertulliani liber de Aaron veſtibus, qui interim uſque ad hanc diem a me non eſt repertus: ſi a vobis propter celebritatem urbis fuerit inventus; quaeſo, ne meam ſtillam illius flumini comparetis: Non enim magnorum virorum ingeniis, ſed meis ſum viribus aeſtimandus.

SCRIPSIT quoque in orationem Dominicam ex Matthaei cap. 6. librum unum, DE ORATIONE praenotatum: cujus recordatur Hilarius in Matthaei Commentariis.

CLARUIT ſub Severo Imperatore, anno Domini CC. (a)

THEODOLUS, in Coeleſyria presbyter, & poſtea epiſcopus; natione Italus, librum ſcripſit, De conſonantia ſcripturarum veteris, & novi Teſtamenti, adverſus antiquos haereticos; qui propter differentiam praeceptorum, vel caeremoniarum alium veteris Teſtamenti Deum dixerunt, alium novi: in quo oſtendit, diſpenſationis fuiſſe unius ejuſdemque Dei auctoris utriuſque Scripturae, ut alia per Moſen antiquis lex daretur in ſacrificiorum caeremoniis, & judiciorum animadverſionibus, alia his temporibus per Chriſti praeſentiam in ſacris myſteriis, & futuris repromiſſionibus; nec diverſa credi debere, aut non uno ſpiritu, & uno auctore dictata: cum illa, quae ſi modo ſecundum literam obſervarentur, occiderent, eadem ipſa ſecundum intellectum vivificent. Idem quoque Eclogarum volumen carminibus edidit: in quo omnia miracula veteris Teſtamenti, & poëtarum fabulas ad ipſorum imitationem, ab eis confictas, foeliciſſime cecinit. Cujus initium eſt, *Aethiopum terras, &c.* Collegiſſe etiam dicitur in epiſtolam ad Romanos ſuccinctam, ac facilem enarrationem, in morem catenae contextam, ex ſententiis Graecorum Patrum: Quorum nomina, ab ipſo citata, haec ſunt, Baſilius, Gregorius Nanzianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Phocius, Iſidorus, Severianus, Gennadius, & Oecumenius. Sed cum Phocius, & Oecumenius ducentis annis poſt Theodolum floruerint, apparet inſcriptionem Operis falſam eſſe. Operis initium eſt, *Paulus, &c. Evangelium haec epiſtola inſtitutionem continet.* Moritur ſub Zenone Imperatore, anno Domini, CCCCLXXX. (b)

THEODORUS, Antiochenae eccleſiae presbyter, vir doctus, & Graeca facundia diſertus, cujus adverſus Eunomianos, & Apollinariſtas elegantiſſimum extat volumen, ſcripſit in Pſalmos magnificos Commentarios; quorum multa, & crebra fragmenta in Catena Graeca explanationum Pſalterii, ab Epiphanio Scholaſtico ordinata, leguntur. Claruit ſub Honorio Auguſto, anno Domini CCCCXX.

THEODORUS, Heracleae Thraciarum, quae olim Perinthus vocabatur, epiſcopus, vir elegantis apertique ſermonis, temporibus Conſtantini ſecundi clarus, edidit juxta literalem intelligentiam, quam ubique in divinarum litetarum expoſitione ſecutus eſt, Commentarios in Pſalterium; in Matthaeum, in Joan. Evangelium, & in epiſtolas Pauli. Claruit anno Domini CCCXL.

THEODORETUS, ſive, THEODORITUS (utranque enim ferunt exemplaria Graeca lectionem) natione Syrus, Cyrenſis urbis, quam Stephanus κυρρήπολιν, hoc eſt, Cyropolim, Perſae Cyrecbatam vocat, epiſcopus octingentarum

(a) Presbyterum fuiſſe Tertullianum S. Hieronymus teſtatur *lib. de Vir. Illuſtr. cap. 53.* ex eoque id retulit N. Xyſtus: verum ex Tertulliani ſcriptis id colligi nequit; & quamvis ex libro *de Anima cap. 9.* habeatur illum in Eccleſia Montaniſtarum praedicaſſe, eique relatas eſſe aliorum viſiones; verum cum Montaniſtae ſinguli ſic in Coetibus ſuis loquerentur, inde certo concludi nequit eum fuiſſe Presbyterum, ut adnotaruht Dupinius, & Petitdidierus; Pamelius vero aliis ex conjecturis eum inauguratum Sacerdotio exiſtimat ab Agrippino Anno Domini CCI. quo tempore ex uxoris conſenſu a matrimonii uſu abſtinuit, ut ex *lib. ad Uxorem* oſtendit. Majoris porro momenti eſt, quod N. Xyſtus ex Veterum fide tradit, nimirum Tertullianum authorem fuiſſe Carminum de Geneſi, & Sodoma; Sed omnino eſſe ea abjudicanda tanto Viro univerſim Eruditi conclamant, lubetque hìc tranſcribere verba N. Cl. Natalis *Hiſt. Eccleſ. Sec. II. Cap. IV. Art. 13.* „ Tertul„ liano etiam falſo adſcripta ſunt Poemata de Judi„ cio Domini, de Geneſi, & de Sodoma. Neque „ enim tantum virum tam iratas unquam habuiſſe „ Muſas, credendum eſt (ut eleganter ait Rigal„ tius) Eodem loco habendum eſt carmen de Jona, „ & Ninive, quod ex Codice V. Cl. P. Pithoei edi„ dit Margarinus Bignaeus ad calcem Tomi VIII. „ Bibliothecae Patrum.

(b) Theodulum hunc Cl. Auguſtinus Calmet in *Biblioth. Sacra* non Sacerdorem Coele-Syriae, ſed Italiae, Graece, & Latine doctum adfirmat incerta aetate Clarum. Ejuſque opus idipſum eſſe, quod ſub nomine Oecumenii paruit, Joh. Albertus Fabricius cenſet. Et, ut obſervat Cavius, alius eſt a Theodulo, ſeu Theodoro Coelo-Syriae Graeco Scriptore.

Digitized by Google

tarum ecclesiarum pastor (tot enim paroecias tunc habebat ea civitas, a Cyro quondam Persarum rege, in extremis Persiae finibus condita) Attica vir eloquentia celebris, & sanctorum voluminum explanatione clarissimus, haereticorum quoque impugnator acerrimus, a quibus etiam lapides pro fidei Catholicae defensione sustinuit, post multos vitae labores in extrema senectute a Dioscoro, episcopo Alexandrino, anathemate notatus est, & ab episcopatu injustissime depositus, eo quod Flaviano, Constantinopolitano archiepiscopo, in damnatione Eutychianae haereseos consensisset. Is ergo admirabilem docendi facilitatem sortitus, multa in divinas Scripturas Commentaria reliquit ex uberrimis potissimum D. Joannis Chrysostomi, quem sibi quasi primarium exemplar sumpsit imitandum, explanationibus abbreviata; ex quibus ego infrascripta legi:

MYSTICARUM institutionum in universam Scripturam sanctam Isagogicum volumen nominum, ac verborum omnium, quae divinis literis continentur, mysticas, & spirituales intelligentias exponens. Quod Opus in antiquis membranis Graece descriptum servatur Viennae Austriae in Bibliotheca Alexandri Brassicani.

ΕΙΣ τὰ ἄπορα τῆς θείας γραφῆς κατ' ἐκλογάς: hoc est, *De selectis Scripturae divinae quaestionibus ambiguis*, ab initio Geneseos usque ad ultimum librum Regum insigne Opus: in quo locos duntaxat obscuros per interrogationem, & responsionem breviter, & lucidè explicat. Operis initium est, μετρεῖν εἴωθε, hoc est, *Metiri consuevit*.

IN TOTUM Psalterium praecipue juxta literam Commentarios; in quibus miro artificio conjunxit Psalmorum versiculos, qui nullo inter se ordine convenire videbantur. Extant hi nobiles Commentarii Genuae in Bibliotheca Saulia: quorum initium est, ἐμοὶ μὲν πρὸ τῶν ἄλλων θείων λογίων κατὰ θυμὸν ἦν τὰ μεγάλα Δαβὶδ ἑρμηνεῦσαι τὴν προφητείαν: hoc est, *Mihi quidem in animo est, ante alios divinos sermones, magni Davidis interpretari prophetiam.*

ANNECTITUR huic Operi Catena explanationum in Cantica ferialia, ab incerto auctore collecta ex Eusebio, Didymo, Basilio, Chrysostomo, Severo Antiocheno, Esychio, Cyrillo, Theodoreto, Eudoxio philosopho, & Nicolao presbytero.

IN CANTICUM Canticorum venustos ad Joannem episcopum Commentarios, incipientes, *Divinarum scripturarum expositio*. Quibus nescio, quis recens collector immiscuit fragmenta explanationum Gregorii Nysseni, Maximi, Nili, & Pselli, in varios hujus libri locos.

ELUCUBRAVIT etiam in omnes Prophetas plurima commentationum volumina; quorum exordia, partim ex Graecis, partim ex Latinis codicibus delibata, haec sunt,

In Esaïam	liber unus.	
In Jeremiam	liber unus.	
In Threnos	liber unus.	
In Ezechielem	liber unus.	*Oculis corporis figurarum,*
In Danielem	liber unus.	*Si facile omnibus esset.*
In Oseam	liber unus.	ἐπεὶς μὲν τινὲς.
In Joëlem	liber unus.	ἐπεὶ ὁ θεῖος.
In Amos	liber unus.	ὁπλάσαι.
In Abdiam	liber unus.	ἰδουμαῖοι πρόγονοι.
In Jonam	liber unus.	πάντας ἀνθρώπους.
In Michaeam	liber unus.	πῆς τὲ θεωτείαι.
In Nahum	liber unus.	οἰνιτωῖται.
In Abacuch	liber unus.	εἰσί τινὲς.
In Sophoniam	liber unus.	λόγος κυ.
In Aggaeum	liber unus.	κύρος μὲν.
In Zachariam	liber unus.	σφόδρα πάλαι.
In Malachiam	liber unus.	μωυσῆς μὲν.

PRAETER haec feruntur typis excusi Commentarii in omnes Pauli epistolas: in quibus, quantum fieri potest, succincte, eleganter, ordinate, ac pie sensus

Digitized by Google

ſus Pauli explicantur, & ſententiae ſententiis, quod in Paulo videtur difficillimum, miro artificio conjunguntur. Citat ex his Commentariis D. Thomas in Opuſculo adverſus errores Graecorum, & Armenorum teſtimonium pro igne purgatorio ex tertio capite epiſtolae primae ad Corinthios ſuper illud, *Si cujus opus arſerit*, his verbis: DICIT Apoſtolus, Qui ſalvabitur, ſic, tanquam per conflatorium ignem purgantem, quicquid intervenit per incautelam praeteritae vitae ex pulvere ſaltem pedum terreni ſenſus, in quo tandiu manet, quandiu quicquid corpulentiae, & terreni affectus inhaeſit, purgetur: pro quo mater eccleſia hoſtias, & dona pacifica devote offert. Quae quidem verba nuſquam, nec in Latinis, nec in Graecis Commentariis invenire potui: ſuſpicor ea, vel a Graeculis quibuſdam, purgatorio infenſis, ſubtracta, vel ex alio quodam Opere, ubi Theodoretus hunc locum ſic expoſuit, a D. Thoma deſumpta. Operis initium eſt, *Scio quidem fere, ut dum divini Pauli*. Claruit hic ſanctus vir tempore Concilii Epheſini, D. Cyrillo ſynchronos; cum quo etiam altercationes habuit de actis ejuſdem Synodi; pervenitque uſque ad tempora Leonis Papae Primi; ad quem ſcripſit epiſtolam pro ſua ad epiſcopatum reſtitutione depreçatoria: moriturque circiter annum Domini CCCCL. (a)

THEODORUS, ſeu THEODORICUS, Abbas D. Trudonis Leodienſis, profeſſione Benedictinus, natione Germanus, eruditionis & ſanctitatis magnae, cui par fuit proſae & carminis excellentia, librum compoſuit, hiſtorias veteris ac novi Teſtamenti heroïco verſu complectentem. Florui: ſub Henrico IIII. Imperatore anno Domini MC.

THEODORICUS Herxenius, natione Germanus, viſitator ordinis clericorum in communi viventium, vitae ſanctimonia & ingenii viribus clarus, ſcripſit Scholaſtico ordine, ſed eloquio magis devoto in Pſalterium lib. 1. Claruit ſub Federico Imperatore III. anno Domini MCCCCLXXVI.

THEODOTION, ut Epiphanius tradit, natione Ponticus, vel, ut Euthymio placet, Epheſius, Tatiani, Marcionis, & Hebionis haereſiarcharum, donec Chriſtianus fuit, ſectator, cum a Chriſtianis ad Judaeos transfugiſſet, circunciſus eſt, & apud eos Hebraïca lingua probe inſtructus, quartam ſub Severo Auguſto Imperatore emiſit veteris inſtrumenti Graecam translationem, anno Domini ducenteſimo.

THEODOTUS, Ancyrae in Galatia epiſcopus, ſcripſit Homilias plurimas: ex quibus Epiphanius Diaconus in actione ſexta Nicaenae Synodi ſecundae quatuor citat:

PRIMAM De Helia & vidua in 3. Reg. 17.
SECUNDAM De duobus caecis in Matth. 9.
TERTIAM De diſtributione talentorum in Matth. 25.
QUARTAM De claudo, a Petro & Joanne ſanato, in Act. 3.

CLARUIT in Concilio Epheſino adverſus Neſtorium, dialectico more & valde obſcure ſcribens, anno Domini CCCCXXX.

THEOGNOSTUS, priſcus auctor, quem Athanaſius virum diſertum, ſtudioſum, & admirandum appellat, ſcripſit in illud Matthaei 12. *Qui dixerit verbum in filium hominis*, Tractatum: quem citat Athanaſius in libro, quem ſuper eodem Evangelico dicto compoſuit. Theognoſtus Alexandrinus, Origenis diſcipulus, floruit An. 282.

(a) Theodoritus aliquando infenſus adverſuſque Epheſinae Synodo, contra quam libros quinque *diabolo inſtigante* conſcripſit, ut ait Marius Mercator *in excerpt. oper. ejus part.* 2. & S. Cyrillum durius exagitavit, quare ab Imperatore Theodoſio intra terminos Cyrenſis Eccleſiae reſtrictus, & deinde alio fato in exilium actus: Theodoſio defuncto ſedique ſuae reſtitutus palinodiam cecinit, & qui diu tergiverſatus fuerat, in Concilio Chalcedonenſi Seſſione VIII. plene reſipiſcens anathema dixit Neſtorio, pro quo prius ſteterat; perſpectaque fraude ac mala fide vitilitigatoris, illi & erroribus ejus dira fuit adprecatus, nec non Eutychen cum aſſeclis & erroribus ſuo calculo in laudata Synodo ſimul cum aliis PP. damnavit. Anno CCCCLVII. aut ſaltem ſequenti fato ceſſit Septuagenario major (quamvis non deſint, qui vitam illius in plures adhuc annos protrahant) variamque poſt mortem ſubiit fortunam. Ut, quod verum eſt, de eo proferam, certe a pueritia primevae *ασκήσεως* cultor magna animi puritate reſplenduit, in pauperes fuit profuſus, ardenti zelo pro Eccleſia & virtute flagravit, & animo fuit excelſus; ſed injuriarum, & contradictionum haud ſatis patiens, propriaeque ſententiae tenax: quapropter ſi quos in errores fuit delapſus, non tam voluntati, & judicio, quam praefervidae indoli, diſputationum intemperiis, & *ἀμετρίᾳ τῆς ἀναδολῆς* tribuendum eſt. Vide praeſertim quae de eo ſcripſit Photius *Cod.* 46.

Digitized by Google

THEOPHILUS, sextus post Petrum Apostolum Antiochenae ecclesiae episcopus, qui sub Imperatore Marco Antonino Vero, anno CLXXIII. ad episcopatum fuit assumptus, dicitur scripsisse in Proverbia Salomonis Commentarios; quos tamen Hieronymus asserit cum caeteris ejus auctoris voluminibus phrasi & elegantia non congruere. Idem quatuor Evangelistarum dicta in unius historiae corpus compegit, eaque Graecis commentariis illustravit. Hos caeteris ejus voluminibus, quae adversus haereticos scripsit, dictionis elegantia impares esse testatur Hieronymus, exhibens modicum gustum ejus phraseos in expositione parabolae de Villico iniquitatis, quam ipse de Commentariis ejus transtulit, cum ad Algasiam de quaestione ejus parabolae ab ea interrogatus responderet.

THEOPHYLACTUS, Bulgariae archiepiscopus, in divi Chrysostomi lectione diu multumque versatus ac detritus, redegit in breve & apertum compendium juxta historicam intelligentiam, quicquid admirabilis ille pater ex aureo suo ore, veluti ex abundantissimo fonte, in exponendis Scripturis sanctis effuderat, praetermissis locis communibus, in quibus ille plenis eloquentiae velis excurrere consuevit.

ALLEGORIAS quoque, cum aut nullas, aut raras, apud Chrysostomum inveniisset, ex aliorum Commentariis supplevit, & suis locis aptissime accommodavit. Feruntur inter caetera, ab eo in utrunque Testamentum collecta,

In Oseam liber unus, acephalus & ateleſtus, hoc est, temporis injuria, initio, & fine carens; cujus quod supereſt fragmentum, incipit, *Et nemo eripuit de manu mea, &c.*

In Jonam liber unus, qui incipit,	*Postquam omnes.*
In Nahum liber unus.	*Praedicavit admirandus.*
In Abacuch liber unus.	*Sunt qui dolenter.*
In 4. Evangelia libri 4. quorum initium est,	*Quemadmodum.*
In Paulum lib. 14.	*Frequens divinarum.*

CLARUIT anno Domini DCCCC. sub Michaële, & Theodora. (a)

THOMAS Anglicus, patria Galensis, ex ordine Praedicatorum, Theologiae Scholasticae Professor, scripsit in Sacros libros plurimas scholasticae methodi commentationes: ex quibus in Bibliotheca D. Joannis & Pauli Venetiis habentur in Genesim Lectura, incipiens, *Non recedat, &c.* & in primos viginti quinque Psalmos Postilla, quae incipit, *Beatus vir, qui custodit.* Hujus auctoris esse creduntur Commentaria in Genesim, in Esaïam, in Jeremiam, in Epistolas canonicas, in Apocalypsin, & in Boëthium, De philosophica consolatione, adscripta divo Thomae: cui cum honoris causa tributum esset Angelici cognomen, & magna esset inter Anglicum & Angelicum vocis similitudo; paulatim effectum est, ut per incuriam & errorem Thomae Anglici scripta, Thomae Angelici titulo notarentur. Claruit anno Domini Millesimo quadringentesimo. (b)

THOMAS Aquinas, ordinis Praedicatorum, ex illustri Comitum Aquini familia, in finibus Campaniae splendidissimis parentibus ortus, Alberti Ratisponensis ar-

(a) Theophilactus claruit tempore Alexandri Papae II. & Romani Diogenis Imperatoris circa Annum Domini MLXXI. ut ex ejus epistola ostendit C. Baronius, & ex eo Bellarminus, Cavius, aliique. „ Porro Schismaticum fuisse Theophilactum „ intelligi potest ex commentario in cap. 3. Johannis, ubi Latinos rephendit, quod crederent Spiritum Sanctum a Filio etiam procedere „ ait laudatus Bellarminus de Script. Eccles.

(b) Conjectura N. Xysti & aliorum quoque de commutatione Anglici in Angelicum, ex quo forsan errore quam plura sub nomine S. Thomae opera prodierunt, quae Thomae Anglico sunt restituenda, levis nimium est, ut praeceteris Cl. N. Echardus adnotavit: cum epithetum Doctoris Angelici S. Thomae tributum haud legatur ante Seculum XVI. plura autem id genus opera longe ante, nimirum circa finem XIII. Seculi & deinceps S. Thomae adjudicata leguntur; cui propterea multa sunt restituenda ex iis, quae N. Xystus Thomae Anglico, seu Gallensi (& non alteri Thomae Anglico seu Jorz, de quo supra) adscribit, nimirum commentarii in Isaiam, & Jeremiam, qui eidem Angelico Doctori adjudicantur a Tolomaeo de Luca, Bartholomaeo Logotheta, Bernardo Guidonis, ac ab ipso Lyrano. Commentarii autem in VII. Canonicas epistolas non sunt S. Thomae, sed N. Nicolai Gorrani, & expositio in Apocalypsin etsi certo certius non sit addicenda S. Thomae, incertum tamen est cujus Dominicani Scriptoris sit opus: heinc Romani editores inter S. D. opera illam haud adnumerarunt; quinimo quum in Congregationibus de Auxiliis *Disput. 8. die 9. Decembris* 1602. P. Bastida Socius ex hac expositione sub nomine S. Thomae citasset ea, quae leguntur ibidem Cap. 3. *Deum pulsare & expectare, ut aperiatur*, ei continuo NN. Cardinalis Asculanus, & Thomas de Lemos reposuerunt: *non est S. Thomae, non est S. Thomae*; sed cujuscumque sit, Molinae certe non favet, quod & ultimus (videlicet Lemosius) lecto loco, demonstravit. Dubitant autem aliqui an Thomae Jorz, vel Gallensi sit adscribenda? Verum, ut dixi, nil certi ea in re adseri potest.

Digitized by Google

archiepiſcopi Doctoris cognomento Magni major ipſe diſcipulus, maximo & altiſſimo ingenio vir, cui ad plenam abſolutamque totius, tam divinae, quam humanae eruditionis gloriam ſolus defuit linguarum & eloquentiae uſus, quem eruditi illius ſaeculi, utpote ſublimioribus ſtudiis intenti, neglexere; theologorum fuit, ac philoſophorum omnium, quos in hanc uſque diem Scholaſticorum Academia protulit, ſine ulla controverſia princeps: quippe qui primus omnium Latinorum philoſophorum non minus incredibili, quam foelici auſu omnem Ariſtotelis philoſophiam Commentariis lucidiſſimis illuſtravit. In ſacris vero ſincerioris theologiae ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem ejus, & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque, ut juxta Pythagorae μετεμψύχωσιν communi doctiſſimorum omnium adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam. In ſcholaſticis quoque miſticae theologiae diſputationibus ita caeteris Academiarum ducibus antecelluit, ut univerſali ſcholarum omnium conſenſu receptum ſit Thomam, Scholaſticae theologiae inſtauratorem, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili pacis foedere conjunxiſſe, videlicet, Copiam, Brevitatem, Facilitatem, & Securitatem; quas nulli unquam literarum profeſſori vel ante, vel poſt eum contigit ſimul potuiſſe connectere. Ac primum tanta ineſt ei rerum omnium copioſa ubertas, ut nihil fere ex univerſo theologiae, ac philoſophiae ambitu deſiderari queat, quod non ipſe ditiſſimis ſcriptis ſuis fuerit copioſiſſima varietate complexus. Brevitas deinde, cujus exiguis anguſtiis copiae amplitudo contineri non poteſt, ea eſt, ut quae tot veteres ac recentes auctores vix innumeris & immenſis voluminibus comprehendere potuerunt, hic intra unius ſtrictae epitomes, hoc eſt, Summae theologiae compendium, locupletiſſima brevitate pleniſſime ſtrictiſſimeque concluſerit. Brevitati vero, quae obſcuritatis mater eſt & comes individua, ita facilitatem, omni ſecluſa difficultate, copulavit, ut ordinis diſpoſitione, ſententiarum perſpicuitate, & verborum ſplendida claritate ſcriptores omnes longo poſt ſe reliquerit intervallo: &, quod multo admirabilius eſt, cum in ſcriptis eccleſiaſticis multorum magni nominis Patrum caute ac ſuſpenſo pede legentibus progrediendum ſit, ne in ſententias quaſdam parum tutas imprudenter impingant; huic uni vere divino viro tanta aſſertionum ſententiarumque ſecuritas divinitus obtigit, ut in lectione ejus Lector, omni ſuſpicione erroris liber, citra ullam offenſam tutus & ſecurus expedito gradu expatiari poſſit, veluti per viam regiam, communi eccleſiaſticorum Patrum inceſſu tritam, longe a deviis illis particularium ſectarum ſemitis ac diverticulis, quae ſaepe incautos abducunt in ambages inextricabiles, & errores irremeabiles.

HIS igitur rariſſimis docendi conditionibus incomparabilis hic Doctor ſcripſit innumera pene ſcholaſtici generis volumina: ex quibus ea, quae maxime ad ſacrae Scripturae intelligentiam pertinent, triplici partitione diſtinguuntur, hoc eſt, in Expoſitiones, Quaeſtiones, & Opuſcula. In Expoſitionibus, quas & Lecturas appellavit, eos libros ſanctae Scripturae, quos ſuo loco indicabimus, continuato explanationis ordine, breviter, & ad literam lucidiſſime expoſuit: in Opuſculis, ſive Tractatibus, peculiares aliquot Scripturarum locos fuſius & copioſius pertractavit: in Quaeſtionibus autem ſuper varias divinae Scripturae propoſitiones, adhibitis utrinque contrariis argumentationibus, pulcherrimas inſtituit diſputationes: in quibus magnopere laudantur quaeſtiones, De opificio ſeptem dierum: quas cum prius, ut Aegidius Romanus teſtatur, ſeparato volumine edidiſſet, poſtea in prima parte Summae ſuae decentiſſimo ordine collocavit.

DICITUR etiam ſcripſiſſe in Geneſim ſcholaſticam quandam Poſtillam; quae ſub nomine ejus inſcripta circunfertur: hanc tamen Antoninus, archiepiſcopus Florentinus, ipſius eſſe negat, affirmans editam ab altero quodam Thomae ejuſdem ordinis, viro quidem erudito ac pio, ſed neutiquam Thomae Aquinati ſtyli facilitate, ac ſenſus gravitate comparando.

COMPOSUIT quoque lucidiſſimos ac doctiſſimos, in totum librum Job, juxta literam, Commentarios; qui caeteris commentationibus, ab eo in vetus Teſtamentum editis, eruditione, ac germana, ſinceraque hiſtoriae explanatione

Digitized by Google

ne praeferuntur : horum initium est, *Sicut in rebus*.[7]

EDIDIT item in primam Psalmorum quinquagenam, hoc est, in unum & quinquaginta Psalmos, pios & eruditos Commentarios, juxta literalem & anagogicam intelligentiam, eodem interpretationis genere, quo in Commentariis libri Job usus fuerat: expositionem vero in reliquos Psalmos morte praeventus absolvere non potuit. Libri exordium est. *In omni opere suo, &c.*

SCRIPSIT & in Cantica Canticorum Postillam, quae incipit, *Sonet vox tua.*

FERTUR ad haec Postilla in Esaiam, cujus initium est, *Scribe visum, & explana, &c.* quam plerique ob eruditionis inopiam ipsius non esse arbitrantur. Lyranus ex ejus dictis a studioso quopiam asserit concinnatam.

EXTAT & in Jeremiam, & in Threnos, Postilla, cujus initium est, *Hic est fratrum amator, & populi*: quae, propter doctrinae sterilitatem, ejus esse non creditur.

Catenam Auream San. Thomae, adnotatis PP. locis, mire exornavit N. Johannes Nicolai, qui etiam marginales notas adposuit Sūmae Theologicae, scriptis in IV. Sententiar. & expositioni Epistolarum S. Pauli, easque certe commendandas.

COLLEGIT praeterea Urbani Papae Quarti jussu ex centonibus Latinorum Patrum, & ex rapsodiis Graecorum auctorum, quas Latine transferri curaverat, nobilissimum Opus explanationum in quatuor Evangelia; quod CONTINUUM IN QUATUOR EVANGELISTAS inscripsit, recentiores vero Catenam auream appellant: cujus initium est, *Sanctissimo ac beatissimo, &c.*

PRAETER haec asserit Tritemius scripsisse eum Lecturas scholasticas in quatuor Evangelia; ex quibus tantum vidi Lecturam in Matthaeum, quae incipit. *Matthaeus ex Judaea, &c.* & Lecturam in Joannem, quae incipit, *Vidi Dominum,*

AD HAEC edidit in omnes epistolas Pauli Lecturam, summa eruditione refertam; in qua caeteros scholasticos enarratores longo post se intervallo reliquit, ejus initium est, *Vas electionis.*

IN omnes catholicas epistolas lib. 7. *Jacobus &c.*

IN Apocalypsin volumen ingens, quod incipit, *Vox Domini, praeparantis cervos.*

IDEM, cum in coenobio Cistertiensi Fossae novae prope Amasenum, Campaniae fluvium, fracta ex continuis studiis stomachi virtute decumberet, rogatus a monachis, qui lectulo ejus assidebant, ut Canticum Salomonis ad imitationem sensus, ac Spiritus D. Bernardi, sed longe brevius explicaret; recusavit, inquiens: DATE mihi Spiritum Bernardi; & ego vobis expositionem, spirantem Bernardi Spiritum, exhibebo. Verum, cum illi adhuc enixius efflagitarent, ut saltem de proprio sensu brevem aliquam Canticorum explanationem depromeret; accersitis ad se nonnullis monachis, qui ex ore ejus verba describentes exciperent, exorsus est secundam in Cantica enarrationem, stylo & eruditione a priori in eundem librum expositione diversam, veluti tempus illud, & preces monachorum, & aegritudinis postulabat occasio, scribens, non quod ars, sed quod sincera pietas, & animus, jam jam ad futuram immortalitatem properans, eructavit. In hac igitur explanatione, cum usque ad sextum libri caput exponendo perveniisset, eaque verba ejusdem capitis, quae illi novissima fuerunt, vehementi Spiritus ardore, & summa vocis alacritate, erectis in coelum oculis, proferret, *Veni dilecte mi, egrediamur in hortum*, repente sanctissima ejus anima, de mortali corpore egressa, in hortum sempiternae felicitatis, ad dilectum suum, omnibus vitae diebus expetitum, & postremis vitae vocibus evocatum, feliciter abiit anno 48. aetatis suae, a Christi vero nativitate MCCLXXIIII. Reliquum vero expositionis usque in finem libri studiosus quidam adjecit. Operis exordium est, *Salomon inspiratus divino spiritu.*

S. Thomas annos natus L. nō XLVIII. dū jussu Gregorii X. ad Concilium Lugdunense pergeret Fossae novae obdormivit in Domino.

SCRIPSIT ejus vitam Graeco sermone Demetrius Cydonius, qui etiam Graece vertit ejusdem primam ac secundam partem Summae theologicae, & libros quatuor adversus gentes, qui nunc Venetiis in bibliotheca Marciana servantur.

Thomas Cistercienſis claruit circa An. 1201.

THOMAS, Cistertiensis monachus, eloquentiam D. Bernardi, & ejusdem in colligendis divinae scripturae floribus diligentiam affectans, scripsit ad Pontium, Claramontensem episcopum, commentariorum in Canticum Salomonis libros octo non aspernandos; quorum methodum ipse in praefatione totius Operis in hunc modum expressit; EGO cum Ruth Moabitide post Origenem, & alios

prae-

Digitized by Google

praefatos meſſores Gregorium, Bedam, & Bernardum ſpicas, id eſt ſententias, palea literae involutas, ſatago colligere: verum ſingulos verſiculos ab integumento paleae abſolvo brevi & compendioſa expoſitione, deinde enodatam ſententiam multiformi diſponens diſtinctione, poſtmodum, quaſi apis argumentoſa, percurrens floſculos ſcripturarum, quae expoſita ſunt & diſtincta, eorum roboro atteſtatione. Operis initium eſt, *Vehementer obſtupeſco, & ultra quam dici poteſt, admirari non deſino*. Aſcenſius excudit Pariſiis anno MDXXI.

THOMAS Haſſelbachius, Germanus, divinarum ſcripturarum ac ſaecularis philoſophiae peritiſſimus, ingenii acumine rarus, ſermone Scholaſticus, ſed nimis diffuſus & prolixus, & ob id reprehenſioni quorundam obnoxius, (nam, cum eſſet ordinarius ſacrae theologiae lector in gymnaſio Viennenſi, uno & viginti annis Eſaiam Prophetam publice enarrans, ad finem primi capitis non pervenit) fertur ſcripſiſſe tam prolixae enarrationis ſuae in primum caput Eſaiae Prophetae libros viginti quatuor anno Domini MCCCCX.

THOMAS Sperman, Anglus, ordinis Praedicatorum, ſcholaſtice epiſtolam ad Hebraeos & epiſtolam Jacobi expoſuit anno Domini MCCXC. (a)

THOMAS Valden, Carmelita, Anglus, qui primus contra Huſſitas, & Viclephitas erudita ac fortia emiſit volumina, ſcripſit in Pentateuchum ſcholaſticam Poſtillam. Thomas Valden floruit Ann. 1409.

THOMAS Vius, cardinalis titulo ſancti Xyſti, ordinis Praedicatorum, natione Italus, patria Cajetanus, ejuſdemque urbis epiſcopus, vir tam vitae ſanctimonia, quam ingenii praeſtantia illuſtris, ſubtiliſſimus dialecticus, admirabilis philoſophus, theologus incomparabilis, & inter eruditiſſimos doctiſſimi ſui ſeculi longe eruditiſſimus, anno trigeſimo aetatis ſuae propter ſingularem morum & doctrinae excellentiam trigeſimus octavus magiſter generalis ordinis ſui Romae electus eſt: & poſt aliquot annos in collegium cardinalium a Leone X. Pontifice aſſumptus, mox in Germaniam cum legationis munere miſſus ad compeſcendos prophanos rumores, quos Martinus Lutherus, Vitembergenſis, novus haereſiarcha, apud Germanos excitaverat: inde vero reverſus, iterum ab Hadriano Pontifice Maximo legatus in Pannoniam mittitur cum ingenti pecuniarum vi ad comparandas copias adverſus Solymanum, Turcarum Imperatorem, Pannoniam infeſtis armis invadere molientem: revocatus deinde a Clemente VII. Pontifice Maximo Romam rediit: ubi, capta incenſaque urbe a Caeſariano exercitu, perditiſſimorum latronum praeda factus, quinque millium aureorum precio ſe ab eorum manibus redemit: nec multo poſt cum Clemens, ſummus Pontifex, in graviſſimam & a medicis deploratam aegritudinem incidiſſet, ipſe quoque graviſſime aegrotare coepit, quaſi ſe imminenti pontificatus oneri ſurripere vellet, ad quod communi omnium expectatione votiſque vocabatur, ac morte ſua Pontificis mortem praevenit, felicem animam Deo reddens IIII. Idus Auguſti anno aetatis ſuae 66. a Chriſti vero nativitate MDXXXIIII. ſepultuſque eſt Romae in veſtibulo templi Minervae pro foribus, in ſepulchro humi effoſſo, quod vivens ſibi ipſe paraverat; cujus vitam proſa & carmine diſertiſſime ſcripſit Flavius Aquilanus, ejus a ſecretis familiaris.

HIC igitur in extrema ſenectute ſua, poſt innumeras lucubrationes in Ariſtotelis philoſophiam, & in omnem D. Thomae theologiam editas, totam veteris ac novi teſtamenti molem juxta literae ſenſum omnium difficillimum ex Hebraea & Graeca veritate nudo brevique ſermone expoſuit, exceptis Cantico Canticorum, & Prophetis, quos moriens inchoatos deſeruit, & Apocalypſin, quam de induſtria intactam reliquit, inquiens in ea exponenda non ingenio, ſed divinatione opus eſſe: in caeteros vero divinae ſcripturae libros abſolutos & integros reliquit commentarios: de quibus ego tantum ſubſcriptos legi:

In Pentateuchum Moyſi ad Clementem VII. libros 5. *Quotidianam de divinis.*

In omnes libros hiſtoricos, qui de Canone Hebraeorum ſunt, ad Clementem VII. lib. XI. videlicet

In Joſue librum unum. *Divo Hieronymo, Pater beatiſſime.*

In

(a) Thomas Sperman ex N. Leandro edidit etiam commentarios in Geneſim. Vide laudatum Echardum *Script. Ord. Tom. 1. fol. 511.*

Digitized by Google

In Judicum lib.1. *Tempus ſenum, qui noverant opera Dei.*
In Ruth lib.1. *In diebus &c.*
In Regum lib.4. *Et fuit vir &c. Titulus tam libri hujus.*
In Paralipomenon lib.2. *Circa titulum libri.*
In Eſdram lib.1. *Principium hoc expoſitum eſt.*
In Nehemiam lib.1. *Principium hujus libri teſtatur.*
In Job lib.1. *Quemadmodum quinque libros Moyſi.*
In Pſalterium ad Cle.VII.Pon.Max. li.1. *Divinorum Pſalmorum.*
In Proverbia lib.1. *Expoſitis omnibus privilegiis.*
In Eſaiam lib.1. *Viſio Eſaiae.*
In Matth. ad Clem.VII.Pont.Max. lib.1. *Romanae ruinae pars.*
In Marcum lib.1. *Finito Matthaeo.*
In Lucam lib.1. *Completo Marco.*
In Joannem lib.1 *Joannes ultimas Evangeliſta.*
In Actus Apoſtolorum lib.1. *Primus &c. Lucas Evangeliſta.*
In Epiſt. Pauli ad Carolum V. Aug. li.14. *Inter praeclariſſimas animi.*
In Epiſtolas Canonicas lib.7. *Non eſt uſquequaque certum.*
Ex variis novi Teſtamenti locis Jentaculorum lib.8. *Occurrunt in primis.*
In totum vetus Teſtamentum novam ex Hebraïco translationem.
In totum novum Teſtamentum emendationem juxta Graecorum codicum fidem.

SCRIPSIT Ambroſius Catharinus, archiepiſcopus Compſanus, ordinis Praedicatorum, tam adverſus praedicta ſcripturarum commentaria, quam adverſus caetera hujus viri opuſcula Annotationum, ſive Invectivarum libros ſex, valde acres; de quibus cuique ſuum liberum judicium relinquo. Antonius item Luſitanus a Fonſeca, ordinis Praedicatorum, Annotationes elucidatorias non omnino poenitendas commentariis ejuſdem cardinalis in Pentateuchum ſuperaddidit. (a)

TICHONIUS, natione Afer, cujus Auguſtinus in 2. libro Retractationum nonnullas expoſitiones expoſitionibus D. Cypriani praetulit, vir in divinis & humanis literis eruditus, adverſus Donatiſtas acerrime ſcripſit, cum eſſet ipſe in aliquibus dogmatibus Donatiſta: compoſuit autem iſagogicum volumen, REGULARUM praenotatum; in quo ſeptem myſticas regulas attulit, quaſi ſeptem claves, ad aperiendam, inveſtigandam & inveniendam occultam ſcripturarum intelligentiam valde utiles: quarum prima eſt De Domino & ejus corpore, ſecunda De Domini corpore bipartito, tertia De promiſſis & lege, ſeu De ſpiritu & litera, quarta, De ſpecie & genere, ſeu De toto & parte, quinta De temporibus, ſexta De recapitulatione, ſeptima De diabolo & ejus corpore. Has regulas D. Auguſtinus in tertio libro De doctrina Chriſtiana, Caſſiodorus in praefatione commentariorum in Pſalmos, & Iſidorus libro primo de ſummo bono, ſatis laudatas, multis verbis recenſent, ac examinant. Libri hujus initium eſt, *Neceſſarium duxi ante omnia*.

IDEM, ut Gennadius auctor eſt, expoſuit Apocalypſim Joannis ex integro, nihil in ea carnale, ſed totum intelligens ſpirituale: in qua expoſitione dixit angelicam ſtationem corpus eſſe: mille annorum quoque regni in terra juſtorum poſt reſurrectionem futuri ſuſpicionem abſtulit; neque duas in carne mortuorum reſurrectiones futuras, unam juſtorum, alteram injuſtorum, ſed unam, & ſemel omnium; in qua reſurgent etiam abortivi: Diſtinctionem autem duarum reſurrectionum ſic oſtendit, ut primam, quam juſtorum revelationem dixit, credamus modo in eccleſiae incremento agi, ubi juſtificati per fidem a morticiniis peccatorum ſuorum per baptiſmum ad vitae aeternae ſtipendium ſuſcitantur; ſecundam vero generaliter omnis hominum carnis. Hos commentarios Primaſius, Uticenſis epiſcopus, majori ex parte in explanationes a ſe in Apocalipſin editas transfudit:

(a) Thomas de Vio non quidem Anno aetatis ſuae XXX., ut Xyſtus ſcribit, fuit adſumtus ad totius Ordinis regimen, ſed longe poſt vel XXXVIII. aetatis ſuae anno, ut ſcribit N. Natalis *Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI.* vel potius, ut N. Echardus animadvertit, anno aetatis ſua XL. nimirum in Capitulo Generali Romae coacto Anno MDVIII. quod certe magis congruit bene libratis annis, quibus Philoſophicam, Theologicamque Cathedram in pluribus, iisque Celebrioribus Academiis fuit moderatus, quae omnia apud laudatum Echardum *Tom. Script. Ordin. fol.* 14. videre eſt.

Digitized by Google

dit: quos etiam Beda Venerabilis presbyter in tres libros coarctavit; in quorum praefatione sic de Tichonio scribit: TICHONIUS Apocalypsin sancti Joannis & vivaciter intellexit, & veridice, satisque catholice disseruit, praeter ea duntaxat loca, in quibus suae partis, id est Donatistarum schisma defendere nisus, persecutiones, quas ipsi a religiosissimo Valentiniano principe, videlicet ut haeretici pertulerunt, ecclesiis eorum, & plebibus, hominibusque, & possessionibus sub catholicorum manus contraditis, & sacerdotibus exilio retrusis deflet, & martyria vocans, has in eadem gloriatur Apocalypsi fuisse praedictas. Floruit Theodosio, & filiis ejus imperantibus anno Domini CCCXC.

TILMANNUS Aquensis, Germanus, Carmelita, cui praestans fuit ingenium, ac divinis humanisque literis excultum, lector academiae Colonienſis, scripsit in Evangelium Matthaei scholastica dictione librum unum anno Domini MCCCL.

TITUS, Bostrenae ecclesiae in Arabia episcopus, scripsit Graecos in Evangelia commentarios, quorum meminit in catalogo Tritemius. Claruit sub Juliano Principe: cujus edicto ex episcopatu suo depulsus, cum in exilium degeret, fortes adversus Manichaeos scripsit libros anno Domini CCCXL. (a)

TRIPHON, Origenis discipulus, tam ecclesiasticis, quam ethnicis doctrinis eruditus, scripsit in 15. Geneseos capitulum περὶ τῶν διοχοτομήτων, hoc est, De dimidiatis partibus vaccae, arietis, & caprae, quas Abraham una cum columba & turture obtulit Deo in sacrificium, librum unum; item De qualitate sacrificiorum, quae toto Levitici volumine continentur, lib. 1. Claruit anno Domini CCXXX.

TRIPHYLLIUS, Ledri, sive Leuteonis in Cypro episcopus, cum diu apud Berythum artibus, legibus, & eloquentiae dedisset operam, omnium aetatis suae eloquentissimus evasit, sed affectatione non caruit: unde cum aliquando multorum episcoporum hortatu ad populum verba faceret, dictumque illud enarraret Servatoris nostri ad paralyticum, *Tolle grabbatum tuum, & ambula*, offensus ruditate dictionis pro κραββάτῳ id est grabbato, κλινιδίου, id est lectulum dixit: quod molestе ferens Spiridion, Trimmythuntis Cypri episcopus, Non tu quidem, inquit, praestantior es eo, qui grabbatum dixit: qui igitur pudor iste est, verbis illius cum decore non velle uti? atque his dictis in conspectu omnium, episcopali sede exurgens, fastum & supercilium eorum, qui oratione affectata sese efferrent, objurgavit. Hic igitur inter alia, quae in sacras literas commentatus est, commentaria quoque edidit in Canticum Canticorum venustissima. Claruit sub Constantio Augusto anno Domini CCCL. Nicephorus lib. 8. cap. 42. (b)

TULLIUS Crispollus, Reatinus, vir admodum pius & eruditus, Matthaei Veronensis episcopi viri sanctitate praecipui alumnus, edidit Italica lingua tractatum De passione Domini ex quatuor Evangeliis, sensibus & stylo admirabilem; quem Joannes, Joannis Lusitaniae regis nepos, & Averiae dux, lectione ejus incensus, Latinitati donavit, stylum & mentem auctoris feliciter assecutus. Scripsit item Italico sermone commentarios in Matthaeum, summa laude & veneratione dignos; quos mihi in concilio Tridentino ostendit Aegidius Foscararius ex ordine Praedicatorum, Mutinensis episcopus, episcoporum omnium hujus temporis eruditissimus atque sanctissimus. Claruit anno Domini MDXL.

V

VERNERUS Lorevinch de Laër, natione Theutonicus, patria Vestaphalus, ordinis Cartusiensium, domus sanctae Barbarae in Colonia Agrippina, vir in divinis scripturis studiosissimus & valde eruditus, vita & conversatione devotus,

(a) Qui sub nomine Titi Bostrensis extant commentarii in Evangelium S. Lucae, Frontone Ducaeo interprete, hujusce Titi non sunt, sed alterius longe posterioris, cum in eisdem commentariis laudentur Patres ipso recentiores Nanzianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Isidorus Pelusiota, Clemens Alexandrinus, aliique. In Catena autem Graeca in Lucam, quam vulgavit Balthazar Corderius, extant plura Titi Bostrensis fragmenta ex aliis ejusdem operibus, quae non extant. Vide quae de eo habet Richardus Simonius *Hist. Crit. de Comment. Novi Testamenti cap.* 30.

(b) Guillelmus *Cave Hist. litt.* ad An. 340. ex Sozomeno *lib.* 1. *cap.* 11. Triphyllii acta commemorans adserit, quod ille in praefata lectione vice τῦ κραββατῦ quasi minus elegantis, substituit Σκίμποδα.

Digitized by Google

tus, edidit opus grande super omnes epistolas Pauli, quod praenotavit DOCTRINALE PAULI: cujus initium est, *Doctrina Pauli Apostoli*: item composuit De laudibus Pauli libros septem, quorum initium, *Sicut fuit cum Moyse, sic &c.* Claruit sub Maximiliano anno a partu Virginis quarto & nonagesimo supra millesimum & quadringentesimum.

VENANTIUS Honorius, Clementianus, Fortunatus, presbyter Italicus, scripsit in orationem Dominicam enarrationem brevem, piam, elegantem, & variis interpretationibus foecundam: ejus initium est, *Tantae pietatis profunda misericordia*. Claruit anno Domini DCC.

Victorinus, saltem in Graeciae cõfinio natus, Petavionensis in Pannonia superiore Episcopus.

VICTORINUS, Pitabionensis episcopus & martyr, divinorum voluminum fuit admodum studiosus: huic Hieronymus eruditionem tribuens, & eloquentiam adimens, in libro De viris illustribus inquit. VICTORINUS MARTYR, cum non aeque Latine, ut Graece, nosset, scripsit Latino sermone opera multa, grandia quidem in sensibus, sed compositione verborum viliora: & in epistola ad Paulinum idem repetens, ait: INCLYTO Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest: In epistola vero ad Magnum Oratorem eruditionem quoque ei detrahere videtur, inquiens: VICTORINO martyri licet in libris suis desit eruditio, non tamen deest eruditionis voluntas. Quae sane Hieronymi verba non de sacra, sed de prophana saecularium disciplinarum doctrina intelligenda sunt. Is igitur scripsit explanationes in Genesim, in Exodum, in Leviticum, in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Esaiam usque ad visionem quadrupedum in deserto, in Ezechielem, in Abacuch, in Matthaeum, & in Apocalypsin brevem commentarium annotationum per intervalla dispositarum; qui nunc typis excusus circumfertur cum hujusmodi Hieronymi praefatione.

HIERONYMUS ANATOLIO.

DIVERSOS marina discrimina transvadentes inveniunt casus: si turba ventorum fuerit vehementior, formido est: si terga jacentis elementi moderatior crispaverit aura, pertimescunt insidias: ita mihi in hoc videtur, quod misisti, volumine, quod in Apocalypsin explanationem videtur continere Victorini, & est periculosum, & obtrectatorum latratibus patens, de egregii viri opusculis judicare: nam & anterior Papias Hierapolites episcopus, & Nepos in Aegypti partibus episcopus de mille annorum regno ita, ut Victorinus, senserunt: at, quia me literis obtestatus es, nolui differre: sed, ne spernerem precantem, Majorum statim libros revolvi; &, quod in eorum commentariis reperi, Victorini opusculis sociavi: ab jota inde, quae ipse secundum literam senserit, a principio libri ad signum crucis, quae ab imperitis erant vitiata scriptoribus, correximus; exinde usque ad finem voluminis addita esse cognosce. Jam tuum est discernere, &, quid tibi placeat, comprobare. Si vita nobis comes fuerit, & Dominus sanitatem dederit: tibi nostrum in hoc volumine potissimum sudabit ingenium, Anatoli charissime.

GELASIUS Papa dist. 15. Victorini scripta inter Apocrypha rejicit. Claruit sub Valeriano & Galieno Imperatoribus anno Domini CCLXX.

VICTORINUS Massiliensis, rhetor, ad filii sui Etherii personam commentatus est continuata expositionis serie quinque & viginti priora capita libri Geneseos, id est a principio libri usque ad obitum Abrahae patriarchae, pio quidem sensu: sed utpote saeculari literatura homo occupatus, & nullius magisterio in divinis scripturis exercitatus, levioris ponderis sententias, ut inquit Gennadius, figuravit. Moritur Theodosio & Valentiniano regnantibus, anno Domini nostri Jesu Christi CCCCXXX.

VILLERAMUS, natione Germanus, professione monachus sancti Benedicti, abbas Marspurgensis, vir elegantis ingenii & eruditionis, carmine non minus valens, quam soluta oratione, edidit in Cantica Canticorum ex diversi generis carminibus prosa intermistis commentariorum libros tres, jocunda varietate compositos, & ad imitationem librorum Marciani Capellae De nuptiis Philologiae, & Mercurii concinnatos: quos EPITHALAMION DE NUPTIIS CHRISTI ET ECCLESIAE attitulavit: eorum initium est, *Cum majorum studia*. Claruit sub Henrico tertio anno Domini MLXX.

VIN-

Digitized by Google

VINCENTIUS Presbyter, natione Gallus, linguam habens usu loquendi & Majorum lectione politam, commentatus est primos aliquot psalmos, ex quibus nonnullos legit Sancto homini Dei Cannati, audiente Gennadio, Massilienſis ecclesiae praesbytero, promittens simul, si Dominus ei vitam & vires daret, se in toto Psalterio eodem stylo laboraturum. Claruit sub Martiano Imperatore anno Domini CCCCL.

VINCENTIUS, Belluacensis episcopus, natione Burgundus, ex ordine Praedicatorum, inexplebili discendi, docendi, legendi, scribendique ardore captus, & nullis unquam studiorum laboribus ac vigiliis fessus, cum omnes omnium pene gentium libros longo tempore, & assidua diligentia revolvisset, hortatu amicorum, & sumptibus Philippi Valesii Gallorum regis adjutus collegit ex dictis innumerabilium auctorum tam Christianorum, quam Gentilium in Hexaëmeron volumen ingens, triginta duobus magnis libris divisum; quod idcirco SPECULUM NATURALE inscripsit, quia in hoc uno complexus esset quicquid speculatione, admiratione, & imitatione dignum inveniri potest in his, quae in mundo visibili & invisibili ab initio usque ad finem facta, vel dicta sunt, sive etiam adhuc futura sunt, annotatis intra ipsas contextus lineas singulorum auctorum nominibus, ex quorum scriptis hoc Opus consarcinavit. Summa autem librorum praesentis voluminis haec est, videlicet.

DE PRIMA mundi creatione, hoc est De creatore, & de his, quae ab eo ante omnem diem creata sunt, lib. 1. qui incipit, *Quoniam multitudo librorum*.

DE opere primae diei	lib. 1.
DE opere secundae diei	lib. 2.
DE opere tertiae diei	lib. 10.
DE opere quartae diei	lib. 1.
DE opere quintae diei	lib. 2.
DE opere sextae diei	lib. 11.

DE opere septimae diei, quae Deus, postquam requievit die septimo, operatur usque modo lib. 4.

CLARUIT sub Friderico Imperatore secundo, anno Domini MCCXL. (a)

VINCENTIUS Valentinus, ex ordine Praedicatorum, declamator suo tempore omnium celeberrimus, scripsit in lectiones Evangelicas, quae per singulos anni dies in ecclesia leguntur, sermonum Tomos tres, qui inter Sermonarios scholasticos primas habent. Claruit in concilio Constantiensi, mortuusque est anno Domini MCCCCXX. & a Callisto Pontifice ejus nominis tertio inter divos relatus. S. Vincentius Ferrerius, Hispanus, patria Valentinus, SS. fastis adscriptus fuit An. 1456.

(a) Multifariam de N. Vincentio loquuti sunt Scriptores posterioris aetatis dum ejus patriam distinxerunt. N.S. Antoninus *III. P. Tit. de claris Ord. Praedicatorum viris* sic de eo loquitur: „ Frater „ Vincentius Belvacensis, Burgundus, atque Gallus. „ Quidve voluerit indigitare dum eum simul e Picardia, & Burgundia facit, prorsus ignotum: scio tamen, quod ex ejus loquendi modo diversimode senserint ceteri Scriptores, qui post S. Archiepiscopum floruerunt. NN. uterque Senensis Xystus, & Antonius, Leander, & Altamura, quibus ex exteris consentiunt Volaterranus, Miraeus, Possevinus, & Vossius, Vincentium natione Gallum adserunt, Burgundiae natum, sed Bellovacensem Episcopum. Alii Burgundiae itidem natum illum adserunt, sed ex eo Bellovacensem dictum adfirmarunt, quia apud Bellovacos suos protraxit lares, quare ex diutina habitatione Bellovacensis fuit dictus qui Gallus origine erat. Sic enim scripserunt Labbeus, Boulaeus, Cavius, Dupinius, &c. Tandem alii Burgundum cognomine dixerunt ex gentilitia *Burgundia* familia apud Bellovacos tunc celebri, quod est prorsus divinare. Natione igitur Bellovacensem fuisse Vincentium tradunt Authores omnes coaevi, & suppares, Martinus Polonus, Tholomaeus de Luca, Bernardus Guidonis, & alii. Bellovacensem se ipsum nominat Vincentius & *in epistola consolatoria ad S. Ludovicum Regem Francorum super morte primogeniti*, & in opusculo *de Regalium puerorum institutione ad Margaritam Reginam* S. Ludovici conjugem, in quibus ita subscribit: *F. Vincentius Belvacensis*, & quidem juxta morem consuetum ne dum religione obstrictus, sed etiam secularibus XIII. Seculi, praesertim Parisiensibus Theologis, qui reticentes propriae familiae cognomen patriam nomini adpingere consueverunt: ut videre est in Petro de Lemovicis, Henrico de Gandavo, Guillelmo Parisiense, Aegidio Romano, aliisque innumeris. Quod autem N. Xystus, aliique tradiderunt de N. Vincentii Episcopali Belvacensi dignitate procul abit a vero: cum quia nullum de eo extat monumentum in Bellovacensi Ecclesia, tum etiam quia apud Veteres Scriptores, qui de eo scripserunt, altum extat de hisce infulis silentium. Virum literis inlustrem regiorum puerorum Praeceptorem &c. adstruunt, nunquam vero alicujus Ecclesiae Pastorem. Videsis praesertim utrumque N. Jacobum Quetif, & Echard. *T. I. Script. Ord. fol.* 125. & quae de 1. 2. & 2. 2. S. Thomae perperam Launojus scribit N. Vincentio adjudicans, consule apud eundem Echardum *Summa S. Thomae Vindicata*, ubi cavillos Launoii enervat, & de Bellovacensis operibus refertum adcuratumque criterium exhibet.

Digitized by Google

Vitalis a Fur. no lato functus An. 1327. scripsit etiam Speculum morale totius S. Scripturae, Commentarios in Proverbia Salomonis, & IV. Evangelia.

VITALIS, ex ordine Minorum, S. Romanae ecclesiae cardinalis, Postillam fecit in Apocalypsin, quae incipit, *Spiritu magno viait ultima*: habetur Bononiae in bibliotheca Praedicatorum manu scripta.

UMBERTUS, Carnotensis episcopus, scripsit in illud Gen. 49. Non auferetur sceptrum de Juda, adversus Judaeos librum unum anno Domini MC.

VULPHILAS Gothus, Gothorum episcopus, cujus Socrates in historia ecclesiastica meminit, primus Gothorum literas adinvenit, primusque illis omnes divinas scripturas e Graeco in Gothicam linguam a se conversas tradidit, & catholice explicavit, diu multumque adversus Arrianos decertans: scribit tamen Theodoretus eum, minis & pollicitationibus Eudoxii Arriani permotum, denique ad partes Valentis Augusti, Arriana peste laborantis, declinasse. Claruit anno Domini CCCLXX.

Z

ZACHARIAS, Chrysopoleos episcopus, vir suo tempore celeberrimus, quatuor Evangelia, in unum continuum corpus ab Ammonio Alexandrino redacta, quatuor commentariorum libris explicavit; quos ex sententiis Patrum in unam catenam contextis pulchro artificio coaptavit. Operis initium est, *De excellentia Evangelii, & differentia ejus ad legem &c.* Claruit anno a partu Beatissimae Virginis millesimo ac centesimo.

Zacharias Hierocaesar. in II. Nicaen. Synod. Ann. 787. clarus.

ZACHARIAS, Hierocaesareae episcopus, in secunda Nicaena Synodo clarus, scripsit Graeco sermone Dialogum continuatae narrationis, statuam auream ex secundo capite Danielis explicantem, cui titulus est ΧΡΥΣΕΙΚΩΝ, hoc est AUREA HOMINIS STATUA.

ZENO, Veronae episcopus, & martyr, scripsisse dicitur sermones plurimos in varios divinae scripturae locos; pro quibus Guarinus Veronensis, orator, centum ab hinc annis volumen sermonum diversi generis emisit in lucem: in quo sermones, ad expositionem sacrarum literarum spectantes, habentur hujusmodi:

In principium Geneseos	sermones duo.
In Gen. 12. De Abraham	sermo 1.
In Gen. 28. De somnio Jacob	sermo 1.
In Gen. 38. De Juda & Thamar	sermo 1.
In Exodum	sermones 5.
In Deut. 15. super, Attende tibi,	sermo 1.
De Job	sermo 1.
In principium Psalmi 79.	sermo 1.
In versiculum Psalmi 100.	sermo 1.
In Psalmum 126.	sermo 1.
In Psalmum 127.	sermo 1.
In Psalmum 128.	sermo 1.
In Psalmum 129.	sermo 1.
In Psalmum 139.	sermo 1.
In Esaiam	sermones 4.
In Danielem	sermo 1.
De tribus pueris	sermo 1.
De Susanna	sermo 1.
De Jona	sermo 1.
In Lucae caput 12. De divite, agrum uberem habente,	sermo 1.
In Joan. 11. De Lazaro	sermo 1.
In 1. Cor. 15. super illud, Primus homo de terra terrenus, De corpore & spiritu	sermo 1.

Constat hos sermones majori ex parte collectos esse ex diversis auctoribus, qui ducentis pene annis fuerunt Zenone posteriores: nam sermones, qui Psalmos, a nobis enumeratos, exponunt, descripti sunt ex commentariis Hilarii, ne verbo quidem immutato: sermo in illud, Attende tibi, una cum alia concione De livore & invidia, quae in eodem volumine hunc subsequitur, divi Basilii est: caeteri vero sermones, sive magis fragmenta sermonum, ob styli diversitatem, varios arguunt auctores: sed & auctor sermonis De continentia, qui hoc opere continetur,

Digitized by Google

tur, affirmat se a Christi ortu abfuisse annis quadringentis, & eo amplius. At Petrus, Equilinus episcopus, scribit Zenonem sub Gallieno Imperatore vixisse, ejusdemque filiam, desperato morbo oppressam, divinitus curasse, anno scilicet redempti orbis CCLX.

Catalogus Expositorum Hebraeorum, seu Rabbinorum, qui Judaica lingua, & juxta Hebraicas traditiones divinas literas expositerunt.

PIUS V. PONT. MAXIMUS, cum ante pontificatum, ei divinitus collatum, amplissimo ac sacro totius Christianae Inquisitionis Senatui praeesset, anno videlicet humanae salutis MDLIX. misit me Cremonam ad abolendos Thalmudicos Hebraeorum libros impiae ac prodigiosae doctrinae, quos Judaei ex omni ferme Italia in eam urbem, tanquam in commune Judaicae nationis asylum, convexerant: cum igitur ea de causa coepissem diligenter evolvere universas ipsorum bibliothecas, & typographicas officinas, omnium, quae tum in Italia erant, copiosissimas, reperi infinitum numerum Hebraicorum voluminum, inter alia vero, infrascripta Hebraeorum expositorum in divinas scripturas commentaria: quorum cum aliquam mentionem apud nostros explanatores, praecipue scholasticos, prius inveniissem, libuit eorum nomina summatim colligere, & hic collecta in calce hujus libri appendicis loco subnectere: sunt autem haec.

ABRAHAM, Esdrae filius, quem Hebraei Aben Ezra cognomine Sapientem vocant, natione Hispanus, grammaticus, philosophus, astrologus, & theologus magnus, scripsit in totum vetus testamentum libros viginti quatuor: nos tantum vidimus commentaria in Mosem, & Prophetas, impressa Venetiis apud Bambergum. Moritur in insula Rhodo, ubi celebris vixerat, anno M.CCXVII.

ABRAHAM Hispanus scripsit in Pentateuchum expositionem, quam vocavit FASCICULUM MYRRHAE.

ABRAHAM Parizol explanationes emisit in Job.

ABRAHAM Sava composuit commentum in Pentateuchum, quod ZEROR AMOR appellatur.

ACHAI GOON, pervetustus interpres, in totum Mosen commentum fecit, quod SEELTHOT, id est Quaesita, dicitur.

AMMAI explanationem scripsit in Psalmum decimum nonum, cui titulum fecit, DE RECONDITIS PSALMI XIX.

BACAIAI composuit commentarium magnum in Pentateuchum, quod nuper Justinianus Venetiis excusit: scripsit & in quinque volumina quae Hebraei vocant Chames Meghiloth, id est in Ruth, Esther, Ecclesiasten, Canticum, & Threnos.

BERESCITH Rabba, seu Raboth, est commentarius in Pentateuchum, continens farraginem Hebraïcarum explanationum.

BARUCHIAS, quem, ut Hieronymus in commentariis Ecclesiastis testis est, maxime admirantur Judaei, scripsit in Ecclesiasten explanationes laudatissimas.

CHISCHIA edidit explanationem in quinque libros Mosis, quae CHIZCONI, id est Chischionica, nuncupatur.

CHAUBENAKI fictum est vocabulum, sonans Modium purae farinae: sic Rabbi quidam innominatus, commentaria sua in Proverbia Salomonis inscripsit.

DAVID Kimchi, filius Rabbi Joseph Kimchi, scripsit in Psalmos, & in omnes Prophetas succincta juxta literam commentaria; ex quibus nuper Thomas Rhetus, Anglus, transtulit Latine expositiones in Aggaeum, Zachariam, & Malachiam; Pellicanus vero & Paulus Fagius, haeretici, explanationes in Psalmos: collegit etiam Sciarascim, hoc est Lexicon, sive Dictionarium radicum, seu vocum linguae sanctae, ex diversis Rabbinis consarcinatum. Floruit circa annum salutis nostrae M.CCCLXXX.

HUILLUS Patriarcha scripsit in Psalmos, & in Esaiam commentationes: quarum meminit Origenes, illi contemporaneus, in expositione Psalmi 80. & in Esaiam Tom. 30. iisdem in locis ejusdem laudans explanationes.

Digitized by Google

JACOB Minor Prologum magnum edidit in libros Moſis.

JEUDA ſcripſit in totum Moſen commentarium, MINCHATH JEUDA appellatum.

JOSEPH Caecus, qui ferme annis trecentis floruit poſt ſecundam templi deſtructionem, ut in Octaplo ſuo teſtatur Auguſtinus Nebienſis epiſcopus, edidit translationem Chaldaïcam in Pſalmos.

JOSEPH Kimchi, pater David Kimchi, ſcripſit Commentaria in Pentateuchum, in Pſalmos, & omnes Prophetas; quae inter caeteros libros, ad nos allatos, in membranis conſcripta invenimus. Claruit circa annum Domini MCCCL.

ISAAC Harmaa ſcripſit Commentarios in Pentateuchum, qui inſcribuntur HEKEDATH ISCHAC, id eſt, Sacrificium Iſaach. Scripſit item in Chames Meghiloth, id eſt, in quinque volumina, Ruth, Eſther, Eccleſiaſten, Canticum, & Lamentationes, Commentaria.

ISAAC Ben Schola, collegit explanationem in Pſalmos, ex qua Auguſtinus Nebienſis multa tranſtulit in Octaplo Pſalmorum.

ISAAC Karo, Syrus, collegit Commentariolum in Pentateuchum, qui a Judaeis vocatur THULDOTH ISCHAC, id eſt, Generatio Iſaach, anno Do. MDL.

ISAAC Nathan ſcripſit Concordantias Bibliae, ad ſimilitudinem concordantiarum Latinarum, quas Hugo Carenſis in Biblia edidit. Hae ab Hebraeis vocantur JAIR NATHIB, hoc eſt, Illuminans iter.

ISMAEL ſcripſit in partem poſteriorem Exodi Commentarium, qui dicitur MECHILTA.

LEVI Ben Gerſon, Rabbinorum ultimus, ſcripſit Commentarios in Pentateuchum, in Joſue, Judicum, Samuel, Regum, Pſalmos, Proverbia, Job, Prophetas, & libros Hiſtoricos omnes: quos excudit Daniel Bambergus Venetiis.

MANAHEM a Rechanate edidit Commentarios in Pentateuchum, ZIONI praenotatos: quorum cum mille fere exemplaria, innumeris Thalmudiſtarum impietatibus referta, ad nos fuiſſent perlata, mandante Sacro Romanae Inquiſitionis Senatu, una cum aliis decem millibus Thalmudicorum ſcriptorum voluminibus exuſta fuerunt.

MASSORETH, id eſt, Traditiones, & correctiones Bibliae, opus eſt, diverſorum Rabbinorum caſtigationes in Biblia continens.

MIDRAS Theillim eſt nomen Commentarii, quod complectitur Rapſodias explanationum diverſorum Rabbinorum in Pſalmos: ex hoc Auguſtinus, Nebienſis epiſcopus, ſcholia in Octaplum Pſalmorum collegit.

MOSES Aegyptius, filius Maimoni, ſcripſit doctiſſimum Opus, quod MORE HANEUCHIM, hoc eſt, Ducem errantium, inſcripſit; in quo plurima divinae Scripturae loca diligenter expoſuit. Ex hoc Opere, tam divus Thomas, quam caeteri theologi ſcholaſtici varia teſtimonia ad enarrationem ſex dierum producunt. Claruit circa annum Domini milleſimum. De hoc apud Hebraeos celebratiſſimum fertur elogium, quod A MOSE USQUE AD MOSEM NON SURREXIT ALTER MOSES, SICUT ISTE: hoc eſt, quod a Moſe legislatore uſque ad Moſem Aegyptium non fuerit ullus huic Moſi eruditione conferendus. Hunc Judaei RAMBAM, hoc eſt, Rabbi Moſem, Ben Maimoni vocant, nomen ipſius, ac dignitatis ipſius, & patris ipſius unico vocabulo, ex quatuor capitalibus earundem appellationum literis compoſito, perſtringentes; quod & in pleriſque aliis Rabbinorum titulis facere ſolent.

MOSES Gerundenſis Ben Nehemam, ſcripſit in Pentateuchum, & in Job Commentaria erudita: huic Judaei inter Kabaliſtas ultimi temporis primas tribuunt.

MOSES Hadarſan edidit Commentaria in Geneſim, & in Pſalmos; quorum centones adducit Nebienſis epiſcopus in Octaplo Pſalmorum.

PESIKTHA, hoc eſt, Determinatio, nomen pervetuſti Commentarii eſt, ignotum habentis auctorem: quod tres poſteriores libros Moſis exponit.

SAADIAS Ben Gion, ſcripſit Commentarios in Danielem, a Bambergo excuſos Venetiis.

SALOMON Jarchi, Gallus, quem Judaei, compoſito ex initialibus literis nomi-

Digitized by Google

nomine, Raſci vocant, Iſaac filius, inter recentiores primus, ſcripſit Commentarios in totam Bibliam: eſtque apud ſuos vir magnae auctoritatis: citatur hic aliquando a noſtris ſcholaſticis explanatoribus, praecipue vero apud Lyranum. Claruit circa annum Domini milleſimum.

SIRHASIRIM Pirus, hoc eſt, Cantici Canticorum, explanatio ab incerto auctore collecta.

SIFRA, id eſt, Liber, nomen eſt vetuſti Commentarii ſuper Leviticum, cujus auctor ignoratur; quem vulgus Judaeorum appellat THORATH COENIM, hoc eſt, Lex ſacerdotalis.

SIFRI nomen antiqui commenti eſt ſuper poſteriorem partem libri Numerorum, & totum Deuteronomion; cujus auctor per excellentiam RAB, id eſt, Magiſter appellatur.

SIMEON, filius Jochay, inter Judaeos expoſitores vetuſtiſſimus, ſcripſit ante Chriſtum natum volumen ingens in Pentateuchum, ZOAR nuncupatum; cujus duo millia exemplaria in officina Typographica Cremonenſi excuſa invenimus, & jam ab Hiſpanis militibus incendio deſtinata ſervavimus.

SIMEON Ben Joachim, ſuper Leviticum ampliſſimum volumen ſcripſit; in quo pene omnium rerum naturas diſcutiens oſtendit, quomodo Moſes ſecundum triplicis mundi convenientiam, & rerum naturam, arcam, tabernaculum, vaſa, veſtes, ritus, ſacrificia, & reliqua myſteria ad Deum, & virtutes coeleſtes placandas, & ad expiandum hominem horum imaginem ordinavit: idem compoſuit in omnes viginti quatuor veteris inſtrumenti libros Jalcut, id eſt, Collectanea, quae SIMONI, hoc eſt, Simonica, inſcribuntur.

THARGUM, id eſt, Translatio, & Paraphraſis, praeſertim de lingua Hebraïca in Chaldaïcam, magnae apud Hebraeos auctoritatis eſt: Judaei enim ex captivitate Babylonica, in qua linguae Sanctae obliti fuerant, redeuntes, alienam linguam in Palaeſtinam reportarunt, nempe Chaldaïcam, ſive Syriacam, quam didicerant in Chaldaea: eaque uſi ſunt in terra ſua, etiam tempore Chriſti, atque in eam tranſtulerunt legem Moſaïcam, Prophetas priores & poſteriores. Auctores interpretationis hujus fuerunt Onkelos, qui Pentateuchum vertit; Jonathan, qui & Legem, & Prophetas tranſtulit; Rabbi Joſeph, qui vertit Pſalterium, Proverbia, Job, Eccleſiaſten, Cantica, Ruth, Eſther, &c. Hanc Franciſcus Xymenius, Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinalis, affirmat eſſe in Pentateucho ſinceram ac fidelem, in caeteris vero divinae Scripturae voluminibus nugacem.

Catalogus Expoſitorum Sanctae Scripturae, juxta ordinem voluminum utriuſque Teſtamenti digeſtus; in quo enumerantur explanatores, qui vel in omnes, vel in aliquot, vel in ſingulos Bibliorum libros ſcripſerunt.

Eorum, qui in vetus Teſtamentum ſcripſerunt, Catalogus.

Aquila
Euſebius Caeſarienſis
Heſychius Monachus
Joſephus Jeroſolym.
Juſtus Tyberinus
Lucianus
Matthaeus Doringus
Paulus Burgenſis
Patrophilus
Septuaginta duo Interpr.
Sophronius.
Symmachus
Theodotion.

Eorum, qui in utrumque Teſtamentum ſcripſerunt, Catalogus.

Albertus Magnus
Alexander Hales
Apollinarius Junior
Anſelmus Laudunenſis
Auguſtinus Nebienſis
Aurelius Auguſtinus
Barptolemaeus Urbinas
Beda
Dionyſius Cartuſianus
Franciſcus Georgius
Franciſcus Xymenius
Godelbertus
Godefridus Tilmannus
Godefridus Viterbienſis
Haymo
Hieronymus
Hugo Carenſis
Hugo Victorinus
Jacobus Genuae Archiep.
Joannes Chryſoſtomus
Iſidorus Junior Cordub.
Iſidorus Peluſiota
Nicolaus Gorran
Nicolaus Lyranus
Nicolaus Zicenius
Origenes
Paterius
Petrus Bruneacellus
Petrus Bercorius
Petrus Cantor
Petrus Comeſtor
Petrus Paludanus
Petrus Riga

Pon-

Digitized by Google

Pontius Carbonellus
Rabanus
Richardus Victorinus
Rupertus Tuitiensis
Sanctes Pagninus
Seraphinus Cumiranus
Strabo
Thomas Cajetanus.

In Octateuchum, id est, Octoprimos sanctae Scripturae libros, ab initio videlicet Geneseos usque ad Paralipomenon scripserunt

Alfonsus Tostatus
Claudius Monachus
Gregorius Papa
Jacobus Martinus
Oecumenius
Philo Judaeus
Procopius Gazaeus
Stephanus Anglicus
Theodoretus.

In Pentateuchum, id est, in quinque libros Moysis, scripserunt

Alanus Insulensis
Albertus Patavinus
Aristobulus Antiquior
Aristobulus Junior
Augustinus Steuchus
Benedictus Stendal
Bruno Archiep. Colonienf.
Cyrillus
Diodorus
Erardus
Eucherius
Franciscus Vatablus
Hieronymus ab Oleastro
Hugo Victorinus
Jacobus Lusanus
Joannes Zacharias
Matthaeus Ebroicensis
Paulus Ricius
Remigius.

IN GENESIM SCRIPSERUNT

Aegidius
Albinus
Aloysius Lyppomanus
Ambrosius Compsae
Ambrosius Mediolanen.
Anastasius Junior
Andreas Bilius
Anselmus Cantuarien.
Antonius Honcala
Apion
Avitus
Aurelius Prudentius
Bruno Ruthenus
Candidus
Clemens Alexandrinus
Dracontius
Eccardus
Eucherius
Eusebius Caesarienfis
Eusebius Emesenus
Gennadius Constantinopolitanus
Gregorius Nyssae
Guillelmus Hamerus
Guillelmus Parisienf.
Guillelmus Pepin.
Henricus Hassius
Henricus Langenstein.
Hermannus Schildius
Hieronymus Fracastorius
Hieronymus Savonarola
Hilarius Arelatensis
Hippolytus
Honorius Augustudonensis
Joannes Buteo
Joannes Duns
Joannes Picus
Isota Nogarola
Junilius
Ludovicus Junior
Melito
Methodius
Nicolaus Cusanus
Nicolaus Trivet
Novatianus
Paulinus Nolae
Petrus Aliacus
Remigius
Richardus Victorinus
Robertus Roseus
Rodon
Rufinus
Salvianus
Severianus
Sixtus
Strabo Antiquior
Tertullianus
Thomas Aquinas
Thomas Sperman
Thomas Valden
Victorinus Massilienfis
Victorinus Pitabionenfis
Vincentius Belluacenfis
Umbertus Carnotenfis.

IN EXODUM.

Aloysius Lyppom.
Ambrosius Mediol.
Avitus
Bonaventura
Eccardus
Ezechiel
Gregorius Nyssae
Guillelmus Pepin.
Gymnasius
Henricus Consueldius
Henricus Hassius
Hieronymus Savonarola
Hippolytus
Joannes Gavver
Joannes Rusbrochius
Maximus Monachus
Niceas
Nicolaus Alfentius
Nicolaus Dinceſpulus
Robertus Roseus
Tertullianus
Thomas Valden
Victorinus Pitabion.

IN LEVITICUM.

Hesychius presbyter
Joannes Nider
Nicolaus Trivet.
Rodulfus Flaviacensis
Robertus Roseus
Thomas Valden
Triphon
Victorinus Pitabionensis.

IN NUMERI.

Ambrosius Mediolensis
Hippolytus
Triphon.

IN REGUM LIBROS.

Ambrosius Mediolan.
Andreas Gallus
Angelomus Monachus
Aurelius Augustinus
Bernardus
Cornelius Magnanus
Diodorus
Eucherius
Gregorius Papa
Hegesippus
Hippolytus
Joannes Agen
Isidorus Corduben. Senior
Methodius
Nicolaus Chenton
Procopius
Theodorus Ancyrae.

IN ESDRAM.

Joannes Ferus
Junilius.

IN TOBIAM.

Ambrosius Mediolan.

Fri-

Digitized by Google

Fridericus Nauſea
Joannes Hofmeiſter
Mathias Vindonice
Richardus Lavinan.

IN JUDITH.

Cornelius Magnanus.

IN JOB.

Ambroſius Alexander
Ambroſius Mediolan.
Catena Graeca
Conradus Halberſtad.
Cyprianus a Monte Martyr.
Didymus
Franciſcus Titelmannus
Gregorius Papa
Hieronymus Savonarola
Hilarius Pictavienſis
Joannes Francfortius
Odo
Olympiodorus
Philippus Monachus
Polychronius
Richardus Ampolus
Simon Affligemenſis
Thomas Aquinas.

IN PSALTERIUM.

Agathius
Albinus
Alexander Capgrave
Alexander Ceſtrienſis
Alfonſus Caſtrenſis
Ambroſius Amsbertus
Ambroſius Mediolanenſis
Anaſtaſius Antiochenus
Angelus Sangrinus
Anſelmus Lucenſis
Anſelmus Mantuae
Apollinarius
Aribo
Armandus
Arnobius
Aſterius
Athanaſius
Auguſtinus Steuchus
Aurelius Caſſiodorus
Baſilius
Bernardus
Bonaventura Cardinalis
Bruno Cartuſianus
Bruno Herbipolenſis
Carolus Bonillus
Catena in Pſalmos Graeca
Chriſtianus Iſchyrius
Chriſtophorus Marcellus
Columbanus
Cornelius Bitontinus
Coſmus Indicopleſius
Didymus
Diodorus
Eynardus
Epiphanius Scholaſticus
Euſebius Caeſarienſis
Euſebius Vercellenſis
Euſtachius Antioch.
Euthymius
Foelix
Franciſcus Miletus
Franciſcus Ortiſius
Franciſcus Pantiſcotius
Franciſcus Petrarcha
Franciſcus Puteanus
Franciſcus Titelmannus
Franciſcus Viſdominus
Franciſcus Zamorenſis
Fridericus Nauſea
Gabriel Brebia
Galterus Diſſeus
Galterus Magonenſis
Georgius Vicellius
Germanus Conſtantinop.
Gilbertus Porretanus
Gregorius Papa
Gregorius Nyſſae
Guillelmus Alvernas
Guillelmus Gregorius
Guillelmus Irſaugienſis
Guillelmus Pepin.
Guillelmus Vellius
Hadrianus Lametius
Henricus Logen
Hieronymus Savonarola
Hieronymus Varlenius
Hilarius Pictavienſis
Hippolytus
Honorius
Jacobus Furnius
Jacobus Paniſcotius
Jacobus Perez Valentinus
Jacobus Sadoletus
Janus Vitalis
Innocentius Papa III.
Innocentius Papa V.
Joannes Arundineus
Joannes Baptiſta Folengus
Joannes Dominici
Joannes Ferus
Joannes Franciſcus
Joannes Gagneus
Joannes Gerſon
Joannes Ludovicus
Joannes Meclinius
Joannes Neovillanus
Joannes Picus
Joannes Roffenſis
Joannes Turrecremata
Jovita Rapicius
Lanfrancus
Leander
Lecbertus
Lodulphus Cartuſianus
Ludovicus Pictorius
Mapheus
Matthaeus Aulae regiae
Matthaeus Bredembachius
Michaël Angrianus
Nicolaus Dinceſpulus
Nicolaus Gorranus
Nicolaus Herbron
Nicolaus Trivet
Ninianus
Nonius Marcellus
Othfridus
Othomarus
Paulus Ricius
Peregrinus
Petrus Aliacus
Petrus Edeſſae
Petrus Herentlaſius
Petrus Lombardus
Petrus Perpinianus
Petrus Rufus
Philippus Cancellarius
Placidus Parmenſis
Proſper
Rainerius
Remigius
Richardus Exceſtrienſis
Richardus Pampolitanus
Robertus Linconienſis
Rodulphus Agricola
Serapion
Sixtus
Smaragdus
Theodoricus Herxenius
Theodorus Antiochiae
Theodorus Heracleotes
Theodoretus
Thomas Aquinas
Thomas Gualenſis
Vincentius Lirinenſis.

IN PROVERBIA.

Alexander Necan
Alvarus
Ambroſius Mediol.
Baſilius
Evagrius
Euſtachius Antioch.
Gilbertus Pariſienſis
Gregorius Olympiades
Gregorius Papa
Guillelmus Alvernas

Hen-

Digitized by Google

Henricus Haſſius
Hippolytus
Joannes Arboreus
Petrus Brunaquellus
Petrus Gottifredus
Rodulphus Baynus
Salonius
Theophilus Antiochiae
Thomas Gualenſis.

IN ECCLESIASTEN.

Acacius
Albinus
Alexander Necan
Dionyſius Alexandrinus
Garicus Pariſienſis
Gerardus Moringus
Gregorius Neocaeſarienſis
Guillelmus Alconas
Hippolytus
Joannes Arboreus
Joannes Dominici
Joannes Ferus
Olympiodorus
Petrus Brunaquellus
Rupertus Holcoth
Salonius
Salvianus
Sigebertus
Victorinus Pitabionenſis.

IN CANTICA.

Abbas Vercellenſis
Aegidius
Agathius
Alanus Rupenſis
Alexander Exceſtrien.
Albinus
Ambroſius Amsbertus
Angelomus
Anſelmus Cantuarienſis
Aponius
Aprigius
Aurelius Caſſiodorus
Bernardus
Cyprianus Ciſtercienſis
Eccardus
Fulalius Cynopolitanus
Gerardus Savonae
Gilbertus Monachus
Giſelbertus Anglus
Gregorius Olympiadas
Gregorius Papa
Guillelmus Abbas
Guillelmus Alvernas
Henricus Harphius
Henricus Haſſius
Hermannus Schildius
Hilarius
Hippolytus
Honorius
Jacobus Anglicus
Jacobus Perez
Innocentius Papa V.
Joannes Arboreus
Joannes Dominici
Joannes Gerſon
Joannes Halgrinus
Joannes Verdiacus
Julianus Celanenſis
Juſtus Orgelitanus
Leonardus Giphonenſ.
Lucas Abbas
Marbadus
Methodius
Michaël Picardus
Oroſius
Paganus Bergomenſis
Petrus Aliacus
Petrus Brunaquellus
Petrus Nannius
Philippus Abbas
Philippus Alberti
Philo Carpathius
Pſellus
Remigius
Rethicius
Rupertus Holcoth
Rupertus Limpurgenſis
Simon Monachus
Theodoretus
Thomas Aquinas
Thomas Ciſtercienſis
Thomas Gualenſis
Triphyllius
Victorinus Pitabionen.
Villeramus

IN SAPIENTIAM SALOMONIS.

Bellator
Eccardus
Joannes Arundineus
Petrus Nannius
Rupertus Holchot.

IN ECCLESIASTICUM.

Joannes Alerius
Nicolaus Gorran
Rupertus Holchot
Rupertus Roſeus
Rupertus Valſingen.

IN ESAIAM.

Adam
Alanus Inſulenſis
Alredus Rievallis
Ambroſius Mediolanen.
Baſilius
Cyrillus
Didymus
Euſebius Caeſarienſis
Franciſcus Forerius
Giſelbertus Anglus
Hector Pinctus
Henricus Vichingan
Joachim Abbas
Matthaeus Ebroicenſis
Michaël Maſſanus
Nicolaus Dinceſpulus
Procopius
Richardus Victorinus
Theodoretus
Thomas Aquinas
Thomas Haſſelbach
Victorinus Pitabionenſis.

IN JEREMIAM.

Joachim Abbas
Theodoretus
Thomas Aquinas.

IN THRENOS.

Anſelmus Mantuae
Hugo Victorinus
Joannes Chiningen
Joannes Quinquarboreus
Nicolaus Clenardus
Paſchaſius
Richardus Ampolus
Richardus Pampolitanus
Theodoretus
Thomas Aquinas.

IN EZECHIELEM.

Alexander Necan
Catina Syrus
Eſychius
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Papa
Hieronymus Savonarola
Hippolytus
Hugo Victorinus
Joannes Chiningan
Michaël Ceſenas
Nicolaus Cabaſilas
Polychronius
Proclus
Richardus Victorinus
Simon Affligemenſis
Theodoretus
Victorinus Pitabionenſis.

IN DANIELEM.

Apollinarius
Cyrillus
Euſebius Caeſarienſis
Gennadius
Hippolytus
Joachim Abbas

Joan-

Digitized by Google

Joannes Capgravius
Joannes Hagen
Judas
Julius Afer
Michaël Picardus
Ricardus Victorinus
Theoretus
Zacharias.

IN OMNES XII. PROPHETAS MINORES.

Guido Cartusianus
Guillelmus Melitonensis
Remigius
Stephanus Anglus
Theodoretus.

IN OSEAM.

Cyrillus
Didymus
Pierius
Rufinus
Theophylactus.

IN JOËL.

Cyrillus
Hugo Victorinus
Rufinus.

IN AMOS.

Hieronymus Savonarola
Rufinus.

IN ABDIAM.

Hugo Victorinus.

IN JONAM.

Guillelmus Pepin
Joannes Chrysostomus
Joannes Catardus
Theophylactus.

IN MICHAEAM.

Hieronymus Savonarola.

IN NAHUM.

Cyprianus Monachus
Theophylactus.

IN ABACUCH.

Cyrillus
Theophylactus
Victorinus Pitabionensis.

IN AGGAEUM.

Callistus Placentinus
Georgius Vicellius
Joannes Eckhius.

IN ZACHARIAM.

Didymus
Hieronymus Savonarola
Hippolytus.

IN MACCABAEOS.

Bernardus
Gregorius Nazianzenus
Joannes Chrysostomus
Josephus

Marius Victorinus
Simon Anglus.

IN TOTUM NOVUM TESTAMENTUM.

Augustinus Anconas
Eduardus Laeus
Joannes Bacco
Joannes Capgravius
Joannes Lopis
Nicolaus Zigenus
Oecumenius
Simon Jatumaeus
Thomas Aquinas.

IN OMNES QUATUOR EVANGELISTAS.

Agrippa
Ammonius
Antonius Bruich
Apollinarius
Arnobius
Asterius
Aurelius Augustinus
Bruno archiepiscop. Colon.
Catena Graeca
Caesarius
Conradus
Diegus Deza
Diodorus
Dominicus Nanus
Eusebius Caesarienſis
Euthymius
Fortunatianus
Gregorius Papa
Guido Perpinianus
Guttierus
Henricus Arnoldi
Hieronymus Vida
Innocentius Papa
Joannes Abbatis
Joannes Arboreus
Joannes Balbus
Joannes Castellensis
Joannes Christophori
Joannes Gavver
Juvencus
Ludolphus Cartusianus
Marianus
Michaël Massensis
Otfridus
Petrus Iſusquius
Richardus Mediavillanus
Rupertus Gouletus
Simon Cassianus
Simon Cremonensis
Simon Corroyus
Tatianus
Theophilus Alexandrinus
Theophylactus
Titus
Victor
Zacharias.

IN MATTHAEUM.

Alfonsus Tostatus
Anselmus Cantuariensis
Antipater Bostrensis
Antonius Puccius
Arnoldus
Athanasius
Aurelius Augustinus
Basilius
Bonaventura
Claudius Monachus
Clemens Alexandrinus
Christianus
Chromatius
Cyprianus Carthaginensis
Cyprianus Monachus
Didymus
Dominicus Sotho
Eccardus
Franciscus Titelmannus
Fridericus Nausea
Gregorius Antiochiae
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyssae
Guillelmus Alvernas
Guerricus
Guillelmus Lud. Langion.
Guillelmus Pepin
Jacobus frater Domini
Joannes Chrysostomus
Joannes Doceus
Joannes Dominici
Joannes Ferus
Joannes Hofmeister
Joannes Ludovicus
Joannes Maitrosius
Joannes Maria
Joannes Regno
Joannes Sanctafides
Joannes Scotus Mon.
Joannes Soarezius
Jodocus
Josephus Tyberinus
Julius Africanus
Leo Papa
Leontius
Matthaeus Aulae Regiae
Matthaeus Bredebacchius
Methodius
Michaël Angrianus
Nicolaus Dincespulus
Pantaleon
Panthenus

Digitized by Google

Petrus Aliacus
Remigius
Rodulphus Langius
Severianus
Symmachus
Theodorus Heracleotes
Theodoricus Herxen.
Theodorus Ancyrae
Theognostus
Tilmannus Aquensis.

IN MARCUM.

Efrem
Joannes Isdinius
Petrus Aliacus.

IN LUCAM.

Adilredus
Albinus
Ambrosius Mediolanensis
Amphilochius
Andreas Hierosolymitanus
Anselmus Cantuariensis
Antonius Florentinus
Asterius Amasiae
Augustinus Anconas
Aurelius Augustinus
Barptolemaeus Bononien.
Barptolemaeus Parvus
Bernardus
Bonaventura
Claudius Seisellus
Dominicus Leonus
Ecbertus
Epiphanius Salaminensis
Franciscus Obsunna
Galfridus Allievant
Gregorius Nyssae
Henricus Consueldius
Henricus Langestiensis
Henricus Caltisensis
Hubertus Leonardo
Hugo Victorinus
Jacobus Sanazarius
Joannes Beverlacius
Joannes Dominici
Joannes Isdinius
Joannes Roffensis
Isidorus Thessalonicensis
Jodocus
Michaël Angrianus
Nicolaus Gallus
Odo
Petrus Aliacus
Theodoricus Herxensis.

In JOANNEM.

Albinus
Ambrosius Mediolanensis
Amphilochius
Andreas Cretae
Anselmus
Augustinus
Basilius
Bernardus
Bessarion
Bonaventura
Claudius Guillaudus
Cornelius Musaeus
Cyrillus
Didymus
Franciscus Titelmannus
Georgius Trapezuntius
Gilbertus Porretanus
Gregorius Corinthius
Guillelmus Aquisgranensis
Joachim Abbas
Joannes Sanctafides
Jodocus
Josephus Tyberinus
Isaac
Laurentius Justinianus
Nonnus Panopolita
Petrus Schala
Stephanus Poloniacus
Theodorus Heracleotes.

IN ACTUS APOSTOLORUM.

Alexander Dolensis
Arator
Aurelius Cassiodorus
Diodorus Tarsensis
Eutalius
Josephus Tyberinus
Novatus
Petrus Appianus
Theodorus Ancyrae
Tertullianus
Thomas Valdensis.

IN OMNES PAULI EPISTOLAS.

Adam
Alanus Insulensis
Albertus Patavinus
Albinus
Ambrosius Compsae
Ambrosius Mediolanensis
Anselmus Cantuariensis
Apollinarius
Augustinus Romanus
Bruno Cartusianus
Cajus Marius Victorinus
Catena Larina in Paulum
Claudius Altisiodorensis
Claudius Guillaudus
Diodorus
Franciscus Titelmannus
Gilbertus Porretanus
Gothscalcus
Gregorius Ariminensis
Gregorius Primaticius
Guttierus
Heraclius
Innocentius Papa V.
Joannes Arboreus
Joannes Christophori
Joannes Isdinius
Joannes Milbach
Joannes Peffer
Joannes Vitlichius
Joannes Zacharias
Lanfrancus
Matthaeus Aquasparta
Paduanus
Petrus Lombardus
Petrus Senonensis
Petrus Tripolitanus
Phocius
Primasius
Radulphus Flaviacensis
Rainaldus
Remigius
Richardus Mediavilla
Rupertus Regno
Sedulius
Simon Cremonensis
Simon Spirensis
Stephanus Langion
Theodorus Heracleotes
Theodoretus
Theophylactus
Thomas Aquinas
Vernerus.

AD ROMANOS.

Aegidius
Antonius Bruich
Asterius
Clemens Araneus
Dominicus Sotho
Germanus Brixias
Guillelmus Theodoretus
Henricus Consueldius
Hugo Victorinus
Jacobus Naclantus
Jacobus Sadolerus
Joannes Arundineus
Joannes Bacco
Joannes Cassianus
Joannes Dominici
Joannes Duns
Matthaeus Aquasparta
Nicolaus Grandis
Philibertus Aresches
Sixtus Senensis

Six-

Digitized by Google

Sixtus Novocomenſis
Stephanus Poſtillator
Theodolus
Thomas Valdenſis.

AD CORINTHIOS.

Joannes Dominici
Joannes Haiton
Joannes Hofmeiſter
Joannes Victorinus
Pierius.

AD GALATAS.

Acacius
Alexander Cappadociae
Apollinarius
Didymus
Euſebius Emeſae
Severianus
Theodorus Heraeleotes.

AD EPHESIOS.

Jacobus Naclantus.

AD PHILIPPENSES.

Joannes Hofmeiſter
Gregorius Nyſſae.

AD TITUM.

Richardus Lavinanenſis.

AD HEBRAEOS.

Cyrillus
Conſtantinus
Gennadius
Guillelmus Melitonius
Heſychius
Hieronymus Veronae
Joannes Huldarici
Nicolaus Grandis
Stephanus Poſtillator
Thomas Sperman.

IN OMNES EPISTOLAS CATHOLICAS.

Ambroſius Compſae
Auguſtinus Anconas
Aurelius Caſſiodorus
Claudius Guillaudus
Didymus
Franciſcus Titelmannus
Gregorius Ariminenſis
Joannes Baptiſta Folengus
Joannes Chiningan
Joannes Hoblet
Nicolaus Dinceſpulus
Thomas Sperman
Thomas Valdenſis.

IN CATHOLICAM JOANNIS.

Hieronymus Savonarola
Joannes Ferus.

IN APOCALYPSIN.

Albinus
Ambroſius Compſae
Ambroſius Mediolanenſis
Andreas Caeſareae
Aprigius
Arethas
Aſcenſius
Auguſtinus Romanus
Aurelius Auguſtinus
Aurelius Caſſiodorus
Bernardinus Senenſis
Bruno Senenſis
Claudius a Montemartyr.
Coelius Pannonius
Dionyſius Alexandrinus
Fridericus Venetus
Gaufredus
Gennadius Maſſilienſis
Henricus Haſſius
Helias
Hippolytus
Jacobus Stralen
Joachim Abbas
Joannes Annius
Joannes Galenſis
Joannes Haiton
Joannes Hentennius
Joannes Tacesfalſus
Joannes Torphe
Jordanus
Irenaeus
Juſtinus
Melito
Methodius
Nepos
Nicolaus Alſentius
Primaſius
Seraphinus Firmanus
Tichonius
Thomas Sudvolcas
Ubertinus Caſalenſis
Victorinus Martyr
Vitalis Cardinalis.

Eorum, qui ſeparatim ſcripſerunt in Evangelia, Epiſtolas, atque alias divinae Scripturae lectiones, quae ſive per quadrageſimam, ſive per anni circulum in Miſſis leguntur, Catalogus.

Albertus Patavinus
Albinus
Antonius Bitontinus
Antonius Bruich
Antonius Gislandus
Aurelius Auguſtinus
Beda
Calliſtus
Caeſarius
Cyrillus Hieroſolymitanus
David
Ecbertus
Ericus
Euſebius Emeſenus
Flavianus
Franciſcus Obſunna
Fridericus Nauſea
Fulgentius
Galterus Diſſeus
Georgius Vicellius
Gerardus Stredam
Gregorius Papa
Gotſcalcus
Guerricus
Guillelmus Pepin
Haymo
Henricus Caltiſen
Henricus Conſueldius
Henricus Harphius
Henricus Helmeſius
Henricus Langenſtein
Henricus Urimarius
Hermannus Petra
Hildegardis
Honorius
Jacobus Genuenſis
Jacobus Schoepperus
Innocentius Papa III.
Joannes Arundineus
Joannes Beethz
Joannes Caſtellenſis
Joannes Doceus
Joannes Dominici
Joannes Ferus
Joannes Gavver
Joannes Hofmeiſter
Joannes Juſtus
Joannes Maria
Joannes Nider
Joannes Nivecellenſis
Joannes Regno
Joannes Rojardus
Joannes Taulerius
Joannes Turrecremata
Judocus
Lucas Loſſius
Mauritius Pariſienſis
Maximus Taurinenſis
Michaël Ceſenas
Nicolaus Cuſa
Nicolaus Herbron
Nicolaus Dinceſpulus
Petrus Chryſologus
Petrus Spirenſis
Petrus Verberius

Digitized by Google

Sanctius
Sixtus
Smaragdus
Stephanus Parisiensis
Sylvester
Titus
Thomas Hasselbachius.
Eorum, qui scripserunt in Passionem Christi, juxta quatuor Evangelistarum historiam, Catalogus.
Antonius Guevara
Boninus
Dominicus Mancinius
Franciscus Zichenius
Georgius Molitoris
Gerardus Lorichius
Gregorius Nazianzenus
Guillelmus Aquisgranensis
Henricus Arnoldi
Henricus Gulpen
Henricus Suso
Hieronymus Patavinus
Joannes Benius
Joannes Caneman.
Joannes Capistranus
Joannes Ferus
Jo:Franciscus Quintianus
Joannes Taulerius
Leo Papa
Theodoricus Herxen.
Tullius Crispoldus.

IN DECALOGUM.

Antiochus Monachus
Arnoldus
Bonaventura
Fridericus Nausea
Gerardus Stredam
Gotscalcus
Henricus Harphius
Henricus Urimarius
Hermannus Colonienſis
Joannes Beetz
Joannes Gerson
Joannes Nider
Michaël Mediolanensis
Nicolaus Dinceſpulus
Thomas Aquinas
Thomas Hasselbachius.

IN ORATIONEM DOMINICAM.

Aegidius
Albertus Magnus
Bernardus
Bonaventura
Carolus Bovillus
Cyprianus Carthaginenſis
Hermannus Colonienſis
Hermannus Petra
Hieronymus Savonarola
Joannes Gerson
Joannes Ludovicus
Joannes Picus
Judocus
Nicolaus Dinceſpulus
Petrus Aliacus
Theodoricus Herxen.
Thomas Aquinas
Thomas Hasselbachius.

IN SALUTATIONEM ANGELICAM.

Aegidius
Bernardus
Henricus Langeſtein
Joannes Isdinius
Petrus Aliacus
Theodoricus Herxen.
Thomas Aquinas.

IN CANTICA FERIALIA.

Euthymius
Jacobus Perez Valentinus
Theodoretus
Ludolphus Cartusianus.

Catalogus alter, in quo divinae Scripturae Expositores in varias distribuuntur classes, juxta varietatem methodorum, quibus sacri Expositores in exponendis Sanctis literis usi sunt.

Abbreviatores, qui expositorum prolixa Commentaria abbreviarunt.

Arethas
Beda
Euthymius
Hieronymus Stridonenſis
Odo Cluniacus
Petrus Xymenius
Simon Affligemenſis
Theodoretus
Theophylactus.

ANNOTATORES.

Apollinarius Junior
Anſelmus Laudunenſis
Aurelius Auguſtinus
Bernardinus Gadolus
Franciſcus Maronius
Franciſcus Titelmannus
Hieronymus Stridonenſis
Hugo Victorinus
Joannes Benedictus
Nicolaus Zigenus
Origenes
Richardus Victorinus.

COACERVATORES.

Alfonſus Toſtatus
Gregorius Papa
Henricus Langenſtein
Sixtus Novocomenſis
Thomas Aſſelbach
Vincentius Belluacenſis.

COLLECTORES RAPSODII CENTONARII.

Alalphus
Aloyſius
Arethas
Auguſtinus Anconas
Barptolemaeus Urbinas
Beda
Catena in Job Graeca
Catena in Pſalmos Graeca
Catena Graeca in Evang.
Dominicus Nanus
Epiphanius Scholaſticus
Eucherius
Euthymius
Eudocia
Franciſcus Puteanus
Godefridus Tilmanus
Guernerus Pariſienſis
Haymo
Henricus Helmeſius
Paterius
Patritius
Petrus Tripolitanus
Petrus Herentlaſius
Primaſius
Proba
Rabanus
Sanctes Pagninus
Seclubius
Theodolus
Thomas Aquinas.

Com-

Digitized by Google

Commentatores. Quoniam pauci admodum ſunt diuinae Scripturae Expoſitores, qui non aliquid in commentationum Methodo elaboraverint, & uſus (ut in tertio hujus Operis libro monuimus) obtinuit ut quicunque ſacrorum Expoſitorum labores Commentaria appellentur: ſupervacaneum duximus Catalogum commentatorum hoc loco adſcribere.

Compendiarii, qui divinas Scripturas in Compendium contraxere.

Alanus Inſulenſis
Aurelius Caſſiodorus
Joannes Monachus
Petrus Bertorius
Petrus Verberius
Richardus Victorinus.

CHRONOGRAPHI.

Beda
Euſebius
Hermannus Contractus
Joannes Driedo
Julius Africanus
Joſephus Hieroſolymitan.
Philo Judaeus
Richardus Victorinus.

DIALOGISTAE.

Apollinarius Junior
Aurelius Auguſtinus
Jacobus Sadoletus
Joannes Gerſon
Paduanus
Salonius
Zacharias.

DICTIONARII.

Andreas Placus
Beda
Epiphanius
Eucherius
Franciſcus Xymenius
Joannes Benedictus
Joannes Pratus
Iſidorus Iſpalenſis
Mammotreptus
Marcus Ulmenſis
Origenes
Philo
Sanctes Pagninus.

DISPUTATORES ET QUAESTIONARII.

Aegidius
Alfonſus Toſtatus
Albinus
Apollinarius
Antonius Ghislandus
Aurelius Auguſtinus
Beda
Cyrillus
Eucherius
Euſebius Caeſarienſis
Franciſcus Georgius
Hieronymus
Hugo Victorinus
Joannes Arboreus
Juſtinus
Matthaeus Doringus
Methodius
Paulus Burgenſis
Philippus Sidae
Philo Judaeus
Richardus Cluniacenſis
Seraphinus Cumiranus
Tatianus
Theodoretus
Thomas Aquinas.

EGLOGISTAE.

Arlottus
Aurelius Auguſtinus
Cyprianus Carthaginenſis
Defenſor
Joannes Mentolonius
Joannes Nivecellenſis
Melito
Nicolaus Anapus
Petrus Novae civitatis epiſc.

EPISTOLARII.

Ambroſius
Aurelius Auguſtinus
Hieronymus
Iſidorus Peluſiota.

GEOGRAPHI.

Adamanus
Albertus Patriarcha
Beda
Burgardus
Calliſtus Placentinus
Euſebius Caeſarienſis
Guillelmus Aquiſgranenſis
Iludolfus Suchen
Matthaeus Aurogallus
Orontius Phineus
Petrus Apianus
Rodulphus Langion
Roggerus Bacco.

HARMONICI.

Ammonius Alexandrinus
Antonius Brüichius
Diegus Deza
Dominicus Nanus
Euſebius Caeſarienſis
Gerardus Lorinchius
Joannes Gerſon
Robertus Gouletus
Simon Corroyus
Sixtus Senenſis
Tatianus
Theophilus Alexandriae
Victor.

HOMILIASTAE ET ENARRATORES.

Albinus.
Ambroſius Mediolanenſis
Amphilochius
Anaſtaſius
Anſelmus Cantuarienſis
Antiochus
Antonius Puccius
Aurelius Auguſtinus
Baſilius
Beda
Bernardus
Candidus
Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus Hieroſolymitanus
Ericus
Euſebius Emeſenus
Franciſcus Viſdominus
Fridericus Nauſea
Fulgentius
Gilbertus Ciſtertienſis
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyſſae
Gregorius Papa
Guerricus
Haymo
Hilarius
Hippolytus
Hugo Victorinus
Jacobus Schoepperus
Joannes Chryſoſtomus
Joannes Eckhius
Joannes Ferus
Joannes Hofmeiſter
Joannes Juſtus
Joannes Maria Verattus
Iſidorus Clarius
Judocus
Maximus Taurinenſis
Origenes
Petrus Chryſologus
Petrus Edeſſae
Philippus Cancellarius
Severianus
Zeno.

ISA-

Digitized by Google

ISAGÓGICI.
Alanus Lymna
Alardus Alſteradamus
Ambroſius Compſae
Aurelius Auguſtinus
Aurelius Caſſiodorus
Beda
Bonaventura
Eucherius
Franciſcus Ruizius
Georgius Vicellius
Guernerus Pariſienſis
Guido Ebroicenſis
Guillelmus Gregorius
Hermannus Schildius
Hugo Victorinus
Jacobus Gouſchellius
Jacobus Perez Valent.
Joannes Betramus
Joannes Driedo
Joannes Gerſon
Joannes Hagen
Othomarus Luſcinius
Petrus Bertorius
Rabanus
Sanctes Pagninus
Theodorus
Tichonius.

INDICISTAE.
Conradus Halberſtadius
Euthalius
Gabriel Brunus
Hugo Carenſis.

MEDITATORES.
Bernardus
Bonaventura
Dionyſius Cartuſianus
Henricus Harphius
Hieronymus Savonarola
Joannes Gerſon
Joannes Ludovicus Vives
Ludolphus Cartuſianus
Ninianus
Pictorum epiſcopus
Petrus Aliacus.

PARAPHRASTAE.
Chriſtianus Iſchyrius
Franciſcus Titelmannus.
Gregorius Neocaeſarienſis
Hegeſippus
Joannes Turrecremata
Joſephus Hieroſolymitan.
Juſtus Tyberinus
Petrus Comeſtor
Philo Judaeus
Rainerius Snoygoudanus.

Partitores, qui libris divinae Scripturae in partes diviſis, ſuat quibuſque partibus ſummas & argumenta impoſuere.
Alexander Dolenſis
Bonaventura
Cyrus Prodomus
Franciſcus Gothus
Joannes Benedictus
Nicephorus.

POËTAE.
Alexander Villadeus
Alvarus Comez
Angelus Sangrinus
Apollinarius Antiquior
Arator
Avitus
Aurelius Prudentius
Bonaventura
Boninus Mombrinus
Cedmonus
Cornelius Magnanus
Dracontius
Dominicus Mancinus
Eudocia
Eulalius
Ezechiel
Franciſcus Bonadus
Franciſcus Gothi
Franciſcus Spinula
Gerardus Bredenſis
Gregorius Nazianzenus
Godefridus
Godelbertus
Guido Ferrarienſis
Hieronymus Fracaſtorius
Hieronymus Patavinus
Hieronymus Stridonenſis
Hieronymus Vida
Hilarius Arelatenſis
Jacobus Furnius
Jacobus Sanazarius
Jo: Franciſcus Quintian.
Joannes Gagnaeus
Joannes Neovillanus
Jovita Rapicius
Juvencus
Ludovicus Junior
Mapheus Veggius
Marbadus
Marius Victorinus
Matthias Vindonicenſis
Nicephorus
Patritius
Petrus Emeſenus
Petrus Riga
Petrus Roſeneimenſis
Proba
Salvianus
Sedulius
Sigebertus
Theodolus
Theodorus Abbas
Tertullianus.

SCIOGRAPHICI.
Albertus Durerius
Aurelius Caſſiodorus
Beda
Calliſtus Placentinus
Damianus Marafus
Euſebius Caeſarienſis
Hieronymus Stridonen.
Joannes Buteo
Orontius Fineus
Petrus Apianus
Richardus Victorinus.

SCHOLASTICI.
Aegidius Viterbienſis
Alanus Inſulenſis
Alanus Lymna
Alanus Rupenſis
Albertus Magnus
Albertus Patavinus
Alexander Dolenſis
Alexander Halenſis
Alexander Necan
Alfonſus Toſtatus
Antonius Bitontinus
Antoninus Florentinus
Aſcenſius Franciſcanus
Auguſtinus Anconas
Auguſtinus Romanus
Barptolemaeus Bononien.
Benedictus Stendal
Bernardinus Senenſis
Bonaventura Card.
Clemens Araneus
Conradus Halberſtadius
Conradus Irſaugienſis
Chryſoſtomus Javellus
David
Dionyſius Cartuſianus
Eccardus
Ecbertus
Franciſcus Maro
Gabriel Brebia
Galfridus Allievant
Galterus Diſſeus
Gerardus Bononienſis
Gerardus Savonenſis
Gerardus Stredam
Gilbertus Pariſienſis
Gilbertus Pictavienſis

Digitized by Google

Gilbertus Anglus
Guernerus Pariſienſis
Guido Ebroicenſis
Guido Perpinianus
Guillelmus Alconas
Guillelmus Alvernas
Guillelmus Aquiſgranenſis
Guillelmus Pariſienſis
Guillelmus Pepin
Guillelmus Vellis
Gregorius Ariminenſis
Henricus Arnoldi
Henricus Conſueldius
Henricus Gulpen
Henricus Kaltiſen
Henricus Langeſtein
Henricus Vichingen
Henricus Urimarius
Hermannus Petra
Hermannus Schildius
Hubertus Leonardus
Hubertinus Caſalenſis
Hugo Carenſis
Jacobus Anglicus
Jacobus Chriſtopol. epiſcop.
Jacobus Genuenſis archiep.
Jacobus Luſanenſis
Jacobus Magnus
Jacobus Martinus
Jacobus Stralenſis
Iludolphus Suchen
Innocentius Papa III.
Innocentius Papa V.
Joannes Annius
Joannes Bacco
Joannes Balbus
Joannes Beehtz
Joannes Duns
Joannes Francfort
Joannes Galenſis
Joannes Gavver
Joannes Gerſon
Joannes Hagen
Joannes Haiton
Joannes Nider
Joannes Hoblet
Leonardus Giphonenſis
Ludolphus Cartuſianus
Matthaeus Doringus
Matthaeus Ebroicenſis
Michaël Angrianus
Michaël Ceſenas
Michaël Maſſenſis
Nicolaus Alſentia
Nicolaus Gorran
Nicolaus Lyra
Nicolaus Trivet.
Paulus Burgenſis
Petrus Bertorii
Petrus Gottifredus
Petrus Paludanus
Petrus Riga
Petrus Schala
Petrus Verberius
Philippus Cancellarius
Richardus Ampolus
Richardus Exceſtrienſis
Richardus Lavinan
Richardus Mediavilla
Rupertus Holcoth
Rupertus de Regno
Rupertus Valſingen
Sanctius Porta
Sertorius
Simon Cremonenſis
Simon Spirenſis
Stephanus Anglicus
Silveſter Prieras
Thomas Aquinas
Thomas Aſſelbachius
Thomas Cajetanus
Thomas Gualenſis
Thomas Sperman
Thomas Valden
Vernerus Lorevinch
Ubertus Leonardus
Ubertinus Caſalenſis.

Suppletores, qui expoſitorum imperfecta Commentaria compleverunt.

Gilbertus Monachus
Gregorius Nyſſae
Judocus
Eudocia.

THEMATICI.

Ambroſius
Gregorius Nyſſae
Philo Judaeus
Vincentius Belluacenſis.

TRANSLATORES.

Aquila Synopaeus
Auguſtinus epiſc. Nebienſis
Eduardus Laeus
Euſebius Caeſarienſis
Felix Pratenſis
Franciſcus Xymenius
Guillelmus Abb. Irſaugien.
Heſychius Monachus
Hieronymus Leopolitanus
Hieronymus Stridonenſis
Jacobus Apoſtolus
Jacobus Genuenſis archiep.
Joannes Aragonum Rex
Joannes Chryſoſtomus
Joannes Dierembergius
Joannes Eckhius
Joannes Lopis Stunica
Joannes Poccanus
Joannes Quinquarboreus
Joſephus Tyberinus
Italica editio
Lucianus Martyr
Michaël Adam
Origenes
Patrophilus Scythopolit.
Petrus Sutor
Robertus Olivetanus
Rudolphus Agricola
Sanctes Pagninus
Septuaginta duo Interpret.
Simon Jatumaeus
Sophronius
Symmachus
Syra editio
Theodotion
Thomas Cajetanus
Vulphilas Gothorum epiſc.

Digitized by Google

De falsa Librorum inscriptione brevis admonitio ostendens, quibus de causis contigerit multorum ecclesiasticorum Voluminum inscriptiones vel fuisse confictas, vel depravatas; & quibus conjecturis inscriptionum fictionem, falsitatemve deprehendere liceat.

NON AB RE veteres illustrium Scriptorum expositores praeceperunt inscriptiones Operum, & auctorum nomina in singulis voluminum exordiis diligenter inquiri, & prudenti judicio perpendi: senserunt enim, quam magni referat nosse, qualis eruditionis & auctoritatis fuerit cujusque Operis auctor, praesertim vero in scriptis sacrorum Patrum, & nobilium ecclesiae Doctorum: unde, veluti ex oraculis theologorum Academiae, assertionum suarum constantiam accipiunt, summique Pontifices decreta sumunt, quibus regitur Christianus orbis. Hoc & ipse non ignorans, cum saepe in hoc volumine indicaverim multa in catholicorum expositorum monumentis inveniri pseudepigrapha, adulterina, ac suppositicia, quae eorum non sint, quorum titulos & inscriptiones praeferunt: visum est mihi in gratiam eorum, qui magis dociles, quam docti sunt, primum explicare, quibus ex causis & occasionibus acciderit fictarum inscriptionum error; mox vero ostendere, quibus notis hujusmodi titulorum fictio discerni queat.

UT IGITUR a primo exordiar, fingendi inscriptiones ratio in universum duplex est; altera ab ipsis Operum auctoribus profecta; altera a Lectoribus excogitata. Porro inscribendi occasiones, ab auctoribus sumptae, aliae quidem honestae, aliae turpes: inter honestas primo loco recensenda est inscriptionis praetermissio. Contingit enim inscriptiones librorum plerunque ab eorum auctoribus de industria omitti, ac deinde a librariis & scriptoribus, utcunque eis visum fuerit,
I. inscribi: praetermissarum vero inscriptionum variae possunt esse causae. Primum, modestiae & humilitatis studium: qua sane ratione cum auctor libri De Cardinalibus Christi virtutibus ad Cornelium Papam testetur se noluisse proprii nominis titulo Opus suum praenotare; nescio quis illud Cypriano adscripsit, & illius scriptis inseruit, ea forsitan conjectura permotus, quod Cyprianus ad eundem Pon-
II. tificem scripserit (a). Deinde sunt, qui explorandi alieni judicii gratia lucubrationes suas, inscriptione carentes, evulgant; ut quasi Apelleo more post tabulam latitantes, Lectorum sententias intelligant, & Operis vitia, ab eis libere detecta, corrigant: sic magnus ille Gregorius Theologus in Praefatione libri De fide scribit, se ab amico suo efflagitasse, ut eundem librum, detracto auctoris nomine, ac dissimulata compositoris persona, doctis viris & prudentibus legeret: ut, si quem movisset, quod illic minus recte positum videretur, posset plurimorum
III. consilio emendari. Fuerunt etiam, qui inscriptionibus abstinerent ad utilitatem eorum, a quibus sua legi cupiebant; ne despecti, aut parum grati nominis titulo existimationem Operi imminuerent, & Lectores ab utilitate ejus arcerent: id olim Hieronymus asseverat fecisse Paulum scribentem ad Hebraeos: quibus cum sciret se ob neglectas Pharisaeorum traditiones, & Mosaïcas caeremonias graviter infensum; noluit eos praefixione odiosi nominis a lectione saluberrimae epistolae deterrere: quo factum est, ut quidam ex vetustis Patribus eam vel Barnabae, vel
IIII. Clementi, adscripserint. Nec defuerunt, qui, ad vitandam invidiam, odium, & periculorum discrimina, ediderunt scripta sua, nullo insignita nomine; ne in se

(a) Opus de Cardinalibus, seu principalibus Christi operibus olim Caecilio Cypriano ab aliquibus adjudicatum, recte alteri a Cypriano adscribit N. Xystus, sed quia nomen Cornelii Rom. Pontificis amanuensium oscitantia, vel ignorantia inrepsit in antiquis editionibus, quibus N. Xystus est usus (in aliis editionibus inscribitur *Fabiano PP.*) alteri coaevo fortasse Cypriano Scriptori illud addixit. Author igitur opusculi illius, sicut & aliorum id genus ejusdemque styli ex unanimi Criticorum calculo adscribitur Arnoldus Bonae-Vallis Abbas, Sancti Bernardi amicus, qui illud non Fabiano, nec Cornelio, sed Hadriano Papae nuncupavit. Videsis Natalem, Dupinium, Cavium, alioque, & praesertim novissimam editionem operum S. Cypriani Amstelodami MDCC.

Digitized by Google

se provocarent eos, qui evulgatis scriptis aut laederentur, aut certe se laedi existimarent: his postea levi quadam conjectura ductus aliquis, titulum apposuit, qualem tum forte obvium habuit. Inventi sunt item, qui Opuscula quaedam sua perexigui momenti, in gratiam rudium ac simplicium amicorum conscripta, nomen suum praeferre noluerint, ne compositionis ruditas, & argumenti humilitas compositoris auctoritati derogarent: ea deinde progressu temporis fortuitam inscriptionem a fortuito attitulatore sortita sunt. V. Ex iisdem fere causis emanavit fictarum inscriptionum consuetudo, a priscis aliquot auctoribus servata. VI. Salvianus, Massilienses episcopus, paraeneticos libros idcirco emisit sub ficta appellatione Timothei episcopi ad ecclesiam Dei toto orbe diffusam, ut, neglecta humanae gloriae vanitate, soli Deo ejus laboris honorem deferret. Vincentius, Lirinensis presbyter, disertissimus, disceptationibus, quas adversus profanas haereticorum novitates composuit, abscondito nomine suo, haereticis invisо, Peregrini titulum imposuit, quo libentius ab haereticis, peregrinarum rerum avidis, legerentur. VII. Est & alia ipsis auctoribus fingendae inscriptionis ratio, videlicet studiorum exercitatio: cum in his, quae exercitamenti gratia scribi solent, tituli non serio praefiguntur; veluti in declamatoriis argumentis, quae Graeci προγυμνάσματα, sive μελέτας, hoc est, praeexercitationes, sive meditationes appellant; in quibus, qui sese exercent, non sua nomina ponunt, sed ejus, cujus personam conantur effingere: hoc in genere creduntur esse apud nostros epistolae Pauli ad Senecam, & Senecae epistolae ad Paulum, & Dialogus Augustini & Orosii in Genesim; apud Ethnicos vero epistolae Phalaridis Agrigentini, & epistolae Bruti. Sic Porcius Latro tractavit argumentum Ciceronis in Catilinam, nimirum personam agens Ciceronis; & quoties incidit, sese Tullium, non Porcium, appellat: hinc error eorum, qui rem fictam seriam esse putant: & hujusmodi Opuscula eorum esse credunt, sub quorum nominibus finguntur. Hae igitur, atque his similes sunt non improbandae variatarum inscriptionum causae, quibus auctores ipsi, citra tamen eorum culpam, videntur occasionem praebuisse.

INTER improbas vero, ac turpes pseudepigraphiae occasiones, auctorum VIII. vitio exortas, ne singulas enumerem, ea, quae omnium deterior est, prodiit a duplici genere pessimorum hominum. Ex iis sycophantae, seu nebulones quidam, ad illudendum & imponendum nati, nugas, ac naenias suas, per jocum & ludibrium confictas, praeclaris inscriptionibus adornant; ut, dum indocti Lectores ejusmodi ineptias, quasi nobilium Scriptorum foetus excipiunt, & cum admiratione evolvunt, ipsi interim, non sine risu, eorum oscitantia fruantur. IX. Alii vero, haeretica peste laborantes, pestilentissima scripta sua splendidis Catholicarum attitulationum operimentis obvolvunt; ut, sub orthodoxi nominis praetextu, ipsorum venena celerius latiusque spargantur in vulgus, majori hominum detrimento: hinc olim habuere ortum illae impudentissimae pseudepigraphiae, videlicet, Ascensionis Mosi, Apocalypseos Heliae, Evangeliorum Thomae, Thaddaei, Philippi, Barptolemaei, Actuum, Petri, Andreae, & Joannis, atque alia nugamenta his similia, a discipulis Manichaei Persae, qui sibi ipsis duodecim Apostolorum nomina imposuerant, excogitata.

HACTENUS de causis falsarum inscriptionum, tam ab auctorum probitate, quam improbitate deductis: nunc dicendum est de occasionibus depravatarum attitulationum, quae ab exteris & ab alienis emanarunt. Hae potissimum duae sunt, error, & fraus. Ad errorem & imprudentiam spectant Nominis aequivocatio; Argumenti, aut styli consensio; Personarum, quibus, vel a quibus Opera dedicantur, similitudo; Inscriptionis quoque, ut jam dixi, defectus; & Inscriptionis, exercitii gratia, simulatio. X. Ex Aequivocatione frequenter usu venit, ut nominum, vel cognominum, vel titulorum affinitas praebuerit ansam errandi, sicut olim Rufino, Aquilejae presbytero: qui, vocum similitudine deceptus, Enchiridion Xysti Pythagorici, Xysto Pontifici inscripsit; & Pamphili Eusebii pro Origene Apologiam, Pamphilo Martyri Origenis studioso attribuit. Erasmus, consimili errore ductus, Commentarios Arnobii presbyteri in Psalterium, Arnobio Rhetori florentissimo tradidit. Ex hac deceptione contigit, ut non pauca Thomae Anglici Opera Thomae Angelico Doctori data sint. XI. Ex in-

Digitized by Google

ſcriptionum quoque omiſſione, ac titulorum fictione aliquoties, quemadmodum ſupra monuimus, accidit, ut parum eruditi Lectores, vel tumultuarii Scriptores libros, titulo deſtitutos, uni magis, quam alteri, conjiciant inſcribendos; & exercitationes, ſimulata inſcriptione, compoſitas eorum eſſe putent, quorum ficticios
XII. titulos praeferunt. Styli etiam ſimilitudo, aut argumenti communitas, aut eorum vicinitas, ad quos, vel a quibus, ſcripta mittuntur, non raro efficiunt, ut ſtudioſi in diſcernendis libris, ob varios caſus inſcriptione carentibus, nomen adſcribant non ejus, cujus eſt Opus, ſed cujus eſſe ſuſpicantur, vel quod de re ſimili, vel quod ad eoſdem, vel quod ſimili ſtylo, ac methodo, ſcripſerit alius: ſic apud philoſophos non deſunt, qui affirment Architae Tarentini Categorias perperam Ariſtotelis Organo praepoſitas, nec alia de cauſa Ariſtotelico nomine praenotatas, quam ob rei ab utroque tractatae ſimilitudinem: ſic apud Theologos ſunt, qui aſſeverent celebrem illam epiſtolam, ſive libellum, quem ad Demetriadem virginem ſcripſit Julianus Celanenſis epiſcopus, Pelagiana labe infectus, iccirco adſcriptam Hieronymo, quod is quoque ſcripſerit ad eandem virginem argumento non diſſimili. Rurſum fit interdum, ut aut librarius, aut ſtudioſus aliquis ob materiam Operis non diſſimilem diverſorum auctorum libellos eodem copulet volumine: deinde parum attentus Lector, aut non reperiens adſcriptos titulos, aut obliteratos offendens, ejus putet omnia, cujus nomen in frontiſpicio voluminis conſpexerit.

SUNT e diverſo, qui data opera per fraudem & dolum inſcriptiones depra-
XIII. vent, & immutent, idque ob varios, ſed peſſimos fines. Alii utilitatis, quaeſtus, ac turpis lucri gratia, ceu ſunt voluminum Scriptores, impreſſores, inſtitores, ac venditores: qui vulgarium, & interdum quoque obſcurorum hominum partos nobiliorum auctorum titulis coronant, nimirum tali fuco ſtultam feſtinantium emptorum credulitatem aucupantes: hoc loco obtruſerunt nobis Angli cujuſdam collectoris centones in Geneſeos, & Regum volumina, pro Eucherii Lugdunenſis epiſcopi Commentariis, & anonymi ac recentioris rapſodi lacinias in annuas Evangeliorum lectiones pro Euſebii Emeſeni Homiliis: ſic Theophylacti collectiones in Paulum, & Rabani in Threnos Jeremiae ſub ſplendidioribus divi Athana-
XIIII. ſii, & divi Hieronymi nominibus vendidere. Alii, diverſarum haereſeon peſtibus contaminati, libros, ab execrandis ſectarum ſuarum Doctoribus editos, transformant; &, detractis auctorum nominibus, utpote odioſis, & eccleſiaſtica cenſura damnatis, reponunt eorum loco plauſibiles Catholicorum Patrum appellationes; quibus illuſa Lectorum ſimplicitas, haereſeon venena bibat, ſine ulla ſuſpicione periculi: ita olim, ut Rufinus in Apologetico ſcribit, Pneumaromachi haeretici, qui Spiritum Sanctum blaſphemabant, libellum Tertulliani, de fide Trinitatis male ſentientem, ſub Cypriani Martyris nomine multis propagatum codicibus vendiderunt parva aeris ſumma; ut eum emptores, & viri amplitudine, & pretii exiguitate illecti, libentius emerent, & latentes errores amplecterentur, ceu dogmata ſacra, auctoritate tanti Martyris comprobata: ſic quondam, uti Evagrius in tertio Eccleſiaſticae hiſtoriae prodidit, Neſtoriani & Eutychiani ſcripta Apollinarii, unde ſuarum deceptionum ſemina acceperant, ſub Athanaſii Magni attitulatione invulgarunt, quo facilius eo luminis ſplendore Catholicorum oculos perſtringerent: ſic noſtro ſaeculo vidimus peſtilentiſſima haereticorum ſcripta, titulo tenus transformata, in ſacros Catholicorum hominum, & Eccleſiae antiſtitum labores; quos cum in Praefatione totius Operis, & in quarto
XV. libro attigerim, nunc brevitatis ſtudio praetermitto. Sunt & ignavi quidam furunculi, qui inſtar Eſopicae corniculae ſeſe alienis pennis venditantes, & coccycis ritu in alienos nidos inſilientes, aliorum Scriptorum labores furantur; &, deletis veris titulis, propria nomina imponunt; quod ſuperioribus annis feciſſe conſtat Joannem quendam Gaſtium, qui Collectanea Barptolemaei Urbinatis in utrunque Teſtamentum, annis ab hinc fere ducentis ex Auguſtino excerpta, ſibi impudenter uſurpavit, &, quod etiam turpius eſt, nonnulla ejuſdem Operis loca vafre de-
XVI. truncata, & mutilatim reciſa ad haereſes Lutheranorum detorſit. His addendi ſunt perditiſſimi quidam, inimicitiae ſtimulis agitati; qui in odium & ignominiam bonorum auctorum, & ad elevandam auctoritatem, ac fidem illuſtrium Doctorum,

Digitized by Google

rum, odioſa volumina effingunt ſub illorum titulis: quod non ſolum hac miſera tempeſtate noſtra fieri coepit, ſed ab ipſis Eccleſiae exordiis factum eſſe conſtat a pſeudoapoſtolis: qui ex perſona Pauli falſas epiſtolas ultro citroque mittitabant, pravis dogmatibus inſperſas; quibus Eccleſias conturbarent, earumque inimicitias in Apoſtolum excitarent: id ille in poſteriore ad Theſſalonicenſes epiſtola indicat, inquiens: ROGAMUS vos, ne terreamini ex epiſtola, tanquam per nos miſſa: 2. Theſ. 2. a nemo enim vos ſeducat ullo modo. Conqueſtus eſt & Origenes in epiſtola ad amicos Alexandrinos ſpargi ab impiis obtrectatoribus ſuis diſputationes contra Eccleſiae fidem, Origenica Praefatione praeſcriptas, ad concitandam invidiam erga ſe piorum hominum. Doluit eadem occaſione Leo Romanus Pontifex, ad Marcianum Auguſtum ſcribens, quod epiſtolas ſuas haeretici depravaſſent, ut inde anſam arriperent inſimulandi eum de Neſtorianae haereſeos impietate. Demum alii XVII. ſunt, qui contrario ſtudio ducti, hoc eſt, qui nimio & immoderato alicujus Scriptoris amore capti, aliorum lucubrationes, ſine ullo judicio, ac delectu uſurpatas, ei vendicant, exiſtimantes, ſe ex auctione ac multitudine librorum majorem nominis celebritatem adamato auctori comparare. Hoc forſitan excuſando, ſed neutiquam probando, affectu permoti nonnulli Thomiſticae ſanctitatis, & ſapientiae amatores, Exegeticis divi Thomae inſeruere Commentaria in Geneſim, in Eſaïam, in Jeremiam, in Threnos, in Joannem, in epiſtolas Catholicas, in Apocalypſin, atque alia permulta his ſimilia, cum caeteris ejus ſcriptis, nec eruditione, nec judicii acumine conferenda. (a)

HAEC de cauſis & occaſionibus depravatarum inſcriptionum dicta ſint: nunc, quibus notis earum depravatio deprehendi, & coargui poſſit, quambreviſſime proſequendum. Inſcriptiones veras a falſis, germanas a ficticiis, tria praecaeteris diſtinguunt, tempus, dogmata, ſtylus. Primum, ſi temporum ratio rebus deſcriptis non conveniat; perſpicuum fit, Opus non eſſe illius, cujus titulum praefert. Commentaria, quae nunc circumferuntur, Ambroſii in Apocalypſin, Hieronymi in Parabolas Salomonis, & Jeremiae Lamentationes, Eucherii in primum librum Moſis, & in quatuor Regum volumina, & Junilii Afri in Hexaëmeron, nemo talium auctorum eſſe dicet, cum in iis legerit centones, fragmenta, ac integras paginas ex Moralibus Gregorii excerptas: nec arbitror aliquem fore uſque adeo hebetem, vel protervum, qui neget hujuſmodi rapſodias, ex Commentariis Gregorii hauſtas; ſed contra potius affirmet eas a Gregorio ex illorum Doctorum fontibus in ſua Commentaria derivatas: nam praeterquam quod Gregorii nomen, crebro in praedictis voluminibus citatum, id aperte demonſtret; tanta eſt etiam in Gregorianis ſcriptis ubique dictionis aequalitas, tanta ſemper ſtyli ſimilitudo, ac tam apte continuata orationis ſeries, ut nihil in illis appareat, vel, quod aliunde mutuatum, vel quod ab alio auctore profectum videri queat. Secundo, ſi dogmata non ſolum cum auctoris mente non congruunt, ſed ex diametro pugnant; protinus conſequitur, aut Opus non eſſe verum ac germanum foetum illius, cujus eſſe creditur; aut eſſe adulteratum, & a corruptoribus peſſime depravatum. Quis enim auſit affirmare ſexdecim Origenis tractatus in Leviticum, Cyrilli nomine ab Hervagio excuſos, eſſe Cyrilli, cum in eis paſſim occurrant animae ante mundum creatae, & ob ſua flagitia detruſae in corpora, tanquam in vincula; inferorum ſupplicia finem aliquando habitura, daemones poſt certa tempora ad amiſſam foelicitatem reſtituendi; atque alia permulta Origenica aſſerta, quae Cyrillus ubique toto pectore, totiſque viribus oppugnat & expugnat? Tertia, atque omnium fortaſſe evidentior, ac certior conjectura eſt, ſtyli diverſitas; quae, veluti Lydius lapis, falſas inſcriptiones a veris diſcernit: nam etſi cuivis impoſtori facile ſit auctorum patriam, genus, temporaque mentiri, ac dogmata ſequi: nihil tamen difficilius eſt, quam alterius imitari ſtylum. Stylum

Vide noſtras animadverſiones ibidem.

(a) Quae N. Xyſtus univerſim S. Thomae Aquinati abjudicat, criterium certe & examen merentur. Commentarii in Geneſim & Epiſtolas Canonicas non ſunt Angelici Doctoris, ut una voce Critici, etiam Noſtrates, adſerunt: verum eidem fore vindicandos Commentarios in Eſaiam, Jeremiam, Threnos, Matthaeum, & Johannem ex inluſtribus veteribuſque Scriptoribus, nimirum Tholomaeo, Logotheta, Triveto, Guillelmo de Tocho, Petro Rogerio, Valleoletano, Vielmio, innumeriſque etiam exteris authoribus luculenter offendit, & viriliter probat N. Jacobus Echardus *T. I. Script. Ord. a fol.* 324. & *ſeq.* quem conſulas.

Digitized by Google

autem appello non illam exteriorem ſermonis ſuperficiem, ſed orationis characterem, dictionis contextum, texturae continuitatem, elocutionis formam, figuras loquendi, diſpoſitionis artificium, tractationis methodum, & caetera, quae cuique diſerto auctori propria ſunt: ſicut enim ſuus cuique homini corporis habitus eſt, ſuus cuique vultus, ſuus cuique nativus color, ſua cuique vox, aliaeque ſingulares notae, quibus a caeteris hominibus diſtinguatur: ita ſingulis eccleſiae Scriptoribus peculiares quaedam proprietates inſunt, quae aut nunquam, aut raro alteri conveniant; veluti ſunt plauſibilis Antiochi pompa, Baſilii accurata dictionis diligentia, ſublimis Gregorii Theologi cothurnus, Chryſoſtomi ſponte fluens atticiſmus, puriſſima Cypriani facilitas, Gallica Hilarii grandiloquentia, gravis & arguta brevium ſententiarum in Ambroſio copia, in Hieronymo picturata rerum verborumque varietas, in Auguſtino cola ſimiliter finientia, & commata ſimiliter cadentia, in Gregorio numeroſus periodorum alternatim reſpondentium inceſſus, & alia his ſimilia; quae quantumlibet quis affectet, minime tamen aſſequi poſſit. Nec ſum neſcius eſſe, qui diverſum ſentiant, aſſerentes in deprehendendis titulorum impoſturis nullum eſſe indicium ſtylo fallacius: quoniam non idem ſemper ſit eidem dicendi modus, ſed pro argumenti ratione, vel aetatis mutatione, vel ſtudii profectu, vel affectuum diverſitate; & ſaepe duorum auctorum character ſit omnino perſimilis: quod nec ipſe prorſus inficior: aliter enim in epiſtolis ſcribit Hieronymus; aliter in decertationibus adverſus Rufinum & Vigilantium loquitur; & aliter in Commentariis Prophetarum: alio modo dicebat, cum eſſet admodum juvenis, & adhuc rhetorum exercitatione calens; atque alio modo ſenex, cum graviora, ac ſolidiora ſectaretur: ſed ita tamen ſemper ſcribit, ac loquitur, ut ubique eum agnoſcas eſſe Hieronymum: quemadmodum & familiaris tibi amici faciem nunc iratam, nunc mitem, nunc triſtem, nunc alacrem, ejuſdem ſemper eſſe hominis cognoſcis. Fateor etiam inter aliquos (etſi id rariſſimum ſit) tantam contingere poſſe ſtyli ſimilitudinem, ut eos non facile ſit diſcernere: tamen induſtrius ſtyli artifex ſimilitudinem a ſimilitudine diſtinguet non aliter, quam adamantes, magnitudine pares, & ſplendore non diſſimiles, interno-ſcunt gemmarii ſagaces. Verum, ut donemus diſcernendi judicium ſtyli ſimilitudine impediri: habebimus tamen non eſſe rem difficilem ex ſtyli diſſimilitudine, & characteris diverſitate falſarum adſcriptionum fucos animadvertere: ſiquidem Commentarios illos rudes & inconditos, ſoloeciſmis & barbariſmis ſcatentes, qui nunc Arnobii titulo veneunt, etiam mediocriter exercitatus ex ſermonis guſtu ſentiet non eſſe Arnobii illius praeſtantiſſimi Oratoris, qui ſeptem adverſus gentes eloquentiſſima ſcripſit Volumina. Commentaria ſimiliter in Job, & in Marcum, Hieronymianis Tomis inſerta, nullus unquam ſuſpicabitur eſſe Hieronymi, niſi qui eum putet Latinam linguam didiciſſe, & Graecam, & Hebraeam prorſus ignoraſſe. Non eſt igitur ſtyli conjectura, meo quidem judicio, caeteris poſthabenda. Atque haec pauca de notis diſcernendi pſeudepigrapha ſatis ſit attigiſſe: quae quanquam, ut ingenue fatear, non valeant aperte certeque demonſtrare, cujus auctoris ſit Opus, de quo ambigitur; non obſcure tamen indicant Opus nequaquam illius eſſe, cui adſcribitur. (a)

Libri quarti finis.

AU-

(a) Regulae a N. Xyſto traditae ad diſcernenda opera genuina a ſuppoſititiis, vera a falſis, &c. citra omnem dubitationis aleam nobiles ſunt, & tanto dignae Viro, qui propterea Criticis cunctis praeluxit, paravitque viam ad tam difficile, tamque proficuum opus. Verum quia plura itidem ſunt in praeſentiarum obſervata ſub tanti Viri norma, & in earundem regularum adplicatione recentiores Critici non modicum ſubiere laborem, praeſertim in luſtrandis innumeris, iiſque celebrioribus, Orbis Bibliotheeis; ad pleniorem Critices notitiam, exactiuſque laudatorum operum Criterium, operae pretium eſt, ut ii conſulantur, qui ea de re ex profeſſo ſcripſerunt, & de litteraria hiſtoria tractarunt, ſed praeſertim, qui novas PP. editiones dederunt, nimirum Mabillonius, Dupinius, Sirmondus, Petavius, Miraeus, Cotelerius, Simonius, NN. Natalis, Combefiſius, Lequien, aliique ſaepius laudati, praecipue PP. San-Mauraei. Ex Heterodoxis autem, Cavius, Oudinus, Fabricius, Fellus, Hyperius, Spanhemius, Rivetus, aliique, qui tamen caute ſunt in pluribus legendi, quum ex abuſu, & fraude non ſemel in re Critica veritati fucum facere, & ſacroſancta Orthodoxa dogmata ventilare pertentarint, ut notum eſt cunctis.

Digitized by Google

AUCTARIUM.

FInem criticis ac theologicis animadverſionibus jam poſueram, & priorem Bibliothecae Sanctae Tomum, quem propediem typis mandare feſtinabam, jam abſolveram, quum protinus Amici, quibus placuerat labor, quibuſve morem gerere religio mihi eſt, inſtanter ſuaſerunt, & rogando juſſerunt, ut veluti in appendicem, & mantiſſam adjicerem Elenchum Exegematicorum inluſtrium Virorum, eorumque omnium, qui ad Sacra Biblia ſpectantia opera confecerunt, & quos N. Xyſtus omiſit: praeſertim quia eo mediante tempore, quod mihi exſpectandum ſupererat, ut novi procuderentur characteres ad elegantiores typographicas formas, novum hoc poteram ſuſcipere, ac abſolvere opus. Ex praeterito labore nimium fatigatus gravique preſſus taedio ab hoc onere me ſubtrahere ſtudui, varias in excuſationem ſimilitudines proferens, ne laborioſius adgrederer opus. Ajebam enim: Spicae revera ſunt, quae deciderunt ab inſigni viro copioſam ſegetem in horrea deferentem, ſat erit ab eo collecta meſſis, reliqua, qui exoptat, reperire poterit in innumeris, quae hodie proſtant, Eccleſiaſticorum Scripeorum Bibliothecis. At reponebant Amici: Et haſce quidem ſpicas adligare, ac in manipulos adtollere ad notitiam & erudionem, tyronum ſaltem, ſummae erit induſtriae magnique decoris, quum in Divino eloquio commendetur Ruth Moabitis, quae decidentes e meſſoribus ſpicas ſibi collegit. Flores, inquiebam, utique ſunt, qui manus & oculos effugerunt adcuratiſſimi Viri, qui vel ex eo laudandus eſt, quia non ita claro rutilante Sole, ſed ſub obſcuriori Coelo, innumera percurrens arva, quos potuit legit; ut quid hodie clariſſimo coruſcante lumine eos colligam, qui omnibus conſpicui omnes delectant? Percurrant, qui exoptant, amoena prata, Criticorum adeant arva, ut ſibi legant, quos cupiunt ab Xyſto praetermiſſos: ſatis ſuperque eſt improbus, quem ſubii, labor; ut quid novam arduamque adſumere ſpartam, quum mihi nec otium ſuppetat, nec tempus, quod in eo conſumam? Reponebant illi: Et hoc ſolertiae eſt opus, laboris complementum, & commendabile quidem, quum in unum ſelectiſſimi flores adunentur ad ſolatium, & profectum eorum, qui Scripturarum ſtudio ſedulam operam navant. Meum itidem exponebam periculum, quum ego etiam in eadem deberem navigare cymba, idemque pervadere fretum; & quamvis hodie non ita ſalebroſum ſit litterarium pelagus, totque non redundet, ſicut olim, vadis ſyrtibus ac ſcopulis, vaſtum tamen eſt nimis, nimiumque profundum, ut notum eſt cunctis; heinc facile erat idem ſubire periculum, eandemque, ne dicam rigidiorem, pati cenſoriam virgam, quam in Xyſtum extenderunt, qui ab eo omiſſos indicarunt Auctores, inclamantes itidem quod non expreſſerit omnia, quae adhuc typis non erant demandata opera, quaeque in relatis Scriptoribus percenſet, aliis itidem ſilentio preſſis. Verum nec ceſſerunt illi, nec victas dederunt manus, qui inſuper omnem moverunt lapidem, ut ad laudatum me impellerent opus. Et hoc, ſubdebant, dignum laude cenſebitur, ſi aliquot ſaltem in medium proferantur, quorumque ſunt nota typis commiſſa opera denotentur expreſſe: quod ſi moroſi inſteterint Critici, ii quippe ſunt, qui etiam ſuos patiuntur lemures, in quos facillime poſſit faba recudi: praeſertim cum adcuratiſſimi de litteraria Hiſtoria Scriptores nec omnium operum in vulgus editionem noverint, quamplures haud diſtinxerint edita ab anecdotis Scriptorum opera, idque multoties nec ab ipſis Gentilibus ſciri poſſit, qui ſuorum Acta, & opera poterant bene callere. Precibus igitur hiſce, verbiſque devictus, ego, qui Amicis honeſta, etſi ardua, jubentibus reſiſtere neſcio, propriumque conſuevi deſpicere commodum, acquievi, ſubmiſi collum, at nonniſi centum Selectos ſpopondi ex omiſſis a Xyſto dare Auctores, & plenius plures, quos ille in Catalogo ſolum indigitavit, ſed IV. Libro penitus ſiluit, ut legentibus conſtat.

At quid? ceſſavit forte fortuna illorum inſtantia poſtquam ita inſervire ſtatui? Adjecerunt ultra rogare ſuadere ſtimulare, ut alterum conficerem Scripeorum Elenchum, qui poſt Xyſtum floruerunt, & de re Biblica opera vulgarunt, & quorum opera primitus conſcripta, nonniſi poſt N. Auctoris fatum fuerunt typis demandata. Immenſum improbumque primo intuitu videns mihi ex novo imperio ſupereſſe laborem, novam, eamque jure ſummo ab eis excipiendam, adhibere coepi excuſationem, atque ad effugiendum laborem indigitavi nonnullos qui catalogum, ſeu indicem confecerunt de re exegetica Scripeorum, praeſertim noviſſime Guillelmum Crovaeum (diu a me exquiſitum, numquam ad manus habitum) qui teſte Auguſtino Calmeto indicem hunc ad nobilem reduxit formam. Verum, illi inſtabant, urgebantque, ut ſaltem Clariores aliquot novo Albo adpingerem. Quid autem hoc foret, reponebam, niſi ex immenſo theſauro modicam referre ſtipem? At illi ſapienter arguteque objiciebant mihi in exemplum ſimul & exemplar Evangelicam Viduam, quae vel ex duobus minutis aeribus in Gazophilacium miſſis fuit a Domino commendata. Obmutui, conſenſi, parui, & plures tunc petentibus, nonniſi centum quinquaginta ex poſterioribus hiſce, quorum opera jam ſunt in vulgus edita, me daturum ſpopondi, eoſque dumtaxat, qui ſunt e Romana communione, ne fortaſſe zoilus quiſpiam fucum mihi faceret, ſi aliquot e doctioribus recentioribuſque Acatholicis laudarem (quamvis ſcrupulus hic non inſederit aut Xyſto, aut Mabillonio, aut Calmeto, aliiſque de S. R. E. & litteraria Republica optime meritis Scriptoribus, quare in priori Elencho unum aut alterum e veteribus heterodoxis, ſed ab aliis laudatum percenſere haud omiſi.) Quod ergo promiſi uberius exſequor, & longe plures, quam ſpopondi, dedi: heinc de me quiſque repetere poterit quod olim Horatius inquit

. . . . „ Amphora coepit „
„ Inſtitui, currente rota cur urceus exit? „

Eoſque praecipue laudavi, quos ea in re (ad ſtudium ſcripturarum capeſſendum videlicet) conſulendos proponunt VV. Cll. Bellarminus Labbeus, Poſſevinus, Calmetus, Mabillonius, Lelongh, Dupinius, N. Natalis, alique. Omni itidem praejudicio eliminato, ſimultate omni abacta, quacumque neceſſitudine ſpreta, cunctos univerſim ſelegi, quos laude dignos exiſtimavi: quamvis ne, cauſſa praejudicii eliminandi, ingratus forem Ordini, cui nomen dedi, aut injurius eſſem Regno, in quo natus ſum, illius, & hujus haud omittendos ſcriptores in Album redegi, quod ante me peregerunt ceteri erga ſuos Gentiles, praeſertim Galli, quibus haec conſuetudo ſancta eſt, inviolabilis, atque ſolemnis.

Quod autem hac in re peractum ingenue fateri poſſum, id praecipue eſt, quod, ut diſcernerem edita ab anecdotis, genuina a ſpuriis, ut patriam & inſtitutum Scriptorum expenderem (pro meo tamen virili, cum omnia ad umbelicum perducere ſit plane impoſſibile) omnem moverim lapidem, laborem non effugerim, operam, eamque ſedulam, haud omiſerim: heinc luſtravi Bibliothecas Hiſpanicam, Siculam, Belgicam, Romanam, Neapolitanam (& quae eidem addi-

Digitized by Google

addidit Joh. Bernardinus Tafuri Paritius Neritonenſis) Praedicatorum, Minorum, & Societatis Jeſu: conſului itidem, & fere de pagina ad paginam revolvi, (ſicut & laudatas Bibliothecas) Bellarminum, Labbeum, Poſſevinum, Miraeum, Dupinium, Annatum, Mabillonium, Calmetum, Lelongh, Niceronium, Maraccium, Simonium: e NN. Natalem, Combefiſium, Graveſonium, Gravina, & alios. Ex Acatholicis Fabricium, Rivetum, Oudinum, Cavium, aliosque; quinimo in fonte etiam plurium Scriptorum opera luſtravi, ut obſervarem probaremque num ad amuſſim referentium ea collimarent. Quapropter ſi in aliquo defecerim, non mihi vitio vertatur, quum omnia non poſſint ex eiſdem (ſaltem aliquibus) Collectoribus, aut Hiſtoricis plene hauriri; ſed potius ut humanae debilitati indulgeatur, exoro: praeſertim quum in priori elencho nequiverim omnia edita ab ineditis plene diſtinguere (quod in Xyſto plures carpunt, ſed immerito quidem, pluresque id exoptarunt, ſed in caſſum, ob rei difficultatem) eſto typis mandata non omiſerim: quapropter ad diſcrimen eorum, quae non ſunt typis commiſſa, *edita* ea dixi (quare dum aio *edidit*, idipſum volo expreſſum ac laudatum opus jam fuiſſe impreſſum) ſed adcurate etiam nuperam eorum editionem aut ſeorſim, aut apud alios Collectores adnotaverim, nec omiſerim quidem exprimere ubinam Cll. hominum MSS. ſerventur; quae autem non percenſui, idcirco praetermiſſa ſunt, quia nec ab Hiſtoriae literariae auctoribus colligere licuit ubi nam ea ſerventur: quos vero in poſteriori elencho percenſui, clarius diſtinguere potui, illorumque opera, quum enumeravi, typis commiſſa univerſim expreſſi dum edita dixi, ad diſcrimen eorum, quae MSS. aperte manifeſtavi.

Ad plenariam autem notitiam MSS. omnium, quae in celebrioribus Orbis Bibliothecis adſervantur, opportunum erit conſulere *Bibliothecam bibliothecarum* Cl. Bernardi Montfaucon, qui eo improbo labore omnibus praeripuit palmam.

Quia vero pridie quam typographicis formis mantiſſa haec committeretur animadverti, quod aliquot (paucis certe) Exegematicis Scriptoribus a N. Xyſto ſine Epocha laudatis, aetatis, qua floruerunt, tempus non adjeci, quod in longe pluribus vario ex momento haud omiſi: quamvis ex debito mei muneris, & operis ad id haud adſtringerer, ne tamen vel complementum hoc operi deeſſet, priori huic elencho adjiciendos eos putavi, brevi tamen epigraphe, ut ſaltem inter auctores omiſſos a Xyſto locum obtinerent ii, quorum aetatem ille adnotare omiſit. Nec miretur Lector ſi quamplures etiam abſque Epocha IV. Libro deſcriptos hic non inveniat recenſitos: aut enim incertae fuerunt aetatis, aut tempus, quo floruerunt, colligi nequivit ab iis, qui de Hiſtoria litteraria egerunt: quapropter ſicut conſulto ab ea abſtinuit Xyſtus, ſic etiam ego data opera & ſano conſilio eoſdem hic praetereundos exiſtimavi.

Tandem monitum volo Lectorem, quod, dum in priori Syllabo virum aliquem virtute ac ſanctimonia inluſtrem *Sancti*, aut *Beati* titulo inſignitum expreſſi, quod apud Hiſtoricos reperi, ſolum indigitaverim, neque per volam, neque per hilum declinare intenderim a decretis S. R. Sedis, cui collum & faſces ultro libenterque ſubmitto; Eos autem ita reapſe nominandos colendoſque fore adſero, quos Eccleſia ſuis Dypticis adſcriptos veneratur ut tales: quos vero in vetuſtis Nicrologiis aut Monologiis *Sancti*, aut *Beati* titulo decoratos inveni, Eccleſiae judicio ſolemnique illius decreto fore ſubjiciendos iterum iterumque adfirmo; eſto eodem, quo a veteribus honorantur, titulo non expoliem eos, quos, hiſtoricum agens, in medium produco ut ab aliis antelaudatos.

ELENCHUS PRIOR

SACRORUM SCRIPTORUM, QUOS N. XYSTUS OMISIT.

A

S. ABBO FLORIACENSIS (alter ab Abbone Monacho S. Germani Pariſienſis diſcipulo Aimonii) Abbas Ordinis S. Benedicti, praeter alia plura, quae lucubravit, ſcripſit Homilias in Evangelia, & de Coena Domini librum unum. Ad Superos evolavit Anno Domini MIV.

ABSALON SPINKIRBACENSIS, Abbas Ord. Canonicorum Regularium, probus, & eruditus, ſcripſit varios in Evangelia Sermones editos Coloniae Anno MDXXXIV. Ipſe autem floruit Anno MCC.

ADAMUS BARKINGENSIS, Anglus, Monachus Clarofontanus, ſcripſit Poſtillas breves in Vetus & Novum Teſtamentum, quae MSS. ſervantur Cantabrigiae in Collegio S. Benedicti. Ejus praeceteris meminerunt Voſſius, & Dufreſnius, qui poſtremus floruiſſe illum adſerit Anno MCCXVII.

ADAMUS ESTON, Anglus, Ord. S. Benedicti, Epiſcopus Herofordienſis, & S. R. E. Cardinalis, Vetus Teſtamentum ex Hebraeo Latinum fecit. Obiit Anno MCCCXCVII.

ADAMUS DE MARISCO, Anglus, Ord. S. Franciſci, quem ob eruditionem adpellarunt, juxta illius temporis morem, *Doctorem inluſtrem*, ſcripſit Commentarium in Cantica Canticorum in I. Petri, & in Catholicam Judae epiſtolam, Homilias III. in Levitici Cap. XX. & totidem in Cap. III. Geneſeos, duas in in Joëlis III. Homilias plures in Feſta SS. & Adventum Domini. Elucidarium etiam in S. Scripturam, & alia opera, quae fortaſſe apud ſuos MSS. ſervantur, quum fileat Waddingus. Claruit Anno MCCLX.

ADAMUS DE PERSENNA, ſeu Perſenniae, Abbas Ordinis Ciſtercienſis (non vero S. Benedicti, ut olim ſenſit Trithemius, quem viriliter ex variis monumentis impugnavit Oudinus) in Epiſcopatu Cenomanenſi, aeque doctus, ac pius, in divinis Scripturis jugi exercitatione verſatus, ſcripſit Allegorias Vetetis, & Novi Teſtamenti primum Pariſiis impreſſas Anno MDI. & varios Sermones de Tempore ac de Sanctis, qui ſimul cum allegoriis ac epiſtolis ejus Romae fuerunt excuſi Anno MDCLII. Floruit autem Adamus Anno MCXCI.

ADAMUS SCOTUS, Canonicus Regularis Praemonſtratenſis, plura ſcripſit (impreſſa poſtmodum Antuerpiae An. MDCLIX.) praecipue Homilias in Ramis Palmarum, in Coenam Domini, in Octavam Paſchae, in Aſcenſione Domini, in Feſto Pentecoſtes, & in Feſto Trinitatis: ſimiliter de ſapidis Scripturae deliciis, de Martha, Maria, & Lazaro. Vivere deſiit Anno MCLXXX.

ADAMUS SILVANECTENSIS EPISCOPUS, natione Gallus, cognomento de Chamilli, primum Monachus Ciſtercienſis, qui Concilio Lugdunenſi interfuit, plures in S. Scripturam reliquit Sermones, quos MSS. vidit in Bibliotheca Longipontis Ordinis Ciſtercienſis Caſimirus Oudin, ut ipſe teſtatur *Tom. III. col. 156.* Obiit vero Adamus circa Annum MCCL.

ADAMUS DE WODEHAM, Anglus, Ordinis Minorum, Guillelmi Okami diſcipulus, Doctor Oxonienſis, pluribus in Academiis S. Theologiae Profeſſor, a Johanne Majore pro merito commendatus, ſcripſit Commentarios in Cantica Canticorum, & Poſtillas in Eccleſiaſticum, & alia apud ſuos in Germania ſervata. Sermones Euchariſticos LXIX. Antuerpiae vulgatos Anno 1608. Babvvellae prope Buriam deceſſit Anno MCCCXXXVIII.

ADRIA-

Digitized by Google

ADRIANUS, ISAGOGES AUTHOR, edidit Introductionem in Sac. Scripturam, quam commendat Photius *Codice* 2. Claruit juxta computum Jacobi Usserii circa Annum CDXXXIII.

AEGIDIUS FABER, vulgo DE SMEDT, Bruxellenſis, Carmelita, Theologus Doctor Lovanienſis, ex Trithemio ſcripſit de Teſtamento Chriſti in Cruce, & Commentarios in Ruth, Job, & Epiſtolam ad Romanos. Obiit Bruxellae MDVI.

AEGIDIUS VITERBIENSIS, Supremus Eremitarum S. P. Auguſtini Superior, linguarum Graecae & Hebraicae peritiſſimus, ſcripſit Commentarium in tria priora Capita Geneſeos. Dies explevit Anno MDXXXII.

AELFRICUS, ſeu AELFRIDUS, ſive ALFRIDUS, vel ALFRICUS, Junior dictus, & Grammaticus, ad diſcrimen duorum Alfricorum, de quibus praecipue Oudinus agit, Monachus Ciſtercienſis & Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſcripſit Tractatum de Novo, & Veteri Teſtamento publicatum Londini Anno MDCXXIII. una cum Sermone Paſchali, ſeu de Sacrificio in die Paſchae. Similiter edidit Gloſſas interlineares Latine, & Saxonice in Proverbia Salomonis, pluraque alia, quae etiam commemorant Voſſius, Cavius, alique. Claruit Anno CMLXXX.

S. AGOBARDUS, Epiſcopus Lugdunenſis, natione Gallus, Leidradi Norici, doctique viri ſucceſſor, ſcripſit praeſertim contra Felicem Urgelitanum Epiſcopum, plura etiam edidit opera, quae cum diu latuiſſent, opera Papirii Maſſoni J.C. edita fuerunt Pariſiis Anno MDCV. Inter ea plura ſunt, quae ad Sacram Scripturam pertinent, praeſertim ad Hiſtoriam Evangelicam, & dogmata ejuſdem, nimirum de Judaicis ſuperſtitionibus, De Antichriſto Tractatus II. De divinis Sententiis cum adnotationibus circa Judicii diem, & de Inferis. Ad Coeleſtem gloriam evolavit Anno circiter DCCCXLI.

S. AIDANUS ANINIUS, natione Scotus, Monachus Coenobii Hui, ſeu Hyenſis in Hibernia, & deinde Archiepiſcopus Landisfarnenſis inauguratus Anno DCXXXV. plura ſcripſit, quae Tritemius, Poſſevinus, & alii percenſent, nimirum Commentaria, & Homilias in Scripturam, ſed non expendunt, quaenam ea ſint opera, & an aliquando typis mandata; aut ubi ſerventur MSS. Ad coeleſtem patriam tranſiit Anno DCXLV. & Sanctorum faſtis fuit adſcriptus Anno DCLI.

Alalphus, ſeu Alulphus (de quo N. Xyſtus) floruit Anno MXCVIII.

ALANUS DE LIMNA, ſeu de LINNA, Anglus, Ord. Carmelitarum, virtutibus inſignis, inter alia ſcripſit Moralia Bibliorum duobus libris comprehenſa. Sermonum libros duos, Elucidarii Sac. Scripturae librum unum. Floruit Anno MCCCCXX.

ALBERTUS DE BONONIA, Ord. Minorum, compoſuit Poſtillam ſuper univerſa Biblia. Quo anno claruerit, nec ex Wadingo colligere potui.

ALBERTUS CASTELLANUS, natione Italus, patria Venetus, Ord. Praedicatorum, & Sac. Theologiae Magiſter, cujus cum laude meminerunt clariores Italiae Hiſtorici, edidit Sacra Biblia cum concordantiis Veteris, & Novi Teſtamenti, ac cum contextibus Sacrorum Canonum ad margines, typis mandata Venetiis MDXIX., nec non varios Sermones, aliaque varii argumenti opera, quae N. Jacobus Echard diſtincte percenſet. Quando obierit incertum: probabile eſt extremum clauſiſſe diem circa finem XV. Saeculi.

ALBERTUS JOHANNIS, Harlemius, Batavus, Ord. FF. Carmelitarum, Doctor Lovanienſis, ſcripſit Lecturam in Eccleſiaſticum, In I. Johannis Canonicam Epiſtolam, & alia, quae non dum ſunt edita. Mortuus eſt Mechliniae Anno MCDXCVI.

ALBERTUS NOVOCAMPIANUS, ſcripſit Scopum Bibliorum Novi, & Veteris Teſtamenti cum Annotationibus, & alia Dogmatica, ac Moralia, edita Cracoviae Anno MDLII.

ALBERTUS SIGEBERGENSIS, Monachus O. B. natione Germanus, ſcripſit Gloſſas in Vetus, & Novum Teſtamentum, quae MSS. ſervantur in Bibliotheca Paulina Lipſienſi. Floruit Anno MCCCCL.

S. ALDELMUS, ſeu ADELMUS, ſive ANTHELMUS, Anglus, Kenredi filius, Inae Viſi-Saxonum Regis nepos, ex Monacho Benedictino (ut Mabilonius *Sec. I. Benedict.* probat) & Bladulenſi Abbate apud Scotos Epiſcopus Saxonum Occidentalium, ſive Schirburnenſis, conſecratus Anno DCLXXI. plures ad Catholicam Fidem adduxit (de quo praeſertim conſulendus eſt V. Beda *Lib. V. Hiſt. Anglor. c.* 19.) plura etiam ſcripſit, quorum aliqua extant in Bibliotheca Veterum PP. alia edidit Martinus del Rio, alia apud Caniſium extant, alia ſunt inedita, quaeque ab Eiſengero, & Poſſevino laudantur: praeſertim vero dedit Polyanthaeam, ſeu de floribus utriuſque Teſtamenti. Coelum petiit Anno DCCIX.

ALEXANDER AB ALEXANDRIA Staticllorum in Ducatu Mediolanenſi, Ordinis Minorum, Provinciae Genuenſis alumnus, poſtea Miniſter Generalis ordine VI. plura ſcripſit Theologica opera, nec non Poſtillas in Eccleſiaſticum. In Iſaiam. In Tobiam. In Evangelium Johannis, & in Epiſtolas Pauli, quae ſervantur in Bibliotheca Vaticana. In munere Generalis Miniſtri defunctus Romae ad Aram-Coeli, ibique fuit tumulatus Anno MCCCXIV.

ALEXANDER Prior Generalis Eremitarum S. P. Auguſtini, & a Pio II. creatus S. R. E. Cardinalis, pietate, & doctrina inſignis, dedit de Chriſti ortu Sermones centum, & de Coena Chriſti cum Apoſtolis Tractatum unum. Floruit Anno MCDLX.

ALEXANDER WENDOK, Anglus, Epiſcopus Ceſtrienſis, ſcripſit Poſtillam ſcholaſticam in Pſalterium, & varios Sermones. Vixit An. MCCCXXXIII.

ALPHONSUS ZAMORA, natione Hiſpanus, ortu Judaeus, & Synagogae Doctor priuſquam ſalutari fonte expiaretur; verum baptiſmate luſtratus Complutenſium Bibliorum editioni a Card. Ximenio adplicatus inſignem navavit operam. Edidit etiam Vocabularium Hebraicum, & Chaldaicum Veteris Teſtamenti. Interpretationes nominum Chaldaeorum, Graecorum, & Hebraeorum utriuſque Teſtamenti. Catalogum eorum, quae in utroque Divino Foedere amanuenſium oſcitantia aliter ſcripta ſunt ac in Antiquis Bibliis Hebraice, & Graece extant: Vivebat Anno MDVI.

AMANDUS ZIERIXENSIS, Ordinis Minorum, Belga in Zelandiae Inſula Scovvia ad mare Germanicum, Latinae, Graece, Hebraicae, aliarumque externarum linguarum peritiſſimus, Theologiae Doctor, Antiquitatum ſtudioſiſſimus indagator, & Germaniae Inferioris Miniſter Provincialis, edidit Chronicon Mundi ab ejus exordio ad Annum Domini MDXXXIV. uſque vulgatum Antuerpiae eodem Anno MDXXXIV. Commentarios in Geneſim. In Jobum. In Pſalmum CXVIII. In Eccleſiaſten. De LXX. Hebdomadibus Danielis. De XL. Manſionibus, & alia opera a Wadingo relata, quae eodem teſte Lovanii in Conventu Ordinis MSS. ſervantur. Exceſſit e vivis Anno MDXXXIV.

AMATUS CASINENSIS, Monachus S. Benedicti, & incertae Sedis Epiſcopus, ſcripſit de geſtis Apoſtolorum Petri, & Pauli carmine libros IV. De XII. lapidibus librum I. Alterum vero de Coeleſti civitate Jeruſalem. Ex Leone Oſtienſe floruit Anno MLXX.

AMBROSIUS, patria Neapolitanus, ex Ordine Eremitarum S. P. Auguſtini, Epiſcopus Samoſenſis, Mantuae ſuffraganeus, dedit Tractatum de Mundi genitura, ubi de opere ſex dierum. De tribus Magdalenis, & de unica Magdalena. Expoſitionem in Salutationem Angelicam, Sermones varios, & alia Polemica opera. Neapoli Studiorum Regentem agebat Anno MDXIX.

B. ANDREAS ANAGNINUS e Comitibus Signiae, Alexandri III. & IV. ac Bonifacii VIII. PP. conſanguineus, Ord. Minorum S. Francisci, eximiae virtutis

rutis homo, qui Cardinalitiam dignitatem a Bonifacio VIII. sibi oblatam recusavit. Scripsit Volumen de Partu Virginis, non dum editum. Ad Dominum transivit Anno circiter MCCXCV. & ab Innocentio XIII. Beatorum fastis fuit adscriptus. Vide, quae de B. Andrea scripsit nuperrime *De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canonizat. lib.1. cap. 31. nu.16., & lib.2. cap.24. §.41. 156. & 159.* Prosper Cardinalis Lambertinus, nunc SS. Pontifex Benedictus XIV. qui virtute ac doctrina eximia viam sibi ad Petri Solium stravit, dignus propterea, qui in suprema Cathedra sedeat, omnium ore pro merito laudandus.

ANDREAS PRESBYTER, si conjicere licet, Constantinopolitanus, incertae aetatis, contexuit Catenam amplissimam Vett.PP. in Proverbia Salomonis, & in Isaiam, quae extat MS. in Bibliotheca Vindobonensi.

ANDREAS VICTORINUS, natione Anglus, Canonicus Regularis S. Victoris Parisiensis, & Hugonis de S. Victore discipulus, scientia & moribus clarus, eleganti stylo scripsit Commentarios in Pentateuchum, in Josue, Libros Judicum, Regum, & Paralipomenon. In Proverbia Salomonis, In Ecclesiasten, In Esaiam, In Jeremiam, In Danielem, & XII. Prophetas Minores. Quae opera teste Oudin extant in Bibliotheca S. Victoris prope Parisios Canonicorum Regularium S. Augustini. Claruit Andreas Anno MCXL.

ANGELUS DE CAMERINO, Italus, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, praeter quamplura Theologica opera scripsit etiam in IV. Evangelia, & in XII. Paulinas Epistolas Commentaria, quae servantur in Bibliothecis S. Marci Mediolani, & S. Spiritus Florentiae. Vivebat Anno MCCCXL.

ANGELUS CANINIUS, Anglarienfis (teste Hayo) scripsit Historicam narrationem aliquorum locorum Novi Foederis. Claruit Ferdinando Imperatore.

B. ANGELUS SINESIUS, Siculus, Catanenfis, Ord. S. Benedicti, Abbas S. Martini de Scala, regularis observantiae promotor insignis, aliisque virtutibus, ac scientia clarus, plura scripsit, praesertim (ut tradunt Pirrus, & Mongitore) expositionem in Psalmos, quae MS. servatur in eodem Coenobio. Aeternam in Coelo percepturus coronam terram reliquit Anno MCCCLXXXVI.

ANSELMUS POLONUS, Ordinis Minorum, dedit descriptionem Terrae Sanctae. Vivebat An. MDV.

Antipater Bostrensis (de quo N. Xystus) floruit Anno CDLX.

ANTONIUS BECCARIA, seu DE BECCARIIS, Italus, Ferrarienfis, Ordin. Praedicatorum, Episcopus Scutanensis, plura scripsit, quae Anno MDXV. fuerunt Typis mandata, eaque inter ad rem nostram facientia extant Glossemata super Psalmos secundum quatuor sensus. Expositio per modum Lecturae super Jobum. Homiliae XL. alteri stylo super *Psalmum Beati immaculati*. Diem clausit extremum Anno MDXXXIV.

ANTONIUS DELPHINI, Italus, e Casali majori, Ord. Min. Conventualium, vir doctissimus, & Vicarius Generalis sui Ordinis, edidit Commentarios in IV. Evangelia, & in Epistolam ad Hebraeos, impressos Romae MDLXXXVII. Ipse vero grandaevus Bononiae (vel Romae) suos complevit dies An. MDLX.

ANTONIUS A KONINGSTEIN, Noviomagensis, Ordinis Minorum, edidit Monotessaron ex IV. Evangeliis, Commentarium in epistolam ad Romanos, & Sententias Bibliorum. Ad meliorem vitam transiit Anno MDLI.

Antonius Nebrysiensis (de quo N. Xystus) floruit Anno MCCCLXXX.

S. ANTONIUS DE PADUA, a loco sepulchri sic dictus, gente Lusitanus, patria Olysiponensis, Ordinis Minorum, sanctitate, doctrina, & miraculis clarus, varia edidit opera, pluries, & novissime etiam impressa, praecipue interpretationem mysticam in Sacram Scripturam, & Concordantiarum Moralium in S. Biblia libros IV. Ad immortalitatis gloriam adscendit An. MCCXXXI. & sequenti Anno a Gregorio IX. Pontifice Maximo inter Sanctos fuit relatus.

Arethas (de quo N. Xystus) claruit Anno DXL.

Armandus de Bellovisо (de quo N. Xystus) floruit circa Annum MCCCXXXIII.

ARNOLDUS, sive ARNALDUS BERNARDI (quem Hayus, & Possevinus perperam in duos dividunt, nimirum in Alvardum de Cadurco, & Bernardum Arnoldi, ut N. Echardus observavit) Ordinis Praedicatorum, Gallus, Aquitanus, patria, & professione Caturcensis; heinc vulgo *de Caturco* adpellatus, insignis XIV. Seculi S. Theologiae Professor, scripsit Postillam in Apocalypsin. Commentarium in aliquot Psalmos, & in Officium Defunctorum Lecturam, & Sermones in VII. Psalmos Poenitentiales, alia itidem ei adserit Bertrandus, quae omnia fortasse MSS. Tolosae servantur. Diem obiit ultimum circa Annum MCCCXXXIV.

ARNOLDUS, sive ARNALDUS BONAE-VALLIS ABBAS Ord. S. Benedicti in Dioecesi Carnutensi (unde, & *Carnutensis* dictus) edidit Tractatum de VII. verbis Domini e cruce prolatis. De Cardinalibus Christi operibus. De ablutione pedum, inter opera Cyprianica, Commentarios in Psalmum XLIV. & Psalmum CXXXII. Idem ea dedit, quae Arnulpho Anglo tribuit Hayus. Claruit Anno MCLXII.

ARNOLDUS CORBEJENSIS, Saxo, Ordinis S. Benedicti, Proverbia Salomonis heroico versu cecinit. In humanis agebat Anno MXXX.

ARNULPHUS ANGLUS, Roffensis Episcopus, Ordin. S. Benedicti, ex P. Hayo scripsit de operibus sex dierum librum I. Homilias, & Sermones. Vixit Anno MCXXVI. Sed haec opera spectant ad Arnoldum Abbatem Bonae-Vallis, ex sententia Oudini, Dacherii, & aliorum.

ARNULPHUS Monachus, Benedictinus, ex Proverbiis Salomonis convenientiores sententias, & litteram, & allegoriam metrico lepore descripsit. Vivebat Anno ML.

ASTENSIS (quem laudat Hayus) scripsit Sermones in Evangelia a Paschate usque ad Adventum. Sed quisnam sit hic Astensis non licet ex eodem colligere. Fortasse erit Asteranus Astensis in Subalpinis, cujus Summa de casibus conscientiae fuit edita Venetiis Anno MCDLXXX. ipse vero floruit sub Ludovico Imperatore Anno MCCCXXX.

AUGUSTINUS DE ASCULO, Italus, Ordin. Eremitarum S. P. Augustini, scripsit in Genesim, & de Evangeliis ad discipulos suos in Patavino Gymnasio degentes. Quae simul cum aliis ejus operibus Patavii, & Bononiae apud suos MSS. servantur. Cum hominibus conversabatur. Anno MCCCLXXXV.

AUGUSTINUS DE LEO, Ordin. Eremitarum S. Augustini, scripsit Sermones in Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Nil ultra de eo habet Hayus.

AUGUSTINUS TICINENSIS, Canonicus Regularis Lateranensis, inter alia plura, quae typis mandavit, edidit etiam expositionem in Psalmum *Deus in nomine tuo salvum me fac*. Vivebat Anno MDXX.

B

BALTAZAR SORIO, Ord. Praedicatorum, Aragonus, Valentiae natus, Regularis observantiae eximius cultor, ac promotor, Theologus doctissimus, cetera inter opera, quae publici juris fecit, edidit Tractatus tres exegeticos, nimirum, I. De B. Mariae Virginis genealogia, cognatis, ac consanguineis. II. De triduo Christi in sepulchro, III. De triplici Magdalena: nec non Homilias X. Paraeneticas in Psalmum XLIV. Centenario major mortem laetus adspexit Anno MDLXVII.

S. BARTHARIUS (Tritemio BARTHERIUS) natione Gallus ex regio Francorum sanguine ortus, in Monasterio Casinensi vitam monasticam amplexus, & ibi-

Digitized by Google

ibidem Abbas institutus, ad Altare sacra faciens a Saracenis Casinum invadentibus obtruncatus vera Dei victima occubuit Anno MCCCLXXXIV. scripsit Quaestiones in utrumque Testamentum, & librum unum Homiliarum in Evangelia, quae in Bibliotheca Casinensi MSS. servantur.

BARTHOLOMAEUS CAMERARIUS, Neapolitanus, ex patritia familia, Beneventi natus, Dominus oppidorum Petrae Elcinae, & Peschi, U. J. peritissimus, & sui temporis Theologus insignis, in Regia Neapolitana Studiorum Universitate Feudalis Juris interpres, a Carolo V. Regii Patrimonii Conservator delectus, deinde Regiae Camerae locumtenens institutus, varia edidit opera, cum Juridica, tum Feudalia, tum etiam Polemica, quae inter extat explicatio Dominicae Orationis praecipue ad retundendos Heterodoxos. Neapoli diem complevit ultimum Anno MDLXIV.

BARTHOLOMAEUS CLUNIACENSIS ABBAS, virtutum & doctrinae fama clarus scripsit sermones in Evangelia de Tempore & de Sanctis. Floruit Anno MCCXX.

BARTHOLOMAEUS GLANVILLUS, Ordinis Minorum, natione Anglus, ex Comitum Suffolcienſium familia ortus, Philosophiam ac Theologiam Oxonii, Lutetiae, & Romae docuit: inter cetera autem sui ingenii monumenta procusa extant Allegoriae & Tropologiae utriusque Testamenti. Claruit XV. incipiente Seculo.

Bartholomaeus Parvus (de quo N. Xystus) claruit Anno MCCCXXXIII.

S. BASILIUS SELEUCIESIS, in Isauria Metropolita, S. Johanni Chrysostomo contubernalis, & necessitudine junctus, heinc Basilio huic libros *de Sacerdotio* nuncupavit Chrysostomus teste Photio *Cod.* 168. etsi hoc non probetur aliis, qui alium adstruunt Basilium Chrysostomo familiarem ex epochae diversitate, ut mox patebit, edidit Orationes XLIII. in Sacram Scripturam, nimirum, in Vetus & Novum Testamentum, & seorsim de Transfiguratione Domini. Claruit Anno CCCCXLVIII.

BASILIUS ZANGHIUS, Italus, Bergomensis, Canonicus Regularis Lateranensis, & Vaticanae Bibliothecae custos, purioris litteraturae, & admirabilis eruditionis, praeter ea, quae ad humaniores literas spectant, edidit etiam Adnotationes in S. Scripturam. Quaestiones in IV. Libros Regum, & in duos Paralipomenon Romae MDLIII. Edidit etiam Tractatum de modo, & ratione interpretandi Sacram Scripturam, Romae decessit Anno MDLX.

S. BEATUS (qui ab Hispanis vulgo S. BIECO dicitur) Abbas Ordinis S. Benedicti, qui scripsit contra errores Felicis, & Elipandi, dedit etiam Commentarium in Apocalypsin, quem MS. servari in Coenobio Hispalensi S. Isidori adstruit Possevinus. Claruit Anno DCCLXX.

B. BENEDICTUS XI. Pontifex Maximus, prius dictus F. Nicolaus Boccasinus, Ordinis Praedicatorum, cujus etiam fuit Generalis Magister, primique nominis Theologus, scripsit Commentarios in Psalmos. In Jobum. In Apocalipsin. In Caput V. Matthaei absolutissimum edidit commentarium typis Venetis commissum Anno MDCIII. De aliis etiam ejus opusculis consule Nostrates. Perusii evolavit in Coelum Anno MCCCIV. & a Clemente XII. ejus cultu ab immemorabili adprobato solemniter Beatorum fastis fuit adscriptus Anno MDCCXXXVIII.

BENIAMIN BEUPORT, Gallus, Franciscanae observantiae, Gallice Parisiis edidit Monotesseron Evangeliorum, Harmoniam, & consensum Evangelistarum. Vivebat eodem Anno, quo haec vulgavit MDLXI.

S. BERENGOSUS, Abbas Monasterii S. Maximi Trevirorum, plura scripsit, quae extant Tom. III. Bibliothecae Veterum PP. in qua praecipue est legere ejus Homilias in illud Psalmi LVIII. *Deus re-*

pulisti nos. In illud Levitici VI. *In sartaginè oleo consperſa, &c.* & super illud *Ignis in altari meo semper ardebit*. Floruit Anno MCX.

BERNARDUS DE AMBASIA, Prior Provincialis Ordinis Carmelitarum Tholosae, scripsit in Epistolam S. Jacobi librum I. & in I. Canonicam Johannis librum I. Claruit Anno MCCCLIV.

BERNARDUS ARNOLDI, Vide Arnaldum, seu Arnoldum Bernardi.

BERNARDUS DE TRILLIA, seu DE TRILHA, Ordinis Praedicatorum, Gallus, Occitanus, Nemausi natus, Parisiis sententias legit, & per omnes scholasticos agones Magisterii lauream consecutus, Provinciae suae Provincialis Prior creatus, plura scripsit cum Philosophica tum Thelogica, quae N. Echardus distincte percenset, praecipue Postillas in Psalterium. Proverbia, Ecclesiasticum, Sapientiam, Cantica Canticorum, Evangelium Johannis usque ad Cap. XI. & Apocalypsin. Avenione (ubi fortasse ejus opera MSS. servantur) in suo Conventu denatus est Anno MCCXCII.

BERTRANDUS DE PARAYTE, Tolosanus, Ordinis Erem. S. P. Augustini, scripsit in Actus Apostolorum lib. I. In Epistolas Canonicas Libros XIV. In Apocalypsin librum I. . In vivis erat Anno MCCCLXX.

BERTRANDUS DE TURRE (quem Possevinus Mediolanensem dicit, & Hayus ab alio Mediolanense Minorita distinguit, quasi duo fuerint Bertrandi Minoritae; & per errorem quidem, ut Wadingus ostendit) Gallus, Aquitanus, Cadurcensis Dioecesis, Ordinis Minorum, vir doctissimus, qui pro illorum temporum consuetudine *Doctor famosus* audiebat, ex Ministro Provinciali Aquitaniae Anno MCCCXIX. ad Salernitanum Archiepiscopatum, & sequenti anno ad Cardinalitiam dignitatem adsumtus, deinde ad Tusculanam Ecclesiam evectus, pluribus Apostolicis legationibus functus, plura scripsit, quae in Bibliotheca Vaticana servantur; & ad rem nostram spectantia Explicationem in Evangelia, & Epistolas, quae per annum in Ecclesia leguntur. Sermones Quadragesimales. Fuerunt autem ex suis operibus impressi Argentorati MDI. Sermones Epistolares, seu in Epistolas Missalis. Avenione suos complevit dies circa Annum MCCCXXXIV.

S. BRUNO, seu BRUNUS, Italus, Ligur, ex inlustri Astensium sanguine, Episcopus primum Signinus, seu Signiensis, deinde abdicato Episcopatu Monachus Casinensis & postea omnium Fratrum concordi voluntate Abbas electus praefuit annis tribus ac mensibus decem, sed a Paschali II. R. P. coactus ad suum rediit Episcopatum. Scripsit Commentaria in Pentateuchum. In Job. In Psalterium. In Cantica Canticorum. In Apocalypsin. In Canticum Zachariae. Homilias, seu Sermones CXLV. & quamplura alia Theologica opera, quae omnia studio & cura Mauri Marchesii, ut Cavius scribit, in unum collecta, & authori suo vindicata duobus Tomis fol. fuerunt impressa Venetiis MDCLXI. Bruno autem obdormivit in Domino Pridie Kal. Septembr. An. MCXXV.

Bruno Colonienſis Archiepiscopus (de quo N. Xystus) obiit Anno CMLXV.

C

S. CAESARIUS, gente Gallus, in Provincia Cabilonensi honestis parentibus natus Anno CDLIX. primum Monachus Lerinensis, deinde Episcopus Arelatensis, plures edidit in S. Scripturam Homilias (e quibus plures olim S. Augustino adjudicatas eidem Caesario restituimus) Tractatum etiam edidit de X. Virginibus typis quoque mandatum. Ad aeternam gloriam commigravit anno DXLII.

Cedmonus (de quo N. Xystus) floruit Anno DCLXX.

Digitized by Google

CHILIANUS LEIB, Oſtrofrancus, Canonicus Regularis S. P. Auguſtini, edidit Tractatum de Sacrae Scripturae diſſonis translationibus Anno MDLVII.

CHRISTIANUS CISTERCIENSIS ABBAS (de quo conſuli poſſunt praecipue Fratres Sammarthani, Mabillonius, & Duſneſnius ob variam *Chriſtiani* profeſſionem patriam & dignitatem ex varia Authorum opinione) lucubravit Collectaneum Sermonum de variis argumentis cum brevibus expoſitionibus diverſorum S. Scripturae locorum. Habentur MSS. in Bibliotheca S.Germani Pariſienſis. Floruit Anno MCLXXX.

CHRISTOPHORUS MOLHUSENSIS (non bene ab Hayo dictus *Nolhamſenſis*) Anglus, Ordinis Praedicatorum, ſcripſit Poſtillas in Evangelia, in omnes Epiſtolas cum Paulinas tum Canonicas, & in Apocalypſin, adhuc ineditas. Vivebat Anno MCCCL.

CLEMENS LANGTHON, Anglus, Canonicus Regularis S. P. Auguſtini, Scripſit Gloſſas in Pſalterium. Concordiam IV. Evangeliſtarum. Commentarios in IV. Evangelia. Commentarios in Acta Apoſtolorum, & in VII. Canonicas Epiſtolas, quae omnia in variis Angliae Bibliothecis ſervari Oudinus commemorat. Claruit Anno MCLXX.

COMPLUTENSES DOCTORES, qui interſione S. Scripturae conlaborarunt. Ferdinandus Nonnius, vulgo *Nunnes Pinctanus*, Alphonſus de Zamora, Alphonſus Medicus Complutenſis, & Petrus Coronellus juſſu Cardinalis Ximenii Hebraicos Veteris Teſtamenti libros: Demetrius Lucas Cretenſis, Aelius Antonius Nebriſſenſis, Didacus Lopez Stunica, & Johannes de Vergara omnes tam Veteris, quam Novi Teſtamenti libros ex Graeco in Latinum idioma tranſtulerunt. Claruerunt enim Doctores iſti (quos ſimul laudare decuit) Anno MDXV.

CONANTIUS PALENTINUS EPISCOPUS in Hiſpania ſcripſit Orationum libellum de omnium proprietate Pſalmorum, certe ineditum, floruit Anno DCXXXIII.

Conſtantinus Presbyter (de quo N.Xyſtus) floruit Anno CCCCIV.

S. COSMAS HIEROSOLYMITANUS, vel ut aliis placet, HAGIOPOLITES, origine Italus, Damaſcum a praedonibus ductus, & a Patre S. Johannis Damaſceni huic diſcipulus concreditus itaprofecit virtute & doctrina, ut ex Monacho Abbas factus, & Epiſcopus Majumenſis, clarus & Eccleſiae & litterariae Reipublicae fuerit. Praeter alia ejus opera, quae extant in Bibliotheca Veterum PP. ſcripſit Ἔκφρασιν, ſeu enarrationem metricam ſingulorum Pſalmorum totius Pſalterii Davidici carmine Jambico, quae teſte Cavio habetur MS. Biblioth. Vindobon. Cod. *Theol.* juxta ordinem Lambecianum CXVIII. Neſſalianum vero LIII. Floruit autem Coſmas Anno DCCXXX.

Coſmas Indicopolenſis (de quo N.Xyſtus) floruit Anno DLXXVI.

D

DAMIANUS CRASSUS, Ripolenſis, quod oppidum eſt in Subalpinis non longe ab Auguſta Taurinorum, Ordinis Praedicatorum, Utriuſque Lombardiae Provincialis Prior, praeter alios, quos edidit, Tractatus, Anno MDXV. typis mandavit librum de S. Johannis affinitate & conſanguinitate cum Chriſto Domino. Similiter dedit inſigne commentarium in Jobum, num autem typis commiſſum? ignoro. Floruit Anno MDXV.

DANIEL BOMBERGIUS, Antuerpienſis, Vir pius & doctus, ac ita Hebraice eruditus, ut nomen ſuum omnium ſeculorum memoriae commendarit: Typographum namque Venetiis agens pluribus conlatis exemplaribus vulgavit Biblia Hebraea cum Maſora, & paraphraſi Chaldaica Onkeloſi in Pentateuchum, Hieroſolymitana in eundem, & Jonathanis filii Uzielis in Prophetas. Item cum commentariis Rabbinorum, heinc Biblia Rabbinica dicta. Dedit etiam eadem Biblia Hebraica cum quibuſdam variantibus lectionibus: quapropter eum pro merito commendarunt Arias Montanus, Jacobus Lelongh, aliique. Obiit Venetiis Anno MDXLIX.

DAVID DE OBUGE, Hibernus, ſcripſit Poſtillas in Sacram Scripturam. Claruit Anno MCCCXX.

DESIDERIUS ERASMUS ROTTERODAMUS, antea Gerardus Gerardi dictus, Retterodami, (ſeu Gaudae, ut aliis adridet) natus, primum Canonicus Regularis S. P. Auguſtini, deinde ex indulto Julii II. & Leonis X. RR. PP. dimiſſo habitu Sacerdos Secularis in Taurinenſi Academia S.Theologiae Doctor renunciatus, Graece, & Latine ſupra omnem aetatis ſuae ſpem doctus, eaque de cauſſa in alios infenſus, quapropter multorum vel invidiam vel cenſuram facile ſubiit (de qua re alibi diſſerui) & inter ceteros N. Xyſto haereſis labe pollutus, fuit ab eodem omiſſus; mihi tamen revera catholicus, eſto aſperioris Critices homo, Omiſſorum Catalogo adſcriptus in praeſentiarum profertur: quamplura, eaque erudita opera (commendanda propterea ſed juxta Romani Indicis correctionem) typis mandavit. Dedit autem ea inter Novum Teſtamentum cum adnotationibus. Paraphraſes in Novum Teſtamentum. Adverſus Judaeos Homilias V. De Viſione Eſaiae Homilias V. De Davide, & Saule Homilias III. Commentarios in Acta Apoſtolorum. In Epiſtolas S. Pauli II. Ad Corinthios, ad Galatas, ad Philippenſes; & ſparſim in alia Pauli, & Evangelii loca. De Paſſione Domini. De puero Jeſu. De pavore, & triſtitia Jeſu Chriſti. Enarrationem Pſalmorum I. II. III. IV. XXII. XXXIII. XXXVIII. & LXXXV. De Novo Teſtamento ad Dorpium. Vale mundo dixit Anno MDXXXVI.

DIDACUS LOPEZ STUNICA, ſe ZUNNICA, Presbyter Hiſpanus, Doctor Complutenſis, Latine Graeceque doctus edidit Adnotationes in Novi Teſtamenti verſionem, & adverſus Eraſmum ſcripſit, nimiumque in Bibliorum Complutenſium editione laboravit, ut ſupra dixi; ſcripſit etiam ad Jacobi Fabri Stapulenſis Scholia in S.Pauli epiſtolas. Fato ceſſit Neapoli Anno MDXXX.

DIDACUS DE VILLALOBOS, Franciſci Filius, quem Carolus Imperator, & Philippus Hiſpaniarum Rex Medicum habuerunt, Hiſpanus, Concionator Regius, edidit Concordiam Evangeliſtarum, ſeu Evangelium ſecundum quatuor cum adnotationibus minime vulgaribus Pinciae Anno MDLV.

DOMINICANI GALLI, circa Annum MCCXXXIV. juſſu B. Jordani II. Magiſtri Generalis Ordinis Praedicatorum exemplaria Sacrorum Bibliorum ex antiquis Codicibus emendarunt. De qua re videndus eſt P. Lelongh.

DOMINICUS GRENERIUS, ſeu GRINIA, Ordinis Praedicatorum, ex Conventu Toloſano, Doctor Pariſienſis, ſcientia & virtute inſignis, poſt varias in ſua Provincia obitas Praefecturas, Apoſtolicus Romae Poenitentiarius, S. Palatii Magiſter, & tandem Archiepiſcopus Apamienſis, ſcripſit in Univerſa Biblia Commentarios juxta litteralem ac myſticum ſenſum. Item ſeorſim in Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, & omnes alios Hiſtoricos Libros Veteris Teſtamenti. In Eccleſiaſticum, & Proverbia Salomonis. Alia itidem opera dedit, quae in variis Bibliothecis MSS. ſervantur, ut videre eſt apud N. Echardum. Quando obierit incertum, quum emortualis eius dies ab aliis conſtituatur Anno MCCCXLIII. ab aliis vero MCCCXLVII.

Dracontius (de quo noſter Xyſtus) claruit circa Annum CCCCXL.

S.DRO-

Digitized by Google

S. DROGO (qui a S. Bernardo ASBERICUS, & ab Vuione ARNOLDUS dicitur) Monachus Benedictinus, Natione Gallus, primum Laudunenſis Epiſcopus, deinde Oſtienſis, plura ſcripſit, quae praecipue commemorant Lucas Dacherius, & Fratres Sammarthani, ea inter legitur in Bibliotheca Veterum PP. Tractatus de Paſſione Domini; & ſcripſiſſe etiam dicitur in Pſalmos Poenitentiales. Cum Coeleſti terrenam vitam commutavit Anno MCXXXVIII.

E

S. ELEUTHERIUS TORNACENSIS EPISCOPUS, ordine III. Tornaci natus, & multa a Paganis pro Chriſto paſſus, plures edidit ſermones, praeſertim de Incarnatione Verbi, De Nativitate Chriſti, & de Annunciatione Dominica, qui omnes noviſſime vulgati ſunt Inſulis MDCCXXVI. Alia itidem ſcripſit opera, quae Oudinus, & Foppens percenſent. Tranſivit ad Dominum Anno DXXXIII. vel juxta aliorum computum Anno DXXXI.

S. ELIGIUS LEMOVIX, ex Aurifabro Epiſcopus Noviomenſis, ac Tornacenſis, Flandrorum & Antuerpienſium Epiſcopus, plures edidit Homilias in Evangelia (de quibus non leve eſt inter Criticos diſſidium) quaeque extant in noviſſima Veterum PP. Bibliotheca Tom. XII. Alia itidem edidit, quae in Appendice Tom. IX. operum S. P. Auguſtini habentur, de quibus etiam alibi verbum habui, quaeque Petrus Caniſius Tom. V. habet: praecipue tamen ſunt laudandae ex NN. Natale Alexandro, & Franciſco Combefiſio, nec non ex Bellarmino, Sirmondo, aliiſque Homiliae in Capite Jejunii, Sabbato poſt Dominicam II. Quadrageſimae de Filio prodigo, & Fer. V. in Coena Domini. Obdormivit in Domino Anno DCLXVI.

ELIGIUS EUCHARIUS, ſive HOUCARIUS Gandenſis Presbyter, Poëta, & Carolo V. a concionibus, edidit carmen elegiacum de Chriſto reſurgente Anno MDXI. edidit quoque Genethliacon Chriſti ex Bucolicis Virgilii, alia etiam edidit Polemica. Quo anno ceſſerit fato nec ipſe Johannes-Franciſcus Foppens in Bibliotheca Belgica percenſet.

ENGELBERTUS ADNOTENSIS ABBAS, natione Germanus, Ordinis S. Benedicti, & Monaſterii Admotenſis ad Amaſum amnem Abbas, ſcripſit Tractatum de Vita & moribus B. Virginis Mariae impreſſum Lipſiae Anno MDCLXXXVI. nec non de miraculis Chriſti, Commentarium in Pſalmum *Beati immaculati in via*, & in initium S. Johannis *In principio erat Verbum*. Floruit Anno MCCC.

ENGELBERTUS TREVERENSIS, Benedictinus, Abbas S. Matthiae apud Treveros, Vitam ac paſſionem XII. Apoſtolorum heroico carmine ſcripſit. Claruit Anno CMLXXXVII.

S. EPIPHANIUS CONSTANTIAE IN CYPRO ARCHIEPISCOPUS, alius ab eo, quem N. Xyſtus commendat, Tertius Salaminae Epiſcopus (fuiſſe autem ejuſdem Urbis plures Epiphanios Epiſcopos praeceteris Sirmondus, & Petavius adnotarunt) cujus extat epiſtola Graeco-Latina in Prolegomenis VIII. Synodi Generalis: edidit Orationes plures in varia Novi Foederis myſteria ac monumenta, nimirum, duas in Feſto Palmarum, unam in Chriſti ſepulturam, alteram in Chriſti adſumptionem, aliaque plura ejuſdem argumenti edidit, quae olim Seniori Epiphanio, ſeu hujus nominis primo fuerunt adjudicata, praecipue tamen huicce Epiphanio ex Petro Lambecio ſunt reſtituendae expoſitiones in illud Apoſtoli *Spiritus enim omnia ſcrutatur*, & in illud Chriſti Servatoris: *de die autem illa, vel hora nemo ſcit*: item Recenſio XII. operum in Hexaëmeron. Vide de hac re Allatium, Oudinum, Cavium, alioſque. Floruit autem Epiphanius Anno DCCCXX.

EPIPHANIUS HAGIOPOLITA, ſeu Monachus Jeroſolymitanus, & Presbyter, concinnavit ad modum deſcriptionis ſitus Orbis enarrationem Syriae, Urbis Sanctae, & ſacrorum ibi locorum, quod opus Graece, & Latine edidit Leo Allatius *Symmict. P. I. pag.* 4811. Qua vero aetate claruerit hic Epiphanius omnino incertum.

S. Ephrem Syrus (de quo N. Xyſtus) floruit Anno CCCLXX.

ESAIAS, patria, ut videtur, Alexandrinus, ex patre Hiſpano mercatore natus, diviſis cum fratre ſuo Paaeſio facultatibus, In Aegyptum ſeceſſit, ubi conſtructo Monaſterio plures collegit diſcipulos, quibus propriam dedit Regulam, & ad quos plures habuit Homilias, ex quibus nunc impreſſae extant XXIX. inſcriptae *ad Fratres in Eremo degentes*, quae etſi univerſim aſceticae, ac paraeneticae ſint, plures tamen ſunt exegeticae, ut illa *de grano ſinapis*, & altera in illud Apoſtoli *Attende tibi &c.* Claruit circa finem IV. Seculi.

EUGENIUS TOLETANUS EPISCOPUS, Junior dictus, ſeu ſecundus, natione Hiſpanus, e Clerico Monachus, & deinde Sacerdos factus tanta humilitate praeluxit, ut nonniſi reluctans fuerit Epiſcopus inauguratus, ac Seniori Eugenio ſuffectus, Dracontii libellos in Hexaëmeron recenſuit, auxit, perpolivit, addito etiam de opere VII. diei heroico carmine. Ejus opera Jacobus Sirmondus Lutetiae imprimenda curavit Anno MDCXX. Floruit tamen Eugenius Anno DCXLVI.

EUGESIPPUS, cujus patria ignota, & incertus character, edidit Tractatum de diſtantiis locorum Terrae Sanctae, de quo praeſertim conſulendus eſt Leo Allatius *Symmict. P. I. p.* 140. Floruit Anno MXL.

EULOGIUS, Antiochenae Eccleſiae primarius Presbyter primum, deinde Alexandrinus Patriarcha, haereticorum acerrimus hoſtis & Catholicae fidei pugil invictus, inter plurima, quae ſcripſit, edidit etiam Homiliam in Ramos Palmarum olim S. Cyrillo Alexandrino adjudicatam, quae extat in Auctario Combefiſii. Floruit Anno DLXXXV.

EUSEBIUS, incerte aetatis Scriptor, ſicut & incertum an idem ſit qui fuit Diaconus Alexandrinus, & qui poſtea Laodiceae in Syria Epiſcopus fuit, claruitque Anno CCLIX. ut Bellarminus ac Poſſevinus contendunt, an vero fuerit Epiſcopus, vel Archiepiſcopus ex varia temporis Epocha? Franciſcus Turrianus Alexandriae in Aſia eum Epiſcopum dicit, aliter alii ſentiunt. Vetuſtus certe Author, qui plures edidit Orationes, nimirum, in Johannis adventum. In Reſurrectionem Domini. In proditionem Judae. In Baptiſma Domini. In divitem & Lazarum. Plura ejus opera extant apud Turrianum. Vide quid de eo ſentiat Cavius.

Euthalius, incertae Eccleſiae Diaconus (de quo N. Xyſtus) & ſi fides Turriano, Epiſcopus Seleucienſis, floruit Anno CCCXCVI.

F

FLAVIANUS ANTIOCHENUS, (longe diverſus ab eo, quem laudat Xyſtus) Monachus primum, deinde Epiſcopus, & Nicaenae fidei contra Arii gregales propugnator, plures dedit Homilias, & Tractatus in Evangelium Lucae, ex quibus plura exhibet fragmenta Theodoritus *in Dialogis*. De eo pariter ſcribit Photius *Codice* 52. Claruit Anno CCCLXXXI.

FLORUS, MAGISTER dictus, Diaconus Lugdunenſis ſcripſit commentarium ſeu expoſitionem moralem ſuper omnes Paulinas epiſtolas ex S. Auguſtini verbis contextam, quae habetur inter opera V. Bedae, cui perperam fuerat olim adſcripta, ut peculiari diſquiſitione oſtendit Cl. Mabillonius *Analect.* T. I. Paraphraſin Pſalmorum XXII. XXVI. XXVII. quae prodiit ſub nomine Depranii Flori in Collectione

Digitized by Google

ctione Fabriciana Christianorum Poetarum. Commentarium alium in Paulinas Epistolas ex Cypriano, Ambrosio, Hilario, & aliis IX. Patribus, qui MS. extat apud Chiffletium & Dacherium teste laudato Mabillonio. Alium absolutum commentarium in Psalmos, qui extat in Monasterio Affligemensi in Flandria ut ex Johanne Bunderio Guillelmus Cave testatur. Vivebat adhuc circa Annum DCCCLII.

FRANCISCUS ALBERTINUS, Presbyter Florentinus, inter plura, quae scripsit, dedit etiam expositionem in Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, quae simul cum aliis ejus operibus, ut ex Possevino colligere fas est, typis fuit mandata. Floruit Anno MD.

FRANCISCUS AMERLY, Belga, Ordinis Servorum B. M. V. Prior Conventus Iprensis, eruditione, & pietate insignis, praeceteris edidit Paraphrasim in Psalmum *In exitu Israël de Aegypto* Antuerpiae impressum Anno MDLI. Tunc fortasse floruit.

S. FRANCISCUS ASSISIAS, gente Italus, in Umbria natus, FF. Minorum Patriarcha insignis, cujus gloria ab ortu solis usque ad occasum, ab Aquilone & mari refulget, plura scripsit opuscula, quae edenda & inlustranda curarunt Johannes de Haye, & Lucas Waddingus, inter quae extat expositio in Orationem Dominicam. Ad Superos evolavit Seraphicus Pater Anno MCCXXVI.

FRANCISCUS GRAVANO, a Possevino dictus FRANCISCUS GRATIANUS, Italus, Genuensis, Ord. Praedicatorum, dedit Postillam in Evangelium S. Lucae, certe ineditam, sicut & alia opera, quae ei adscribunt Abbas Justiniani, Possevinus, NN. Castillus, & Altamura. Ex eisdem floruit Anno MCCCXII.

FRANCISCUS MONACHUS, Belga, Mechlinensis, Ord. Minorum, scripsit Tractatum de situ orbis, & ex professo de Paradiso terrestri editum Antuerpiae Anno MDLXV.

FRANCISCUS POLYGRANUS, Ord. Minorum, natione Germanus, ferventissimus Verbi divini praeco, & fidei pugil, edidit Postillas in IV. Evangelia Lugduni MDCLXI. In Passionem Domini eruditos & elegantes Commentarios Coloniae MDLX. & in Epistolas Paulinas Coloniae MDLXX. Fortasse hoc anno etiam in vivis erat. Legesis Waddingum & Possevinum.

FRANCISCUS SIXTUS, Neapolitanus, Carmelita, Tessarecades Genealogiae Jesu Christi ex I. Matthaei, & de Jesu Christi Regno scripsit ad Philippum II. Hispaniarum Regem, alia itidem scripsit opera, quae omnia fuerunt edita Venetiis Anno MDLXIV.

FRANCISCUS VATABLUS, natione Picardus, Hebraicae linguae Parisiis Professor, & Graece nimium doctus, quem propterea Christiani ne dum, sed Hebraei ipsi nimium suspexerunt, Biblia Hebraica Latine reddidit cum praefationibus, & adnotationibus Romae edita, sed in eis lustrandis adtendenda est censura PP. Tridentinae Synodi *Regula II.* quum plures ex notis, quas delnceps adposuit Robertus Stephanus, Vatabli non sint, sed alterius heterodoxi impostoris, idemque Vatablus re vera Catholicus Scriptor aperte declaravit: ut videre est apud eruditos, praesertim Jacobum Lelongh. Vatablus autem Lutetiae vitam suam complevit Anno MDLVI.

Franciscus Zamora (de quo N. Xystus) claruit Anno MDLIX.

FRANCISCUS ZINUS, Italus, Veronensis, acris judicii, & multae eruditionis Theologus, Commentarium in Cantica Canticorum ex Graecis Patribus a se Latine redditis concinnatum edidit Romae Anno MDLXIII.

FRECULPHUS MONACHUS FULDENSIS, Ord. S. Benedicti, & Episcopus Lexovien sis, pluribus Galliae Synodis interfuit, scripsitque Chronicon ab Orbe condito usque ad Bonifacium R. P. successorem S. Gregorii M. duobus Tomis divsum, ubi innumeros Divinae Scripturae nodos dissolvit impressum primo Coloniae Anno MDXXXIX. Ipse vero Mundo vale dixit circa Annum DCCCLIII.

FROTULPHUS, S. Michaëlis Bambergae Monachus Benedictinus, Evangelium S. Matthaei copiose expositit. Vivebat Anno MCXLIV.

S. FRUMENTIUS, qui & ABBA SALAMA vocatur, S. Athanasio Alexandrino Episcopo subpar, Aethiopiae Metropolita, Aethiopicam totius S. Scripturae interpretationem juxta LXXII. Interpretum versionem confecit, ut praecipue adnotavit N. Cl. Michaël Vanslebius *in Historia Aethiopica*, & ex eo Jacobus Lelongh *Tom. II. Biblioth. Sacr.*

S. FULBERTUS CARNOTENSIS, ex Abbate Ferrarien si Episcopus Carnotensis, plura edidit opera primum edita Parisiis MDVIII. inter quae extat Commentarius in XII. Capita Actuum Apostolorum, & in Jacobaeum vaticinium: *Non auferetur sceptrum de Juda* ad Judaeos convincendos circa Messiae adventum, Coelum conscendit Anno MXXVIII.

G

GALFRIDUS ALEYCUANT, Anglus, Carmelita, scripsit Commentarios in Evangelium Lucae. Vivebat Anno MCCCXLI.

GALFRIDUS HARDEBUS, Anglus, Augustiniani Ordinis Theologus, Eduardo III. Angliae Regi a confessionibus, & Consiliis, inter plura, quae scripsit, lucubravit etiam Lecturam & Postillas in Sacram Scripturam. Londini eum obiisse dicit Possevinus, sed quando, silet.

GASPAR CONTARENUS, natione Italus, patria Venetus, ex Patricio Ordine, Philosophus, ac Theologus insignis, a Paulo II. S.R.E. Cardinalis creatus Anno MDXXIII. Philosophica, Theologica, ac Moralia opera edidit, necnon Scholia in omnes Paulinas Epistolas, & in Psalmum *Ad te levavi oculos meos*. Ad Carolum V. pro Republica Veneta, & ad eundum Pontificem pro eadem Orator missus munus suum glorioso obivit. Tandem S. Sedis Minister, & Bononiae Pontificia legatione fungens sexagenarius mundo vale dixit Anno MDLXII.

GASPAR DE LEON, Ordinis Minorum, Hispanus, Concionator insignis, edidit Homilias, & Sermones pro diebus festivis totius anni Salmanticae MDLIV. ipse vero floruit Anno MDXLVI.

S. GAUDENTIUS BRIXIANUS EPISCOPUS, inter varia diversi argumenti opera edidit Tractatus VII. in Exodum. De paralytico Evangelico. De eo, quod dixit Dominus: Pater major me est. Tractatum quoque de Maccabaeis. Vide Tom. V. Bibliothecae Veterum PP. & novissimam editionem operum ejus cum notis Pauli Galeardi Brixiani Canonici. Quo anno autem Coelum intraverit non est certum. Alii statuunt Anno CDX. Alii cum Labbeo mortuum eum adserunt Anno CDXXVII.

S. GEBHARDUS NEMETUS, Urbis Spirae Episcopus, natione Germanus, scripsit expositionem in omnes Psalmos, & varias ad Populum Homilias. Claruit Anno DCCCXLI.

GEORGIUS RHETOR CONSTANTINOPOLITANUS, & M. Ecclesiae Cartophilax, deinde Archiepiscopus Nicomedien sis, Photii familiaris, plures in Evangelia edidit Homilias, praesertim in S. & magnam Parasceven, & in Christi crucifixionem, seu in illud Johannis: *Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus &c.* quae extat Tom. I. *Auctarii* N. Combefisii. Scripsit etiam Orationem in conceptionem S. Johannis Baptistae, ejusque parentes Zachariam, & Elisabetham. In praesentationem Deiparae, &c. de quibus praecipue Leo Allatius *de Georgiis pag.* 313. In vivis erat Anno DCCCLXXX.

GEORGIUS PISIDES, Constantinopolitanae Ec-

Digitized by Google

Ecclesiae Diaconus, & Cartophilax, plura scripsit, ex quibus aliqua nunc extant, praesertim Cosmopoeja, seu carmen Jambicum in Hexaëmeron. Floruit Anno DCXL.

GERARDUS, sive GIRALDUS, aliis GUIDO E BRISANSONE, Ord. Minorum, Gallus, Provinciae Aquitanae, Doctor Parisiensis, S. Th. Lector Tholosae, dedit commentarios in IV. Libros sententiarum Parisiis vulgatos Anno MDXII. & Commentarios in Psalmos Poenitentiales, qui servantur in Bibliotheca Murallensi sui Ordinis. Floruit XII. incipiente seculo.

GERARDUS MATHISIUS, Geldrensis, Montani Gymnasii, quod est Coloniae Agrippinae, Praefectus, Epistolam Pauli ad Romanos exposuit, & alia lucubravit, ut ex Eisengero refert Possevinus, qui nec indicat qua hic author vixerit aetate; & Hayus in additione *ad N. Xystum* solum nomen & patriam Gerardi, ac expositionem epistolae ad Romanos commemorat.

GERARDUS ODDONIS, Gallus Ruthenensis, de Castro Rodulphi, Minister Generalis Ord. Minorum, ab Johanne XXII. R. P. Legatus in Siciliam, in Angliam, & in Bosnam Croatiae, & iterum Siciliam cum eodem munere missus, adversus Haereticos strenue certavit, demum creatus Patriarcha Antiochenus, & perpetuus administrator Ecclesiae Catanensis in Sicilia, multa scripsit, praesertim de moralibus: aliqua ejus opera Philosophica fuerunt typis mandata Parisiis Anno MD. Alia etiam dedit Theologica, quae servantur in Bibliotheca Vaticana, sicut & in varios scripturae textus ibidem custoditos Tractatus; nec non de figuris Bibliorum in Coenobio Mirapicensi MS. Migravit a seculo Catanae Anno MCCCXLIX.

S. GERMANUS CONFESSOR, ex Cizicaeno Episcopo Patriarcha Constantinopolitanus, plura edidit, praesertim commentarium in Orationem Dominicam, & alia, quae extant in Bibliotheca Vet. PP. Plura itidem in defensionem Sacrarum imaginum passus ad Dominum transiit anno DCCXXX.

GERMANUS II. PATRIARCHA CP. Anaplo Propontidis oriundus, ex Monacho ad Patriarchalem sedem Imperialis Urbis evectus per XVIII. Annos eam tenuit, Gregorio IX. R. P. adhaerens, strenue laboravit decertavitque pro concordia Orientalis, ac Occidentalis Ecclesiae, ut constat ex ejus epistolis ad laudatum R. P. Gregorium IX. datis, quas refert Matthaeus Parisiensis ad Annum MCCXXXVII. etsi eum postea schismaticis adhaesisse sentiant Labbeus, & Allatius, de qua re consuli potest praeceteris Casimirus Oudin *Tom. III. Scoul. XIII. col.* 52. Ut ut sit, plura scripsit, quae apud eundem Oudinum consuli possunt, praecipue Homilias in Annunciationem Dominicam. In decollationem S. Joh. Baptistae. In Dominici corporis sepulturam. In primam jejuniorum Dominicam, & alias id genus, ex quibus plures extant apud N. Combefisium *in Auctario*. Vivebat Anno MCCXXXV. & fortasse e vivis excessit Anno MCCXL.

GERMANUS HOSMEISTER, Germano-Cenomanensis, Augustinianus, edidit commentarios in Matthaeum, & Lucam. Mortuus est Anno MDXLVII.

GILBERTUS FOLIOT, Leicestrensis Coenobii Canonicus Regularis primum, deinde Abbas, postmodum Herefordiensis Episcopus inauguratus, & tandem ad Londinensem Ecclesiam translatus, scripsit expositionem in Cantica Canticorum, quam Typis mandandam Londini curavit Patricius Junius Anno MDXXXVII. una cum compendio Alcuini in eadem Cantica Salomonis. Gilbertus vero obdormivit in pace Anno MCLXXXVII.

GILBERTUS SILLIBERTUS, cognomento UNIVERSALIS, natione Gallus, Episcopus Londinensis, adhuc Diaconus scripsit in utrumque Divinum Foedus: nunc superest integer in Psalmos commentarius, & expositio in Threnos Jeremiae, quae opera MSS. servantur, sed ubi delitescant nec Cavius ipse se scire profitetur. Finis vitae Gilberti fuit Anno MCXXVII.

GISELBERTUS ANGLUS (ex Hayo) scripsit Commentarios in Isaiam, & in Cantica Canticorum. Vixit Anno MCX. & de hoc etiam scribit Xystus.

GODEFRIDUS BOUSSARD, Gallus, Parisiensis, & illius Universitatis insignis Doctor ac Cancellarius, qui coram Julio II. R. P. Sermonem habuit de nomine Jesu, interfuitque Concilio Pisano, edidit expositionem in VII. Psalmos Poenitentiales. Denatus est Anno MDXX.

GODEFRIDUS CANDELARIUS, Aquisgranensis, Germanus, scripsit commentarios in Librum Sapientiae. Excessit Anno MCDCXIX.

GREGORIUS ALBAFURANGIUS, Malatiensis, Jacobita, Urbis Takrit Mifrinus, seu secundus a Patriarcha Antiocheno, ex diversis interpretibus, ac scriptoribus cum Graecis, tum Syris collectionem variarum scripturarum ac lectionum edidit Syriace, conlatis textibus versionum Graecae, Armenicae, Aegyptiacae, Aquilae, & Symmachi, quin & Carcaphiensis. Obiit Anno MCCLXXIII.

S. GREGORIUS ANTIOCHENUS ARCHIEPISCOPUS, pulchram scripsit Orationem in mulieres ungentiferas, ac in Domini Nostri sepulturam, illiusque Resurrectionem, quae extant edita in Auctario N. Franciſci Combefisii. Floruit Anno DLXX.

S. GREGORIUS VII. R. P. ante Hildebrandus dictus, natione Tuscus, patria Soanensis, Monachus Cluniacensis primum, deinde S. R. E. Archidiaconus, variisque pro Ecclesia legationibus functus, laboribusque fractus, tandem Anno MLXXIII. ad Pontificium Thronum adsumtus: scripsit ante Pontificatum expositionem super Matthaeum, cujus fragmentum extat apud P. Halloix *Praef. ad Job. Parisiens.* integra vero extat MS. in Cantuariensi Archiepiscopali Lambetana Bibliotheca. Eidem quoque a nonnullis adjudicatur expositio in VII. Psalmos Poenitentiales, quae extat inter opera S. Gregorii M. Salerni obdormivit in Domino Anno MLXXXV.

GUALARDUS DE RUPE, Provincialis Ord. Carmelitarum Tolosae, plurima scripsit opera, praesertim Lectiones in Sacram Scripturam. Vixit Anno MCDXL.

B. GUIBERTUS DE NOVIGENTO, patria Bellovacensis, Ord. S. Benedicti, Abbas Laudunensis, scripsit Libros X. Moralium in Genesim: In Oseam Libros III. In Amos Librum I. Similiter in X. alios Prophetas Minores seorsim. Tractatum de Incarnatione Divini Verbi contra Judaeos, & alia diversi argumenti opuscula. Omnia ejus opera impressa fuerunt Parisiis MDCLI. a Luca Dacherio. Ipse vero floruit Anno MCIV.

GUILLELMUS BITURICENSIS Diaconus, ante quidem Judaeus, postmodum autem S. Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, a quo ad fidem fuit conversus, discipulus, ac susceptitius, scripsit librum, cui titulum adjecit: *Bellum Domini contra Judaeos*; scripsit quoque Sermones de Passione, & Commentarium in Lamentationes Jeremiae Prophetae. Vivebat anno MCCXXX.

GUILLELMUS BRETON, seu BRITONUS, antiquorum Britonum stirpe in Cambria natus, Ord. Minorum, Poëta, Rhetor, Philosophus, ac Theologus insignis, nec non pietate conspicuus, dedit Summam, seu expositiones vocabulorum S. Scripturae. In Prologum Bibliorum librum unum, & alia plura opera, quae Wadingus percenset, extantque omnia in publica Bibliotheca Oxonienſi, aliisque. Apud Grimesbi devixit Anno MCCCLVI.

GUILLELMUS DE CREMONA, Italus, &

Digitized by Google

XII. Prior Generalis Ord. Eremitarum S. P. Augustini, Episcopus Novariensis, & S. R. E. Cardinalis, exposuit Evangelium libris IV. Alia itidem scripsit Theologica opera, quae omnia num sint Typis mandata, ignotum. Floruit Anno MCCCXL.

GUILLELMUS HERBERTUS, ex inlustri Britonum familia Wallia natus, & Ordini Minorum adlectus, Oxoniensis Doctor, & insignis Ecclesiastes, plura scripsit, praecipue in Deuteronomium Librum I. In Apocalypsin Librum I. certe non edita, ut colligi potest ex Waddingo. Decessit Herofordiae Anno MCCCXXXIII.

GUILLELMUS LEYCESTRE, Theologus, ex Possevino quamplura scripsit Theologica opera, & praesertim De Adventu Domini Lib. I. De Tropis Scripturarum librum I. Expositionum Evangeliorum Lib. I. Num autem omnia, quae percenset Possevinus, opera, sint edita, ignotum. Vixisse eum dicit Anno MCCX.

GUILLELMUS LISSEJUS, seu de Lisso, Ordinis Minorum, *Doctor eximius* cognominatus, scripsit postillas in Jeremiam ejusque Threnos, nec non in omnes XII. Prophetas Minores, quae MSS. servantur in Bibliotheca Oxoniensi. Claruit sub Ann. Domini MCCCXL.

GUILLELMUS MACKCLEFIELD, qui ab aliis dicitur *Mallisvield*, *Mafflet*, *Maffebet*, *Maffelech*, *Maffet*, &c. natione Anglus, patria Conventrienfis, Ordinis Praedicatorum, in Parisiensi Academia S. Th. Doctor, & in Oxoniensi Professor, a Benedicto XI. S. R. E. Cardinalis creatus, sed incassum, quia dum fato jam cesserat ab nesciente Rom. Pontifice eo fuit insignitus honore. Scripsit Postillas in S. Scripturam, certe ineditas, sicut & Commentarium in Evangelium de X. Virginibus. Vitam explevit Anno MCCCIII.

Guillelmus de Melitona (de quo N. Xystus) non Ordinis Praedicatorum, sed Minorum, nec unquam Cancellarius Parisiensis, floruit Anno MCCLX.

GUILLELMUS PARADINUS, Decanus Belli-Joci, Historiarum mirabilium ex Genesi descriptionem pictura & carmine vulgavit Anno MDLVIII.

GUILLELMUS PARISIENSIS, Ord. Praedicatorum, dictus Secundus, quia junior, & alter ab eo, qui floruit Anno MCCCXXX. fuitque per Galliam fidei Quaesitor (cui opera junioris hujusce adjudicant Raynaudus, & Waltronus, nec suppositionem hanc detexit Casimirus Oudin esto Criticus adcuratus) scripsit Postillas in Evangelia per Anni circulum secundum sensum literalem juxta concordantias Evangeliorum, & super Evangelia de Sanctis, nec non Postillas in Epistolas de Tempore, ac de Sanctis, pluries editas, sed primum Ulmae MCDLXXXVI. Eodem Anno floruisse creditur, aut paulo ante. Videsis N. Echardum *T. I. Biblioth. Ord. Praedic. fol.* 868.

GUILLELMUS PARVUS, Ord. S. Benedicti scripsit libros II. in Cantica Canticorum, num edicos? ignotum. Floruit Anno MCCXX.

GUILLELMUS ROTTHUEL, Anglus, Ord. Praedicat. insignis Theologus, & egregius Ecclesiastes, scripsit Postillas in Libros Judicum. In IV. Regum. In Psalmos. In Ecclesiasten. In Epistolas Pauli ab ea, quae est ad Romanos, I. nimirum, usque ad duas ad Thessalonicenses inclusive, olim apud Nostros Londinenses servatas. Claruit Anno MCCCLX.

GUILLELMUS DE TORNACO, Flander, Ord. Praedicator. in Parisiensi Academia S. Theol. Magister, scripsit Postillas in Epistolas S. Pauli, & fere in universa Biblia, adhuc ineditas. Pervenit usque ad Annum MCCXCIII.

H

B. HELIAS DE COXIDA, cognomen sortitus a patria, Agri scilicet Furnensis vico *Coxide* in Belgio, Ordinis Cistercienfis, sanctitate, & doctrina celebris, plures scripsit Homilias in Evangelia N. E. Ad vitam immortalem transivit Anno MCCIII.

HENRICUS DE AQUILA, Germanus, Carmelita, Doctor Parisiensis, scripsit Commentarium in Cantica Canticorum. Vivebat Anno MCCCXXX.

HENRICUS COSSELIUS, vel COSTESAJUS, Anglus, Ord. Minorum, Philosophus primi nominis, primique subsellii Theologus, triplices in Apocalypsin scripsit Commentarios. Expositionem in Paulinas Epistolas. Explanationes in varia loca S. Scripturae, & alia opera, quae omnia, ut ex Waddingo colligere fas est, anecdota sunt. Mortuus est apud Balvellam prope Burium Anno MCCCXXXVI.

HENRICUS DE ERFORDIA, seu rectius DE ERVORDIA, Saxo Ord. Praedicatorum, Theologus insignis, IV. voluminibus complexus est Chronicon ab Orbe condito ad Annum usque MCCCLV. cujus magna pars edita est in *Magno Chronico Belgico*, ut Oudinus adnotavit. Scripsit quoque Catenam auream in X. partes distinctam, ubi agit de opere sex dierum, & Tractatum in illud Christi *super Cathedram Moysi sederunt &c.* N. E. Ipsa sacra S. P. Dominico die migravit ad Dominum Anno MCCCLXX.

HENRICUS ESCEBURNUS, seu de ESCEBURNO Anglus Ord. Praedicat. reliquit Commentarium in Parabolas Salomonis, & in Ecclesiasten, sicut etiam Lecturas in Sacra Biblia. N. E. In Mundo esse desiit Anno MCCLXXX.

HENRICUS HALMESIUS, Germipolitanus, Provinciae Saxonicae Minister Minorita, dedit Tomos V. Homiliarum in Evangelia, & Epistolas omnes Canonicas, Coloniae primum excusos Anno MDL.

HENRICUS HUTTINGRONENSIS, Archidiaconus in Anglia, vir eruditus, quum plura scripserit, typis tamen mandatum habemus ejus Commentarium in Psalmum CXVIII. Mortalitatem exuit Anno MCXLVIII.

HENRICUS REGIUS, Padermonensis, Ordinis Minorum, Biblia Alphabetica vulgavit Coloniae Anno MDXXXV.

B. HENRICUS SUSO, natione Svevus, Ord. Praedicatorum, nobili progenie natus, sed nobiliori virtute clarus, admirabilis poenitentiae, & altissimae contemplationis munere inlustratus, ac magno tribulationum igne a Deo purgatus, omnium ore meruit laudari, ut ex ejus Actis, quae praecipue legere est apud Bollandistas, plura scripsit, ex quibus aliqua habemus ex Latina versione Laurentii Surii, & Ludovici Blosii, nimirum Sermones in Evangelia, centum meditationes Dominicae Passionis, ubi omnes Christi cruciatus expendit, Dialogos de Aeterna Sapientia, Tractatum de Rupibus, Horologium Sapientiae &c. Obdormivit in Domino Anno MCCCLXVI.

HERIBERTUS BOSHAM, seu DE BOSEHAM, natione Anglus, S. Thomae Cantuariensis discipulus olim, & postea Consiliarius, vir eruditissimus, quum plura scripserit, quae laudant Vossius, Dufrenius, & alii, MSS. reliquit Glossas in Psalmos LXXIV. In Evangelia, & in Paulinas Epistolas, quae teste Oudino servantur in Bibliotheca SS. Trinitatis Cantabrigiae. Claruit Anno MCLXX.

HERMANNUS DE CERBBECK, Teutonicus (falso a Possevino dictus Italus *Tarvisinus*) Ordinis Praedicatorum, dedit Postillas in Cantica Canticorum N. E. Floruit vel XIV. labente, vel XV. incipiente seculo.

HERVAEUS CENOMANENSIS, Gallus, Ordinis S. Benedicti Monachus Dolensis, scripsit Com-

Digitized by Google

Commentarios in Epiſtolas S. Pauli, falſo vulgatos ſub nomine S. Anſelmi Cantuarienſis, Commentarios in Iſaiam, & Threnos Jeremiae: in extremam Partem Ezechielis: In Deuteronomium, Eccleſiaſten, Librum Judicum, & Libros Ruth, ac Tobiae. In Canticum Abacuch, & Annae, necnon in omnes Prophetas Minores: In omnes quoque Paulinas Epiſtolas, quae omnia MSS. ſervantur in variis Galliarum Bibliothecis. Agunt autem de eo Cangius, Labbeus, Oudin, Cavius, aliique; ex quibus conſtat laudatum Hervaeum floruiſſe Anno MCXXX.

HIERONYMUS FRANCISCHINUS, Venetus, Ordinis Servorum B.M.V. inter alia edidit expoſitionem in VII. Pſalmos Poenitentiales. Vivebat Anno MCDLXXXIII.

HIERONYMUS TORNIELLUS, Inſuber, & Vicarius Generalis Ordinis Minorum Obſervantium, Theologiae, ac Canonici Juris peritiſſimus, dedit Figuras Biblicas impreſſas Mediolani Anno MDX.

HILARIUS SARDUS, Romanae Eccleſiae (in qua baptiſmum ſuſcepit) Diaconus, & qui aliquando Luciferiano ſchiſmati adhaeſit, edidit (ut jam Eruditis omnibus eſt notum, & alibi adnotavi) Quaeſtiones in Vetus & Novum Teſtamentum perperam olim S. Auguſtino tributas, & commentarios in XIII. Epiſtolas Paulinas, ea dumtaxat excepta quae eſt ad Hebraeos, qui inter opera S. Ambroſii olim locum obtinuerunt. Vivebat Anno CCCLIV.

S. HILDEBERTUS DE LAVARDINO, dictus VENERABILIS, ex Monacho Cluniacenſe Epiſcopus Cenomanenſis, & tandem Turonenſis Archiepiſcopus, plura edidit opera (quae omnia noviſſime ſimul edita ſunt Pariſiis An. MDCCVIII.) inter quae ad Sacram Scripturam pertinentia ſunt. De opere ſex Dierum. Sermo in illud Iſaiae XXXV. *Tunc aperientur oculi coecorum*. In illud Lucae XII. *Cui multum datum eſt &c.* qui extant etiam Tom. XXI. Bibliothec. Vet. PP. Liber de concordia Novi & Veteris Teſtamenti. Homiliae in Nativitate Domini, In Hebdomada Poenoſa, In Reſurrectione Domini. Extant etiam alia ejus opera in ſupplemento PP. edito a Jacobo Sirmondo. Claruit S. Vir Anno MXCVIII.

HINCMARUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS, Gallus, primum Monachus S. Dionyſii in agro Pariſienſi, deinde Abbas Reomacenſis, & tandem Archiepiſcopus Remenſis, multis interfuit Synodis, multaque pertulit: ejus cum laude meminerunt Rabanus Maurus, & Lupus Ferrarienſis, quaeque ad ejus Acta pertinent praeſertim conſuli poſſunt apud Cardin. Noriſium, & NN. Natalem Alexandrum, & Hyacinthum Sorry. Plura ſcripſit, quae ſimul collecta typis mandavit Cl. Sirmondus. Ea inter extat explanatio in illud Canticorum de ferculo Salomonis ad Carolum Regem proſa & carmine ſcripta. Vivere deſiit Anno DCCCLXXXII.

HONORIUS I. ROM. PONTIFEX, Petronii Viri Conſularis filius, natione Campanus, plures dedit epiſtolas, & ſcripſit quoque Epigramma de Apoſtolis ob Chriſti in Coelos adſcenſionem obſtupeſcentibus, quod extat To. XII. Bibliothecae Vett. PP. ſuſpicatur tamen Card. Baronius hoc opus fore adjudicandum Venantio Fortunato, qui etiam fuit dictus *Honorius*. De mundo exivit Summus Pontifex Anno DCXXXVIII.

HUGO DE S. NEOTO, Carmelita, edidit in Evangelium Lucae Librum I. Obiit Ann. MCCCXL. Haec habet Hayus. Sed num revera ejus opus fuerit typis commiſſum ex Hayana phraſi non conſtat.

HUGO DE PRATO, Etruſcus, ſic dictus a patrio ſolo, & poſteriori aetate etiam a *Prato floriđo*, Ordin. Praedicatorum, inſignis Eccleſiaſtes, ſcripſit Homilias, ſeu Sermones in Evangelia, & Epiſtolas, quae per Annum legi ſolent, primum editos Venetiis Anno MDLXXVII. Floruit autem ipſe Anno MCCCXXII.

I

JACOBUS FABER, Stapulenſis, Philoſophus ac Theologus Pariſienſis, edidit Initiatorium in IV. Evangelia. Commentarios in Epiſtolas Canonicas. Dedit etiam Pſalterium Quintuplex, Gallicum, Romanum, Hebraicum, Vetus, & Conciliatum. Opuſcula pariter vulgavit de tribus Magdalenis, & de triduo mortis Chriſti. Verum in ejus operibus, ut praeſertim Molanus, & Miraeus adnotarunt, adhibenda eſt cenſura Tridentinae Synodi. Vixit XV. labente, & XVI. incipiente Seculo.

JACOBUS GAUDANUS (aliis MAGDALIUS JACOBUS) Batavus, Ord. Praedicatorum, in Colonienſi Academia S. Theol. Doctor, vir multarum ſcientiarum, Graece, & Hebraice doctiſſimus, edidit Paſſionem Chriſti, magiſtralem, ut vocant, cum gloſſa interlineari Alberti M., & ſententiis DD. Eccleſiae, Coloniae impreſſam Anno MDIV. Correctorium Bibliorum, & eorum compendium metricum, ibidem MDVII. Alia ab eo lucubrata opera legere eſt apud N. Echardum, & in Bibliotheca Belgica. Floruit uſque ad Annum MDV.

S. JACOBUS NISIBENUS EPISCOPUS, ob ſummam rerum divinarum, humanarumque notitiam cognomento SAPIENS, ſub perſecutione multa perpeſſus unus fuit è Confeſſoribus, qui in Nicaena Synodo Arii impietatem damnarunt, propheriae dono, & miraculorum gloria inluſtris. Scripſit, Gennadio teſte, Syriace ingens opus XXVI. libris conſtans, quos inter aliqui ſunt ad rem noſtram facientes, nimirum, de Circumciſione: de acino benedicto, pro quo in Iſaia legitur: *non eſt exterminandus botrus*: de conſtructione Tabernaculi. Item Chronicon in quo ex divinis Scripturis Verbi divinitatem oſtendit. Ei quoque adjudicantur Hexaëmeron ad Conſtantinum, Homiliae aliquot, & expoſitio in Evangelia. Legendus praecipue eſt catalogus librorum Lugduno-Batavae Bibliothecae, tam impreſſorum, quam MSS. editus a Frederico Spanhemio, ubi omnia ejuſdem Jacobi opera enumerantur. Coelum conſcendit ſub imperio Conſtantini M.

JACOBUS DE SUSATO, ſic ab origine dictus, in Weſtphalia natus, Ord. Praedicat. S. Th. Magiſter, ac fidei Quaeſitor, pietate, & eruditione inſignis, ſcripſit tria volumina in Matthaeum, Commentarios in Epiſtolas ad Titum, & ad Hebraeos, Commentarium in Librum Sapientiae, & Tractatum de hora mortis Chriſti, quae opera ſimul cum aliis pluribus ab eo relictis MSS. apud Noſtrates ſervantur, de qua re conſulendus eſt praeſertim Echardus. Jacobus autem ſuperſtes adhuc erat Anno MDXXII.

JACOBUS DE VITRIACO, alias DE VITREJO, Argentolii in Dioeceſi Pariſienſi natus, adlectus fama Mariae Ogniacenſis, Sorbona relicta, & Parochiali Eccleſia, quam Lutetiae regebat, dimiſſa, Ogniacum ad Sabim fluvium venit, ibidemque inſtitutum Canonicorum Regularium S. P. Auguſtini amplexus, eruditione, & pietate inluſtris, primum Aconenſis in Syria Epiſcopus conſecratus, dein Patriarcha Hieroſolymitanus, ac poſtremo Tuſculanus Epiſcopus, S.R.E. Cardinalis, ſediſque Apoſtolicae in Terra Sancta, Francia, & Germania Legatus, ſcripſit Sermones in Evangelia, & Epiſtolas totius Anni, qui prodierunt Antuerpiae Anno MDLXXV. Sermones de operibus ſex dierum, & de Statu Terrae Sanctae. In Domino quievit Romae MCCXLIV.

JANNOTIUS MANETTUS, Italus, Florentinus, Graece, Latine, & Hebraice doctus, in Senatorium Ordinem a concivibus ſuis cooptatus, & Equeſtri dignitate a Nicolao Papa V. cui inter primos charus erat, honeſtatus, pluribuſque legationibus functus, ſcripſit libros X. contra Judaeos, & Gentes, Apologias Pſalterii ad Alphonſum Neapolitanum Regem, ſeu de recta interpretatione. Pſal-

terium

Digitized by Google

terium Davidis, & Veteris Testamenti partem ex Hebraeo, Novum Testamentum integrum ex Graeco sermone in Latinum transtulit. Quae omnia opera MSS. servantur in Bibliotheca Pitaurensi, alia edidit opera, quae Possevinus percenset. Neapoli debitum naturae persolvit Anno MCDLIX.

JARICHUS FRISIUS, Abbas Horti Mariae, seu (ut populari lingua dictus fuit) Mariae Gardae, Ord. Praemonstratensis, vir sanctus & doctus, scripsit in Genesim Commentaria, quae passim in Bibliothecis per Frisiam haberi solent. Claruit circa An. MCII.

JOACHIMUS PERIONIUS, Cormaerianus, Ord. S.Benedicti, Congregationis Cluniacensis, Hebraice, & Graece doctissimus, earumque linguarum Professor, Anno MDLI. Parisiis edidit vitam Christi, Apostolorum, & Prophetarum, ac plura alia laude digna opera. In naturali solo requievit Anno MDLXX.

JOHANNES-AUGUSTINUS BASSIANUS, Bergomas, Augustinianus, vulgavit Commentarium in Epistolam ad Timotheum. Obiit Bergomi Anno MDLVII.

JOHANNES BATMANSON, Carthusianus, edidit Commentarios in Cantica Canticorum. In Proverbia Salomonis. Super *Missus est*. Tractatus de unica Magdalena, & de Christo duodenni. Devixit Anno MDXXXI.

JOHANNES BLOXHAM, Cestriensis Coenobii Carmelita, lucubravit Adnotationes in Apocalypsin N.E. Vivebat Anno MCCCXXXIV.

JOHANNES BRISSELOTUS, Montensis, Hanno, Carmelita, S.Th.D. in Parisiensi Academia, Carolo V. a Consiliis, Desiderii Erasmi testimonio *unum e luminaribus Ecclesiae*, pluribus honoribus, ac dignitatibus potitus, ad Ecclesiam Berythensem, & deinde ad Archiepiscopatum Arborensem in Sardinia evectus, inter cetera, quae scripsit, reliquit Commentarios in Psalmos Poenitentiales, non dum typis mandatos. Mortem subiit Anno MDXX.

JOHANNES CALECA, natione Thrax, patria Aprius, Presbyter Bizantinus, Andronico Imperatori a Sacris, deinde Patriarcha CP. ejus nominis XIII. plures scripsit Homilias, quarum una die Dominica ante exaltationem Crucis a Gretsero edita est. Homiliae LVI. in Evangelia extant MSS. in Bibliotheca Vindob. ubi etiam aliae in Evangelia servantur ejusdem Authoris Homiliae. Vivebat Anno MCCCXXXI.

JOHANNES CAMPENSIS, Trans-Hulanus, Linguae Sanctae in Gymnasio Trilingui Lovanii Professor, edidit Grammaticam Hebraicam, Paraphrasin, seu potius Ecphrasin in omnes Psalmos, & Ecclesiasten juxta Hebraeum textum, Commentariolos in Epistolas Pauli ad Romanos, & ad Galatas. Peste correptus occubuit Brisgojae Anno MDXXXVIII.

JOHANNES CAPGRAVE, Anglus, Ordin. S.P.Augustini, Theologus insignis, & Angliae Provincialis, plura scripsit, praecipue Commentarios in Genesim, & in Acta Apostolorum, qui extant MSS.in Bibliotheca Orialensi Oxoniis: similiter in reliquos Libros Legales, in Libros Josue & Regum. In Ecclesiasten, & Danielem. In IV. Evangelia, & Apocalypsin, satisque amplum operum ejus catalogum texunt Balaeus, & Possevinus. Obiit Linnae apud Nordovolgios. Anno MCDLXXXIV.

S.JOHANNES A CAPISTRANO, quod est oppidum in Marsis (non in Bruttiis, ut Possevinus scripsit) haud procul ab Urbe Aquila in Regno Nostro, ex nobili Chiolorum stirpe ortus, primum U.J.D. & M. Curiae Vicariae Judex Togatus, deinde Minorum S. Francisci de observantia Ordini addictus, & S.Bernardini Senensis socius, ac discipulus, Cismontanae Provinciae bis Vicarius Generalis, Fidei Quaesitor, & Apostolicae Sedis Legatus, quanta pro Ecclesia pertulerit egeritque vir sanctus (quem nimis injuste carpit Philippus Brietius) & doctus, nemo est, qui ignoret. Summis Pontificibus Martino V. Eugenio IV. Nicolao V. & Callisto III. propterea charus, quum plura scripserit, praecipue tamen edidit Tractatus de Antichristo, de Passione Domini, & in illud Isaiae VII. *Ecce Virgo concipiet* &c. Coelitibus adhaesit Anno MCDLVI.

JOHANNES CHRYSOSTOMUS ZANGHIUS, Basilii frater, Italus, Bergomas, Canonicus Regularis, plurium linguarum peritus, edidit Alphabetum dictionum, & vocum S.Scripturae Graecum, Latinum, Hebraicum, & Chaldaicum.

JOHANNES COLETUS, Anglus, edidit Commentarios in Proverbia Salomonis, In Evangelium Matthaei, In Epistolas Pauli, In Orationem Dominicam. Obdormivit Anno MDXIX.

JOHANNES A CONDONETO, Hannonensis, Carmelita, reliquit expositionem in I. Johannis Epistolam. Vivebat Anno MCCCLXXX.

JOHANNES COSTERIUS, propter innocentiam vitae cognominatus COLUMBA, Lovanienfis, Canonicus Regularis, Martino Lipsio pari animorum ac studiorum necessitudine junctus, typis mandavit ex S.Ambrosio Commentarium in Cantica Canticorum. Decessit Lovanii Anno MDLIX.

JOHANNES DADRAEUS, Theologus, Doctor Parisiensis, Glossas cum ordinarias, tum interlineares, ac postillas Nicolai Lyzani cum Paulo Brugensi magno studio purgatas suis Bibliis adposuit. Superstes erat Anno MDLX.

S.JOHANNES DAMASCENUS, Monachus Presbyter, Theologus primi nominis, Graecisque facillime Theologorum Princeps, cetera inter eximia sui ingenii monumenta edidit Orationem in Transfigurationem Domini, & Epitomen commentariorum in Epistolas Pauli. Et quamvis Casimirus Oudin solo argumento negativo, atque intemperantiori quadam Critice usus hoc postremum opus adjudicet Johanni Damasceno Juniori, qui floruit circa Ann. MXC. viriliter tamen illud Seniori nostro Damasceno vindicat Cl. N. Michaël Lequien, cui citra omnem dubietatis aleam Oudinus suos debet submittere fasces. Aliàs etiam Orationes ad Dei parentes spectantes edidit Damascenus, qui pro fide multa passus claruit Anno DCCXXXI.

JOHANNES EPISCOPUS HIEROSOLYMITANUS, ante Episcopatum pluribus erroribus implicitus, sed Catholicus inde factus, & ad Cathedram evectus, adhuc dubiam de sua fide reliquit sententiam, num Origenis erroribus, ac Pelagii commentis adhaeserit, extantque adversus eum Hieronymi, & Epiphanii epistolae. Plura scripsit, sed quae sub ejus nomine edita fuerunt Bruxellis duobus Tomis comprehensa a Petro Wastelio Carmelita A.MDCXLIII. certe illius omnia non sunt, & plura Latini Monachi longe inferioris aetatis universim a Criticis adseverantur. Possunt ei tamen adjudicari homiliae plures, nimirum VI. in Job. In Josephum, & de Castitate. Homiliae aliquot in Psalmos. In Marcum XIV. In Lucam V. In Johannem III. In Ascensionem Domini. De Pentecoste. De Praecursore Domini. De Davide. De coeco, & Zachaeo & aliae in Apostolos Petrum, Paulum, & Thomam. Obiit Anno CDXVI.

JOHANNES FRAMENTARIUS, Anglus, Benedictinus Congregationis Cluniacensis, plura scripsit, praesertim Commentarios in S.Scripturam, sed ubinam extent ignotum. Vivebat An.MCDXL.

JOHANNES GEOMETRA, Graecus, scripsit Orationem in Passionem Domini ex IV.Evangelistis, & plura alia in Evangelia, quorum fragmenta nonnulla laudantur in Catenis Graecorum PP. Floruit X. Seculo.

JOHANNES GLODSTON, seu GLODESTON, Anglus, Carmelita lucubravit Commentarios

Digitized by Google

tarios in Matthaeum, & Johannem, item in Pſalterium, & I. Johannis Canonicam. Degebat in mundo Anno MCCCXX.

JOHANNES GOODUVYCK, Ord. Eremit. S.P.Auguſtini, Anglus, in Nordovolgiae comitatu natus, Provincialis Angliae, & Hiberniae, ſingulari eruditione pollens, ac inſignis Eccleſiaſtes, qui coram Regibus, Proceribuſque non ſemel conciones habuit, plura ſcripſit, praeſertim Lecturas in Geneſim, Commentarios in Danielem, & in quaedam Pauli Apoſtoli dicta, Lecturas in Pſalmos, & de Hebdomadibus Danielis librum unum, ac Sermones per Annum. Lymnae vivere deſiit Anno MCCCLX.

JOHANNES HEROLDUS, ſeu HEROLTUS, natione Theuto, Ordinis Praedicatorum, ſcripſit Sermones in Evangelia per Annum, & per Quadrageſimam, Expoſitionem Decalogi, Orationis Dominicae, & Salutationis Angelicae. Diu latuit hujuſce Authoris nomen, & ſub DISCIPULI nomine fuerunt pluries ejus opera typis mandata, ſed innotuit tandem ex quodam ejus MS. quod praeſertim conſulere eſt apud NN. Quetif, & Echardum. Floruit circa Annum Domini MCDXVII.

JOHANNES HESSELS, ſeu HESSELIUS, Lovanienſis, Theologiae Doctor, & Profeſſor inſignis, ad Tridentinam Synodum a Philippo II. Hiſpaniarum Rege miſſus, plura adverſus Novatores edidit; edidit pariter Commentarium in Evangelium Matthaei, in Epiſtolam ad Timotheum, & in I.Petrinam Epiſtolam, in Orationem Dominicam ſeorſim, & in Salutionem Angelicam. Tribuuntur ei plura alia exegetica opera, quae revera ſunt reſtituenda Adamo Sasbouth, de quo N. Xyſtus agit. Heſſelius autem in laudata Tridentina Synodo omnium Patrum moerore, ac luctu defunctus eſt Anno MDLI.

JOHANNES LATHBERIUS, Ordin. Minorum, Anglus, Oxonienſis Doctor, pietate, & doctrina inſignis, ſcripſit Explicationem Pſalmorum lib.I. Commentarios in Jeremiam lib.I. in ejuſdem Lamentationes lib.I. In Acta Apoſtolorum lib.I. Lectiones Scripturarum lib.I. ex quibus aliqua opera ſunt impreſſa, ut Commentarii in Lamentationes Jeremiae: alia Oxonii, alia Cantabrigiae MSS. ſervantur. In vivis erat Anno MCDXLVI.

JOHANNES MEDER, natione Germanus, profeſſione Franciſcanus, ſcripſit integrum volumen de Parabola Filii prodigi ad poenitentiam inſinuandam, & Homilias in Evangelia Quadrageſimae, quae primum Baſileae Ann. MDX. prodierunt. Floruit autem Anno MDI.

JOHANNES NOBLET, Gallus, Carmelita, S.Th. Doctor, ſcripſiſſe fertur in univerſa Biblia: extant tamen excuſi ejus Commentarii in Canonicas Epiſtolas, eique ab omnibus adjudicati. Vivebat adhuc poſt Annum MD.

JOHANNES PECCHAMUS, Anglus, Patria Ciceſtrienſis, Ord. Minorum, S.Bonaventurae aliquando diſcipulus, Doctor Oxonienſis, & Pariſienſis Profeſſor, in Palatio Apoſtolico aliquando Lector (non Magiſter) a Nicolao III. evectus ad Archiepiſcopalem Cantuarienſem Eccleſiam, edidit Collectanea Bibliorum Coloniae primum impreſſa Anno MDXIII. Poſtillas in utrunque Teſtamentum, in Cantica Canticorum, & in Threnos Jeremiae, aliaque opera Anecdota, quae Waddingus percenſet. Cantuariae diem clauſit extremum Anno MCCXCII.

JOHANNES PHILOPONUS, ab ſtudiorum aſſiduitate ſic dictus, genere Alexandrinus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, eſto Tritheitarum ſectae adhaeſerit, commendatur tamen ejus commentarius in I. Caput Geneſeos, ſeu de opere ſex dierum Tractatus Latine editus a Corderio Viennae MDCXXX. Ipſe autem exceſſit Anno DLXXXVIII.

JOHANNES PICUS (alius a Mirandulano Comite) Gallus, Carthuſiae Divionenſis Prior, edidit Commentarium in Cantica Canticorum Anno MDXXIV.

Johannes de Pratis (de quo N. Xyſtus) claruit Anno MCCCXXXVIII.

JOHANNES-ROCHUS PORTIUS, Italus, Ticinenſis, Prior Generalis Eremitarum S.P.Auguſtini, edidit Homilias in Evangelia Adventus, & Quadrageſimae, nec non Commentarios in XIV.Paulinas Epiſtolas. Mortis jura ſubiit Anno MCDLXXI.

JOHANNES SARISBARIENSIS, Carnotenſis Epiſcopus, natione Anglus, S.Thomae Cantuarienſis Epiſcopi & Martyris diſcipulus, & in aerumnis ſocius, ac peregrinationum ejuſdem comes, qui propterea ſincere S.Thomae Acta conſcripſit. Reliquit etiam Commentarios in omnes Paulinas Epiſtolas typis mandatos Amſtelodami MDCXLVI. Floruit autem ipſe Anno MCLXX.

JOHANNES SLOTANUS, a Valerio Andrea SLOOTANUS, ab Eiſengrenio SCHLOTANUS, & a Poſſevino, & N. Fernandez corrupte SCHOLOTANUS, natione Brabantinus, patria Geffenſis, profeſſione Dominicanus in Colonienſi Conventu, literis, & moribus clarus, Latine, & Graece nimium doctus, adverſus Novatores in Germania viriliter dimicavit, & inter primos primoreſque Indiarum Apoſtolos delectus plurimum pro illorum converſione laboravit. Plura dedit opera cum dogmatica, tum exegetica, tum etiam moralia, ex quibus plurima ſunt publici juris facta quinque voluminibus comprehenſa, in quibus extant IX. Homiliae in Pſalmum XC. De praecipuis Redemtionis noſtrae myſteriis Homiliarum Libri III. De octo Beatitudinibus Sermones XIV. Adduntur etiam Poſtillae ac Homiliae variae In Epiſtolas, & Evangelia. Vide N. Echardum. Aetate maturus dies ſuos in pace complevit Anno MDLX.

JOHANNES TYLNEY, Anglus, Nordovicenſis, Ord. Carmelitarum, ſcripſit Poſtillam in Apocalypſin. Vixit Anno MCDXXX.

JOHANNES DE TYNMOUTH, Anglus, Ord. S.Benedicti: ex Balaeo, Voſſio, Dufrenio, aliiſque ſcripſit Expoſitionem in Geneſim, In Exodum, In Leviticum, In Numeros, In Deuteronomium, In Libros Joſue, Judicum, & I. Regum. Super Apocalypſim, & alia reliquit Hiſtorica opera, quae Oudinus diſtincte percenſet, & ubi adſerventur adnotat, ſed de Exegeticis filet. Floruit Anno MCCCLX.

JOHANNES XIPHILINUS, Graecus, Trapezuntius, Patriarcha CP. genere Senatorio ortus Monachum in Montis Olympi Monaſteriis primum egit; pluraeque ſcripſit Homilias in Evangelia, quae nunc in Vaticana Bibliotheca MSS. ſervantur: Apud Gretſerum ejuſdem Oratio *in Tertiam jejuniorum Hebdomadam* Graece, & Latine edita extat. Plura itidem ſcripſit, quae ei adjudicant Baronius, Spondanus, Bzovius, Voſſius, aliique. Conſule praeſertim Cavium *Sec. XI.* Carnem depoſuit Anno MLXXVIII.

JULIANUS HALICARNASSAEUS EPISCOPUS, ſecta Eutychianus (quem inter Exegematicos Scriptores reponere non ambigo Xyſti ſecutus exemplum) ſed poſtea a Severo diſcrepans Phantaſiaſtarum Coriphaeus, ſcripſit inter alia Commentarium in Job, cujus plura fragmenta refert Author Catenae Graecae in Job editae Londini MDCXXXVII. Vixit autem Julianus Anno DX.

S. JULIANUS TOLETANUS ARCHIEPISCOPUS (quem Cavius *Pomerium*, ſed juniorem, dicit refragante Fabricio) gente Hiſpanus, patria Toletanus, Eugenii II. Toletani Epiſcopi diſcipulus, Anno DCLXXX. ab Evergio Rege rogatus libros de Chriſti adventu contra Judaeos ſcripſit, ſeu, *de demonſtratione ſextae aetatis*, qui habentur in *Orthodoxographis* pag. 1967. Commentarios in Nahum Prophetam ab Henrico Caniſio editos: & libros duos ἀντιῤῥητικῶν, ſeu contrariorum in ſpeciem Sacrae

Digitized by Google

Scripturae locorum, qui extant in Bibliotheca Patrum, quam Andreas Scotthus ornavit. Et quamvis hoſce libros N. Xyſtus adjudicet Richardo Cluniacenſi, jure ſummo tamen ex teſtimonio Felicis Toletani S. Juliano vindicantur. Plura alia ſcripſit, quae conſulere eſt apud N. Natalem, Cavium, Fabricium alioſque. Vitam immortalitate mutavit An. DCXC.

JUSTUS ARGENTORATENSIS EPISCOPUS, natione Germanus, ſcripſit ad Principium Nemeſianae Eccleſiae Praeſulem doctiſſimos Commentarios in Cantica Canticorum, ut refert Guilielmus Eiſengerus, qui etiam *Virum Sanctum* eum adpellat, & floruiſſe dicit Anno DCLXXX.

IDACIUS CLARUS, fortaſſe Emeritae in Hiſpania Epiſcopus, vir certe inſignis, inter plura, quae ſcripſit, dedit etiam explicationem quorundam locorum S. Scripturae Baſileae primum editam cum aliis opuſculis MDXXVIII. Claruit Anno CCCLXXXV.

S. ILDERHONSUS TOLETANUS ARCHIEPISCOPUS, Monachus primum in Agalienſi Coenobio, & ibidem Abbas, multa ſcripſit, praecipue de B. Virgine Maria, pro cujus illibata perpetua Virginitate nimium decertavit, libris hujuſce argumenti vulgatis: edidit etiam Homiliam de Purificatione Deiparae Virginis, ſicut & alias in aliis ejuſdem Dei Genitricis ſolemnitatibus. Coelum conſcendit Anno DCLXVIII.

IREMBERTUS ABBAS Ord. S. Benedicti edidit Commentarium in Cantica Canticorum, qui extat inter Anecdota Pezii T. II. P. I. p. 388. Floruit forſan IX. Seculo.

ISAAC M. ARMENIAE CATHOLICUS, multas ſcripſit Orationes, quae apud N. Combiſium Graece, & Latine extant *in Auctar. Tom. II. p.* 317. Item Orationes de Annunciatione Deiparae, de Chriſti ſudore ſanguineo, & de Judaicis ſacrificiis, quae apud Lambecium eſt legere. Floruit circa Annum MCL.

ISAAC STELLAE, Ord. Ciſtercienſis Abbas in Dioeceſi Pictavienſi, S. Bernardi ordine tertius ſucceſſor, ſcientia, & pietate clarus, ſcripſit in Cantica Canticorum, & in varia loca S. Scripturae, ſicut & varios Sermones de Sanctis, alioſque Tractatus, quae omnia opera MSS. ſervantur in Regia Galliarum Bibliotheca. Varia tamen fragmenta refert Godefridus Tilmannus Pariſienſis Carthuſianus in Expoſitione Evangelii. Conſulendi ſunt prae ceteris Carolus Viſchius, & Caſimirus Oudin. Floruit Ven. Abbas Anno MCLX.

ISAAC SYRUS, ex Epiſcopo Urbis Ninives Monachus & Abbas, ſcripſit in Evangelium Lucae, cujus ſymbolas plures profert Corderius in Catena Graecorum PP. Hic autem Iſaac ille proculdubio eſt, quem Italiam veniſſe, & Spoleti conſediſſe ſcribit S. Gregorius M. *Lib. III. Dialog. cap.* 14. De quo praeſertim conſulendus eſt N. Combefiſius *To. V. Bibliotb. Concion. in Appendic.* Teſte Cavio floruit Ann. DXL.

ISIDORUS DE ISOLANIS, Italus, Inſuber, patria Mediolanenſis, Ord. Praedicat. S. Th. Magiſter eximius, omni ſcientiarum prope genere praeſtantiſſimus, dicendique facilitate, ac puritate gratus, plura ingenii ſui monumenta reliquit, eaque digna, praeſertim ad Polemicam Theologiam ſpectantia: inter cetera commendatione digna eſt Summa de donis S. Joſephi nutritii pueruli Jesu in IV. partes diviſa, & edita. Floruit Anno MDXXII.

S. IVO, ſeu YVO CARNOTENSIS, gente Gallus, patria Bellovacenſis, Abbas S. Quintiani Bellovacenſis primum, deinde Epiſcopus Carnotenſis, plura ſcripſit ad Eccleſiaſticum jus firmandum, ſacroſque Canones ſartos tectos cuſtodiendos, alia etiam edidit opera exegetica, nimirum, De Oratione Dominica, De convenientia Novi, & Veteris Teſtamenti, ac Commentarios in Pſalmos, ut videre eſt in ejus operibus publici juris factis. Vixit quippe tempore Urbani II. ſed ſupervixit uſque ad Annum MCXIV.

L

LANDULPHUS CARACCIOLUS, Neapolitanus, nobiliſſima ſtirpe ortus, Ord. Minorum, ex Poſſevino, & Waddingo Scoti Auditor, ſed ex Nicolao Toppio longe ante clarus, Epiſcopus Theatinus ex eodem Toppio, cui hac in re major eſt adhibenda fides, non vero ex Poſſevino, & Waddingo Archiepiſcopus Amalphitanus. Scripſit in Zachariam Prophetam. In IV. Evangelia, & in Epiſtolam ad Hebraeos, quae omnia MSS. ſervantur in Bibliotheca Vaticana cum aliis ejuſdem Authoris operibus. Ex eodem Toppio Regiae Camerae Archivi cuſtode floruit Anno MCCXXV. Ex Waddingo autem obiit MCCCL.

LAURENTIUS BRACIFORTE, ſeu BRANCHOFORDIUS, Italus, Placentinus, Ord. Praedicatorum Theologus ſcripſit commentarios in Pſalmos, & Sermones varios, qui apud ſuos Placentinos fortaſſe MSS. ſervantur. Floruit Anno MCCCL.

LAURENTIUS CUNDIUS, ſive GOUNDIUS, Italus de Ripa Tranſonia in agro Firmano, Bibliothecam Homiliarum in Evangelia ex PP. concinnatam edi curavit, ſed morte praeventus, idem opus perfecit N. Gerardus Moſanus, de quo in poſteriori Elencho.

LAURENTIUS DUNELMENSIS, Anglus, Abbas Benedictinus, Orator, & Poëta haud ignobilis, ſcripſit Hipognoſticon, ſeu memoriale Novi Teſtamenti heroico carmine ſatis eleganti, quod extat MS. in Bibliotheca Cantabrigiae. Vixit tempore Henrici II. Anno MCXX.

S. LAURENTIUS MELLIFLUUS, ab eloquentia ſic dictus, Novarienſis apud Inſubres Epiſcopus, ſcripſit librum de duobus temporibus, videlicet ab Adamo uſque ad Chriſtum, & a Chriſto uſque ad finem Mundi, qui liber interiit. In Bibliotheca PP. extant aliquae ejus Homiliae, & apud Mabillonium *Analect. T. II. p.* 18. extat Homilia de muliere Chananaea. Floruiſſe videtur circa Ann. DVII.

LAURENTIUS SURIUS, Germanus, Saxo, Lubeccenſis, Carthuſianus Colonienſis, vir ſedulae pietatis in propagando divino cultu, & immenſi laboris in edendis vertendiſque inſignium virorum operibus, quem propterea S. Pius V. inter Cardinales, qui dicuntur in pectore extare, jam recenſuerat, ut poſt S. Pontificis obitum fuit in ejuſdem nota repertum, Homilias priſcorum PP. in totius Anni Evangelia collectas primum ab Alcuino, ab se autem recognitas in lucem emitti curavit, edidit etiam exegeticas Homilias in Epiſtolas totius Anni ex Eccleſiae PP. congeſtas. Innumera etiam alia opera edidit. Plenus dierum obiit Anno MDLXXVIII.

LAURENTIUS VALLA, Patricius Romanus, Baſilicae S. Johannis Lateranenſis Canonicus, elegantioris literaturae Theologus, Graece nimium doctus, poſt variam fortunam (de qua conſuli poſſunt Hiſtorici de eo agentes) Romam reverſus plura edidit opera (de quibus etiam conſulendus eſt Romanus Index) praeſertim Adnotationes in Novum Teſtamentum. Anno autem aetatis ſuae L. denatus Romae, in Eccleſia Lateranenſi, epithaphio honeſtatus, fuit ſepultus MCDLV.

LIBERTUS ANGLUS, Ord. Canonicorum Regularium S. P. Auguſtini Abbas perfecit Commentarios in Pſalterium Davidis. Superſtes erat Anno MCCX.

S. LEO IX. ROM. PONTIFEX, „Vir per „omnia Apoſtolicus, regali genere ortus, ſapien„tia praeditus, religione conſpicuus, omnique „doctrina Eccleſiaſtica apprime eruditus„ ut ſcribit

Digitized by Google

bit Victor III. R. P. *lib.* 3. *Dialog.* Tom. VIII. Biblioth. Vett. PP. Comitis Daſpurgenſis filius, Bruno antea vocatus, Conradi Imperatoris conſobrinus, & ipſe Comes Dagſpurgenſis, ſed ſpreto Seculi principatu cucullam Monaſticam in Cluniacenſi Ordine S. Benedicti induit, ex Monacho Epiſcopus Tullenſis, & tandem invitus in Conventu Vormatienſi Romanus Pontifex electus, ſcripſit nonnulla opuſcula exegematica, Homilias, videlicet, quae prodierunt Lovanii MDLXV. & alia opera, quae etiam typis fuere mandata. Miraculis clarus obdormivit in Domino Anno MLIV.

LEONIUS PRESBYTER, Gallus, Pariſienſis Canonicus, carmine heroico Hiſtorias Novi, & Veteris Teſtamenti ſcripſit Anno MCLXXX.

LEONTIUS ARABISSI EPISCOPUS, (alius ab eo quem laudat N. Xyſtus) ſcripſit Homilias de Creatione Mundi, & de Lazaro Redivivo, cujus excerpta bene longa exhibet Photius *Cod.* 271. Floruit VI. Seculo.

S. LINTBERTUS, natione Svevus, primum Fuldenſis Monachus Ord. S. Benedicti, deinde in Dioeceſi Spirenſi Abbas Hirſaugenſis, ſcripſit Commentarios in Cantica Canticorum ad Rabanum praeceptorem ſuum. Vivebat Anno circiter DCCCXL.

M

S. MACARIUS AEGYPTIUS, Senior dictus, Monachorum Pater, & M. Antonii diſcipulus (ideoque alius ab Juniore) ſcripſit Homilias, quae in Vett. PP. Bibliotheca extant, quae autem huc ſpectant ſunt: De ſtatu Adami poſt imaginem Dei amiſſam. De Sabbato antiquo, & novo. Ad quid Scriptura data ſit nobis? Allegoriae quorumdam ſub Lege factorum. Claruit IV. Seculo.

MARINUS (qui Auberto Miraeo eſt DOMINICUS) GRIMANUS, natione Italus, patria Venetus, Patriarcha Aquilejenſis, Epiſcopus Portuenſis, & S.R.E. Cardinalis, edidit Venetiis MDXLI. Commentarios in Epiſtolam ad Romanos, Carnem depoſuit Anno MDXLVI.

MARSILIUS FICINUS, Italus, Florentiae natus Anno MCDXXXIII. Philoſophus Platonicus inſignis, ac celeberrimus Theologus, omnigenaque eruditione refertus, plura ſcripſit, quae univerſim ab Eruditis commendantur, praeſertim Commentarium in Epiſtolas Pauli typis mandatum, ubi praeceteris ad lancem revocat Pauli raptum uſque ad tertium Coelum. Converſatione, non fama, receſſit ab Orbe Anno MCDXCIX.

MARTINUS CORDUBENSIS, Auguſtinianus, in Gallia juxta, ac in Hiſpania clarus Theologiae Profeſſor, pietate conſpicuus, ceu qui, recuſato Paceni Epiſcopatu, praedicationis muneri, nec ſine animarum converſione, ſe totum adplicuit. Scripſit in III. priora Capita Geneſeos. In omnes Paulinas Epiſtolas. In Apocalypſin. An autem ea opera ſint impreſſa? colligere non potui ex Scriptoribus; ſicut ex eiſdem cognovi tantum virum fato ceſſiſſe Anno MCDLXX.

MARTINUS LEGIONENSIS, Hiſpanus, Eccleſiae & Coenobii Legionenſis S. Iſidori Canonicus, & Abbas, ſcripſit Commentarios in Epiſtolas SS. Petri, Jacobi, & Johannis, nec non in Apocalypſin, qui MSS. ſervantur in laudato Coenobio ſimul cum aliis pluribus ejuſdem Authoris operibus, quae praeſertim Aegidius Gundeſalvus Davila percenſet. Claruit Anno MCCL.

MARTINUS MARTINEZ, Cantapetrenſis, Hiſpanus, Cl. Theologus, edidit Libros X. Hypotypoſeon Theologicarum, ubi agit de ſenſibus S. Scripturae, & de recta illius intelligentia. De Prophetis, ubi de conſenſu utriuſque Divini Foederis. De authoritate Verbi Dei ſcripti, ac de illius inſpiratione: verbo dicam, de omnibus pertinentibus ad rectum uſum Bibliorum. Variae extant hujuſce operis editiones, ſed adcuratior eſt Salmanticenſis MDLXXII. quae ceteris eſt caſtigatior. Floruit circa dimidium XVI. Seculi.

MATTHIAS ZITTARDUS, Aquiſgranenſis, Ord. Praedicatorum, S. Th. M. inſignis, & Carolo V. a concionibus, plura edidit Polemica opera, ſicut & Homilias XXVII. in I. Johannis Canonicam. Floruit Anno MDL.

MAURITIUS DE PORTU FILDAEUS, Hibernus, Ordinis Minorum Conventualium, eximius Theologus, & peracutus Philoſophus, quondam in Patavina Univerſitate Profeſſor, & a Julio II. inauguratus Archiepiſcopus Tuamenſis in Hibernia, pietate inluſtris, plura edidit, praeſertim Dictionarium Sacrae Scripturae, quod poſt ejus mortem jubente Matthaeo Zane Patriarcha Veneto fuit vulgatum Anno MDCIII. Interfuit Concilio Lateranenſi ſub Julio II. Anno MDXXII. Sed Galliciae diem vidit extremum Anno circiter MDXXIV.

S. MAXIMUS CONFESSOR (alius ab eo quem N. Xyſtus percenſet) Conſtantinopolitanus Monachus, fidei pugil inſignis adverſus Monotheli-tas, qui pro veritate Catholicae fidei in exilium actus, & in carcerem reclusus, ibidem glorioſa morte vitam innocuam coronavit Anno DCLXII. Theologus certe conſpicuus, qui plura Aſcetica, & Exegetica opera dedit. Ex poſteriori claſſe ſunt Expoſitio Pſalmi LIX. & Expoſitio in Orationem Dominicam. Quaeſtiones LXVI. in locos Scripturae difficiles, quod opus fuſe deſcribit Photius *Cod.* 191. Omnia S. Maximi opera Graece & Latine notis ſcholiiſque ornata edidit N. Franciſcus Combefiſius Pariſiis Anno MDCLXXV. Extat etiam expoſitio in Cantica Canticorum, quam ex Maximi noſtri, Gregorii Nyſſeni, & Nili commentariis collegit Michaël Pſellus, quae extat Graece & Latine in Auctario Duceano, *Tom. II. p.* 681.

MELCHIOR FRIZOLIUS, Parmenſis, Ord. Minorum, edidit Commentarios in Pſalmos Davidicos, & alia aſcetica opuſcula. Deceſſit Anno MDXX.

S. METHODIUS MONACHUS, ET PATRIARCHA CP. dictus etiam *Homologoteta* ſeu *Confeſſor*, natione Siculus, patria Siracuſanus (ut praecipue Mongitore *in Biblioth. Sicul.* probat) inter plura, quae ſcripſit, dedit etiam Orationem in illud Luc. II. de occurſu Simeonis, & Annae in Templo, & de Deipara. Orationem in Ramos Palmarum, & alia ad redemtionem Chriſti, ſicut & ad adventum antichriſti ſpectantia, quae omnia typis ſunt mandata, extantque praeſertim apud N. Combefiſium. Eidem quoque ab Criticis adjudicatur commentarius in Apocalypſin, quem N. Xyſtus Methodio Seniori adſcribit: de qua re conſule eruditos Cavium, Dupinium, Oudinum, N. Combefiſium, aliosque. Ad aeterna gaudia tranſivit Anno DCCCXLVII.

MICHAEL DE CARCANO, ſive ab ARCANANO, Italus, Mediolanenſis, Ordinis Minorum, edidit Baſileae Anno MCDLXXIX. Sermones XI. in Decalogum ex illo Exodi XX. more ſcholaſtico, necnon varias in Evangelia Sermones.

MICHAEL PSELLUS, Vide in Xyſto PSELLUS.

MODESTUS PATRIARCHA JEROSOLYMITANUS, ut a Photio *Cod.* 278. adſeritur, ſcripſit Homilias III. videlicet: In mulieres unguentarias: In illud Lucae II. de occurſu Domini, & Simeonis: Et *Eis τὰς μυροφόρους* in Caput VIII. Lucae: quae praeſertim apud N. Combefiſium extant. Claruit Anno DCXX.

MOSES BAR-CEPHA, natione Syrus, Epiſcopus Beth-Ramam, Eccleſiarum in partibus Babyloniae Curator, ſcripſit Syriace libros III. de Paradiſo terreſtri, quos Latine vertit Andreas Maſius, eoſque pariter habemus Tom. XVII. Bibliothecae Vett. PP. Claruit labente X. Seculo.

NA-

Digitized by Google

N

NATALIS BEDA, Gallus, Collegii Montis Acuti, edidit Tractatum de unica Magdalena contra Fabrum, nec non adnotationes in Commentarios Fabri in Epistolas Pauli, & IV. Evangelistas. Claruit Parisiis MDXX.

S. NICEPHORUS CONSTANTINOPOLITANUS, Augusto, ejusque Matri Irenae a secretis primum, deinde Monachus, tandem Patriarcha CP. sed ob fidei defensionem ac sacrarum imaginum cultum sede depulsus, & in exilium actus, plura scripsit cum Historica, tum Dogmatica. Scripsit etiam de Cherubinis a Mose descriptis: Chronologiam tripartitam, seu catalogum Patriarcharum, Judicum, Regum, Principumque Hebraeorum, Graecorum, ac Romanorum, quam N. Jacobus Goar Graece ac Latine edendam curavit Regiis typis Anno MDCLII. Στιχομετρίαν, seu indiculum librorum Canonicorum, Ecclesiasticorum, & Apocryphorum, additis στίχοις, seu versuum numeris, quibus quilibet liber constat; & quamvis hoc postremum opusculum Nicephoro abjudicet Johannes Pearsonius *Vindic. Ignatian. pag.* 1. illi tamen vindicat Guillelmus Cave Hist. *Litter. Sec. Phot. p.* 434. aut saltem alteri coaevo Scriptori fore adjudicandum contendit. Floruit Nicephorus Anno DCCCVI.

NICEPHORUS BLEMMIDA, Monachus, & Philosophus doctissimus, qui oblatam sibi Patriarchalem CP. Ecclesiam recusavit, & pro Latinis pugnavit, plura scripsit Medica & Philosophica, & ad rem nostram Encomion in Johannem Evangelistam: Ennarrationem in aliquot Psalmos: Expositionem, seu Appendicem Psalterii in Cantica Scripturae, & alia, quae omnia extant MSS. in pluribus Bibliothecis Vaticana, Bavarica, Vindobonensi &c. Claruit Anno MCCXXV.

NICETAS DAVID, qui PAPHLAGO fuit cognominatus, ortu Bizantinus, ob nimiam eruditionem Philosophus Christianus dictus, Photii adversarius, plura scripsit, praecipue Orationem laudatoriam Archangelorum Michaëlis, & Gabrielis, Graece, & Latine cum notis editam a Petro Possino, Orationes in XII. Apostolos, Marcum, & Lucam, & Commentarium in Lucam, aliasque orationes, quas omnes Latine & Graece edidit N. Combefisius. Floruit Anno DCCCLX.

NICETAS SERRON M. Ecclesiae CP. Diaconus, & Magister primum, deinde Heracleensis Archiepiscopus, Theophylacto coaevus, plura scripsit, quae singillatim expendere oportet, nimirum Catenam in Job Graece & Latine editam a Patricio Junio Londini MDCXXXVII. Catenam in Evangelium Matthaei Graece & Latine editam Tolosae MDCXLVI. Explicationem in Psalterium Davidis, in IV. Evangelia, in Acta Apostolorum, in Epistolas Pauli, Petri, Johannis, & Jacobi, in Psalterium Davidis, in XII. Prophetas, in Ecclesiasten, & in Cantica Canticorum, aliaque varii argumenti opera, quae in pluribus Bibliothecis insignoribus MSS. servantur, praecipue in Bibliotheca Patriarchii CP. in Caesarea Viennensi, in Bavarica, in Heidelbergensi, in Medicaea Florentina, aliisque. De quibus consuli possunt Possevinus, Vossius, Cavius, Oudin, aliique. Claruit insignis Scriptor Anno MLXX.

NICOLAUS DE ALCENTIA (ut scribit Hayus) Carmelita, scripsit Commentaria in Exodum, & in Apocalypsin. Vixit Anno Domini MCDXCV.

B. NICOLAUS BOCCASINUS Vide B. BENEDICTUS XI.

NICOLAUS BONETUS, Ordinis Minorum, Italus, scripsit Postillam in Genesim, quae simul cum aliis ejus operibus prodiit Venetiis MDV.

NICOLAUS A CRUCE, Italus, Venetus, Ord. Praedicatorum, divinis, ne dum, verum & humanis politioribus literis expolitus, diuque exponendis Sacris Scripturis, ac habendis ad populum conclonibus deditus, plura scripsit, extantque inter edita ejus opera Homiliae in I. Epistolam ad Corinthios. Floruit Anno MDLIX.

NICOLAUS EYMERICUS, Catalaunus, Gerundensis, Ord. Praedicat. Theologus, Canonista, & Ecclesiastes eximius, Avenionensis Inquisitor, & Gregorii XI. Capellanus, plura, eaque multiplicis argumenti, opera dedit XI. Voluminibus comprehensa, quae percensent Nostrates, praesertim novissime Echardus. Ad rem praesentem faciunt Postilla in Evangelium Johannis. Commentarius literalis in Evangelium Marci. Commentarii in Epistolas Paulinas ad Romanos, ad Galatas, ad Hebraeos, quae exegetica opera adhuc a Nostris MSS. servantur. Diem suum oblit tantus vir Anno MCCCXIC.

NICOLAUS S. R. E. CARDINALIS DIACONUS, linguae Hebraicae peritissimus lucubravit opus de Scripturae Sacrae emendatione, num editum, ignoro. Claruit Anno MCXLV.

NICOLAUS DE WINGHE, Lovanienſis, Canonicus Regularis ad S. Martinum in natali patrio solo, typis mandavit Tractatum de dignitate ac profunditate S. Scripturae, ac de modo eam legendi. Devixit Anno MDLII.

S. NOTTINGERUS, Benedictinus, San-Gallensis, Episcopus Constantiensis, scripsit Commentarios in IV. Evangelia, & Volumen de expositoribus S. Scripturae. Et quamvis Possevinus ea adjudicet alteri Benedictino *Notgero* filio Ducis Sveviae, etiam Sancto ac docto, tamen Nottingero ea vindicat Eisengerus, vetustior, ac Germanicus Scriptor, cui propterea major est adhibenda fides. Plura ejus opera edita extant in Anecdotis P. Bernardi Pezii *T. I. P. I.* Vivebat S. Episcopus Anno DCCCCXVI.

O

SODILO, gente Arvernus, ex equestri familia natus, Abbas Cluniacensis, qui fuit etiam institutor commemorationis omnium fidelium defunctorum, plures scripsit Homilias, praesertim in Nativitate Domini, Epiphania, Resurrectione, & Adsumtione Jesu Christi, Pentecoste, ac Purificatione Deiparae, quae extant Tom. XVII. Biblioth. Vet. PP. Ad Dominum transiit Anno MXLVIII.

ODO ASTENSIS, Monachus S. Benedicti, Italus, scripsit ad S. Brunonem Signiensem expositionem super Psalmos per contemplationem exaratam, quae habetur ad calcem Operum Brunonis Signiensis. Venetiis MDCLI. Claruit autem Odo Anno MVI.

ODO ABBAS S. GENOVEFAE PARISIENSIS, Ord. Canonicorum S. P. Augustini, plura scripsit, quae praecipue apud Lucam Dacherium, & Casimirum Oudin legi possunt: sunt autem ad rem nostram spectantia Homiliae de Verbo Dei. In Annunciatione Deiparae. In Epiphania Domini. II. In Rogationibus. In Adscensione. III. In Hebdomada Poenosa. In illud Pilati. *Quem vultis vobis dimittam?* Et in illud Psalm. *Foderunt manus meas* &c. quae MSS. servantur in Bibliotheca S. Germani Parisiensis *codice* 656. Plenus dierum, meritisque onustus migravit ad Dominum Anno MCLXVI.

ODO ABBAS S. MARTINI DE ELLO in Anglia, vel Normannus, vel Anglus, Monachus Benedictinus primum, deinde Ecclesiae Cantuariensis Prior, & S. Thomae Cantuariensis contemporaneus, ac familiaris, scripsit Commentarios in Pentateuchum, qui Cantabrigiae in Bibliotheca S. Benedicti MSS. servantur. Moralia in Psalmos, quae etiam MSS. extant Oxonii in Bibliotheca Balliolensi. Et in Evangelia, quae etiam ibidem ita servantur. Vivebat Anno MCLXX.

ODO ABBAS MORIBUNDI: in Anglia primum,

Digitized by Google

mum, deinde Abbas Bellipradi, natione Anglus, professione Cisterciensis, dignitate tandem Episcopus Bellovacensis, scientia, & probitate clarus, inter plura, quae scripsit, enumeratque Carolus de Wisch in *Biblioth. Cisterciens.* dedit Commentarios in Sacram Scripturam, (MSS. in Anglia servatos) varioſque Sermones, quos praesertim N. Combefisius laudat. Consulendi de eo sunt Fratres San-Marthani, Oudinus, Cavius, allique. Diem clausit extremum MCLXI.

Odo Camaracensis (de quo N. Xystus) floruit Anno MCV.

ODO DE CASTRO RODULPHI, vulgo de Chateav Roux, Gallus, S.Th. Doctor, & Parisiensis Cancellarius, deinde Monachus Cisterciensis, ac demum S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus scripsit Homilias in Evengelia de Tempore ac de Sanctis, quae Romae in Bibliotheca Vaticana MSS. servantur. Ex legatione transmarina Romam reversus paulo post vivere desiit Urbe veteri Anno MCCLXXIII.

ODO DE SCHERITONA, Ord. Cisterciensis, natione Anglus, Theologus sui temporis eximius, qui in Galliis Theologiam docuit, plura scripsit, praecipue Homilias, seu Sermones in Dominicis super Evangelia, editos Parisiis Anno MDXX. esto sub nomine Odonis Cancellarii Parisiensis, quum certum sit ex adcuratis Criticis Odoni de Sheritona seu, de Shirtona esse restituendos. Homilias de SS. aliasque Homilias in Evangelia per Annum, quae in variis Bibliothecis Angliae, & Galliarum servantur, ut apud Oudinum est legere, sicut & opus LX. Parabolarum eidem adjudicandum. Vixit Anno MCLXXX.

ODO SVESSIONENSIS, Ordinis Cisterciensis, Abbas Ursicampi ejusdem Ordinis in Episcopatu Noviomensi, tumque Episcopus Praenestinus, Eugenio III. R. P. chariſſimus. MSS. reliquit Commentarios in Jeremiam Prophetam, quos praecipue commemorant Philippus Labbeus, & Carolus Du Fresne. Florebat Anno MCXLVII.

OGERIUS DE LUCIDIO in Sabaudia, Ordin. Cisterciensis, edidit insigne opus XV. Sermonum in Coena Domini, qui extant inter opera S.Bernardi, olim sub nomine ejusdem Melliflui S.Doctoris venditati. In vivis erat Anno MCL.

P

S. PAMPHILUS MARTYR, gente Phoenicius, Beryti genere haud ignobili natus, Caesariensis Ecclesiae Presbyter, ac Eusebii Caesarienſis necessarius, pro Christiana religione in carceris squalore defunctus, ex autographo Hexaplorum Origenis LXX. versionem Graecam librariorum oscitantia, ac errore foedatam repurgavit, correxit, ornavit; tantaque felicitate, ut ab omnibus Palestinae Ecclesiis laudata receptaque fuerit: quae versio propterea *Palestinae* fuit dicta. Vide quae etiam de eo scribit S.Hieronymus *Cap.LXXV.* de Scriptoribus Ecclesiasticis. In persecutione Maximini laureatus heros Coelum conscendit.

PAULUS DIACONUS, gente Longobardus, Walnefridi, & Theodolindae filius, cognomento WINFRID, qui prius fuit Diaconus Aquilegiensis; & Desiderii ultimi Longobardorum Regis, victo Rege suo, inter nobiles captivos a Carolo Francorum Rege abductus, ad Arichin Beneventanum Principem confugit, eoque defuncto Monachum induit in Casinensi Asceterio, ubi virtute nimium floruit. Historiographus, Poëta, & Theologus insignis plura scripsit, quae Vossius, Cavius, aliique percensent: praecipue tamen Lectiones, Homilias, & Postillas in Evangelia festiva, ac in Dominicas totius Anni, ex operibus Origenis, Hieronymi, Augustini, Leonis I. Maximi, Gregorii M. & V. Bedae

operibus compactas, quae Spirae primum prodierunt Anno MDXVII. Floruit autem Paulus hic (longe alius a Paulo Diacono Neapolitanae Ecclesiae) circa Annum DCCLXXIV.

PELBARTUS OSUALDUS, natione Hungarus, patria Temesvarienſis, Ordinis Minorum, in Sacris Scripturis nimium versatus, ac insignis Ecclesiastes, scripsit Sermones de Tempore ac de Sanctis, Parisiis editos, Commentarios in Psalmos Hagonae impressos MDIV. & alia opera, quae Waddingus enumerat percensetque. Claruit sub Alexandro VI. R. P. Anno MD.

PETRUS ABELARDUS, natione Gallus, nobili progenie ortus, primum matrimonio junctus, Heloisae lectissimae puellae (ex qua ante legitimas nuptias furtivo concubitu filium suscepit nomine Petrum Astrolabium) sed postea in poenam commissi sceleris a consanguineis Heloisae dormiens castratus, uxore inter Sanctimoniales Argentolensis prope Parisios Coenobii collocata, in Monasterium S.Dionysii se recepit habitumque induit; sed ex haeresi ei impacta in Synodo Svessionensi librum de *Theologia* a se vulgatum propriis manibus ultricibus urendum flammis tradere compulsus alio divertit, & Monasticam pariter vitam agens, qui San-Dionysianis Monachis erat exosus, plura reliquit, quae inter extant Expositio Orationis Dominicae, Commentariorum in Epistolam ad Romanos Libri V. Sermones XXXII. in Festis per annum, edita Parisiis MDCXVI. Inedita vero adhuc extant alia ejus opera, praesertim Expositio in omnes Paulinas Epistolas, in Psalterium, & Genesim: de qua re consule Oudinum, Cavium, Natalem, alioſque. In confessione verae fidei perseverans diem clausit extremum XXI. Aprilis MCXLII.

PETRUS DE ANDRIA, Italus, Neapolitano in Regno ex naturali solo in Apulia sic dictus, Ordin. Praedicatorum, S.Thomae Aquinatis auditor, primus Vicarius Provinciae Siciliae, dum a Coelestino V. fuit haec ab Romana divulsa; deinde a Clemente V. ad Ecclesiam Vici Aequensis sub Surrentina Metropolitica evectus, edidit quaedam opuscula, quae olim inter opera S.Thomae extabant eidem S.D. adjudicata, praecipue Lecturam super Evangelium Matthaei, quae etsi ex doctrina S.Thomae elaborata, restituenda est N. Petro. Consule praesertim N. Echardum. Floruit autem Petrus An. MCCCVI.

PETRUS ANTONIUS BEUTER, Hispanus, Valentinus, Theologiae Doctor insignis, ac eximius Concionator, sub Paulo III. R.P. Protonotarius, & Ecclesiastes Apostolicus, edidit adnotationes in Sac. Scripturam. I. nimirum, de ordine librorum apud Synagogam, & Ecclesiam. II. Quinam sint libri Canonici. III. Quomodo Ecclesia Christi eos excipiat libros, quos non recipit Synagoga. IV. Quomodo Ecclesia mutaverit ordinem Synagogae. V. De libris desideratis. VI. De authoribus sacrorum librorum. VII. De multiplici sensu S.Scripturae. VIII. De novem clavibus S.Scripturae. IX. De translatoribus Sac. Scripturae. X. An Vulgata editio sit S.Hieronymi? Salmanticae An.MDXLVII.

PETRUS BLAESENSIS, a natali loco sic dictus, natione Gallus, Londinensis in Anglia Archidiaconus, ac Cantuarienſis Archiepiscopi Cancellarius, varias scripsit epistolas, varioſque tractatus, ac Sermones, praesertim de Transfiguratione Domini, de Conversione Pauli Apostoli. Compendium super Jobum, seu explicationem super duo priora, & ultimum Jobi Capita, alioſque Tractatus dedit: Omnia ejus opera primum Parisiis fuerunt impressa Anno MDXIX. Floruit autem Vir doctus juxta ac pius Anno MCLX.

PETRUS BLOMEVENNA, Leidensis, Batavus, Prior Carthusiae Colonienſis, & Visitator Provinciae Rheni per annos XXIX. innocentiae Christianae, ac religioſae virtutis exemplar, plura, ea-

Digitized by Google

que commendanda opera edidit, praecipue expositionem in Psalmum CXXVI. & Candelam Evangelicam. Sancto fine quievit Anno MDXXXVI.

PETRUS CARNOTENSIS ECCLESIAE CANTOR, reliquit Glossam in Jobum, quae MS. servatur in Bibliotheca S.Michaelis in periculo maris, &, ut Possevinus scribit, Paraphrasim in Psalmos. Vivebat Anno MCCC.

PETRUS CELLENSIS, natione Gallus, Monachus primum Cellensis in suburbio Trecarum, deinde apud Remenses Abbas, & Episcopus tandem Carnotensis, probus, & eruditus Scriptor, varia edidit opera, & ad rem nostram, De panibus ad Johannem Sarisbariensem, Mosaici Tabernaculi mysticae expositionis libros III. Sermones varios in Evangelia ac Epistolas de Tempore ac de Sanctis. Omnia ejus opera studio Ambrosii Januier Monachi San-Mauraei edita sunt Parisiis MDCLX. pluraque extant in Bibliotheca Vett. PP. alia etiam edidit Sirmondus. Terram reliquit Anno MCLXXXVII.

S.PETRUS COELESTINUS, a Pontificatus, Ordinisque ab eo instituti nomine sic dictus, Aeserniae in Samnitibus natus, Regni nostri decus, ad Summum Pontificatum invitus licet, ac recusans evectus, & Coelestinus V. dictus, post quinque menses, & octo dies raro memorabilique exemplo eidem supremo fastigio nuncium mittens ad pristinum humilitatis ac poenitentiae statum vir, in quo Adam non peccasse videretur, reversus, sanctimonia celebris plura opuscula (edita Neapoli elapso seculo), etsi simplicitate styli, Sanctorum sapientia tamen conscripta reliquit, in quibus plures extant Sermones in Evangelia, aliaeque in Sacram Scripturam Homiliae. Coelum conscendit MCCXCV.

S. PETRUS DAMIANI, a nomine fratris, quem patris loco habuit, cognomen sortitus, cum ex cognomine majorum PETRUS DE HONESTIS dicendus foret, Monachus, & Abbas Monasterii Avellanensis primum, deinde S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Ostiensis (cui muneri simul ac dignitati sponte cedens ad pristinam rediit solitudinem) sanctitate ne dum, verum & doctrina praestans, varios edidit Tractatus, quos in unum collectos publici juris fecit Constantinus Cajetanus O.S.B. Quos inter plura extant ad Sac. Scripturam spectantia, nimirum, de Quadragesima, & XLII. Hebraeorum mansionibus. De X. Aegypti plagis, & Decalogo. De Novissimis, & Antichristo, nec non Expositio mystica libri Geneseos. Adsunt etiam Sermones, quamplurimi in festivitatibus Domini ac SS. omnes numero LXXVII. Verum ex iis XIX. ei abjudicantur ab Eruditis, & restituuntur Nicolao Clarae-Vallensi Abbati: qua de re consulendi sunt Baronius, Possevinus, Raynaudus, N.Natalis, Dacherius, Oudin, aliique. Vitam cum aeterna gloria commutavit Anno MLXXII.

PETRUS GALATINUS, Apulus, ut scribit Waddingus, sed potius Aletinus in Regno nostro, Ord. Minorum, Graece, Latine, Hebraice, & Chaldaice doctus, ac insignis Theologus, plura scripsit, praecipue in Hexaëmeron, & in Apocalypsin Commentarios, & Tractatum de recta S.Scripturae interpretatione, aliaque a Waddingo recensita, sed ut ex eo colligere fas est, adhuc inedita, excepto opere de *Arcanis*, de quo infra redibit sermo, ubi de N. Raymundo Martin agemus. Claruit sub Carolo V. Caesare.

B.PETRUS HIEREMIAS, Siculus, Panormi, nobili loco, nobilique stirpe natus, Bononiae Ordini Praedicatorum adscriptus, ac S.Vincentio Ferrerio percharus, scientia inlustris, regulari observantia ac sanctimonia insignis, ad Concilium Florentinum ab Eugenio IV. adcitus contra Graecos catholicam fidem propugnavit, in Siciliam missus Regularium, ac Episcoporum Visitator Ecclesiasticam, ac Regularem disciplinam promovit. Ad populum concliones habens plurimos ad meliorem frugem revocavit, plura item sui ingenii monumenta reliquit, praecipue Sermones XXV. de expositione Orationis Dominicae editos Brixiae MDII. Sermones alios plures in Evangelia de Tempore per Annum, & de Passione Domini Hagonae MDLI. De Sanctis, de proditione Judae, de Eucharistia, & alios varii argumenti, quorum plures sunt editi, alii inediti Panormi servantur (de qua re sicut & de ceteris ejus Actis consuli possunt prae ceteris N.Jacobus Echard *Biblioth. Script. Ord. T.I.* & Antoninus Mongitore *Biblioth. Sicul.*) meritis onustus, ac miraculis clarus feliciter in Domino requievit Anno MCCCLII.

Petrus Izuzquius (de quo N. Xystus) floruit Anno MDLVII.

PETRUS LAODICENSIS dedit expositionem Orationis Dominicae, quae extat in Bibliotheca Vett. PP. Floruit VII. Seculo.

PETRUS DE LUTRA, ex Hayo, „ Ordinis „ Praemonstratensis, scripsit in Evangelium Johannis. Vixit Anno Domini MCCCXXX.

PETRUS NUNNEZ DELGADO, Hispalensis Presbyter, edidit expositionem Threnorum Jeremiae, & Lectionum ex Libro Job, quae in Officio defunctorum leguntur. Tractatum de Passione Christi secundum Matthaeum ex Lyrano. Adnotationes in Epistolas Pauli, aliorumque Apostolorum, quae per annum in Ecclesia legi solent in Missis. Obiit Anno MDXXXV.

PETRUS PICTAVIENSIS, Episcopus Ebredunensis, Petri Lombardi fidissimus discipulus, in Parisiensi Academia S.Theologiae Magister ac Cancellarius, praeter scholastica, quae edidit, reliquit etiam Sermones, & Allegorias ordinarias super III. Libros Legis Exodum, Leviticum, & Numeros. Lectiones in Psalterium. Allegorias in Vetus, & Novum Testamentum, quae MSS. servantur in Bibliothecis Clarae-Vallis, Cantabrigiae, & S.Victoris. Claruit Anno MCLXX.

PETRUS PICTAVIENSIS alter, dictus de S.Johanne, Monachus Cluniacensis, discipulus S.Petri Mauritii, inter Poëtas sui temporis haud ignobilis, inter alia scripsit summam Historicam Bibliorum, quam suae Chronologiae praeposuit am edidit Huldericus Zuinglius junior Basilaeae MDXCII. Floruit autem Petrus Anno MCL.

PETRUS DE SANCTA FIDE, Anglus, Carmelita, Theologus eximius, qui ultra Theologica opera, scripsit in utramque Canonicam S.Petri Lectiones XXXVIII., ut Hayus tradit. Vivebat Anno MCDLV.

S.PETRUS, VENERABILIS dictus, seu S.PETRUS MAURITIUS, Arvernus, VIII. Generalis Cluniacensis, plura, eaque digna opera scripsit, praesertim Librum I. adversus Judaeos. Libros III. de Transfiguratione Domini. Adversus adserentes Christum se nunquam in Evangelio Deum dixisse. Epistolam elegantem ad Petrum de S.Johanne, & alia plura; quae simul collecta prodierunt Ingolstadii Anno MDXLV. Parisiis postea, & alibi etiam: ipse vero Coelum glorioſus intravit Anno MCLVI.

PHILIPPUS BEROALDUS, natione Italus, patria Bononiensis, edidit adnotationes in Jeremiam, & Danielem. Defunctus est Anno MDX.

PHILIPPUS HARVENGIUS, a natali loco, qui vicus est apud Hannoniae montes, sic dictus, & etiam ELEEMOSYNARIUS ob profusam in pauperes charitatem, Ord. Praemonstratensis, & Abbas Bone Spei, vir doctissimus, & S.Bernardo familiaris, eleganti ac puro stylo multa conscripsit, praecipue ad rem nostram Commentarium in Cantica Canticorum. De damnatione Salomonis. De lapsu primi hominis, & alia quae Duaci simul sunt edita MDCXX. Senio confectus carnis trabeam deposuit Anno MCLXXXII.

PHILIPPUS A MONTE CALERIO, Italus,

in

Digitized by Google

in Subalpinis natus, Ord. Minorum, in Urbe Poenitentiarius, apud Tholosates S.Th. Professor, scripsit Commentarios in Genesim, qui adhuc sunt inediti. Sermones in Evangelia Dominicarum impressos Lugduni MDX. Vivebat autem ipse A.MCCCXLIV.

PRIMINIUS Abbas, quin &, ut videtur, Episcopus, seu Chorepiscopus, sed cujus loci incertum, scripsit libellum de singulis libris Canonicis editum a Mabillonio *Analect. Tom.IV. pag. 569.* Floruit circa Annum DCCL.

R

RADULPHUS ARDENS, patria Pictaviensis, Guillelmi IV. Aquitaniae Ducis Ecclesiastes, edidit Sermones in Evangelia & Epistolas totius anni excusos Antuerpiae MDLXXI. Claruit Anno MCL.

RANULPHUS HYDEN, aliis HYGEDEN, vulgo *Cestrienfit* dictus, natione Anglus, O. S. Benecti, opus dedit *Polycbronicon* inscriptum, editum Londini MCDLXXXII. quo universam Historiam Novi ac Veteris Testamenti, nec non Ecclesiasticam Historiam ad sua usque tempora contexuit. Scripsit etiam expositionem in Job, & Cantica, ac Sermones per annum, aliaque opera, anecdota certe, quae percensent Johannes Baleus, Casimirus Oudin, aliique. Floruit Anno MCCCLVII.

RATHERIUS LOBIENSIS, natione Lotharingus, filius Comitis Viennensis, Monachus Benedictinus „ vir nimiae simplicitatis, sed experientia „ liberalium artium nominatus. „ ut ait Segebertus ad *An.* 928. Veronensis Episcopus inauguratus, sed ab Hugone Italiae Rege quarto post Anno depulsus, ad Leodiensem Ecclesiam translatus, sed iterum Veronensis restitutus, iterumque relegatus, multa pertulit vir Sanctus, qui ita de se ipso lusit „ Veronae Prae„ sul, sed ter Ratherius exul. „ plura scripsit, praecipue Sermones de Paschate, Coena Domini, Adscensione, & Pentecoste. Tandem ad suum Lobiense Coenobium redux sancto fine quievit Anno CMLXXIV. Omnia ejus opera collegit, ediditque Lucas Dacherius *Spicileg. T. II.*

RAYMUNDUS MARTIN, Ord. Praedicatorum, natione Catalanus, S. Raymundi de Pennafort in damnandis Thalmudicis libris, convincendisque Judaeis socius, Latine, Graece, Hebraice, & Arabice doctissimus, Linguae S. Professor, quum varia scripsisset opera ad Christianam Religionem quam maxime opportuna, unum praeceteris aliquibus ab hinc annis fuit typis mandatum, cui titulus *Pugio fidei* (ex quo adhuc inedito Petrus Galatinus optima quaeque depromsit, ut suum *de Arcanis* opus compilaret, quapropter Galatinus plagii accusatur ab insignioribus Criticis ne dum Orthodoxis, sed etiam ab aliis, qui extra Romanam Communionem eruditi audiunt, & videre est praesertim apud Caveum, & Oudinum.) In eo quippe Antiqui Foederis monumenta expendit adversus Judaeos. Scripsit etiam doctissimam Homiliam de ineffabili nomine יהוה aliaque id genus eximia opera, quae praesertim Nostrates percensent. In vivis adhuc erat Anno MCCLXXXVI.

B. RAYMUNDUS DE VINEIS, natione Neapolitanus, patria Capuanus, genere nobilis, Ordinis Praedicatorum XXIII. Generalis Magister, eximia eruditione, singularique pietate ac Regulari observantia inlustris, S. Catharinae Senensis Confessarius, ac director, a Florentinis ad Gregorium XI. pro pace obtinenda Legatus, & ab Urbano VI. ad Carolum V. Franciae Regem pro ejus obedientia inclinanda Orator missus, nec non ab eodem Urbano, ac a Bonifacio IX. ad Principes, & Regna variis legationibus addictus, pro Ordine ac pro Ecclesia nimium laboravit. Praeter Historica, quae scripsit, & sunt typis mandata, Tractatum in Canticum *Magnificat* eruditum & pium reliquit, qui apud Nostrates servatur. Laboribus, ac senio fractus Nuribergae obdormivit in Domino Anno MCCCXCIX.

REINALDUS CONFLUENTIUS, Germanus, Abbas Ord. S. Benedicti, reliquit Commentarios in Jobum, Psalmos, Esaiam, Ezechielem, & Pauli epistolas, non dum typis mandatos. Vivebat Anno MCVI.

RICHARDUS DE PRATELLIS, Abbas Ord. S. Benedicti in Normannia, scripsit Commentarium in Cantica Canticorum ad Mauritium Rotomagensem Archiepiscopum, quod MS. servatur in pluribus Angliae Bibliothecis. Floruit Anno MCCXXX.

ROBERTUS CANUTUS, Anglus, ex oppido Graecolada, Canonicus Regularis S.P. Augustini, magni nominis Theologus, ac humanioribus literis expolitus, dedit Homilias XLI. super ultimam partem Ezechielis, ubi S. Gregorius M. finivit, Cantabrigiae MS. servatas. De connubio Patriarchae Jacob, & alia plura, quae in variis Angliae Bibliothecis MSS. extant, ut praeceteris apud Johannem Baleum, & Casimirum Oudin observari potest. Floruit Anno MCXX.

ROBERTUS CARACCIOLUS, Lyciensis, in Regno nostro, Ord. Minorum, insignis sui temporis Ecclesiastes, & *Alter Paulus* dictus, Summis Pontificibus charus, inauguratus propterea Episcopus Aquinas (Aquilanus etiam dicitur a N. Xysto *lib. 3. p. 294.* Sicut & a Waddingo, quin etiam & ab hoc posteriore etiam Lyciensis Praesul adsertus, a Toppio vero solum Aquinas Episcopus dictus) plures edidit Sermones, nimirum, de Christo, Deipara, ac de Sanctis, Venetiis MCDLXXXIX. De Tempore ac de Sanctis, Neapoli MCDLXXXIX. Quadragesimale de peccatis, Venetiis MCDLXXXVIII. Quadragesimale de Poenitentia, Venetiis MCDLXXII. Sermones de Adventu, & Quadragesima, Venetiis MCDXCVI. Deinceps omnia ejus opera edita sunt Lugduni MDIII. Floruit Anno MCDLXXX.

ROBERTUS SCRIBA, Natione Anglus, professione Canonicus Regularis S. P. Augustini, scripsit Commentarios in XII. Prophetas Minores, qui fortasse apud suos MSS. extant. Floruit Anno MCLXXX.

ROBERTUS DE TUMBALENIA, Gallus, Monachus Benedictinus, Abbas S. Vigoris Bellovacensis, inter alia scripsit expositionem in Cantica Canticorum, quae extat impressa apud Mabillonium *Analect. Tom. I. p. 125.* Transcripsit eandem Casimirus Oudin *Tom. II. de Script. Eccles. p. 796.* Claruit Robertus hic Anno MLXXVII.

RUSTICUS ELPIDIUS, Vir nobilis, dignitate Ex-Quaestor, & Ex-Illustris, Theodorici Gothorum Regis Medicus, scripsit Epigrammata XXIV. in totidem Novi, ac Veteris Testamenti Historias, ac carmen hexametrum de beneficiis Jesu Christi, quae extant cum notis in collectione Fabriciana, in Bibliotheca PP. *Tom. IX.* Claruit circa Annum CCCCXCVIII.

S

SERLO ANGLUS, Monachus Dorobernensis, seu Cantuarienfis, praeter alia paraenetica scripsit Commentariorum in Pentateuchum libros quinque anecdotos adhuc. Vivebat Anno CMLX.

SERLO SAVIGNIACENSIS ABBAS, Ord. Cisterciensis, de Valle-badoni juxta Bajocas in Normannia, S. Bernardo familiaris, scripsit Sermones, quos edidit Bernardus Tissier Anno MDCLXIV. *Tom. IV. Biblioth. Vett. PP. Cisterciensium.* Et opusculum in Orationem Dominicam, etsi non desint qui hoc opusculum adjudicent alteri, Serloni, nimirum, sed Brabantino Abbati de Eleemosyna, Cistercienfi pariter; Floruit autem Serlo Savigniacensis Anno MCL.

SEVERUS SOZOPOLITANUS, Pisidia oriundus, ex Ethnico Causidico, Christianus, &

Mo-

Digitized by Google

Monachus, quamvis postea Eutychianae sectae adjunctus *Acephalorum* dux evaserit, dedit commentarios in Johannem, Lucam, Job, Cantica Moysis, Annae, Abacuch, & Zachariae. In orationem Ezechiae, & in Psalmos. Ejus opera passim laudantur in Catenis Graecorum Patrum, & in Catena Antonii Carafa, qua de causa eum non praetereundum duxi. Vivebat Anno DXIII.

SIMON DE CREMONA, Italus, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, dedit Postillas super Epistolas & Evangelia Dominicarum per Annum, quae fortasse apud suos MSS. servantur. Vivebat Anno MCCCXXXVIII.

S. SOPHRONIUS PATRIARCHA JEROSOLYMITANUS, ex Damasco oriundus, Sophista primum, deinde Monachus, Johanni Eleemosynario Patriarchae Jerosolymitano familiaris, & contemporaneus, dedit Tractatum de Incarnatione editum in Bibliotheca Vett. PP. Orationes II. in Crucem, quae extant apud Jacobum Gretserum *Tom. II. de Cruce*, Homiliam in Christi natalitia, Orationem in Annunciationem Dominicam, & Orationem in Christi Baptismum, quae in pluribus Bibliothecis MSS. servantur. Commentarium de actibus, & certaminibus Apostolorum, cujus excerptum extat in Bibliotheca Vett. PP. Encomion in S. Johannem Evangelistam, & alia plura, quae vel exhibentur, vel percensentur ab Eruditis, eaque omnia consulere poteris apud Gretserum, Cotelerium, Allatium, Oudinum, Cavium, Vossium, Papebrochium, Lambecium, aliosque. Floruit S. P. sub Mauritio Imperatore Anno DCXXX.

Stephanus Goulletus (de quo N. Xystus) floruit Anno MDXIII.

SYMEON JUNIOR, Graecus, & a quampluribus Graecis *Sanctus* adpellatus, Theologus, Presbyter CP. S. Mamantis in Xerocerco Abbas, seu Praepositus, quibus ex characteribus hic ab Symeone Metaphraste distinguitur, plura edidit Theologica, & Moralia, quae universim memorant exhibentque Leo Allatius, Jacobus Pontanus, Antonius Venderius, aliique: ex quibus etiam exegetica ab eodem Symeone scripta commemorantur, nimirum, de lectione Sacrae Scripturae. In illud Apostoli: *Quos praescivit, eos etiam praedestinavit*, & adversus eos, qui hunc locum, & totam Scripturam pervertunt. In illud aliud Apostoli: *Novi hominem in tertium Coelum abreptum &c.* In illud ejusdem: *Redimentes tempus*. Et in illud ejusdem: *Primus homo ex terra terrestris &c.* quae praesertim in Bibliotheca Bodlejana MSS. extant. Floruit Anno MXXX.

SYNESIUS CYRENENSIS, IN PTOLEMAIDE EPISCOPUS, plura edidit, quae notis suis inlustravit Cl. Dionysius Petavius: ea inter extat Homilia in Psalmum XLVII. & Homilia in pervigilio Nativitatis Domini. Claruit Anno CCCCX.

T

THEODORUS PRODROMUS, seu PTOCHOPRODROMUS, natione Graecus, qui assumto Monastico habitu se Hilarionem vocavit, scripsit Epigrammata, quibus omnia utriusque Testamenti capita comprehenduntur, Graece edita Basileae MDXXXV. Commentarios in Psalmos, & X. Cantica Scripturae, Graece Veronae MDXXX. & Latine Parisiis pari modo impressos. In Epistolas Paulinas, sed hosce commentarios in Apostolum Paulum eosdem esse aliqui adserunt, quos novimus sub nomine Theophylacti excusos. Floruit sub Manuele Comneno Anno MCL.

S. THEODORUS STUDITES, insignis Monachus, & Abbas, sacrarum imaginum adversus Iconomachos pius cultor, & strenuus propugnator, quum plura ediderit Ascetica, quae extant in Bibliotheca Vett. PP. Jambicis tamen versibus scripsit de lapsu primi hominis, Caini invidia, & fratricidio, de Henochi innocentia, de Nohemi & filiorum ortu, nec non Panegyricum volumen in praecipua festa Domini MSS. servata in pluribus Bibliothecis, quas Oudinus percenset. Coelum petiit Anno DCCCXXVI.

THEOPHANES NICAEAE EPISCOPUS, natione Graecus, scripsit Veteris ac Novi Testamenti Concordiam, quae servatur Romae in Collegio Soc. Jesu. Et opus contra Judaeos duobus tomis comprehensum. Vixit circa Annum MCCCXLVII.

THEOPHANES CERAMEUS, Siculus, Archiepiscopus Tauromenitanus scripsit Homilias XLIV. in Evangelia Dominicalia & festiva totius anni a Francisco Scorso Panormitano Jesuita editos Parisiis MDCXLIV. Homilias II. de Cruce a Gretsero excusas *Tom. II. de Cruce*. At quo seculo floruerit, ignotum. IX. Seculo eum floruisse cum N. Gravina censent nonnulli, sed XI. Seculo eum claruisse existimant Allatius, Cavius, aliique. Videsis Antoninum Mongitore *Bibliotb. Sicul.*

THOMAS DOCKINGAM, Ordinis Minorum, natione Anglus, patria Norfolcensis, in Oxoniensi Academia Doctor & Cancellarius, scripsit Commentarios in Deuteronomium, Job, Esaiam, Lucam, Epistolas Paulinas, & in Apocalypsin, qui MSS. servantur Oxonii in Bibliotheca Balliolensi. Claruit Anno MCCLXX.

THOMAS MORUS, Londini in Anglia natus, & sub Henrico VIII. M. Cancellarii munere functus, sed pro catholica fide tuenda dignitatis munere ac vita privatus, plura edidit ex quibus hic solum percensenda occurrunt: Explicatio passionis Dominicae, & Precatio ex Psalmis. Martyr occubuit Anno MDXXXV.

S. THOMAS A VILLANOVA, sic a patrio solo in Agro Toletano cognominatus, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, regularis disciplinae insignis promotor & custos, Carolo V. a confessionibus & consiliis, Valentinus deinde Archiepiscopus renunciatus virtutem suam longe lateque diffudit, Pastoralis curae conspicuum exemplar, & praesertim pauperum Pater, doctrina non minus, quam sanctitate clarus, edidit in varia Evangelia per annum Homilias solida eruditione refertas, & ut Calmetus addit, Commentarium in Apocalypsin. In Coelum migravit Anno MDLV.

V

S. VALERIANUS, natione, ut videtur, Gallus, Cemalensium in Provincia Alpium maritimarum Episcopus, XX. Homilias satis elegantes (a Sirmondo editas Parisiis MDCXII.) conscripsit, ex quibus plures in Evangelia. Floruit Anno CCCCXXXIV.

VICTOR ANTIOCHENUS PRESBYTER, Chrysostomo aetate compar, scripsit Commentarium in Evangelium S. Marci, qui Latine ex versione Theodori Peltani extat *Tom. IV. Bibliotb. PP.* nec non scholia in epistolas SS. Petri, Jacobi, Johannis, & Judae, quae MSS. a se retineri Sebastianus Feschius *epist. ad Galeum* adserit.

S. VICTOR CAPUANUS EPISCOPUS, Graece & Latine doctissimus, Diapente, seu Concordiam Evangelicam Tatiani cum praefatione Ammonii Latine reddidit adpositis etiam Canonum numeris juxta methodum Eusebii Caesarienſis, quae extat in Bibliotheca Vett. PP. Reliquit etiam Catenam in IV. Evangelia ex Veterum scriptis consarcinatam, penes Fevardentium MS. servatam, ex qua ille nonnulla Polycarpi fragmenta a Victore Latine versa typis mandavit. Floruit Anno DXLV.

VINANDUS DE STEGA, Pastor Ecclesiae Bacheracensis, Hebraice doctissimus, edidit Commentarios in Libros Veteris Testamenti juxta Canonem Hebraeorum, & seorsim libros V. in Pentateu-

Digitized by Google

nachum, Claruit tempore Concilii Basileensis Anno MCCCCLX.

VOLFANGUS SEDELIUS, Concionator Ducalis Monacensis, varia edidit opera ad S. Scripturam spectantia, nimirum de Templo Salomonis. Homilias, quas habuit ab Anno MDXXXII. usque ad MDXLVI. suntque illae in Psalmos I.XXIV.XXXVI. XLI. LXXXIII. & CXXIV. in Epistolam ad Ephesios, in Jonam Prophetam, in Evangelium de Transfiguratione, de exitu filiorum Israël de Aegypto, de Filio prodigo, de Divite, & Lazaro, de Adam, & Eva, de Magdalena, de Ficulnea, de Samaritana, de Abraham, & Nohe, & arca, in I. Machabaeorum, in Evangelia, & Epistolas per annum, in Epistolam S. Jacobi, de Acab, & Nabot, de Nahamano Syro, & Elisaeo, in Evangelium de Probatica, de Civitate sancta Jerusalem in Apocalypsi, in visionem Danielis, & in Caput XVIII. Matthaei. Obiisse videtur circa dimidium XVI. Seculi.

WOLBERO S. PANTALEONIS CLONIENSIS ABBAS, Ord. S. Benedicti natione Germanus, reliquit commentarium in Cantica Canticorum ab Henrico Gravio Benedictino editum Coloniae MDCL. Corporis exuvias deposuit Anno MCLXVII.

URBANUS IV. ROMANUS PONTIFEX, antea Jacobus Pantaleon dictus, Gallus, Tricassinus, scripsit Metaphrasim in Psalmos, quae habetur *in Biblioth. PP. Tom. XXV.* reliquit etiam descriptionem terrae sanctae, & alia id genus, proculdubio anecdota. Perusii decessit Anno MCCXLIV.

Z

ZACHARIAS MYTILENES Archiepiscopus, natione Graecus, origine, ut videtur, Alexandrinus, scripsit Dialogum de universitatis creatione contra Ethnicos adstruentes mundi, & materiae aeternitatem, Graece, & Latine editum Lipsiae An. MDCXXIV. cum notis Turriani, & Barthi: dedit etiam Dialogum de mundi opificio Latine redditum & notis inlustratum a Johanne Tarino impressum Parisiis MDCXVIII. Floruit Anno DL.

POSTERIOR SACRORUM SCRIPTORUM ELENCHUS.

A

ABRAHAM ECHELLENSIS, Maronita, Philosophiae, & Theologiae Doctor, Linguarum Orientalium Regius Professor, librum Ruth ex Syro, & Arabico sermone in Latinum transfudit. Obiit Anno MDCLIV.

ADAMUS CONTZEN, Germano-Juliacensis, Jesuitis adlectus, commentarios dedit in IV. Evangelia, litteralem praecipue sensum adversus Atheos & infideles propugnans. Vivere desiit Anno MDCXXXV.

ADAMUS LAURIFEX, Siculus, Ennensis, edidit Vitam Jesu Christi. Claruit Anno MDCXLV.

ADRIANUS CROMMIUS, Jesuita pariter, sed Oorschotanus, Brabantus, Graece, Hebraice, & Arabice doctus, Lovanii Sacras Litteras interpretatus, Psalmos Davidicos compendiosa paraphrasi exposuit. Item Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium, Similiter Josue, Judices, Ruth, Libros Regum, & Paralipomenon, Historiam Jobi, & Libros Tobiae, Judith, Esther, Esdrae, & Nehemiae. Tandem Evangelia dedit historico ordine in modum Concordiae digesta. Mundum reliquit Anno MDCLI.

ADRIANUS HECQUETIUS, Atrebas, Ordinis Carmelitani, Doctor Colonienſis, quum plura Theologica scripserit, dedit praesertim Enarrationem, seu Homilias in Evangelia Quadragesimalia Parisiis Anno MDLXX.

AEGIDIUS DAVID, Gallus, Neustrius, Rotomaginatus, & Ordini Praedicatorum adscriptus, ad Theologiae lauream pro merito evectus, brevem commentarium in Cantica Canticorum typis mandavit. Grandaevus vero mortem laetus adspexit Anno MDLXXVIII.

AEGIDIUS TOPIARIUS, Aspelarienſis, Flander, ex Ord. Praedicatorum, Antuerpiae & in Toto Belgio Cl. Ecclesiastes, & Polemicus insignis, edidit Enarrationem Evangeliorum, & Epistolarum totius anni de Tempore & de Sanctis. Homilias Quadragesimales in Evangelia, & Epistolas. Homilias per Annum. Antuerpiae inter excitatos ab Heterodoxis tumultus animarum saluti dedicus fideliumque confirmationi ad Dominum migravit Anno MDLXXIX.

ALANUS COPUS, Anglo-Londinenſis, & Vaticani Canonicus, Harmoniam Evangelicam typis mandavit, & Jansenii Gandavenſis methodum secutus Jesu Christi Historiam ex IV. Evangeliis concinnavit. Obiit Anno MDCXXXV.

ALEXANDER MANERBA, Ord. Praedicatorum, Italus, Brixianus, omni eruditionis genere expolitus, praeceteris publici juris fecit expositionem in Ruth Moabitem, & Sermones in Jonam Prophetam. Viam universae carnis ingressus est Ann. MDCX.

ALEXIUS SYMMACHUS MAZOCCHI, Neapolitanus, Capuae natus, ibique primum Canonicus Theologus, deinde inter Neapolitanae Cathedralis Ecclesiae infulatos Canonicos cooptatus, & eadem die, qua ego fui Synodalis examinator institutus, mecum ipse pariter pro eodem munere juramentum praestitit coram Eminentissimo Spinelli Neapolitano Archiepiscopo; eodemque Anno, nimirum MDCCXXXVI. quo ego Primarius S. Theologiae Professor in Cathedra S. Thomae fui renunciatus, ipse etiam in eadem Regia Neapolitana Studiorum Universitate Sacrarum litterarum pro merito Primarius Interpres institutus, vir ne dum politioris litteraturae, selectioriſque Latinitatis, sed rei antiquariae, & Graecae, Hebraicae, ac Chaldaicae linguarum peritissimus, quin & eximiae probitatis (qui etiam ex humilitatis momento Archiepiscopali infulae Lancianenſi, ad quam fuit a Carolo utriusque Siciliae Rege nominatus, lubentissime nuncium misit,) suavisque indolis, candidaeque conversationis, omnibus propterea amabilis, quum jam praelo commiserit laudatissimos ab eruditis Tractatus de Amphitheatro Campano, & de dedicatione sub Ascia, in quo posteriori opere agit etiam de fabrili arte S. Josephi: affectum habet Spicilegium observationum Philologicarum in S. Biblia, quod propediem prodibit in publicum pluribus tomis comprehensum. Sospitem incolumemque D. O. M. tantum virum per plurima lustra conservet.

ALOYSIUS NOVARINUS, natione Italus, patria Veronenſis, Clericus Regularis Theatinus, Graece, Hebraice, & Syriace doctus, varia edidit in S. Scripturam, nimirum commentarios in Matthaeum, Marcum, Lucam, & Johannem. In Epistolas Pauli, & Acta Apostolorum. Adgressus quoque novam Bibliorum Latinam editionem innumeris recensionibus insignitam ad umbilicum perducere nequivit morte praeventus Anno MDCL.

ALOYSIUS SANSEVERINO, Neapolitanus Eques, Bisiniani Princeps, & Comes Saponariae,

Digitized by Google

U. J. D. Philosophus, & Theologus haud ignobilis, edidit Collectanea, seu Catenam PP. & Veterum DD. in IV. Evangelia. In Acta Apostolorum; & Psalmos Davidis. Annos natus LXXXIII. Christianae pietatis post se innumeris monumentis relictis requievit in Domino Anno MDCLXIX.

ALPHONSUS DE AVENDAÑO, Ord. Praedicatorum, Hispanus, Legionensis patria, & professione Beneventanus, seu in Conventu Beneventano Praedicator Generalis, edidit Commentaria in Psalmum CXVIII. & in Evangelium S. Matthaei duobus Tomis comprehensa. Obiit Pinciae Anno MDXCVI.

ALPHONSUS GIRON, Hispanus, Ord. Praedicatorum, quum plures alios scripsisset libros, Tractatum de non vernacule vertendis Sacris Scripturis publici juris fecit. Decessit Anno MDCVII.

ALPHONSUS DE HERRERA, Hispanus, Granatensis, Ord. Minorum, edidit Quaestiones Evangelicas Anno MDCXLIX.

ALPHONSUS DE HOROZCO, Oropesanus in Dioecesi Abulensi, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, a S. Thoma de Villanova habitu regulari indutus, eximius sui temporis Theologus, & Cl. Ecclesiastes, Annae Austriacae Hispaniarum Reginae, & Johannae itidem Austriacae, olim Johanni Portugalliae Regi nuptae, a Confessionibus, edidit Commentarios in Cantica Canticorum. In Canticum Magnificat. In Evangelium Lucae, aliaque alia Theologica scripsit. Novennio minus seculum vixit, & migravit ad Dominum Anno MDXCI.

ALPHONSUS MALDONADO, Ordinis Praedicatorum; Hispanus, Vallisoletanus, immensum fuit adgressus opus Historicum, & Chronologicum ab exordio Mundi ad sua usque tempora: sed ex his volumen unicum Matriti prodiit An. MDCXXIV. Hispanico idiomate conscriptum, in eoque ii extant Tractatus de Computo Annorum a Creatione Mundi usque ad Natalem Christi. De Hebdomadibus Danielis. De Consulibus, quorum tempore natus est Christus. De Anno mense & die mortis Christi. De Genealogia Christi, & de authoritate Berosi, ac Flavii Dexteri. Floruit Anno MDCXXVII.

ALPHONSUS RAMON, Hispanus, Conchensis, Ord. Redemtionis B. M. de Mercede, Theologus, & Concionator insignis, edidit Epitome Theologiae S. Scripturae. Interpretationem nominum Virorum, Mulierum, Populorum, Idolorum, Urbium, Fluminum, aliorumque, quae in Bibliis Hebraicae, & Graece scribuntur, Matriti Anno MDCXVII.

ALPHONSUS SALMERON, natione Hispanus, patria Toletanus, S. Ignatii de Loyola socius, & in Societate insignis Theologus, quem pariter egit in Concilio Tridentino, edidit Prolegomena in S. Scripturam. Scripsit in X. priora Capita Geneseos. De infantia, & pueritia Christi. De Historia Evangelica. De Sermone Domini in Monte. De Christi miraculis. De Parabolis. De disputationibus Domini. De Sacrosancta Eucharistia, & Sermone Domini in Cruce. De Passione, Morte, Resurrectione, & Adscensione Domini. Prolegomena itidem, & Commentarios dedit in Epistolas Pauli, In VII. Canonicas Epistolas, & Praeludia in Apocalypsim. Neapoli diem clausit extremum Anno MDLXXXV.

AMBROSIUS MONTESINUS, Hispanus, Ord. Minorum, edidit Commentarios in Epistolas, & Evangelia Quadragesimalia Anno MDLXXXVI.

ANDREAS DE AZITORES, Hispanus, Ord. Cistercienfis edidit Theologiam Symbolicam ad intelligentiam Litterae, Anagogiae, Allegoriae &c. Sacrae Scripturae. Inter vivos esse desiit A. MDXCIX.

ANDREAS CAPELLA, natione Hispanus, patria Valentianus, e Theologo, & Ecclesiaste Jesuita Carthusianus Monachus, deinde Episcopus Urgellensis, docte scripsit super Jeremiam Prophetam comparata editione Vulgata cum Hebraico Textu, versione LXXII. Interpretum, & Paraphrasi Chaldaica. Non sine sanctitatis odore, post expletos in Episcopatu Annos XXIII. Octogenarius obdormivit in Domino Anno MDCX.

ANDREAS CROCQUETIUS, Belga, Duacensis Monasterii Hasnoniensis O. S. Benedicti apud Hannones Prior, & primi subsellii Theologus, & Doctor, edidit Commentarium in Epistolam ad Hebraeos, & Paraphrasin, sive Conciones XXXIX. in VII. Psalmos Poenitentiales. Peste abreptus interiit Anno MDLXXX.

ANDREAS HOYUS, Flander, Brugensis, primum Seminario Mariano in Civitate Atrebatensi, hinc Scholae Bethunicnsi praefectus, indeque in Duacena Academia Graecarum litterarum, Historiae, & Eloquentiae Regius Professor, ingenio ac judicio praestans, moribus tractabilis, versu, praesertim Catulliano amoenus, plura edidit carmine & prosa, eaque varii argumenti opera: praesertim Historiam universam Sacram & profanam ab Orbe Condito ad Christi Domini Natalem. Item Orationes III. De Mardochaei pietate, & laudabili adversus Amanem Theomachum constantia. De Sociali Judae Machabaei foedere cum Romanis. De Pharisaeis eorumque secta. *Matthaeus*, & *Machabeus* sive CONSTANTIA, Tragoediam sacram. *Ezechiel Propheta* paraphrasi poëtica inlustratus. Octogenario major defunctus. Floruit circa Annum MDXCIV.

ANDREAS DE LEON, Hispanus, Zamorensis, e Clericis Regularibus Minoribus, universum Vetus Testamentum Hebraicum, Chaldaicum Paraphrasim, & Novum Testamentum Syriacum in Latinam linguam transfudit. Polyglotta quoque Biblia typis edenda curavit. Vivebat Anno MDCXL.

ANDREAS MASIUS, Belga, Lenniaci juxta Bruxellam natus, diu Philosophiae & U. J. Lovanii Doctoralem consecutus lauream, Cliviorum Duci meruit esse a Consiliis. Vir fuit πλειόγλωττος, nam praeter Italicam, Hispanicam, Gallicam, ceteraſque Europae linguas, Latinam, Graecam, Hebraicam, & Syriacam perfecte calluit. A Philippo II. Hispaniarum Rege Antuerpiam vocatus, ibi cum Benedicto Aria Montano, Guidone Fabricio, aliisque DD. Regiae Bibliorum editioni adornandae praepositus non ignavam adplicuit operam. Transtulit e Syriaco Commentarium de Paradiso a Mose Bar-Cepha ante annos prope CC. editum. E Syriaco pariter transtulit librum Josue, eumque adornavit Prolegomenis, & commentariis eximiis, ex quibus tamen aliqua expungenda notant Romani Censores. Syrorum peculium, hoc est explicationem vocabulorum apud Syros passim usurpatorum. Vivere desiit Zavenariae Cliviorum Anno MDLXXIII.

ANDREAS PINTUS, Societatis Jesu, natione Lusitanus, patria Olysiponensis, moribus, & eruditione clarus, edidit commentarium in Cantica Canticorum. Scripsit etiam Selecta Sacrae Scripturae, seu Spicilegium Sacrum. Commentarium quoque in VII. Epistolas Christi ad VII. Episcopos Asiae in Apocalypsi. Fato cessit Anno MDCLIV.

ANDREAS A SOTO, Hispanus, Ord. Minorum Recollectorum, piissimus aeque ac doctus, multa Hispanico idiomate scripta edidit, praecipue de virtutibus S. Joseph. Contemplationes de Christo Crucifixo. Paraphrases in Lamentationes Jeremiae, & in Psalm. CXVIII. ac CXXI. Piam vitam pretiosa morte coronavit Anno MDCXXV.

ANGELUS PACIUCHELLI, natione Italus, patriam Montem-Politianum nactus, Ordini Praedicatorum nomen dedit, & Romanae Provinciae Prior Provincialis fuit, pietate haud vulgari, & eruditione non levi claruit, Theologus, & Divi Verbi insignis Praeco. Edidit Latine Commentarios in Epi-

Digitized by Google

Epistolam S. Pauli ad Romanos, & In Canticum *Magnificat*. Italice vero Morales lectiones in Jonam Prophetam tribus voluminibus comprehensas, quae etiam fuerunt Latine versae. Tractatum de Passione Domini in Psalmum LXXXVI. Romae dum in Ecclesia S. Mariae super Minervam conciones per Quadragesimam haberet, morbo correptus diem obiit suum Anno MDCLX.

ANGELUS DE PAZ, seu DEL PAS, Ord. Minorum, Perpinianus, orationi ac studio aeque deditus, Sanctitate non minus quam doctrina inlustris, Regularisque observantiae cultor & promotor insignis, in lectione Patrum apprime versatus ac elegans Scriptor, plura edidit opera, quae omnia Lucas Waddingus percensetinter ea autem principem obtinent locum Commentarii in Matthaeum, Marcum, Lucam, & tria priora Capita Johannis. Romae ad S. Petrum in Monte Aureo meritis onustus transivit ad Dominum non sine miraculorum gloria Anno MDXCVI.

ANTERUS MARIA A S. BONAVENTURA, Ligur, Genuensis, Ord. Excalceatorum S. P. Augustini, edidit Ponderationes in Acta Apostolorum Genuae Anno MDCLXXXI.

ANTIOCHUS BRONDI, seu BRUNDO, Cataritanus, Ord. B. Mariae de Mercede, in III. priora Apocalypseos Capita duo volumina paraphrasibus, & commentariis referta typis mandavit. Excessit e vivis Anno MDCXXX.

ANTONIUS AGELLIUS, Neapolitanus, patria Surrentinus, professione Clericus Regularis, seu Theatinus, trium Linguarum Latinae, Graecae, & Hebraicae peritus, Episcopus Acernensis in Regno nostro, Bibliorum Graecorum, & Latinorum editioni Romae plurimum insudavit, ediditque itidem eximios Commentarios in Psalmos, In Cantica Canticorum, & in Prophetiam Habacuc. Vale mundo dixit Anno MDCVIII.

ANTONIUS DE BIRRIET, Franciscanus, Seculi XVI. Scriptor, edidit Commentaria in IV. Evangelia, impressa Parisiis Anno MDLXXXI.

ANTONIUS CARAFA, Neapolitanus, nobilissima exortus familia, & S.R.E. Cardinalis amplissimus, linguae Graecae peritissimus, Biblia Graeca, jussu Gregorii XIII. edenda, & corrigenda suscepit, quae postea hortatu, & authoritate Xysti V. typis fuerunt mandata. Latine quoque reddidit Commentarios Theodoreti in Psalmos, nec non Catenam Graecorum PP. in Cantica. Diem complevit extremum Anno MDXCI.

ANTONIUS DEUSINGHIUS, Belga, Moërsae, Ducatus Clivensis, ac Dioecesis Coloniensis, Oppido natus, Medicinae, Matheseos, ac linguarum Arabicae, Persicae, Turcicaeque notitia clarus, pluribus in Academiis Matheseos, ac Physices, seu Medicinae Professor insignis, bis matrimonio junctus, quum plura, eaque doctissima opera, sui ingenii eximia monumenta post se reliquisset, ea praesertim, quae ad rem nostram faciunt, eruditus Laicus scripsit, nimirum, De Mundi opificio XII. Dissertationes. De vero systemate Mundi contra Copernicum. Naturae Theatrum universale ex monumentis Veterum, ad Sac. Scripturae normam &c. Hexaëmeron recognitum, & alia eo itidem facientia, quae percensent Bibliotheca Belgica, & P. Niceron. Annos natus LIV. denatus est Groningae Anno MDCLXVI.

ANTONIUS ESCOBAR de Mendoza, Hispanus, Vallisoletanus, Societatis Jesu, edidit opus inscriptum Vetus, & Novum Testamentum Litteralibus, & Moralibus commentariis inlustratum, quia sic reapse erat in votis, & fortasse integrum absolutumque opus praelo, aut paraverat, aut disposuerat, se vera tamen duobus Tomis solum dedit Pentateuchum, Libros Josue, Judicum, Ruth, & IV. Regum. Seorsim quoque scripsit in Caput VI. Johannis de augustissimo ineffabilis Eucharistiae arcano moralibus mysticisque adnotationibus referto, Sicut & Commentarios in Evangelia de Tempore, ac de Sanctis, & de Vita Christi. Pius, doctusque Sacerdos animam efflavit Anno MDCLXIX.

ANTONIUS FRASSEN, Gallus, in Picardia natus, & in Ordine Minorum Cl. Theologus, quum plura Philosophica, ac Theologica typographicis commiserit formis, vulgavit quoque Disquisitiones Biblicas, ideft in Biblia universa, & seorsim etiam in Pentateuchum. Decessit Anno MDCCXI.

ANTONIUS GIGGEUS, Italus, Mediolanensis, Latine vertit Hebraicos Commentarios in Proverbia Rasi, Aben Ezra, & Levi Gerson, quibus adjecit suas varias lectiones, & expositiones suas, Mediolani editas MDCXX. ipse vero vixit usque ad Annum MDCXXX.

ANTONIUS GODEAU, Gallus, Drocumensis, nobili sanguine satus, Episcopus Vincinensis, edidit Paraphrases in Canticum trium puerorum. In Psalmos Carmine. In Paulinas, ceteraque VII. Canonicas Epistolas. Gallicam quoque Novi Testamenti versionem, verbis aliquot ad explicationem intertextis, confecit. Edidit quoque Vitam S. Pauli, & Homilias in Evangelia de Tempore, ac de Sanctis, aliaque diversi argumenti quamplura opera, quae praesertim Dupinius, P. Niceron, P. Liron, aliique percensent. Animam reddidit Creatori Anno MDCLXXII.

ANTONIUS DE GUEVARA (alter ab eo, quem N. Xystus commendat) Hispanus, Philippo II. a Sacris, & Prior S. Michaelis de Escalada, scripsit Commentarios in Habacuc Prophetam, & in Psalmos Davidis. Litteralem expositionem in I. Caput Geneseos. De Vulgatae Latinae Scripturae authoritate, nec non de Concilii Tridentini decreto ea de re ediro. Vivebat Anno MDLXXV.

ANTONIUS-NICOLAUS DU BOIS Vide *Guillelmus Coffetau*.

ANTONIUS RAGUCCIUS, Neapolitanus, Beneventi in Regno natus, illiusque Principis Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius, &c. edidit litteralem, & germanam Sacrae Geneseos expositionem. Alia itidem diversi argumenti opera vulgavit, quae percenset Johannes Nicastro Episcopus Claudiopoleos in sua Pinacotheca Beneventana. Claruit autem Raguccius tempore Cardinalis Arigonii Archiepiscopi Beneventani sub initium XVII. Seculi.

ANTONIUS SANDINUS, Italus, Patavini Seminarii primum Alumnus, deinde in eodem Seminario Bibliothecae Custos, U.J.D. edidit Historiam Sacrae Familiae, & Historiam Apostolicam. Vivit adhuc vir doctus.

ANTONIUS DU SERRE, Ordinis Praedicatorum, Gallus, Salius, Belloquadrae natus, & in Ordine per omnes scholasticos agones ad magistralem lauream evectus, edidit Gallico idiomate Paraphrasim Christianam in Psalmos Poenitentiales Anno MDCCXIV.

ANTONIUS DE TORRES, Neapolitanus, origine tamen Hispanus, nobili stirpe natus, Congregationis Piorum Operariorum, cui ab adolescentia nomen dedit, Praepositus Generalis, singulari eruditione cum sacra, tum profana clarus, Graece, & Hebraice doctus, eximiaque probitate inlustris, facile haud dictu est, quot peccatores ad poenitentiam, quot tepidos ad fervorem, quotve pios ad perfectionis metam perduxerit eximius Ecclesiastes, qui Neapolitanum etiam Clerum Secularem ad nobiliora charismata reformavit. Humilitate rara Prioratum S. Nicolai de Bario, & Episcopatum Puteolanum recusavit, cumque innumera ferme opera mystica, moralia, & exegematica scripserit, omnia distribuit, ne forte post ejus obitum typis mandarentur, quo ex momento, nec loca Patrum (in quorum lectione assiduus, ac versatissimus fuit) in eisdem unquam adnotavit. Verum ea partim collecta, adnotatisque

locis

locis cura P. D. Ludovici Sabbatino de Anfora ejusdem Congregationis fuerunt in vulgus edita, nimirum; Italice Homiliae LVI. in Parabolam Filii prodigi ad Dei misericordiam exaltandam, & peccatores ad poenitentiam provocandos. Sermones de Infantia Christi, & meditationes de cruciatibus ac derisionibus ejusdem Redemtoris. Annis, ac meritis onustus, non sine miraculorum fama, nec sine specialis sanctitatis odore, obdormivit in Domino Anno MDCCXIII.

ANTONIUS DE VELASCO, Hispalensis, Ordinis Redemtionis Captivorum B. M. V. doctus eximiusque Ecclesiastes, edidit Commentarium in Psalmum quinquagesimum. Migravit e Seculo Anno MDLXXV.

ARNALDUS MILHETUS, Gallus, Occitanae Provinciae, patria Varensis, S. Facultatis Tholosanae Doctor, & Praepositus Generalis Congregationis Doctrinae Christianae, brevem, distinctam, ac luculentam notitiam totius Sacrae Scripturae vulgavit Anno MDCXCIII.

ARTHURUS PITSEUS, Anglus, Cancellarius Cardin. Lotharingii, Canonicus Virodunensis, dedit Commentarios in Acta Apostolorum, ubi hujus temporis haereses impugnat, vulgavitque illos Antuerpiae MDCXXXVI.

ASCANIUS MARTINENGUS, Italus, Brixiensis, Congregationis Lateranensis Abbas Generalis, vir nobilis ingenii, magnaeque eruditionis, edidit Glossam magnam in I. Caput Hexaëmeronis duobus voluminibus comprehensam, sed incoeptum opus fortasse morte sublatus perficere nequivit. Floruit XVI. labente Seculo.

AUGUSTINUS CALMET, Lotaringus, Commercienſis, Ord. S. Benedicti, Congregationis S. Vitoni, omnigenae eruditionis, & Orientalium linguarum notitia peritus, Commentarios litterales in omnes utriusque Testamenti libros edidit, pluribus eruditisque Prolegomenis, & Dissertationibus adjectis. Dictionarium etiam Biblicum aeneis figuris distinctum vulgavit, sicut & Historiam Veteris Testamenti, & Vitam Jesu Christi, quae omnia Gallice ab eo conscripta fuerunt in Latinum conversa, excepta Historia Veteris Testamenti, & Vita Christi, quae Italice fuerunt edita. Vir quidem fuit ingenii acris, improbique laboris, omnium ore commendatus. At quum etiam bonus quandoque dormitet Homerus, aliqua in eo notarunt Eruditi, praecipue doctissimus Johannes-Dominicus Manfi Congregationis Clericorum Matris Dei in sua Latina Lucensi versione. Mihi tamen prae caeteris displicent, quae habet in Dictionario Biblico *V. Bestia*, quae spongia sane egent, quamve nemo adhuc adhibuit, sed fortasse non omittent, quibus occasio aderit. Dum tamen ita M. Viri errorem corrigo suspicere non desino ejus ingenium, & laborem. Fortasse adhuc in vivis erit, sed mihi penitus ignotum. Vivebat quidem Anno MDCCXXVIII.

AUGUSTINUS DE QUIROS, Societatis Jesu, natione Hispanus, patria Illiturgitanus, scripsit Commentarios Exegeticos in Nahum, & Malachiam Prophetas. In Epistolas Pauli ad Ephesios, & Colossenses. In Catholicas Jacobi, & Judae Epistolas. Mexici Visitatoris obiens munus ad Dominum ivit Anno MDCXXII.

AUGUSTINUS TORNIELLUS, Italus, Novariensis, e Congregatione Clericorum Regularium Barnabitarum, expedita methodo scripsit Annales Mundi ab Orbis creatione usque ad Jesu Christi adventum duobus voluminibus comprehensos. Obiit Anno MDCX.

B

BALDUINUS JUNIUS, vernacule DE JONGHE, Patricia, & antiqua familia in Hollandia Hagae-Comitum, Justi Lipsii Discipulus, Ordini Minorum adscriptus insignis evasit Theologus. Plura edidit opera cum Theologica, tum ascetica, tum mystica; praecipue dedit Commentaria in Cantica Canticorum impressa Antuerpiae MDCXXXI. Obiit Bruxellis Anno MDCXXXIV.

BALTHASAR CORDERIUS, Societatis Jesu, natione Belga, patria Antuerpiensis, Graece nimium doctus, in Viennensi Austriae Academia Professor, edidit Catenam Graecorum PP. in Lucam & Johannem. Johannis Philoponi in Cap. I. Genesis De Mundi creatione libros IV. Graece, & Latine; & Catenam Graecorum PP. in Psalmos. Symbola Graecorum PP. in Evangelium Matthaei. Jobum elucidatum. Plura alia scripsit, quae typis fuerunt mandata. Librum Sapientiae elucidatum MS. reliquit, aliaque plura scribentem virum pium, & doctum, mors manum de tabula tollere jussit Anno MDCL.

BALTHASAR ETZELIUS, Societatis Jesu, Germanus, Bremensis, Bucho, in Collegio Archiepiscopali Moguntino linguae Sanctae Professor, IV. Catholicas Epistolas, nimirum secundam Petri, & duas posteriores Johannis, & unicam Judae, simul cum Apocalypsi e Syriaco Latine vertit. Senio confectus, & octogenario major vivere desiit Anno MDCXLVIII.

BALTHASAR PAEZ, Lusitanus, Olysiponensis, Ordinis Redemtionis Captivorum SS. Trinitatis, Conimbricensis Doctor, & Regi Lusitaniae a Concionibus, edidit Latinos Commentarios in Epistolam S. Jacobi. In Canticum Moysis Exodi XV. In Canticum etiam Moysis *Audite Coeli*, *quae loquor*. In Canticum Ezechiae *Confitebor*, & in Canticum Virginis. Vulgari tamen Lusitano Sermone Conciones, seu Homilias plures de Tempore dedit. Floruit Anno MDCXXX.

BALTHASAR PAGLIA, Siculus, Calathajeronensis, Ord. Minorum Conventualium, Philosophus ac Theologus insignis, Nostri Neapolitani Collegii Magister de numero participantium, ac in Regia Neapolitana Universitate Philosophiae Primarius Professor, plurium S. R. E. Cardinalium, ac Regii Neapolitani Supremi Collateralis Consilii Theologus, plura, eaque erudita opera typis mandavit, praesertim Paraphrasin Epicam in Psalmos, & in Cantica ad Laudes, Vesperas, & Completorium. Vivere desiit Anno MDCCV.

BARTHOLOMAEUS DE MARTYRIBUS, Lusitanus, Ord. Praedicatorum, Archiepiscopus Bracharensis, Vir Apostolici plane pectoris, omniumque consensu inter inlustriora Seculi XVI. lumina numerandus, quem Tridentina Synodus inter clariores Patres excepit, & Orbis universus inter sanctiores Episcopos juremerito suspexit, plura edidit opuscula ascetica, quae multifariam versa, multis fuerunt praelis commissa. In S. Scripturam autem, ut ex NN. Jacobo Echardo habetur, reliquit MSS. opera, adnotationes, nimirum, in Davidicos Psalmos, In Canticum *Audite Coeli*, *quae loquor*, In Jeremiam, & alios Prophetas. Mortuus est autem in osculo Domini Anno MDXC.

BARTHOLOMAEUS PETRI, Belga, Lintrensis, Brabantus, Duacensis S. Theologiae Doctor & Professor, Amicorum stimulis actus aliqua edidit, qui plura scripserat, praecipue Commentaria in Actus Apostolorum, Explicationem Catecheticam in Decalogum. Estii opera in S. Scripturam Typis mandavit suppletis etiam iis, quae *ἀτέλεστα* Estius reliquerat, videlicet in partem primae, ac in secundam, & tertiam B. Johannis epistolam. Plenus dierum pie decessit Anno MDCXXX.

BARTHOLOMAEUS DE LOS RIOS, Y ALARCON, Ord. Eremitarum S.P. Augustini, natione Hispanus, sed Belgicae Provinciae adscitus, illiusque Diffinitor & Prior, In Universitate Duacena S. Th. Doctor, & Philippo IV. a Concionibus, plura

Digitized by Google

re edidit, praecipue Christum Dominum in Cathedra Crucis docentem & patientem, seu Tractatus VII. de ultimis verbis Christi. Vitam Coccineam, seu Commentarium super Evangelia Passionis, & Resurrectionis Christi. Matriti LXXII. natus Annos mortem subiit Anno MDCLII.

BASILIUS PONTIUS, Hispanus, Granatensis, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, edidit Quaestiones IV. in Sacram Scripturam. Obiit Anno MDCXXIX.

BENEDICTUS ARIAS MONTANUS, natione Hispalensis, Ord. S. Jacobi, Poëta, & Theologus insignis, in Tridentina Synodo pariter cum honore exceptus, ne dum Hispanicam, Gallicam, Belgicam, Anglicam, & Italicam, sed praecipue Latinam, Graecam, Hebraicam, Arabicam, Syriacam, & Chaldaicam linguas apprime calluit: a Philippo II. Belgium evocatus, & Polyglottorum Antuerpiensium Bibliorum editioni adplicatus ceteris praeripuit palmam; eaque typis mandata praefatione sua adornavit. Aliam quoque editionem solus ipse confecit, quam Gregorio XIII. nuncupavit. Plura itidem, eaque insignia, opera edidit, videlicet Commentaria in XII. Prophetas Minores, Elucidationes in IV. Evangelia, & in Acta Apostolorum. Elucidationes in omnia SS. Apostolorum Scripta, & S. Johannis Apocalypsin. De optimo imperio, sive in Librum Josue Commentarium. De varia Republica, sive Commentarium in librum Judicum. Antiquitatum Judaicarum lib. IX. Historiam Naturae, seu primam in magni operis corpore partem. Davidis, aliorumque Psalmos in Latinum carmen conversos. Commentarium in XXX. priores Psalmos. Commentarium in Isaiam, Dictatum Christianum, seu aureum de vita Christi libellum. De Hebraeis idiotismis. De Arcano Sermone. De Sacris ponderibus. De Biblicis mensuris. De Sacra Geographia. De sacris fabricis. De seculis & temporibus. Tantum virum doctrina & pietate conspicuum mors tulit e Mundo Anno MDXCI.

BENEDICTUS BONSIGNORIUS, Florentinus, O. S. B. Abbas, Chrysostomum ac Bernardum imitatus edidit Homilias in omnes Dominicas & Festivitates Anni. Homilias VI. in Psalmum XLIV. Homilias IV. in Psalm. XLVIII. Homilias IV. in verba Esaiae: *Populus, qui ambulabat*. In IV. Dominicas Adventus Homilias IV. & iterum in Assumtionem Deiparae. Florentiae vitam complevit An. MDLXVII.

BENEDICTUS A S. GERMANO, in Regno Neapolitano sub Casinensium utraque ditione constituto Territorio, seu Civitate, Ord. S. Benedicti, & laudati Casinensis Coenobii Monachus primum, deinde Abbas, edidit Commentarium in Psalterium Hebraicum. Expositionem in Psalmos; & Commentaria in Epistolas S. Pauli. Vivebat Anno MDLXX.

BENEDICTUS JUSTINIANUS, natione Italus, patria Genuensis, nobili stirpe genitus, & in Societate Jesu Theologus, ac Concionator eximius, In Urbe Poenitentiarius, edidit expositiones in XIV. Paulinas, & VII. Canonicas Epistolas. Reddidit Creatori spiritum Anno MDCXXII.

BENEDICTUS MANDINA, Clericus Regularis Theatinus (Junior dictus, quia nepos alterius Benedicti Mandina, etiam Theatini, Episcopi Casertani) Neapolitanus, Melphiensis, post plurimas ex humilitate recusatas infulas, ex obedientia tandem Episcopus Tropejensis inauguratus, doctrina, & probitate inlustris, edidit volumen Commentariorum in I. Caput Jeremiae. Transivit ad Dominum Anno MDCXLVI.

BENEDICTUS PERERIUS, seu PEREYRA, Societatis Jesu, natione Hispanus, patria Valentinus, inter inlustres Philosophos, Oratores, Theologos, ac Sacrae Scripturae Interpretes merito co-

optandus, publici juris fecit Disputationum, & Commentariorum in Genesim Tomos IV. ubi praecipue agit de benedictionibus XII. Patriarcharum. Commentarium etiam in Danielem, & seorsim in Canticum trium puerorum. Similiter Selectarum disputationum in S. Scripturam Tomos V. quorum I. continet disputationes in Exodum. II. disputationes in Epistolam ad Romanos. III. disputationes in Apocalypsin. IV. disputationes super IX. priora capita Evangelii S. Johannis. V. tandem Disputationes super V. posteriora capita ejusdem Evangelii. Senio demum confectus annos natus LXXV. mortuus est Anno MDCX.

BENEDICTUS XIII. ROMANUS PONTIFEX, antea Fr. Vincentius Maria Ursinus, Ordinis Praedicatorum, Neapolitanus, e Duce Gravinensium ad nostrum Ordinem invitis licet parentibus convolans, vix ante statam aetatem, nec sine speciali Pontificio diplomate, Sacerdotio initiatus, reluctans tamen, nec sine praecepto formali Sanctae Obedientiae Cardinalitiam induit purpuram, deinde ad Sipontinam Ecclesiam, ex qua ad Caesenatem, & tandem ad Beneventanam Ecclesiam regendam evectus, Regularem, quam in Ordine servaverat, disciplinam in Episcopatu retinuit, singulari charitate erga pauperes, quorum revera pater erat, zelo maximo, erga Sacrorum Templorum nitorem, & reverentiam, specialique cura circa Sacrorum Rituum observantiam, verum exemplar Episcoporum omnium sine invidia facillime evasit, unde sibi ad Summum Pontificatum praeter omnium exspectationem viam paravit, sine ambitione tamen supremi verticis, quem ex novo praecepto S. Obedientiae conscendit. Inter cetera, quae Beneventanus Archiepiscopus edidit, recitavitque, opera, locum retinent Lectiones in Exodum Beneventi ad populum habitae, ibique primum editae, alibique postea impressae. Grandaevus tandem meritisque onustus obdormivit in pace An. MDCCXXX.

BERLINGHERUS VENTIMIGLIA, Siculus, Panormitanus, ex Principibus Hieracis, humanioribus literis, gravioribusque disciplinis deditus, publici juris fecit Paraphrasim in Psalterium, Cantica, & Epistolas ad Romanos, ad Timotheum, & ad Corinthios. Vale mundo dixit Anno MDCXXXIX.

BERNARDUS LAMY, Gallus, Cenomanus, Congregationis Oratorii Domini Jesu, pietate simul, ac omnigena eruditione inlustris, Poëta, Mathematicus, Philosophus, ac Theologus insignis, Graece, & Hebraice doctus, vulgavit Concordiam Evangelicam cum commentariis. Apparatum Biblicum. De Tabernaculo Foederis, Templo Salomonis, ac Urbe S. Hierusalem volumen unum; & ex varia, quam sublit, contentione cum eruditis Gallis, Tractatum de novissimo Paschate Domini Jesu. Dies suos complevit Anno MDCCXV.

BERNARDUS DE MONTFAUCON, Gallus, Alectensis, e Castro vulgo *Roquetaillade*, Benedictinus, trium linguarum peritissimus, profana simul, ac sacra eruditione ad miraculum usque insignis, ut ex innumeris pene operibus ejus publici juris factis notum est cunctis, qui e litteraria Republica penitus non sunt extorres. Edidit etiam fragmenta Veterum Graecorum Interpretum decuplo auctiora. Opus de Bibliis Hexaplis. Tractatum etiam Historiae Judith in tres partes divisum. LXXXVII. Annos natus studio, & laboribus magis, quam devexa aetate, pressus immortalem sui nominis gloriam reliquit vita functus Anno MDCCXL.

BERNARDUS LA PALISSE, Ord. Praedicatorum, Gallus, Aquitanus, pius, juxta, ac doctus Theologus, edidit Expositionem in omnes Davidicos Psalmos duobus voluminibus comprehensam. Vivere desiit Anno MDCLXVI.

BERNARDINUS PEQUIGNY, Gallus, Ordinis Capuccinorum, edidit commentarios in Evangelia, & in omnes S. Pauli Epistolas. Vivebat Anno MDCCXXVI.

Digitized by Google

BLASIUS CARYOPHILUS, Neapolitanus, Presbyter Secularis, Poëta, Philosophus, & Theologus non ignobilis, plurium linguarum peritissimus, praesertim Graecae, Hebraicae, Chaldaicae, & Arabicae, in divinis etiam Scripturis versatissimus, plures edidit dissertationes miscellaneas, quas Romanis typis commisit Anno MDCCXVIII. e quibus praecipue ad rem nostram pertinent De אזוב sive Hyssopo. De רוראים. De קיקיון. Et De שושנים. De Poësi Hebraeorum Italice Romae MDCCVII. Cudebat etiam de ceteris Scripturarum Sacrarum, quae Eruditi exoptant, & exspectant. Vivit adhuc doctissimus Author, & ut ab amicis excepi, Mantuae nunc degit.

BLASIUS VIEGAS, natione Lusitanus, patria Ebyrensis, Sacerdos Societatis Jesu, edidit Commentarios Exegeticos in Apocalypsin; reliquit etiam lucubrationes in Prophetas Minores, Ezechielem, & Epistolam ad Romanos. Obiit Anno MDXCIX.

BONAVENTURA PONS, S.Theologiae Magister, Ordin.Praedicatorum, Provinciae Aragoniae, edidit librum, cui Titulus: Difficultates Sacrae Scripturae inter SS. Patres controversiae Lugduni Anno MDCLXXII.

C

CAESAR BARONIUS, Neapolitanus, Sorae in Regno natus, & primum Sacerdos in Congregatione Oratorii sub S.Philippo Nerio, quo etiam impellente, nec sine prophetico spiritu, Annales Ecclesiasticos tam feliciter, tantaque gloria conscripsit, ut jure summo Annalium Parens; vel ab ipsis Heterodoxis, adpelletur: deinde ad purpuram a Clemente VIII. adsumtus ita effulsit, ut merito ter Eminentissimus dicatur, purpura, scientia, & probitate. Scripsit Historiam Evangelicam, & Apparatum ex Divinis Oraculis Messiae adventum jam peractum ostendens. Tantum virum invida mors eripuit ab Ecclesia, & ab Orbe Anno MDCVIII.

CAESAR BECILLUS, Urbinas, & Romani itidem Oratorii S.Philippi Nerii Sacerdos, Concordiam Evangelicam edidit, in eaque adnotavit quid peculiare quilibet Evangelista scripserit, quod aliis commune haud fuerit. Florebat circa A.MDCXXX.

CAESAR CALINUS, Italus, Brixiensis, Societatis Jesu, lectiones Italice in utrunque Divinum Foedus, & seorsim in plures S.Scripturae libros edidit. Vivit adhuc.

CAESAR EVOLI, Eques Neapolitanus, edidit Tractatum de Divinis Attributis, quae ab Hebraeis *Sephirot* adpellantur. Anno MDLXXX.

CAMILLUS PULSITO, Neapolitanus, Civitatis Theanensis, edidit Consonantiam Novi, & Veteris Testamenti ad Christum, & Deiparam pertinentem, Venetiis vulgatam Anno MDCXXVIII.

CAROLUS ANTONIUS GALLELLA, Siculus, Messanensis, in divinis literis, Sanctorumque Patrum libris versatus, edidit Tractatum de Patrum intelligentia super textum Evangeliorum ad dubiorum solutionis formam redactum Anno MDCXLIII.

CAROLUS LE PREVOST D'HERBELAY, Gallus, Parisinus, Congregationis Oratorii Presbyter, Canonicus Ecclesiae Nivernensis, Concordiam Evangelicam Gallice edidit, & iterum cum additione vulgavit. Denatus est Anno MDCLXXV.

CAROLUS SAGERIUS, Gallus, Belluaci in Picardia natus, Graece doctissimus, & Dei zelo plenus, scripsit Commentarios in Epistolas Pauli ad Romanos, & ad Ephesios. In Epistolam S.Judae. Decessit Anno MDXCVI.

CAROLUS SIGONIUS, natione Italus, patria Mutinensis, nobilis genere, optimus ac praestantissimus Historicus, qui Romanorum, aliorumque antiquitatibus explanandis summam laudem consecutus, non minus singulari doctrina, quam rara probitate praeluxit, quum plura id genus opera omnium plane consensu probata vulgasset, edidit Tractatum de Republica Hebraeorum VIII.libris distinctum, quo cuncta ad Historiam Veteris Testamenti, praecipue quoad leges, & Ritus expendit. Sexagenarius Mutinae diem clausit extremum A.MDLXXXV.

CHERUBINUS A S.JOSEPH, Carmelita discalceatus, Tholosae oriundus, vir immensi laboris in expendendis Bibliorum versionibus, ceterisque ad Historiam Veteris Testamenti spectantibus, quatuor edidit volumina complectentia Sacram Bibliothecam Criticam Bibliorum. Floruit XVII. labente Seculo.

CHRISTIANUS ADRICHOMIUS, Presbyter Belga, Delphius, Batavus, S.Theologiae Doctor, & Lovanii Professor, exilium pro fide passus, & a Calvinistis depulsus, plura scripsit omni laude digna, nimirum Vitam Jesu Christi ex IV. Evangelistis contextam. Theatrum Terrae Sanctae cum Tabulis Geographicis, Descriptionem Urbis Jerosolymitanae. Descriptionem Terrae Sanctae juxta XII. Tribus Israël. Chronicon Utriusque Testamenti historiam continens. Anno aetatis suae LII. exilii a patria ob fidei causam XIII. naturae debitum solvit Anno MDLXXXV.

CHRISTOPHORUS VEGA, Societatis Jesu, natione Hispanus, patria Tabalensis in Navarrae Regno, scripsit Commentarios in Librum Judicum tribus Tomis comprehensos. Diem complevit suum Anno MDCLXXII.

CLAUDIUS AQUAVIVA, Neapolitanus, filius Ducis Atri, V.Praepositus Generalis Societatis Jesu, litterarum, & religiosae perfectionis coruscо inlustris, SS.Pio V. & Philippo Nerio charus, prudentia, & in agendis dexteritate pollens, magnaeque constantiae vir, plura scripsit, praecipue Meditationes in Psalmos XLIV. & CXVIII. nec non Orationem elegantem de Passione Domini. Gloriosam vitam pia morte coronavit Anno MDCXV.

CLAUDIUS ESPENCAEUS, Gallus, Campanus, nobilissima prosapia natus, Doctor Parisiensis, & Rector Universitatis Navarricae, primi nominis Theologus, sed humilis corde, & piae nimium conversationis Sacerdos, praeter Epistolas, Ascetica, Erudita, Moralia, Ad Ecclesiae disciplinam spectantia, & Polemica, edidit etiam commentarios in Paulinas Epistolas ad Titum, ad Timotheum cum tribus digressionum libris. Homilias IV. in Filium prodigum. Paraphrasim in Orationem Dominicam. Ad Dominum transivit Anno MDLXXI.

CLAUDIUS FLEURY, Gallus, Parisiensis, & Prior Argentinensis, vir certe summae eruditionis, edidit Historiam Ecclesiasticam plurimis tomis comprehensam, Opusculum de moribus Hebraeorum, & Christianorum, & Catechismum historicum ab Adamo ad Christum usque. Annos natus LXXXIII. mortuus est Anno MDCCXXIII.

CLAUDIUS LANGELLOTTUS, Gallus, Parisiensis, unus ex accolis Portus Regalis, Graece doctissimus, edidit Chronologiam Sacram cum synopsi Scriptorum Veteris ac Novi Testamenti, & de mensuris, ac monetis Antiquorum.

CLAUDIUS RANGOLIUS, Ordinis Minorum, Crespiensis, Graece, Hebraice, & Latine doctus, incomparabilis eloquentiae vir, scripsit in Lib. Regum commentarios editos Parisiis MDCXXI. Immaturus nimium, sed Coelo maturus, admirabilis ascesews, & monasticae observantiae cultor Mundum reliquit Anno MDCXXV.

CLAUDIUS THOMASSINUS, Gallus, edidit Paraphrasin Gallicam in Judith Parisiis MDCXLII. alteram in Tobiam ibidem MDCXLIII.

COELESTINUS A MONTE MAUSANAE Gallus, Capucinus, edidit Scripturae Sacrae Prosopochronica Anno MDCXLVIII.

CONRADUS HEVESBACHIUS, Germanus, Cli-

Digitized by Google

Clivienſis, Catholicus, trium linguarum peritiſſimus J. C. Pſalmos ex Hebraeo Latinos fecit. Obiit Anno MDLXX.

CORNELIUS BUCCAFOCUS, Italus, Sarnatius in Umbria, Ord. Minorum Conventualium, a Xyſto V. ad Cardinalitiam purpuram evectus, deinde inauguratus Epiſcopus Vercellenſis, & inſtitutus Inquiſitor in Urbe, edidit plura opera Theologica, nec non Commentaria in Evangelium S. Johannis, & in Epiſtolam ad Hebraeos. Obiit Romae A. MDXCV.

CORNELIUS JANSENIUS, Gandavenſis Epiſcopus, Belga, Hulſtenſis, trium linguarum, quas in Cruce ſalutifera Chriſtus conſecravit, cognitionem conſecutus, & ad doctoralem lauream promotus, ac Lovanienſis Profeſſor inſtitutus, Concilii Tridentini Theologus, pietate, & eruditione ſibi viam ad Epiſcopalem infulam merito ſtravit. Scripſit autem Concordiam Evangelicam, & ejuſdem concordiae rationem IV. Evangeliſtarum. Commentarios in Concordiam, ac totam Hiſtoriam Evangelicam. Paraphraſim, & Adnotationes in omnes Davidis Pſalmos. Commentarios in Proverbia Salomonis. In Eccleſiaſticum. In Librum Sapientiae. Plura alia etiam ſcripſit. Laboribus autem, pluſquam annis, fractus ſcribere, & vivere deſiit Anno MDLXXVI.

CORNELIUS JANSENIUS alter, Belga quoque, Doctor Lovanienſis, & Epiſcopus etiam, ſed Yprenſis, rigidioris aſceſeos ac diſciplinae cuſtos, ante Epiſcopatum in Sacram Scripturam edidit opera, quae ab omnibus commendantur, quaeve nullam ſubierunt cenſuram (ut cetera in Epiſcopatu elaborata) nimirum Commentarium in Pentateuchum. Analecta in libros Sapientiales, Habacuc, & Sophoniam. Defunctus eſt Anno MDCXXXVI.

CORNELIUS A LAPIDE, Flander quoque, patria Eburo Bucheldianus, Jeſuita clariſſimi nominis, & piae converſationis, Orator, Philoſophus, ac Theologus, linguarum Latinae, Hebraicae, & Graecae peritiſſimus, etſi infirma ſemper valetudine, in Sacris litteris tamen perdius, & pernox, commendatiſſimos edidit Commentarios in Utriuſque Foederis libros, exceptis Jobo, & Pſalmis, in quos imperfectam reliquit explanationem morte ſublatus Anno MDCXXXVII.

COSMAS DAMIANUS HORTOLANUS, Perpiniacenſis, Abbas Villae Bertrandi, ad Tridentinam Synodum a Philippo II. Hiſpaniarum Rege Theologus miſſus, edidit Commentarium, & Paraphraſin in Cantica Canticorum. Obiit An. MDLXV.

COSMAS DELGADO, Hiſpanus, edidit Tractatum de Sacrae Scripturae Authoritate Pinciae Anno MDXCIV.

COSMAS MAGALLIANUS, natione Luſitanus, patria Bracharenſis, profeſſione Jeſuita, Philoſophus ac Theologus non ignobilis, edidit Commentarium in Canticum Moyſis. In Benedictiones Patriarcharum. In Sacram Joſue, & Judicum hiſtoriam. In I. & II. Pauli Epiſtolas ad Timotheum, & in unicam ad Titum. Requievit in Domino Anno MDCXXIV.

CYPRIANUS SUAREZ, Hiſpanus, ex Oppido Ocaniae, Toletanae Dioeceſis, multae ac variae eruditionis vir, edidit Commentarios in Pſalmos, & in Cantica Canticorum. Vivere deſiit Anno MDXCIII.

D

DANIEL BARBARUS, Italus, Venetus, Hermolai Barbari patrui ſui, ſicut in politiori Latinitate, & ſtudiorum aſſiduitate ſocius, ſic in Patriarchali Aquilejenſi dignitate ſucceſſor, in Tridentina Synodo Theologus Clariſſimus, inter innumera, quae edidit opera, typis etiam mandavit Catenam Graecorum PP. in quinquaginta Davidis Pſalmos Venetiis Anno MDLXIX.

DANIEL HERVAEUS, Nannatenſis in Gallia, Sacerdos Oratorii Domini Jeſu, Latinam expoſitionem Apocalypſeos ad Eccleſiae perſecutiones ediſſerendas vulgavit. Animam Deo reddidit Anno MDCXCIV.

DIDACUS ALVAREZ, natione Hiſpanus, Methymnae nobili ſanguine natus, Ordini Praedicatorum adſcriptus, Theologus primi ſubſellii evaſit, qui propterea integro ſexennio, toto ſpectante Orbe, ſumma contentione agitatis ſub Clemen. VIII. & Paulo V. diſputationibus claruit; ſolutiſque congregationibus *de Auxiliis* dictis, in quibus pro Thomiſtarum ſententia ſtrenue certavit, ad Tranenſem in Apulia Archiepiſcopalem Eccleſiam evectus, eam per XXXVI. Annos ſanctiſſime rexit, donec capularis ſenex vitam compleverit. Plura, eaque inſignia, ſui ingenii monumenta reliquit, ex quibus ad Exegematica ſpectantia ſunt Commentarii in Iſaiam Prophetam juxta ſenſum litteralem, & moralem. Migravit ad Dominum Anno MDCXXXV.

DIDACUS BAEZA, Societatis Jeſu, Hiſpanus, VIII. Tomis Chriſti figuras in Veteri Teſtamento expreſſas complexus, eoſdem libros allegorice expendit, & IV. Tomis Evangelicam hiſtoriam explicavit, in ea Religionis Orthodoxae articulis bene firmatis. Ceſſit e vita Anno MDCXLVII.

DIDACUS DEL CASTILLO, ET ARTIGA Hiſpanus, Navarrus, Archiepiſcopus S. Fidei, ſeu novi Regni Granatenſis, edidit Tractatum de ornatu, & veſtibus Aaronis, hoc eſt Commentarios in Caput XXVII. Exodi, Anno MDCLV.

DIDACUS CELADA, e Societate Jeſu, natione Hiſpanus, edidit in Sacram Scripturam Tomos VI. videlicet, In Judith commentarios litterales, & morales. De benedictionibus Patriarcharum. Electa ſacra commentario litterali, & morali inluſtrata. In Eſtherem cum duplici Tractatu de convivio Aſſueri myſtico, ideſt Euchariſtico, & de Eſthere figurata, nimirum B. Virgine. In Rutham cum duplici Tractatu de Boozi convivio, & de figuratae ejuſdem Ruthae allegoria. In Suſannam Danielicam cum Tractatu de Virgine Suſannae comparata. Terrae corpus reddidit Anno MDCLXI.

DIDACUS LOPEZ, Jeſuita, natione Luſitanus, patria Bringellianus, Philoſophiae Profeſſor Ulyſipone, & Conimbriae, Theologiae vero Profeſſor in Eboracenſi Academia, cujus & Cancellarius fuit, edidit Harmoniam totius divinae Scripturae. Ex hac vita exceſſit Anno MDCXLIX.

DIDACUS MARTINEZ, natione Hiſpanus, patria Cordubenſis, Societatis Jeſu, Hebraice, Graece, Syriace, & Arabice doctus, eximiuſque Theologus, edidit commentarios in Apocalypſin, ſcripſitque de lapidibus ſacris. Deſcriptionem Idumeae, ubi expendit Abdiam Prophetam. Commentarium in Epiſtolam B. Jacobi. Deceſſit Anno MDCXLV.

DIDACUS STELLA, Luſitanus, Ord. Minorum, Card. Gran-Velano a ſecretis conſcientiae, & Matriti Theologiae Profeſſor, plura aſcetica ſcripſit, ediditque Expoſitionem in Pſalmum CXXXVI. & uberes Commentarios in Evangelium Lucae, quorum quarta editio Antuerpiae Anni 1591. expurgata eſt, & correcta. Epiſcopali inſignitus infula obiit ante An. MDLXXXI.

DIDACUS ZUNICA, Salmanticenſis, nobili genere natus, ex Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini, Theologus conſpicuus, plurimumque linguarum peritus, edidit Commentarios in librum Job. In Zachariam Prophetam. Et de optimo genere explicandi S. Scripturam. Clarus erat ſub Clemente VIII. Anno MDXCVII.

DIONYSIUS AMELOTTE, Gallus, Sancto, S. Th. Doctor, Oratorii Domini Jeſu, ſeu Berulliani, Novum Teſtamentum juxta antiquam Latinam editionem Gallice reddidit cum adjectis notis, Harmoniam Evangelicam, Vitam Jeſu Chriſti itidem

ex

Digitized by Google

ex IV. Evangeliis, alia itidem opera edidit, quae legere est apud Moreri, Niceron, & novissime apud Magnam Bibliothecam Ecclesiasticam Genevae Anno MDCCXXXIV. Mortale corpus deseruit Anno MDCLXXVIII.

DIONYSIUS PETAVIUS, Societatis Jesu, supremae eruditionis Theologus, & magni nominis Scriptor, Aureliani in Gallia natus, plura, eaque a summis viris commendata, opera scripsit, quae autem ad rem nostram faciunt sunt Rationale, & Doctrina temporum ad Chronotaxin S.Scripturae. Paraphrasis Psalmorum omnium, & Canticorum, quae sparsim in Bibliis leguntur. Piam animam Dei Sacerdos Parisiis efflavit Anno MDCLII.

DOMINICUS DE AULISIO, Neapoli ex Neapolitanis parentibus ortus, nepos uterinus Cl. Philosophi ac Medici Leonardi de Capua (cujus nomen totum, qua late patet, reboat per Orbem) Jurisconsultus peritissimus, insignis Mathematicus, Medicinae, Astronomiae, aliarumque scientiarum corona insignis, Latine ne dum, sed Graece, & Hebraice doctissimus, tantam sibi promeruit gloriam, ut per XX. Annos in Regia Neapolitana Studiorum Universitate primariam Caesarei Juris Cathedram moderatus, & in Regiis Castris militarem Architecturam professus, ad Senatoriam Togam non semel fuerit promotus, verum tam praeclaris honoribus lubentissime cessit, ut liberius, expeditiusque studiis seriam posset operam dare. Plura edidit opera, sed quae impraesentiarum adnotanda occurrunt, sunt De Scholis Sacris Hebraeorum, De Medicis Hebraeis. De Magis Syris. Prope septuagenarius Neapoli occubuit Anno MDCCXXVII.

DOMINICUS CELAYA, Hispanus, Cantaber, Ordinis Praedicatorum, edidit expositionem in VII. Psalmos Poenitentiales. Obiitque Caesaraugustae Anno MDLXXIII. Emendandus est autem Possevinus, qui N. Dominici cognomen *Caleca* corrupte refert.

DOMINICUS GRAVINA, Neapolitanus, in hac Regni Metropoli natus, ac Ordini Praedicatorum in Conventu S. Mariae Sanitatis adscriptus, qualis evaserit vir, nemo qui doctus audit, ignorat. Theologiae Magister eximius, & in Regia Studiorum Universitate primarius Professor, pluries coram Paulo V. Orator. Congregationis nostrae Sanitatis Vicarius Generalis, Provincialis Provinciae Regni, Vicarius Generalis totius Ordinis, Pro-Magister Apostolici Palatii, Procurator Generalis Ordinis, Orbi, & Urbi spectabilis fuit, pluries oblatis infulis nuncium misit, ut humilitatem, quam corde fovebat, opere servaret; & quamvis studiis totus deditus foret, regularem observantiam ita exacte custodivit, ut praeteris toto vitae tempore nunquam comederit carnes, & Orator insignis, qui etiam in Primoribus Italiae Ecclesiis Conciones habuit, a rigidiori ascesi nunquam desiterit. Plura adversus Novatores edidit Polemica opera, aliaque varii argumenti commendanda monumenta reliquit, praesertim De Sacrae Scripturae authoritate, Versionibus, Interpretationibus, Antiquitate, & Universitate. Tantum virum pietate maxima, doctrina summa insignem Romae (ubi etiam cathedram rexit) muneribus, & annis, sed magis magisque meritis onustum mors intercepit A. MDCXLIII.

DOMINICUS MACRI, Melitensis, in Civitate Valletae natus, Presbyter Secularis, pietate, & doctrina nitens, Canonicus Viterbiensis, Eques auratus, Comes Palatinus, & S.Congregationis *Indicis* dictae Consultor, cetera inter, quae scripsit, dedit de contradictionibus apparentibus S.Scripturae opusculum. Vivere desiit Anno MDCLXXI.

E

EDMUNDUS MACLOT, Gallus, Ord. Praemonstratensis Abbas *d'Etagé* Dioecesis Verodunensis, exhibuit Historiam Veteris, & Novi Testamenti cum notis Theologicis. Mortuus est Anno MDCCXI.

EMMANUEL AB INCARNATIONE, Ord. Praedicatorum, Lusitanus, in Oppido Pontevel ad Santaren natus, S.Theologiae Magister, & suae Provinciae Prior Provincialis, studiorum suorum fructum dedit insigne opus, cui titulus: Matthaeus Explanatus, Ulysipone MDCCX. Grandaevus migravit a Seculo Anno MDCCXXI.

EMMANUEL DE NAXERA, natione Hispanus, patria Toletanus, Societatis Jesu Sacerdos, edidit Commentarios litterales, & morales in Josue cum appendice de Rahab, & Arca figurata, nimirum de B.Maria Virgine, In Judices. In Librum I. Regum, & In Psalmum L. Claruit Anno MDCL.

EMMANUEL SA, ejusdem Societatis, patria Olysiponensis, interfuit correctioni Bibliorum Romae una cum Petro Parra Sodali suo. Edidit Scholia in IV. Evangelia ex Veterum Patrum sententiis collecta, & mira brevitate digesta. Annotationes eodem modo in Totam Scripturam. Febre extinctus interiit Anno MDXCVI.

EVANGELISTA MARCELLINUS, Etruscus, Ord.Minorum, Regularis observantiae eximius cultor, ab omni ambitionis specie alienus, fervidus declamator, nonnisi animarum saluti sedulam navavit operam, ab seriis tamen studiis, iisque proficuis, haud abstinuit: quapropter insignia sui ingenii monumenta reliquit, quae praesertim Waddingus percenset. Praecipue vero edidit Commentarios in Libros Tobiae, Ruth, Judicum, & Regum. In Habacuc, Jonam, & Danielem. In Psalmos LXVIII. & CIX. & Cantica Canticorum. In Apocalypsin. In Epistolam ad Hebraeos, & Cantica Zachariae; ac B.M.V. Non sine sanctitatis odore Romae obdormivit in Domino in Conventu Arae Coeli Anno MDXCIII.

F

FABIANUS JUSTINIANUS, Italus, Genuensis, ex patritia familia ortus, Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Sacerdos, & deinde Episcopus Ajacensis, expofuit Tobiam historice, additis etiam instructionibus moralibus, adjunctaque synopsi Chronologiae utriusque Tobiae, juxta Latinum, Graecum, & Arabicum textus. Edidit quoque elenchum Authorum, qui in S.Biblia scripserunt, nec non opus de Sacra Scriptura, ejusque usu, ac interpretibus. Dies suos complevit Anno MDCXI.

FELICIANUS CAPITONIUS, Italus, Narniensis, ex Ord. Servorum B.M.V. Episcopus Narniensis, edidit Promtuarium sacrum continens explicationes praecipuorum locorum utriusque Testamenti, quibus abutuntur haeretici; ad magis firmanda fidei dogmata, vero illorum sensu expenso. Obiit Anno MDLXXI.

FIRMINUS CAPITIS, Gallus, Ord. Minorum, Doctor Parisiensis in Polemica praesertim Theologia insignis, edidit Commentaria in Genesim Parisiis MDLXVII. & in Exodum ibid. MDLXXIX.

FLAMINIUS NOBILIUS, Italus, Lucensis, praeter alia, quae publici juris fecit una cum Antonio Carafa (de quo supra) sedulam navavit operam in Latina versione LXXII. interpretum, additis etiam suis adnotationibus Romae vulgatis Anno MDXC.

FLORIANUS NANNIUS, Cassus, edidit Catenam argenteam in totam fere S.Scripturam ex Scholasticis Theologis contextam Bononiae Anno MDLXXXVII.

FOR-

Digitized by Google

FORTUNATUS SCACCHUS, Italus, Anconitanus, Jacobi Oliverii Equitis filius, Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini, trium linguarum peritus, & Sacrarum literarum Profeſſor, editionem Bibliorum Latinam ex variis verſionibus, Hebraea Xantis Pagnini, nimirum, Romana, Septuagintavirali, & Chaldaica Paraphraſi adornatam, & Paulo V. nuncupatam publicavit Venetiis MDCIV. Alia itidem Sacro-profana, ac erudita opera typis mandavit. Poſtquam autem Sacriſtam Apoſtolicum per XV. Annos egit, Romae ſacro tumulandum funere corpus ſuum dedit Anno MDCXXXIII.

FRANCISCUS AGRICOLA, Belga, Lonenſis in Ducatu Juliacenſi Rodingenſis primum, deinde Sittardienſis Eccleſiae Paſtor, & Canonicus, edidit Commentarium de Verbo Dei ſcripto, & non ſcripto. De lectione S. Scripturae, ejuſque interpretibus Orthodoxis. De aeterno, & vero Deo, nec non indubitato Chriſto, & Meſſia Chriſtianorum Libros III. Demonſtrationum Evangelicarum Libr. IV. De Chriſto Salvatore, ejuſque regno gratiae, & gloriae cum cognoſcendo, tum capeſſendo. Meditationes hebdomadales de Paſſione ac morte Dominica. Plura alia Polemica adverſus Novatores ſcripſit. Senioque ac laboribus fractus morti ceſſit A. MDCXXI.

FRANCISCUS AURATUS, Sacerdos Gallus, edidit expoſitionem litteralem in Cantica Canticorum Lugduni MDCXCIII. ipſe vero vivebat adhuc MDCCIV.

S. FRANCISCUS BORGIA, natione Hiſpanus, patria Valentinus, ſpreto Gandiae ducatu, ampliſſimiſque honoribus, & opibus, Societati Jesu, cujus deinde fuit etiam III. Propoſitus Generalis, nomen dedit. Doctrina non minus, quam ſanctitate inluſtris, plura ſcripſit, & quae ad nos ſpectant ſunt, Sermo in illud Lucae XIX. *Ut appropinquavit Jesus videns Civitatem, flevit ſuper illam*. Expoſitio Cantici trium puerorum Danielis III. De meditatione ſuper Paſſione D. N. J. Chriſti. Reliquit etiam praeclaras, ſed inexpolitas lectiones in Threnos Jeremiae, & Meditationes in Evangelia per annum. Ad Superos evolavit Anno MDLXXII.

FRANCISCUS CARRIERE, Gallus, Aptenſis, Minorita, Theologiae Doctor, Concordiam Evangeliſtarum edidit. Claruit Anno MDCLX.

FRANCISCUS COMBEFIS, Ord. Praedicatorum, natione Aquitanus, patria Marmandenſis, Claris, atque Marmandenſis Urbis Primoribus ortus parentibus, vir apud Eruditos ſui aevi, poſteroſque clariſſimus, Graecis, & Latinis litteris egregie inſtructus, quem nulla non mirabitur aetas, ex inluſtribus, quae reliquit ſui ingenii monumenta Eccleſiae perutilia, ea certe ad rem noſtram facere videntur, quae ad Sacram Scripturam pertinentia PP. Graecorum monumenta, aut primus edidit, & Latine vertit, aut etiam nova Latina verſione adornavit, quae octo voluminibus comprehenſa, ſimul cum aliorum Occidentalium Homiliis, quas etiam ipſe e Bibliothecis eruit, primuſque vulgavit, atque adpoſuit ad explicationem Evangeliorum, aut etiam earum ſolemnitatum, ſeu myſteriorum Domini, quae Scriptura percenſet, & Eccleſia ſolemni celebrat ritu. Plura etiam dedit in Auctario Graecorum PP. quibus in lucubrandis, vertendiſque diu noctuque inſudavit Aſceta pius, juxta & doctus: exſucco corpore, cibi parciſſimus, vigiliarum cuſtos, obſervantiae regularis cultor: ſui & aurae deſpector, avidus non ſciri, ſibique vilis, & exiguus: facilis in ſymmiſtas & pronus, ſibi ſeverus, & durus, aliis ſuavis, & amabilis. Omnium Eruditorum encomiis decoratus vivere in terra deſiit, ut Deo viveret in Coelis. Anno MDCLXXIX.

FRANCISCUS COSTERIUS, Belga, Mechlinienſis, Societatis Jesu, Doctor Theologus Colonienſis, ex ſolida doctrina, & ſpiritu, quo haereticos confutavit dictus, *Haereticorum malleus*. Inſignis Deiparae cultor, ejuſdemque devotionis praecipuus promotor, quum plurima polemica adverſus Heterodoxos ſcripſerit, edidit etiam Annotationes in Novum Teſtamentum, & alia quoque ad Paſſionem Chriſti, & Evangelia per annum in Eccleſia legi conſueta. Plenus dierum non morbo, ſed aetati ſuccubuit Anno aetatis ſuae LXXXVIII. Aerae autem Chriſtianae MDCXIX.

FRANCISCUS FEU-ARDENTIUS, Ordin. Minorum, Gallus, Normandus, Conſtantienſis, Sac. Theologiae Doctor eximius, & Orator inſignis, Patrum lectioni (quorum opera plurima typis commiſit ſcholiis ornata, & correcta) plurimum addictus, nec non haereticis convincendis deditus, non pauca Theologica opera typis mandavit, edidit que praeſertim Commentarios in Ruth. In Eſtherem. In Jonam. In Epiſtolas Pauli ad Philemonem. Et Canonicas Petri, Johannis, Jacobi, & Judae. Homilias in III. priora, & ultimum caput Jobi. In Danielem. Judith. Et in plures Pſalmos. De Sacrorum Bibliorum authoritate, veritate, utilitate, obſcuritate, ac interpretandi ratione. Homilias XXVII. in Conceptionem, ac Nativitatem Chriſti, & S. Johannis Praecurſoris. Homilias XXV. in Librum Job. Similiter adſcitis ſibi duobus aliis Theologis Pariſienſibus, qui eidem ſuppetias in opere tulerunt, addidit Notas ad Gloſſam Ordinariam, & Poſtillas Nicolai de Lyra. Plura alia cum Polemica, tum Hiſtorica, tum etiam Moralia edidit, quae legi poſſunt apud Waddingum, Poſſevinum, Niceronium, Bayle alioſque. Vale Mundo dixit Anno MDCX.

FRANCISCUS A FONTE, ſive DE LA FUENTE, Ord. Minorum, Hiſpanus, Toletanus, S. Th. Lector, ſcripſit in Evangelium Marci lib. XV. In Pſalm. L. Homilias XXVI. & alia opera typis mandata labente XVI. Seculo.

FRANCISCUS DE FRANCHIS, Ordin. Capuccinorum, Veteri (ſive Potentiae, ut aliqui cum Toppio exiſtimant, ſive Salerni, ut Waddingus ſcribit) in Regno Neapolitano natus, edidit in Oſeam myſticos Commentarios tribus Tomis comprehenſos. Vivebat Anno MDCLI.

FRANCISCUS HARAEUS, Ultrajectinus, Sac. Theologiae Licentiatus Duacenſis, una cum Antonio Poſſevino, Legato in Moſcoviam a Summo Pontifice Miſſo, eo penetravit, & redux in patriam primum Canonicus Graduatus in Cathedrali Eccleſia S. Johannis Silvae-Ducis, deinde Lovanii eadem dignitate potitus, Hiſtorica multa ſcripſit, & mutuato S. Thomae titulo Catenam Auream in IV. Evangelia edidit, nec non Biblia Sacra inluſtrata expoſitionibus priſcorum Patrum litteralibus, & myſticis. Finem vivendi fecit Anno MDCXXXII.

FRANCISCUS DE LEMOS, Benedictinus Abbas, Hiſpanus, Cl. ſtirpe natus, edidit Commentarios in Threnos Jeremiae Prophetae Anno MDCXLIX.

FRANCISCUS LUCAS, Brugenſis, primi nominis Theologus, Eccleſiae Cathedralis Audomarenſis Decanus, Latine, Graece, Hebraice, Syriace, & Chaldaice peritiſſimus, praeter varia, quae ad Oratoriam ſpectant, & ad Conciones, edidit Notationes in Biblia Sacra. Romanae Correctionis in Latinis Bibliis juſſu Sixti V. Pontificis M. recognitis loca inſignia. Concordantiam Bibliorum ad recognitionem Bibliorum juſſu Sixti V. Itinerarium Jesu Chriſti ex IV. Evangeliis. Commentarii in Evangelia Tomos IV. Notarum ad varias lectiones in Evangelia libros II. De uſu Chaldaicae Bibliorum Paraphraſeos. Vita laboribuſque defunctus eſt Vir integerrimus, ac ſeptuagenarius Anno MDCXIX.

FRANCISCUS MACAEUS, Pariſiis natus, & Paſtor Eccleſiae S. Opportuni, Synopſin hiſtoricam, & Chronologicam Veteris, & Novi Teſtamenti vulgavit. Exivit e mundo Anno MDCCXXI.

FRANCISCUS MENDOZA, Societatis Jesu, ge-

Digitized by Google

genere nobilis, natione Lusitanus, patria Olysiponensis, scientia & pietate inlustris, edidit Commentarios in Libros Regum tribus Tomis comprehensos. Requievit in Domino Anno MDCXXVI.

FRANCISCUS MESSANA, Hieronymiani Ordinis apud S. Bartholomaeum Regium prope Lupianam non ineruditus Theologus, edidit Commentarium uberem cum Paraphrasi in Zachariam. Concisiorem Paraphrasin in reliquos XI. Minores Prophetas Antuerpiae Anno MDXCVII.

FRANCISCUS MONCAEJUS, vulgo MONCEAUX, Atrebas, Toparcha Froidevallius, vir nobilis, & Jurisconsultus, Francisci Balduini nepos, magni ingenii solertia, & elegantia expolitus, cum in poëtica, tum in arcanis S.Scripturae indagandis plurimum versatus, edidit Bucolica Sacra, sive Canticum Canticorum Salomonis Regis. In Psalmum XLIV. Paraphrasin Poëticam, Lucubrationum in Caput I. Cantici Canticorum Libros II. Ex lucubrationibus in Caput VII. ejusdem Cantici de portis Civitatis Judaeae, & de fori, Judiciorumque in iis exercendorum antiquo more librum singularem. Apparitionum Divinarum, quae de Rubo, & quae in Aegypto revertenti in diversorio Moysi facta, Historiam Aaronem purgatum, seu de vitulo aureo non vitulo Libros II. in quibus simul Cherubinorum Moysis, Vitulorum Jeroboami, Teraphorum Michae forma, & historia explicatur. Responsionem pro vitulo aureo non vitulo. Vivebat Anno MDCXIV.

FRANCISCUS PANIGAROLA, Ord. Minorum, Italus, Mediolani ex Senatoria familia ortus, & ob praeclara facinora ingeniique sui monumenta Episcopus Astensis inauguratus, fuit Theologus eximius, Graece, Latine, & Hebraice doctus, Orator facundissimus, & insignis Polemicus: cum plura Latino, ac Etrusco idiomate conscripserit, edidit praecipue Latine Homilias in Dominicas Pentecostes usque ad Adventum. Italice Paraphrasin in Psalmos, & in Lamentationes Jeremiae. De Passione Domini, & alia plura, quae legere est apud Waddingum *Script. Ord. Minor.* Annos natus XLVI. post compositas in Galliis res, & Henricum IV. abjurata haeresi ad regnum admissum, ad suam Ecclesiam redux, obdormivit in Domino Anno MDXCIV.

FRANCISCUS DE PARIS, Gallus, Castilione prope Parisios natus, Presbyter, S.Stephani de Monte Subvicarius, Concordiam Evangelicam cum explicationibus Gallice vulgavit Anno MDCXCVI.

FRANCISCUS PAVONIUS, Jesuita, natione Italus, Neapolitanus, Catanzari in Regno natus, eruditione inlustris, sanctitate conspicuus, cujus laus praecipue in Regno nostro reboat cum gloria, Philosophus, ac Theologus insignis, quamplura opera cum Philosophica, tum Theologica, & Ascetica typis mandavit. Edidit etiam De Canonibus Isagogicis, seu de Sacrae interpretationis ratione Commentarium Dogmaticum, sive Theologicam interpretationem Pentateuchi. Reliquit MSS. Commentarios in Cantica Canticorum, qui extant in Chartophilacio Romani Collegii. Transivit ad Dominum vir Apostolici spiritus Anno MDCXXXVII.

FRANCISCUS DE PIEDAD MACIEL, Ordin. Praedicatorum, natione Lusitanus, patria Olysiponensis ex PP. insignioribusque Interpretibus exponendum utrumque Testamentum suscepit, sed dumtaxat primum Tomum de Opere sex dierum publici juris fecit, reliquos autem edere nequivit morte praereptus. Floruit sub Magistro Ordinis Fr.Nicolao Rodulpho Anno MDCXXXVI.

FRANCISCUS DE RIBERA, e Societate Jesu, natione Hispanus, patria ex Oppido Castellae Villacastin, vir moribus, & litteris plane spectabilis, edidit Commentarios in XII. Prophetas Minores. In Epistolam ad Hebraeos. In Apocalypsin. De Templo, ac de pertinentibus ad Templum. Naturae debitum persolvit Salmanticae Anno MDCI.

FRANCISCUS RICHARDOTUS, honesto apud Burgundiones loco natus, cum Eremitarum S.P.Augustini Ordini nomen dedisset, tanta ingenii celeritate rerum Theologicarum notitiam acquisivit etiamnum adolescens, ut XX. aetatis suae Anno Lutetiae publice Paulinas epistolas magno audientium concursu explanarit. Deinde in Duacena Academia Philippi II. Catholici Regis auspiciis excitata primus Doctoris personam egit, eidem Regi a Concionibus fuit, & tandem Atrebatium Episcopus post Antonium Perenottum Cardinalem Granvellanum inauguratus, plurimum pro Ecclesia laboravit. Edidit autem prae ceteris in Orationem Dominicam Conciones VII. Commentarium in Evangelium *Missus est*, seu de Incarnatione Sermones IV. Annum agens LXVII. viram cum morte commutavit A.MDLXXIV.

FRANCISCUS LE ROY, Insulensis, Flander, Societatis Jesu, in Duacena Academia dudum Philosophiam, ac Theologiam professus, ac in pluribus Civitatibus Concionator insignis, edidit Templum Sapientiae, ubi de Salomonico Templo. Porticum Salomonis, ubi de eodem ad anagogiam: alia itidem Theologica opera dedit. Defunctus est A.MDCLXXX.

FRANCISCUS LA RUZ, Insulanus itidem, Flander, & Doctor Medicus, scripsit de Gemmis, quarum in Apocalypsi fit mentio, libros II. Vivebat Anno MDLXXXVIII.

S. FRANCISCUS SALESIUS, genere & natalibus Allobrox, ex nobilissima Salesiorum familia Anesii in Sabaudia natus, litteris & Sanctitate inlustris, Gebennensis Episcopus, proculdubio Episcoporum gemma, & S. Caroli Borromaei ultra Alpes parelion, novusque Apostolus, in revocandis ad Catholicam veramque religionem Calviniana labe infectos quot subierit labores, quot pertulerit aerumnas, certe nemo, qui Sanctorum acta vel eminus salutavit, ignorat. Omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret: plura edidit opera cum ascetica, tum polemica, tum etiam mystica. In Cantica Canticorum, & in Canticum *Magnificat* Gallice nobiles vulgavit spirituales commentarios. Et in plura Evangelii loca dogmaticam expositionem. Ad Superos evolavit Anno MDCXXIII. & Sanctorum fastis fuit adscriptus ab Alexandro VII. Anno MDCLXII.

FRANCISCUS SYLVIUS, Belga, a Brania Comitis, juvenis licet Duaci ad lauream Doctoralem promotus, Guillelmi Estii in Cathedra successor, necnon Academiae Vice-Cancellarius, Vir pius juxta ac doctus, Seminarii Praeses, & Canonicus Ecclesiae Collegiatae S.Amati, primique nominis Theologus, qui S.Thomae doctrinam, utpote S.Doctoris fidelissimus discipulus, ac strenuus ὑπέρασπιστὴς, & tradidit, & propugnavit, praeter Theologica, eaque ab Eruditis probata opera, quae publici juris fecit, in Sacram Scripturam quoque celebres dedit Tractatus, nimirum Commentarium in Genesim seorsim. Comentarios in IV. priores Libros Pentateuchi usque ad caput XXXIV. Numerorum. Scribendi, & pie vivendi semper invariatam consuetudinem tenuit ad extremum usque vitae diem, quem laetus adspexit Anno MDCXLIX.

FRANCISCUS TOLETUS, e Societate Jesu ad Cardinalitiam purpuram adsumtus, Cordubae in Hispania natus, & inter praeclaros Hispaniae ac Orbis Theologos non immerito cooptandus, praeter Philosophica, ac Theologica ab eo edita opera, dedit quoque Commentarios in XII. priora Capita Evangelii S. Lucae. In Evangelium S. Johannis. In Epistolam ad Romanos. In Psalmum XXXI. Romae ad meliorem vitam transiit Anno MDXCVI.

G

GABRIEL D'ACOSTA, Lusitanus, Domo ex Torresvedres, Doctor, & Canonicus Conimbricensis, ac Regi Catholico a Consiliis, edidit

Digitized by Google

dit Commentarios quinque in totidem Veteris Teſtamenti libros, nimirum in Caput XLIX. Geneſeos de Benedictionibus Patriarcharum. In Librum Ruth. In Threnos Jeremiae. In Jonam. In Malachiam. Vivebat Anno MDCXLI.

GABRIEL ALVAREZ, Societ. Jeſu, natione Hiſpanus, patria Oropeſanus, vir ſummae eruditionis, Typis mandavit Commentarios in Iſaiam duobus voluminibus comprehenſos. Octogenarius exivit e mundo Anno MDCXLVI.

GABRIEL FLAMMA, Italus, Venetus, Canonicus Regularis, a Gregorio XIII. ad Epiſcopatum Clodienſem promotus, plura Etruſco, alia Latino idiomate ſcripſit, praeſertim VI. Homilias ſuper *Miſſus eſt*. Notas in univerſa Biblia. Paraphraſin in Pſalmos. De Chriſto praeſignato librum unicum. Florebat Anno MDLXXVIII.

GABRIEL SIONITA, Syrus, Edenienſis, e Monte Libano, Theologiae Doctor, linguarum Syriacae & Arabicae Regius Pariſienſis Profeſſor, Pentateuchum, & hiſtoricos libros, Jobum, & Pſalmos ex Syro ſermone vertit. Libros Joſue, Judicum, Regum, & reliquos Veteris Teſtamenti ex Arabico Latinitate donavit, ediditque in Bibliis Polyglottis Pariſienſibus. Floruit Anno MDCL.

GASPAR CASALIUS, Luſitanus, Johanni III. Luſitaniae Regi a ſacris confeſſionibus, & ex Eremita Auguſtiniano Epiſcopus primum Leirienſis, deinde Conimbricenſis, in Concilio Tridentino Clarus, ſcripſit Commentarios in Matthaeum, Marcum, & Lucam. Florebat poſt dimidium XVI. Seculi.

GASPAR MELO, Auguſtinianus, natione Hiſpanus, Boeturicis natus, edidit Commentarium in Apocalypſin impreſſum Valliſoleti An. MDLXXXIX.

GASPAR SALZEDO DE AGUIRRE, Hiſpanus, Primarius Theologiae Profeſſor Beatienſis, edidit Alluſiones Novi ad Vetus Teſtamentum vulgatas Gienii MDCVIII.

GASPAR SANCTIUS, Societatis Jeſu, Hiſpanus, Centum-Puteolanus, Regius Complutenſis Primarius Sacrarum litterarum Profeſſor, pluribus voluminibus dedit Commentarios cum paraphraſi in IV. Libros Regum, Ruth, Eſdrae, Nehemiae, Tobiae, Eſther, Job, Machabaeorum. In Cantica Canticorum, quibus addidit expoſitionem Pſalmi LXXVII. Edidit quoque Commentarios in Iſaiam, Jeremiam, & Threnos ejus, Danielem, Ezechielem, & XII. Minores Prophetas. Seorſim iterum in Zachariam. In Actus Apoſtolorum. Praelo paratos reliquit commentarios in Sapientiae librum, & in Eccleſiaſtici Capita XXIV. Pius Sacerdos pia morte vitam coronavit Anno MDCIX.

GEORGIUS EDERUS, J. C. Triſigenſis, Maximiliani II. Caeſaris Conſiliarius, plura edidit opera, praeſertim tamen vulgavit Oeconomiam Bibliorum. Obiitque Anno MDXCIX.

GEORGIUS ESERUS, Germanus, Weyrenſis in Auſtria ſuperiori, Jeſuita, Vitae Chriſti Monoteſſeron Evangelicum conſcripſit. Claruit A. MDCLXX.

GEORGIUS MAYR, Germanus, Bojus, Jeſuita, trium linguarum peritus, Novum Teſtamentum Hebraice, Graece, & Latine edidit. Obiit MDCXXX.

GEORGIUS POLYDORUS, Etruſcus, Auguſtinianus, plura Epiſtolae ad Galatas loca commentariis ſuis inluſtravit. Lucae An. MDCXXV.

GERARDUS MOSANUS, Ord. Praedicatorum, Provinciae Theutonicae, Bibliothecam Homiliarum in Evangelia de Tempore & de Sanctis per Annum ex Patribus concinnatam ab Laurentio Cumdio perfecit abſolvit, & typis mandavit Lugduni Anno MDLXXXVIII. ſuperſtes tamen fuit Gerardus ad Annum uſque MDXCIX.

GILBERTUS GENEBRARDUS, Gallus, Arvernus, ex Monacho Cluniacenſe Ord. S. Benedicti, Theologo Pariſienſi & Regio Sacrae Scripturae interprete Archiepiſcopus Aquenſis, vir apprime Hebraice doctus, & acerrimus fidei hoſtium debellator, praecipue autem adverſus Hebraeos calamum acuit, eorum Thalmudicis libris viriliter confutatis. Edidit etiam commentarios in Cantica Canticorum, & in Pſalmos, additis etiam Jambicis verſibus ad expoſitionem adverſus Throchaicam Theodori Bezae paraphraſin. In Joëlem Prophetam cum adnotationibus trium Rabinorum. Chronologiae Sacrae librum unum. Chronographiae libros IV. quibus adjecti ſunt libri Hebraeorum eodem Genebrardo interprete. Aliaque plura edidit ad Hebraeos ſpectantia, quae omnia ſingillatim exhibet Antonius Poſſevinus, apud quem etiam eſt reperire alia ejuſdem Authoris, ſed diverſi generis, opera. Mortem ſubiit Anno MDXCVII.

GODEFRIDUS HEZMANT, Gallus, Bellovacenſis, Doctor Sorbonicus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiae Bellovacenſis, inſignis Eccleſiaſtes, & Viſitator laudatae Dioeceſeos, operam dedit editioni Polyglottorum Pariſienſium Vitrè. Morales etiam edidit reflexiones, ſeu ponderationes in Evangelium Matthaei. Naturae debitum rependit Anno MDCXC.

GUIDO LE FEVRE, Boderianus, Gallus, Graece, Hebraice, Syriace, & Chaldaice doctus, unuſque ex iis, qui Antuerpienſibus Polyglottis Bibliis operam navarunt, edidit Novum Teſtamentum Syriace cum verſione Latina, Grammaticam Chaldaicam, & Dictionarium Syro-Chaldaicum, Syriacae linguae prima elementa. Utque Baillet memoriae prodidit, diem complevit ultimum Anno MDXCVIII.

GUIDO TERRENUS, ſeu a Perpiniano, Quatuor unum, hoc eſt Concordiam Evangelicam cum commentariis edidit Coloniae MDCXXXI. pluries etiam ibidem deinde typis mandatam.

GUILLELMUS ADER, Anglus, inſignis Catholicus Medicus, edidit Tractatum de morbis Evangelicis (quem laudant etiam Proteſtantes, ut videre eſt *Tom. IX. Critic. Sacr.*) ut Chriſti virtutem ac Divinitatem ex miraculorm gloria & ponderе, praeſertim in ſupernaturali incurabilium morborum curatione, manifeſtaret. Floruit ineunte XVII. Seculo.

GUILLELMUS ALANUS, vulgo ALLEN, Anglus, Lancaſtrienſis, S.R.E. Cardinalis, Novum Teſtamentum cum aliis Anglice vertit A. MDLXXXII. & ad reformationem editionis Vulgatae Latinae a Gregorio XV. deputatus eſt. Viam univerſae carnis ingreſſus eſt Anno MDXCIV.

GUILLELMUS ALOTTUS, aliis ALLOLUS, Anglus, edidit Theſaurum Bibliorum utriuſque vitae antitodum, ſecundum utriuſque Teſtamenti hiſtoriam & veritatem, illudque vulgavit Antuerpiae Anno MDLXXVII.

GUILLELMUS BONJOUR, Gallus, Tholoſanus, Ord. S. P. Auguſtini, opuſculum edidit de nomine Joſeph, aliiſque Aegyptiacis nominibus. Romae ſuperſtes erat etiam Anno MDCCI.

GUILLELMUS COEFFETTAU, Gallus, Presbyter Secularis, & N. Nicolai Coeffettau germanus frater, inter Noſtros toto tempore vitae ad aſceſim, & ſolitudinem ſervandam convictor, ſub nomine N. Antonii Nicolai du Bois edidit explicationem Epiſtolae B. Judae, ut a se vel levem gloriae famam averteret, ſed eidem tanquam genuino Authori a Noſtris etiam, recto criterio, & veritate ſervata, fuit adjudicata, ut praeceteris videre eſt apud N. Jacobum Echardum. Vivebat laudatus Guillelmus Anno MDCXCVII.

GUILLELMUS ESTIUS, e patricia familia Gorgonii in Hollandia natus, Lovanienſis primum Doctor, deinde Duaci Profeſſor, Seminarii primus Praeſes, & illius Univerſitatis Cancellarius, inter Theologos nobilioris notae jure ſummo collocandus, ſed Chriſtiana pietate & Eccleſiaſtica perfectione inſignior, plura, eaque omnia cedro digna, edidit opera, praeſertim Commentarium in omnes Paulinas Epiſtolas,

Digitized by Google

las, quibus post ejus mortem ex suis met scriptis a Barth lomaeo Petri additi sunt commentarii in in VII. Canonicas Epistolas. Adnotationes in difficiliora loca Sacrae Scripturae. Lovanii non sine sanctitatis odore transivit ad Dominum Ann. MDCXIII.

GUILLELMUS LINDANUS, Belga, Dordraci ex parentibus Catholicis Patriciis Dordracenis ortus, Scientiarum & Christianae virtutis studio ab ipsa pene infantia deditus, ita in utroque profecit, ut brevi ad Theologiae, & linguarum, praesertim Graece, & Hebraicae pleniorem notitiam pervenerit: quare Lovanii Doctoralem lauream consecutus Decani Hagae-Comitani, Consiliarii Regii, & Episcopi Ultrajectini per Bataviam, Frisiamque Vicarii munus exercuit; deinde Ruraemundensium apud Geldros Antistes designatus & consecratus, facile non est effari quanta vigilantia & zelo suum paverit gregem, quotve pro eo tulerit labores. Gandensis tandem Episcopus institutus ita effulsit, ut ne dum Cardinalis Baronii, aliorumque inlustrium Romanae communionis Virorum, sed etiam Protestantium encomiis fuerit decoratus. Plura, eaque suspicienda, ne dum adversus Novatores edidit opera, sed etiam ad rem exegematicam pertinentia, nimirum De optimo genere interpretandi Scripturas Libros III. Panopliam Evangelicam, seu de Verbo Evangelico libros V. Paraphrasin, & Castigationes in Psalmum CXVIII. cum Isagoge, & Oratione Parascevastica. Psalterium Vetus a mendis 600. repurgatum, & de Graeco, atque de Hebraico fontibus inlustratum. Paraphrases in Psalmos XXX. priores. Paraphrases in Psalmos ad laudes antelucanas decantari solitos. Mysticum Aquilonem, seu declarationem Vaticinii Jeremiae: *Ab Aquilone pandetur omne malum*: Conciones varias in Evangelia cum Morales, tum dogmaticas. Glaphyram in Epistolas Apocalypticas S. Johannis Apostoli ad Episcopos Catholicos. Paraphrasim in VII. Psalmos Poenitentiales. Cur necessaria sit SS. Bibliorum castigatio? ad Gregorium XIII. De Hebraicis Quaestionibus. De Victoria Christi contra Judaeos, & Judaizantes Bibliorum interpretes. Paraphrasin in Psalmum *Exurgat Deus*. Paraphasin in Cantica Canticorum cum adnotationibus variarum lectionum, & trium linguarum. In osculo Domini mortuus est Anno MDLXXXVIII.

GUILLELMUS OONSELIUS, Flander, Antuerpiensis, Ordinis Praedicatorum, S. Theologiae Licentiatus Lovanii, & Magister in Ordine renunciatus. Vir vitae integer, doctrina, & eloquio clarus, fervidus differtusque Evangelii praeco, plura scripsit, sed praecipue Officinam Sacram Biblicam praecipuarum dictionum S. Scripturae ordine alphabetico. Hieroglyphica Sacra, idest de Sacris Arcanis divinae Sapientiae in Scripturis. Teneramundi rediens, & a Priore benedictionem petens religiosissimus Doctor, ad pedes Prioris exspiravit Anno MDCXXX.

GUILLELMUS SIRLETUS, Calaber, Scili in Regno Neapolitano natus, Theologus trium linguarum peritissimus, & S. R. E. amplissimus Cardinalis, Adnotationes confecit in varias Psalmorum Graecas lectiones, Adnotationes in Psalterium seorsim. Biblicum Apparatum, allaque opera, quae Nicolaus Toppius in Bibliotheca Neapolitana percensset. Denatus est Anno MDLXXXV.

GUNDISALVUS DE LA CERDA, Hispanus, Eques Ord. Militaris, qui dicitur *Alcantarae*, Philippo II. a Sacris, scripsit Commentarium in Epistolam ad Romanos, editum Ulysipone Anno MDLXXXIII.

H

HENRICUS AQUILIUS, Arnhemius, Geldrus, edidit Paraphrasin Orationis Dominicae Coloniae MDLXVIII. Progymnasmatum de Passione Domini Libros III. Daventriae MDLXV.

HENRICUS JONGHEN, Hasselensis, Eburo, Ord. Minorum S. Theologiae Lector Jubilatus, Concionator emeritus, Provinciae Diffinitor, inter alia, quae edidit, vulgavit brevem elucidationem litteralem Libri Job. Scribendis libris, & laboribus Monasticis attritus vivendi finem fecit A. MDCLXIX.

HENRICUS LUYTENS, Belga, Mechlinienſis, e Pastore Ecclesiae Parochialis S. Lamberti in Muysen Canonicus Ecclesiae Metropolitanae D. Rumoldi, edidit enarrationes in plura Evangelia Dominicalia. Obiit Anno MDXCIII.

HENRICUS MARCELLIUS, Societatis Jesu, natione Belga, patria Rosmalienſis, Philosophiam Mathesim, & Theologiam pluribus, eisque conspicuis, in locis docuit, pluraque edidit opera, praesertim, Canones explicandi Sacram Scripturam, & Commentarium in Librum Josue. Spiritum Deo reddidit Bambergae Anno MDCLXIV.

HENRICUS PHILIPPI, Societatis Jesu, Arduennas, ex fano S. Huberti, S. Theologiae Doctor, & Scholasticae ne dum, verum etiam Sacrae Scripturae Professor in Caesareis Academiis Graecensi, Viennensi, ac Pragensi, a studiis, & Confessionibus Ferdinando III. Hungariae Regi, plura edidit opera, praesertim Manuale Chronologicum Veteris Testamenti. Notas, & Quaestiones Chronologicas in Pentateuchum. Notas, & Quaestiones Chronologicas in Prophetas Majores, & Minores. Chronologiae Veteris Testamenti adcuratum examen. Spiritum efflavit Anno MDCXXXVI.

HENRICUS RAMPEN, Huensis, Eburo, Linguam Graecam, Philosophiamque Lovanii in Pedagogio Lilii docuit, Doctor deinde S. Th. & SS. Litterarum Professor, aliisque praeclaris muneribus in Belgio functus, edito Commentario in IV. Evangelia, simul cum concordia litterali, defunctus est Anno MDCXLI.

HIERONYMUS ALMONAZIR, Ord. Praedicatorum, Sac. Theologiae Magister, & in pluribus Academiis, Burgensi, Complutensi, ac Pinciana Professor, Graece, & Hebraice doctus, edidit Commentaria in Cantica Canticorum duobus Tomis comprehensa nimia eruditione referta, Compluti pie devixit Anno MDCIV.

HIERONYMUS BAPTISTA DE SELLAN DE LANUZA, Ord. Praedicatorum, natione Hispanus, gente Aragonus, insignis S. Th. Magister, in Caesarauguſtana Universitate SS. Litterarum Interpres, vir eximiae probitatis, Philippo II. Hispaniarum Rege nominante Episcopus Balbastrensis inauguratus, haud facile est effari, quanta vigilantia, qua prudentia, quove spiritu concreditum sibi gregem paverit, ac custodierit. Edidit autem varios Tractatus, variasque Homilias egregias in Evangelia Quadragesimae, & Festum Corporis Christi tribus voluminibus, Hispanico tamen sermone, sed Latio donata a F. Onesimo Kien Capuccino Yprense. Pius autem, & doctissimus N. Episcopus non sine sanctitatis odore, nec sine miraculorum fama mortuus est in osculo Domini Anno MDCXXX.

HIERONYMUS FLORAVANTIUS, Italus, Romanus, Societatis Jesu Sacerdos, edidit explanationes in nonnulla loca S. Scripturae. Decessit Anno MDCXXX.

HIERONYMUS LORETE, seu LAURETUS, Catalaunus, Cervariensis, Benedictinus Montis-Serrati, edidit Sylvam Allegoriarum S. Scripturae Anno MDLXX. & Genealogiam Virorum, ac Mulierum S. Scripturae MDLXVIII.

HIERONYMUS OSORIUS, *Senior* dictus ad differentiam alterius ejusdem nominis cognominisque, sui Nepotis, dicti propterea *Junioris* (de quo actutum) nobili genere Olysipone in Lusitania natus, Graece, & Latine nimium doctus, edidit commentariorum in Epistolam ad Romanos Libros IV.

Pa-

Digitized by Google

Paraphrasin in Jobum. In Psalmos. In Proverbia Salomonis. In Isaiam. Commentarios itidem in Parabolas Salomonis. In Oseam. In Zachariam. In Evangelium Johannis autem Orationes XXI. Alia quoque, & varii argumenti, opera edidit, quae in Bibliotheca Hispanica est legere. Vitam cum religiosissima morte commutavit Anno MDLXXX.

HIERONYMUS OSORIUS, alter, & *Junior* dictus, quia Senioris ex fratre nepos, Canonicus Eboracensis, edidit Adnotationes in Senioris Osorii Paraphrasin Psalmorum, & Cantici Canticorum cum aliis brevibus adnotationibus. Floruit A. MDXCII.

HIERONYMUS PRADUS, Bajocensis, Hispanus, Societatis Jesu Theologus, scripsit in priora XXVI. Capita Ezechielis. In posteriora autem scripsit Villalpandus (de quo infra) Alia itidem scripsit, quae P. Alegambe refert, inedita. Romae decessit Anno MDXCV.

HIERONYMUS SERIPANDUS, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, Neapolitanus, Trojae in Apulia natus (Neapolitanum Equitem eum dicit Nicolaus Toppius in *Bibliotheca Neapolitana*) insignis proculdubio, celeberrimusque S. Th. Magister, Aquilanus primum Episcopus, deinde nominante Carolo V. ad Salernitanam Ecclesiam evectus, & a Pio V. R. P. purpura decoratus, ad Tridentinam Synodum Legatus missus, notum est cunctis, quam spectabilis claruisque fuerit Ecclesiae universae. Commentarios edidit in omnes Paulinas, aliorumque Apostolorum Canonicas Epistolas. In eadem Tridentina Synodo diem clausit extremum A. MDLXIII.

HIERONYMUS VIELMIUS, Venetiis in Italia natus, & Orbi Litterario ex omnigena scientia clarus, Praedicatorum Ordinem professus, ibique lauream magistralem per omnes scholasticos agones adeptus, Romae & Patavii Cathedram regens, ceteros inter discipulos auditorem habuit S. Carolum Borromaeum, a quo utpote dilectissimus Magister tenero fovebatur amore. Argolicensis in Peloponeso inauguratus Episcopus Concilio Tridentino interfuit. Edidit librum de opere sex dierum. Commentarium in Epistolam ad Hebraeos. Ad Ecclesiam Eumoniensem evectus, eamque per XII. Annos moderatus, vivere desiit Anno MDLXXXII.

HILARION, Genuensis, Monachus Benedictinus, Congregationis S. Justinae, seu Casinensis, edidit Commentarios, seu animadversiones ad IV. Evangelia. Obiit Anno MDLXXXV.

HIPPOLITUS CARACCIOLUS, Neapolitanus Eques, ad Canonicos Regulares convolans, eximiusque Theologus ac Orator effectus, varias edidit Conciones, variasque Homilias, & diversi Argumenti Tractatus. Edidit praecipue Commentarium in illud *Ecce ascedimus Jerosolymam &c.* scripsit etiam de Mirabilibus Christi resurgentis. De Passione Domini. De victoriis Verbi Divini &c. quae omnia Typis Venetiis fuerunt commissa Ann. MDXCIX.

HONORIUS-JOSEPHUS BRUNET, Parisiensis, Carmelita, edidit Prolegomena in Sacram Scripturam, seu Quaestiones in Novum, & Vetus Testamentum. De libris Canonicis, & Apocryphis. Paucis fortasse ab annis fato cessit.

HUBERTUS PHALESIUS, Antuerpiensis, Coenobii Affligemiensis, O. S. Benedicti, edidit Concordantias Bibliorum variis locis expurgatas, cum praeambulis ad easdem Anno MDCXLII.

HYACINTHUS CHALVET, Gallus, Occitanus, Tholosae e nobili Chalvetiorum stirpe natus, & in Ordine Praedicatorum (cui nomen dedit) eximius Ecclesiastes, & insignis S. Theologiae Magister, inter plura, quae edidit, Theologica opera XII. Voluminibus comprehensa, dedit, quae V. Tomo extat, Cosmopaejam, sive Philologiam Sacram, in qua Opera sex dierum plene expenduntur. Seorsim edidit Vitam Jesu Christi. Et de Incarnatione Verbi. Mortem haud improvisam pius, doctusque Scriptor hilaris excepit Anno MDCLXXXIII.

I

JACOBUS-BENIGNUS BOSSUET, Divionensis in Gallia e praeclarissima stirpe natus, Sorbonicae, & Navarricae Academiarum Theologus insignis, ad Meldensem Episcopatum adsumtus plura scripsit, praesertim adversus Protestantes, quos viriliter confutavit. Edidit etiam expositiones in Psalmos. In Proverbia, Ecclesiasten. Cantica Canticorum, & Apocalypsin, quam praecipue adversus Heterodoxos Romanam Ecclesiam impetentes expendit, & ita erudite, ut etiam ex testimonio doctiorum Acatholicorum Grotii, Vossii, Chaumantii, aliorumque nimium ex ea fuerit Author commendatus. Explicationem specialem adjecit ad illud Isaiae VII. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium* ad Judaeorum confutationem, quo etiam ex momento ad repellenda sphalmata, & blasphemias eorundem peculiarem edidit commentarium in versiculos XVII XVIII. & XIX. Psalmi XXI. *Foderunt manus meas, & pedes meos* &c. Fere Octogenarius mortuus est A. MDCCIV.

JACOBUS BONFRERIUS, Societatis Jesu, natione Belga, patria Dionatensis, Doctor Duacenus, Theologiae simul, & Sacrarum litterarum Professor, edidit Commentarios in Pentateuchum una cum praeloquio ad S. Scripturae intelligentiam. In Josue. In Judices. In Ruth. In Libros Regum, & Paralipomenon. Onomasticum Urbium, & locorum S. Scripturae. Paratum reliquit Tomum alterum, quo ceteros historicos libros Esdram, Nehemiam, Tobiam, Judith, Esterem, & Machabaeos, explicabat: similiter Commentarios in Evangelia, Actus Apostolorum, Paulinas Epistolas, & Commentarium in Psalmos, jamque confecerat usque ad XXXIV. quando jam Coelo maturum mors occupavit Tornaci Anno MDCXLIII.

JACOBUS DE BORDES, Normanno-Constantiensis, Capuccinus, scripsit Paraphrasin, & expositionem omnium figurarum Apocalypseos duobus voluminibus. Obiit Anno MDCLXIX.

JACOBUS CORBIN, Gallus, Bituricensis, Catholico Regi a Sanctioribus Consiliis, Gallicam totius S. Scripturae translationem edidit, & Narrationem Parisiensis editionis Genevae peractae. De vita, morte, & resurrectione Jesu Christi Servatoris. Alia itidem opera edidit, quae Niceron, & Abbas le Clerc enumerant. Auream mortalitati coronidem posuit Anno MDCXLIII.

JACOBUS GORDONUS, Societatis Jesu, natione Scotus, Lesmoraeus, patria Aberdonensis, edidit Biblia Sacra cum commentariis ad sensum litteralem, & explicationem temporum, & locorum omnium, quae in Verbo Dei scripto habent obscuritatem, tribus Tomis comprehensa. Prope nonagenarius carnis trabeam deposuit Parisiis Ann. MDCXLI.

JACOBUS-HYACINTUS SERRY, Ord. Praedicatorum, Gallus, Toloni in Provincia natus, Sorbonicus Doctor, in Patavino Lycaeo primarius Sac. Theologiae Professor, politioris litteraturae, sublimiorique Theologiae Magister, ut ex operibus ejus, praesertim ex Historia de Auxiliis, colligere fas est. Exercitationes de Christo, & Deipara dedit, quas tamen ob asperiores quasdam criticas formulas Romanus Index notavit. Plura itidem MSS. reliquit, quae praelo subjicere nequivit morte praeceptus, esto septuagenario major, sed moerentibus cunctis Ordinum coetibus, Anno MDCCXXXVIII.

JACOBUS JANSONIUS, Amstelodamus, Lovanienſis Doctor, Theologiae, & Sacrarum Litterarum Professor, Decanus Ecclesiae Collegiatae S. Petri, plura edidit; quae in Bibliotheca Belgica est legere, praesertim Commentarios in Cantica Canticorum. Commentaria, & expositiones in Psalmos Davidicos. Expositionem iteratam in Psalmos a prio-

Ecce ri

Digitized by Google

ri diversam. Enarrationem in Prophetam Job. Victam Coccineam, seu Enarrationem Passionis Dominicae. Expositionem in Evangelium S.Johannis. Annos natus LXXVIII. non sine sanctitatis odore requievit in Domino Anno MDCXXV.

JACOBUS LATOMUS, Junior, Jacobi Latomi Senioris nepos, Belga, Lovanienſis Canonicus, Psalmos Davidis, Threnos Jeremiae, & Cantica versibus reddita typis Plantinianis publicavit, vixit ad decrepitam usque aetatem, & devixit A. MDXCVI.

JACOBUS LE LONG, Gallus, Parisinus, Congregationis Oratorii Domini Jesu Sacerdos, & Bibliothecae Parisiensis Domus Praefectus, Linguarum Orientalium peritissimus, improbo labore, sedulaque cura, innumeris perlustratis Bibliothecis, edidit Bibliothecam Sacram, qua omnes Bibliorum editiones versionesque adnotavit, ut perviam faceret ad Sacrae Scripturae notitiam semitam rectam. Syllabum quoque in posteriori parte tradidit eorum, qui Concordias, & Harmonias Evangelicas concinnarunt. Vivebat adhuc sub initium XVIII. Seculi.

JACOBUS LOBETIUS, Leodiensis, Societatis Jesu, Historicus, Theologus, & Orator, Philosophiae Professor Duacensis per plures annos, inter plura, quae edidit cum Theologica, tum Moralia, tum Concionatoria, edidit quoque Quaestiones Theologicas, historicas, & morales in Evangelia per totum Annum cum de Tempore, tum de Sanctis. Tractatum de Sacra Christi passione, & morte. Octogenarius obiit Leodii Anno MDCLXXII.

JACOBUS A LOGENHAGEN, Antuerpianus, Ordinis S.Salvatoris, seu S.Birgittae, edidit Commentarium in Epistolam Canonicam S.Jacobi. Et ex operibus S. P. Augustini confecit Commentarium in Evangelium S.Lucae. Decessit An.MDCXI.

JACOBUS MERCATUS, Monachus Silvestrinus, Italus, eruditus Theologus, Latine, Hebraice, & Graece doctissimus, edidit Hebraicae linguae Phraseologiam, & Commentarium in Cantica Canticorum Anno MDCXIII.

JACOBUS PAMELIUS, Belga, Brugensis Doctor, & Canonicus primum Lovanienſis, e nobili stirpe natus, in Vett.PP. lectione, Ecclesiae disciplina, & historia versatissimus, ut ex id genus pluribus ejus operibus publici juris factis colligitur, edidit etiam Catalogum Commentariorum Veterum Selectiorum in universa Biblia. Commentarium in librum Judith, & in Epistolam ad Philemonem. Archidiaconus Audomaropolitanus, & Propositus S.Salvatoris Ultrajecti institutus, quam sancte munus obierit, vel ex eo est conjicere, quia omnium suffragiis faventibus a Philippo II. fuit nominatus Episcopus Audomaropolitanus. Cujus rei gratia, dum Bruxellam cogitat, in montibus Hannoniae morbo, & morte corripitur Anno MDLXXXVII.

JACOBUS SALIANUS, Societatis Jesu, natione Gallus, patria Avenionenſis, edidit Annales Veteris Testamenti ab Orbe condito ad Christi adventum usque, & illorum epitomen seorsim. Octogenario major occubuit Anno MDCXL.

JACOBUS TIRINUS, Belga, Antuerpianus, Societatis Jesu, haud ignobilis Scriptor, candidi vir ingenii, multaeque, ac adcuratae eruditionis, edidit Commentarium in Novum, & Vetus Testamentum Tomis III. in quibus habentur etiam Chronicon Sacrum a condito Mundo usque ad excisam per Titum Urbem, & Templum Hierosolymitanum, Collatio antiquorum Ponderum, & Mensurarum cum modernis Italorum, Hispanorum, Belgarum &c. Explicatio idiotismorum linguae Hebraicae, & Graecae, qui saepius in Scripturis occurrunt, Et Controversiae, seu Quaestiones Fidei. Desiit agere in vivis Anno MDCXXXVI.

JACOBUS VELDIUS, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, natione Belga, patria Brugensis, Theologus Lovanienſis, & sui Ordinis Prior Provincialis, ac facundus Ecclesiastes; edidit Tabulas in Evangelia, & Epistolas Quadragesimales. Enarrationem Paraphrasticam Evangeliorum Quadragesimalium, Enarrationem Paraphrasticam Epistolarum Quadragesimalium. In Passionem Domini. Commentaria in Danielem Prophetam. In Threnos Jeremiae. Pro Fide Catholica in exilium ab haereticis ministris actus Audomaropoli obdormivit in Domino Anno MDLXXXIII.

INNOCENTIUS CYBO GHISIUS, Ordin. Praedicatorum, Italus, Ligur, Januensis nobilissima familia natus, Orator eloquentissimus, plura edidit opera, praesertim etrusco sermone conscripta, & prae ceteris Discursus in VII. Psalmos Poenitentiales II. Tomis, Gallice itidem versos a Johanne Baudovin. Scribere, & vivere desiit N. Author Anno MDCXII.

JOACHIM DE LA CHETARDIE, Gallus, Parisiensis, Parochus S.Simplicii, figuris aeneis incisis dedit Commentarium in Apocalypsin. Obiit ineunte Seculo XVIII.

JOACHIMUS HOPPERUS, Frisius, Snecae ex antiqua Hopperorum familia natus, Philosophus insignis, & Lovanienſis Jurisconsultus, ac Professor, quum plura ad Jus Caesareum spectantia scripserit, edidit quoque Paraphrasin & explicationes in Psalmos. Obiit Anno MDLXXVI.

JOHANNES ALBA, Hispanus, Carthusianus, omni eruditionis genere insignis, edidit Selectas adnotationes in varia Utriusque Testamenti difficillima loca. Vita functus est Anno MDXCI.

JOHANNES BAPTISTA DUHAMEL, Gallus, Vivensis in Dioecesi Bajocensi, Oratorii Domini Jesu Sacerdos, maximis animi dotibus excellens, inter alia, quae publici juris fecit, edidit Institutiones Biblicas, Notas ad Biblia Vulgata (quibus P.Taurmine Societatis Jesu addidit Tabulas Chronologicas, ac Geographicas) Commentarios in Psalmos, Libros Salomonis, & Ecclesiasticum cum textu, In Pentateuchum sine Textu. Octogenario senior occubit Anno MDCCVI.

JOHANNES BAPTISTA RICCARDO, Neapolitanus, Casertanus, Ord. Praedicatorum S. Th. Magister eruditissimus, Provinciae Regni Prior Provincialis edidit Commentarios Allegoricos in XV. Psalmos Graduales. Trabeam carnis deposuit Neapoli in suo Conventu S. Dominici Majoris Anno MDCLI.

JOHANNES BAPTISTA VILLALPANDUS, seu VILLAPANDUS, Societatis Jesu, natione Hispanus, patria Cordubensis, Hieronymo de Prado (supra laudato) in Ezechiele inlustrando, & Templo Salomonis describendo, delineandoque per Architecturae scientiam, qua plurimum excellebat, mutuas operas tradidit, addiditque ei commentarios in duo capita sequentia. Edidit etiam de postrema Ezechielis Prophetae visione Partem Secundam. Apparatum Urbis, & Templi Jerosolymitani. Romae occubit Anno MDCVIII.

JOHANNES BENCE, Gallus, Doctor Sorbonicus, edidit Manuale in omnes Paulinas Epistolas Lugduni MDCVIII.

JOHANNES BOUDINUS, Furnensis, Flander, Senator primarius in Patria, edidit eruditum Commentarium de Jesu Christi in terra versantis vita, rerumque gestarum gloria. Iterum Compendium de rebus externis ad Vitam Christi pertinentibus Antuerpiae Anno MDXCI.

JOHANNES BOURGESIUS, Malbodiensis, Societatis Jesu Philosophus ac Theologus inlustris, sed sanctimonia praesertim clarus, plura edidit, quae in Bibliotheca Belgica, & Societatis est legere, sed ad rem nostram Historiam & Harmoniam Evangelicam Tabulis, & Quaestionibus explicatam. Commentarios in Psalmos. Tempus cum aeternitate commutavit Anno MDCLIII.

JO-

Digitized by Google

JOHANNES DU BUISSON. *Vide Joh. Rusa.*

JOHANNES BUSTAMANTIUS, Hiſpanus, Complutenſis, & illius Univerſitatis primarius Medicinae Profeſſor, edidit Tomos II. de Animalibus S. Scripturae. Vivebat Anno MDXCV.

JOHANNES CAPETIUS, Belga, ex Pago de Ulcq in Inſulenſi Agro, Lovanii Profeſſor Philoſophiae, & Th. Licentiatus, ac Canonicus Eccleſiae Collegiatae S. Petri, plura edidit Polemica, Hiſtorica, & Moralia, praeſertim vero Commentarios in Pauli, & ceterorum Apoſtolorum Canonicas Epiſtolas. Obiit Inſulis Anno MDXCIX.

JOHANNES CNYFF, Patricii ſanguinis, Ulerajectinus, Ordinis Minorum, primus Epiſcopus Groëningenſis, Apoſtolici pectoris, ac ſpiritus; edidit Commentarios in Pſalmos *Miſerere*, & *De profundis*. Animam Creatori reddidit Anno MDLXXVIII.

JOHANNES COLUMBI, Societatis Jesu, Gallus, Manueſcae in Provincia natus, edidit Commentarium in S. Scripturam a Geneſi uſque ad finem Librorum Regum Anno MDCLVI.

JOHANNES DIAZ DE ARZE, Hiſpanus, edidit Tractatum de Studiis Bibliorum Anno MDCXLVIII.

JOHANNES-EVERARDUS FOULLON, Societatis Jesu, Leodienſis, Graece doctiſſimus, edidit Commentarios Hiſtoricos & Morales in II. Libros Machabaeorum. Ultimum complevit diem Anno MDCLXVIII.

JOHANNES-EUSEBIUS NIEREMBERGIUS, Germanis Parentibus Matriti in Hiſpania natus, & Societati Jesu adſcriptus, pietate pariter ac eruditione inluſtris, varia edidit opera ſaepius typis commiſſa, praeſertim de Origine Sacrae Scripturae, & Stromata Scripturae Sacra. Ad vitam mortis neſciam tranſivit Anno MDCLVIII.

JOHANNES FERDINANDUS, Ord. Praedicatorum, Hiſpanus, Villenſis in Aragonia natus, S. Th. Magiſter eximius, edidit Commentarium in Librum Eccleſiaſtae conlato Vulgato Textu cum Hebraico Anno Domini MDCXXI.

JOHANNES FERDINANDUS, alter, Toletanus, Societatis Jesu, Hebraice & Graece doctus, edidit Theſaurum Divinarum Scripturarum juxta PP. ſententias. Migravit a Seculo Anno MDXCV.

JOHANNES-GENESIUS DE SEPULVEDA, Hiſpanus, Cordubenſis, Canonicus Salmantinus, inter primarios Heſperiae Juris Conſultos, Theologoſque ſui temporis habitus, Caroli V. Hiſtoriographus, & Theologus, praeſertim edidit ex S. Ambroſio Commentarium in Cantica Canticorum. Vulgavit etiam quamplura cum Juridica, tum Theologica opera. Fato ceſſit Anno MDLXXI.

JOHANNES GUALVARRO, ET ARMENTA, Hiſpalenſis, Eremitarum S. P. Auguſtini S. Theologiae Magiſter, Latine edidit Homilias in Dominicas Adventus & Feſta occurrentia Anno MDCXVII. Hiſpanice Gloſſam moralem in Evangelia Quadrageſimae An. MDCXXII.

JOHANNES HAYUS, ſeu DE LA HAYE Ord. Minorum, Gallus, Pariſinus, primarius Theologiae Profeſſor, & poſtea Ludovici XIII. ac Reginae Eccleſiaſtes, edidit in Geneſim Commentarios, quibus praefixit Titulum *Arbor Vitae*. Edidit etiam Biblia Magna, ſeu Commentarios in omnes utriuſque Foederis libros ex Menochio, Sa, Gagnaeo, Tirino, & Eſtio. Tandem Maxima Biblia concinnavit, quibus adpoſuit etiam Lyrani expoſitionem, ſed detraxit Poſtillas Sa, ut adnotavit Calmetus. Obiit Anno MDCLXI.

JOHANNES A JESU MARIA, olim Johannes de S. Petro, natione Hiſpanus, patria Calaguritanus, Carmelita excalceatus, vir aeque pius ac doctus, edidit Librum Job paraphraſtice explicatum. Cantici Canticorum Interpretationem. Lamentationibus Jeremiae tres adjecit paraphraſes, hiſtoricam, allegoricam, & tropologicam. Expoſitionem dedit Pſalmorum XLI. LXXXIII. & CXXXVI. ut praeterea cetera ejus opera aſcetica myſtica & concionatoria. Terrenam vitam cum feliciori commutavit Anno MDCXIV.

JOHANNES ISAACUS, ex Hebraeo Chriſtianus, & Linguae Sanctae Profeſſor Colonienſis, ſcripſit defenſionem Veritatis Hebraicae Sacrarum Scripturarum. Emortualis ejus Annus fuit MDLXXVII.

JOHANNES LORINUS, Gallus, Avenionenſis, Jeſuita, edidit Commentarios in Leviticum, Numeros, Deuteronomium, & in Librum Pſalmorum tribus Tomis. In Eccleſiaſten. In Pſalmum LXIII. ſeorſim. In Sapientiam Salomonis. In Acta Apoſtolorum, & in Epiſtolas Canonicas. Vita functus eſt Anno MDCXXXIV.

JOHANNES-LUDOVICUS DE LA CERDA, Societatis Jesu, Toletanus, Theologicis nedum, ſed etiam Philoſophicis, ac humanioribus expolitus ſcientiis, plura edidit opera, quae univerſim ab Eruditis commendantur, praeſertim vero *Adverſaria Sacra*, quibus fax praefertur ad intelligentiam Sacrarum Scripturarum. Dedit etiam Pſalterium Graeco-Latinum cum Scholiis. Deceſſit octogenario ſenior Anno MDCXLIII.

JOHANNES MABILLONIUS, Gallus, Campanus, Benedictinus Congregationis S. Mauri, eximiae virtutis ſingulariſque eruditionis Aſceta, cujus opera nulla non mirabitur aetas, cetera inter, quae univerſim laudantur ab Eruditis, in Tractatu de Studiis Monaſticis praeſertim egit de Studio Sacrae Scripturae, ubi ad rem noſtram non levem, nec modicam ſuppellectilem, eſto ſtrictim, exhibet. Annos natus LXXVI. denatus eſt Anno MDCCVII.

JOHANNES MALDERUS, Belga, Leeuvvia, S. Petri Territorii Bruxellenſis municipio, honeſtiſque parentibus natus, pietate prudentia comitate doctrina & gravitate morum praeluxit, Lovanienſis S. Th. Doctor & Profeſſor, & Canonicus S. Petri, plurima ad Theologiam ſpectantia edidit, dedirque etiam Commentarios in Cantica Canticorum. Ad Cathedram Epiſcopalem Antuerpienſem adſumtus cum eam optime rexiſſet per Annos XXIII. Annos natus LXXI. ad mercedem ſuorum laborum ſtudiorumque fuit evocatus Anno MDCXXXIII.

JOHANNES MALDONATUS, Societatis Jesu, in ea Heſperiae parte natus, quae dicitur Magiſtratus S. Jacobi, in Regiis aedibus Theologus, Graece, Hebraice, & Latine doctiſſimus, adverſus Novatores ſcriptis nec dum, verum & diſputationibus inſignis fidei pugil, plura edidit Theologica opera, & in Sacram Scripturam Commentarios in IV. Evangelia. In IV. Prophetas Jeremiam, Baruch, Ezechielem, & Danielem. Expoſitionem in Pſalmum CIX. Plura meditantem vix quinquagenarium mors tulit e Mundo Anno MDLXXXIII.

JOHANNES MARIANA, Jeſuita, pariter, & Hiſpanus, patria Talabricenſis, Theologus, & Hiſtoricus inſignis, praeter Hiſtorica, Exegematica dedit, nimirum, de ponderibus, & menſuris. De die mortis Chriſti & Anno. Scholia brevia in utrumque Teſtamentum, ubi etiam Proverbia Salomonis, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum Elegiaco carmine reddidit. Exercitam ſenectutem perduxit uſque ad diem XVII. Februarias Ann. MDCXXIV.

JOHANNES MARTIANAY, Gallus, Occitanus, Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, trium Linguarum peritiſſimus, Pſalteria tria Gallice verſa cum notis literalibus, harmonicis, & ethicis dedit. Pro Hebraico textu, & Vulgatae Scripturae Chronologia Vindicias adverſus Pezronium edidit, & continuationem earumdem Vindiciarum contra Voſſium, & Pezronium. Vulgatam quoque Antiquam Latinam, & Italam verſionem Evangelii ſecundum Matthaeum promulgavit. Methodum

etiam

Digitized by Google

tuam explicandi Sacram Scripturam. Harmoniam Analyticam plurium ſenſuum Novi & Veteris Teſtamenti. Prodromum Biblicum expoſitionis Bibliorum ex ipſa met Divina Scriptura. Commentarium in Pſalm. *Exurgat Deus &c.* Ex ipſius S. Hieronymi operibus edidit Bibliothecam Divinam, ubi praecipue agit de libris Canonicis Novi, & Veteris Teſtamenti, variiſque Bibliorum verſionibus. Aliam Vulgatam editionem adorſus eſt vir inſignis, qui vivere in hac lacrymarum valle deſiit Anno MDCCXVII.

JOHANNES-MATTHAEUS CARIOPHILUS, Cretenſis, Archiepiſcopus Iconienſis, ex XXIII. Codicibus MSS. Graecis variantes Bibliorum lectiones congeſſit. Mortuus eſt Anno MDCXXXVI.

JOHANNES MIRANDA, Hiſpanus, Ord. Minorum, edidit opus de ſenſibus S.Scripturae Anno MDCXXV.

JOHANNES MORINUS, Gallus, Bleſenſis, e Calviniana ſecta ad Catholicam fidem vocatus a F. R. Cardinale Perronio, & Congregationi Oratorii Domini Jesu adſcriptus, peritiſſimus Orientalium linguarum, in Sacris Ritibus, & Eccleſiaſtica hiſtoria ad miraculum uſque eruditus, ut ex aliis ejus operibus liquido conſtat, edidit etiam Pentateuchum Samaritanum cum verſione Latina, in Bibliis Polyglottis Pariſienſibus, Biblia Graeca ex Latina juxta duplicem Romanam editionem vulgavit, & variantes lectiones ex Pentateucho Samaritano collegit. Edidit pariter ſuas Exercitationes Biblicas omnium ore laudatas. Exercitationes Eccleſiaſticas in utrumque Samaritanum Pentateuchum. Diatribam Elenchicam de ſinceritate Hebraei, Graecique Textus dignoſcenda, & animadverſiones in Cenſuram exercitationum ad Pentateuchum Samaritanum. Opuſcula Hebraeo-Samaritica, ubi extant Grammatica & Lexicon Samaritica. E mundo exivit vir gloriae immortalis Anno MDCLIX.

JOHANNES NEERCASSEL, Gorgomienſis, Batavus, & Oratorii Berulliani Sacerdos, doctrina non minus eximia, quam ſingulari pietate enitens, e Cathedra, & e ſuggeſtu docuit, Sacris Miſſionibus incumbens facile haud dictu eſt quos ſubierit labores, quotve ſparſerit ſudores in animarum ſalute promovenda, praecipue dum ab Alexandro VII. datus Coadjutor Archiepiſcopo Philippenſi Balduino Catzio Vicario Apoſtolico, ad fidem orthodoxam promovendam, ad abigendas haereſes, ad vitia extirpanda omnes intendit nervos, & artus. Caſtorienſis Epiſcopus conſecratus magis magiſque inſudavit, ut boni vigiliſque Paſtoris partes obiret inter tumultus illius aetatis Belgium perturbantes. Plura Polemica, ac Moralia opera dedit, ſed ad rem noſtram Tractatum de lectione Scripturarum. Diſſertationem de interprete Scripturarum. Laboribus fractus, aſceſi maceratus, meritis onuſtus ivit ad Dominum Anno MDCLXXXVI.

JOHANNES DE PARYS, Belga, Antuerpienſis, Jeſuita, Concionator inſignis, Margaritam Evangelicam, ſeu Vitam Chriſti ex IV. Evangeliis ordinate diſpoſitam vulgavit Antuerpiae MDCLXXVII. cum Auctario MDCLX. Obiit MDCLXX.

JOHANNES PASTRUIT, Dalmata, qui & Romae docuit, Hebraice, & Graece nimium peritus, Tractatum edidit de Siclis, aliiſque ad Sacrae Scripturae intelligentiam. Obiit Anno MDCCVIII.

JOHANNES-PAULUS PALENTERIUS, e Caſtro Bononienſi, Ord. Minorum Conventualium, Epiſcopus Laquedonienſis, Theologus eximius, edidit Commentarios in Pſalterium, & Libros Machabaeorum. Obiit Neapoli Anno MDCXIV.

JOHANNES-PETRUS DE VERHOST, Epiſcopus Arbis in Dalmatia, lucubravit Commentarium in Machabaeos, cui praefixit titulum *Sacrae militiae typus, & hiſtoria*, praemiſſis etiam Prolegomenis utilibus, ac eruditis. Florebat ineunte Seculo XVIII.

JOHANNES PINEDA, Hiſpalenſis, Societatis Jesu Theologus, edidit Commentarios in Jobum, ſimiliter Libros VIII. de rebus Salomonis, Commentarium in Eccleſiaſten, & Praelectionem in Cantica Canticorum. Devixit Anno MDCXXXVII.

JOHANNES PONTASIUS, Doctor Pariſienſis, volumen unicum edidit in Pentateuchum, ubi innumeras exegeticas quaeſtiones reſolvit, antitheſes in ſpeciem S.Scripturae conciliat, exactaque critice adtentis Hebraico, Chaldaico, Syriaco, Graeco, aliiſque textibus, rem totam expendit. Vivebat Anno MDCXCI.

JOHANNES REYNOLES, Gallus, Ord. Minimorum S.Franciſci de Paula, lucubravit Quaeſtiones litterales, & morales in Zachariam, quas typis mandavit. Morti ſuccubuit Anno MDCXXXI.

JOHANNES RUBUS, vernacule DU BUISSON, Hannonius, Belga, Viletanus ex agro Athenſi, Lovanii Philoſophiae, & Duaci S.Th.Doctor ac primarius Profeſſor, atque Academiae Cancellarius, typis mandavit Harmoniam Evangelicam. Facultatibus ſuis pauperibus erogatis ad coeleſte praemium tranſiit Anno MDXCV.

JOHANNES-STEPHANUS MENOCHIUS, Jeſuita, natione Italus, patria Papienſis, Latine ſcripſit brevem explicationem ſenſus litteralis totius Sacrae Scripturae Tomis II. comprehenſam. Hieropoliticae, ſeu Inſtitutionis politicae e Sacris Scripturis depromtae Libros III. Inſtitutiones Oeconomicae e Sacris litteris Libros II. De Republica Hebraeorum Libros VIII. Hiſtoriam Vitae Chriſti: Vale Mundo dixit Anno MDCLV.

JOHANNES-VINCENTIUS A S. MARTIALI, Lemovicenſis, Ord. Floriacenſis, edidit expoſitionem in Epiſtolam ad Philemonem. Abiit Anno MDCXLVIII.

JOSEPH DE LA CERDA, Hiſpanus, Matritenſis, Ordin. S. Benedicti, S.Theologiae Magiſter Salmanticenſis, varia edidit exegematica opera. De Maria. De Verbo incarnato. De S.Joſepho. Commentarium litteralem, & moralem in Hiſtoriam Judith. Requievit Anno MDCXLV.

JOSEPHUS-MARIA PERRIMEZZI, Ordin. Minimorum S.Franciſci de Paula, natione Calaber, Paulae in Regno noſtro natus, Theologus juxta, & Eccleſiaſtes inſignis, pro merito a Clemente XI. ad Ravellenſem Eccleſiam evectus, deinde ad Oppidenſem translatus; tandem dimiſſa Paſtorali cura, Archiepiſcopus Boſtrenſis renunciatus, & inſtitutus Examinator Epiſcoporum, & Qualificator S.Officii in Urbe, plura varii argumenti conſcripſit opera cum Latine, tum Italice; praeſertim ad rem noſtram Latine Opuſculum de natione Tortorum Chriſti. Similiter in Theologico Curſu ſex voluminibus comprehenſo, De Sacra Scriptura, ejuſque verſionibus, & authentica quidditate &c. Et Integro Volumine De Chriſto Domino in Evangeliis deſcripto, ubi de Evangeliorum veritate agit, & ex profeſſo De Chriſto, & Deipara Hiſtorice Dogmatice Scholaſtice ſcribit. Septuagenarius Romae obdormivit in pace Anno MDCCXL.

JOSEPHUS-MARIA THOMASIUS, Clericus Regularis Theatinus, natione Siculus, patria Alicatenſis, nobiliſſima ſtirpe e Principibus Coſyrae natus, S. R. E. Cardinalis ampliſſimus, litteris tamen, & ſanctitate, pluſquam ſanguine, & purpura Eminentiſſimus, cetera inter praeclara, quae edidit, opera, vulgavit Pſalterium juxta duplicem editionem Romanam, & Gallicam, ſeu Gothicam Francorum, cum Canticis: item Sacrorum Bibliorum, juxta editionem ſeu LXX. Interpretum, ſeu B.Hieronymi veterem, Titulos, ſeu Capitula, Lectiones, & Stichometrias ex majori parte ante annos mille in Occidente uſitata una cum antiquis prologis, argumentis &c. Sanctitatis, & Miraculorum fama inluſtris Mundum obiens devicit A. MDCCXIII.

JOSEPHUS-MARIA TRAINITUS, Meſſanenſis,

Digitized by Google

nenſis, Tertii Ordinis S.Franciſci, Theologus inſignis, ac humanioribus literis nimium expolitus, plura edidit, praeſertim Diſquiſitiones Biblicas, & Morales. Vivebat Anno MDCCXIV.

JOSEPHUS PATIN, Gallus, Delphinas, Ord. Praedicatorum, Avenionenſis, S. Theologiae Profeſſor, amoenioribus etiam delectatus Muſis, Poëta, & Orator inſignis, plura edidit, praecipue Theologiam Evangelicam, ſeu Tractatum de Vita, Morte, Reſurrectione, & Adſcenſione Chriſti. Theologiam Exegeticam, ſeu Tractatum de Sacris Bibliis. Vivebat Anno MDCCXX.

JOSEPHUS STEPHANUS, natione Hiſpanus, patria Valentinus, Epiſcopus Oriolanus, edidit Commentarios in Libros Machabaeorum, quos inſcripſit De ſacro bello Religionis cauſſa ſuſcipiendo. Clauſit lumina morti Anno MDCIV.

JOSEPHUS DE THAMAYO, Societatis Jesu, natione Hiſpanus, patria Hiſpalenſis, Miſſionarius, & Theologus conſpicuus, ſcripſit Expoſitiones Morales in Hexaëmeron. In Jobum litterales. Et adverſus errores Immanuelis Aboad Rabbini Synagogae Amſtelodamenſis. Vivebat Anno, quo Bibliothecam Societatis edidit P.Alegambe MDCLXXVI.

JOSEPHUS TURRE, Ligur, Genuenſis, Ord. Praedicatorum S. Th. Magiſter, typis mandavit Inſtitutiones ad Verbi Dei ſcripti intelligentiam quatuor Voluminibus comprehenſas, quibus ea omnia expendit, quae ad veritatem, authoritatem, authenticam conditionem, variaſque editiones Scripturarum pertinent, adnotatis etiam Heterodoxis, qui Divinae Scripturae libros ventilarunt, aut in dubium verterunt, aliiſque itidem expenſis, quae ad rem exegematicam pertinent, ſive Polemica ea ſit, ſive Hiſtorica. Vivebat Anno MDCCXII.

JULIUS ALENIUS, Italus, Brixienſis, Jeſuita, ob eruditionem Confucius Occidentis apud Sinas dictus, Vitam Chriſti, Paſſionem, & mortem ex IV. Evangeliſtis Sinice deſcripſit. Obdormivit in Domino Anno MDCXLIX.

JULIUS BARTOLOCCIUS, de Celleno, Etruſcus, Congregationis Reformatae S.Bernardi, Hebraicae linguae Profeſſor in Collegio Neophytorum Romae, & Abbas S.Sebaſtiani ad Catacumbas, Librum Tobiae ex Hebraeo, & Cantica Canticorum ex Chaldaeo Latinitate donavit. Edidit quoque Bibliothecam Rabbinicam, qua Rabbinorum dictis blaſphemias Hebraeorum retundit, eorumque inſaniam manifeſtat. Ingreſſus eſt viam univerſae carnis Anno MDCLXXXIII.

JULIUS ROGERIUS, Italus, Protonotarius, & Secretarius Apoſtolicus, Abbas Lamularum, apud Regem Poloniae Apoſtolica legatione functus, inter alia, quae typis mandavit, edidit opus de Libris Canonicis, & alterum De Senſibus Sacrae Scripturae. Vivebat Seculo XVI. labente.

IGNATIUS-HYACINTHUS AMAT DE GRAVESON, Ord.Praed.Gallus in Provincia natus ex nobiliſſima familia Marchionum de Graveſon, vir eximiae ingenuitatis, & exactioris obſervantiae cuſtos, omnibus ex morum ſuavitate charus, omnibuſque ex politiori Theologia, puriorique ſcientia ſpectabilis, ne dum inter Sorbonicos Doctores cooptatus, ſed etiam Romae inter Caſanatenſes Theologos adſcriptus Litterariam Rempublicam ſuis ſcriptis exornavit. Et ne a praeſenti materia pedem removeamus comendanda ſunt Tractatus de Myſteriis & Annis Chriſti, Hiſtoria Veteris Teſtamenti Diſſertationibus diſtincta, & Tractatus de Sacra Scriptura. Poſt mortem Benedicti XIII. cui chariſſimus erat, ad ſuos gentiles redux, ibique jam grandaevus migravit a Seculo Anno circiter MDCCXXXII.

ISAAC HABERTUS, Gallus, Pariſienſis, Epiſcopus Vabrenſis, edidit Pariſiis MDCLVI. Commentarios in utramque Paulinam epiſtolam ad Timotheum, & in poſtremas duas perpetua conſenſione. E vivis abiit Anno MDCLXVII.

ISAAC-LUDOVICUS LE MAITRE, vulgo DE SACI, Presbyter Gallus, nobili Pariſina familia natus, unuſque e Portus Regalis incolis, piis operibus, litterarum ſtudio, ac ſolitudini nimium addictus, Gallicam Bibliorum editionem dedit, (praecipue tamen verſionem Pſalmorum ex Hebraeo textu, & Vulgata verſione) cum ſuis eruditis Commentariis litteralibus, ac moralibus. Seorſim itidem Commentarium in Pſalmum *Beati immaculati* ad devotionem fovendam. Advertendum tamen eſt, quod Dominus de Saci, non omnia ex ſuo molitus eſt, ſed Thomas du Toſſe Rotomagenſis e ſuo contulit Jeremiam, Danielem, Ezechielem, & Evangelia. Reliquum vero Sacrorum librorum Alius e Saci ſchedis ornavit, De qua re conſulendi ſunt Dupinius, & Calmetus. Vivere autem deſiit Dominus de Saci Anno MDCLXXXIII.

L

LAELIUS BISCIOLA, Italus, Mutinenſis, a S. Ignatio de Loyola Romae in Societatem admiſſus, Graece doctiſſimus, & in Theologicis nimium verſatus, edidit Rerum in omni Philologiae genere excellentium duo volumina, quorum poſterius continet Obſervationum Sacrarum libros XII. Digreſſionum in Evangelia Matthaei, & Johannis, nec non in Epiſtolas ad Romanos, Galatas, & Hebraeos Libros IV. Edidit etiam Diſcurſus III. ſuper Epiſtolam Baruch Prophetae ad Hebraeos captivos in Babylonia. Grandaevus vivendi finem fecit Anno MDLXVIII.

LAELIUS TORRENTIUS, vulgo VANDER-BEKEN, Belga, Gandavenſis, ex Archidiacono Brabantiae in Eccleſia Leodienſi, illiuſque Principis Vicario Generali II. Antuerpienſium Epiſcopus, tandem III. Mechlinenſium Archiepiſcopus inſtitutus, in omni re litteraria, etiam in Poëſi eximius, ſcripſit de Partu Virginis Libros III. verſu Lyrico. De Vita S. Pauli Libros II. verſu Heroico. Bruxellis deceſſit Anno MDXCV.

LAEVINUS LEMNIUS, Ziriczaeus, Zelandus, Medicinae Doctor, quam XL. & amplius annis exercuit comitate, & charitate magna; ſed elata uxore Sacris initiatus Collegio Canonicorum S.Lebuini fuit adſcriptus. Cum plura ad rem medicam ſpectantia edidiſſit, dedit quoque Explicationem ſimilitudinum, ac Parabolarum, quae in Bibliis ex herbis, atque ex arboribus deſumuntur. Obiit Anno MDLXVIII.

LAURENTIUS BRANCATI, Ordinis Minorum Conventualium S.Franciſci, Neapolitanus, Laureae in Regno natus, Theologus primi nominis, primique ſubſellii, Canonum notitia plene eruditus, ob eminentem ſcientiam S.R.E. Cardinalium Collegio adſcriptus ab Innocentio XI.Rom.Pontifice. Cum eximia ediderit Theologica opera, vulgavit quoque Concordiam ex IV. Evangeliis contextam. Diem clauſit extremum Anno MDCXCIII.

LAURENTIUS DE PONTE, ſeu DE APONTE, Neapolitanus, Clericorum Regularium Minorum Theologus inſignis, edidit Commentarios, Paraphraſin, & Homilias in Librum Sapientiae. Commentarios litterales, & morales in Matthaeum. Vitam complevit Anno MDCXXXIX.

LEANDER A S.MARTINO, in ſeculo dictus Johannes Jones, Benedictinus, Anglus, Londinenſis, Doctor Duacenus, & Hebraicae linguae Profeſſor diſertiſſimus, Vicarius Generalis Congregationis Benedictinae Anglicanae, edidit Sacram artem ad Sacras Scripturas in promptu habendas memoriter. Conciliationem fere omnium locorum S. Scripturae, quae inter ſe pugnare videntur. Commentarium in Prologum S.Hieronymi. Inluſtrationem in Gloſſam ordinariam Nicolai Lyrani. Aenigma-

Digitized by Google

tum Sacrorum Pentadem. Diſceſſit ab Orbe Anno MDCXXIII.

LEANDER MONTANUS, ſeu A MURCIA, Capuccinus, Hiſpanus, edidit Commentarios in Eſtherem. Floruit circa dimidium XVII. Seculi.

LEO A CASTRO, Salmantinus, Doctor, & Canonicus Valliſoletanus, in Bibliorum nova editione Benedicto Ariae Montano ſocius, edidit Apologiam pro lectione Apoſtolica, & Evangelica, pro Vulgata S. Hieronymi, pro verſione LXXII. Interpretum, & pro omni Eccleſiaſtica lectione Bibliorum adverſus obtrectatores earum. Dedit quoque commentarios in Iſaiam, & Oſeam. Devixiſſe fertur Anno MDLXXXVI.

LEONARDUS COQUAEUS, Gallus, Aurelianenſis, Ord. Eremitarum S. P. Auguſtini, Theologus inſignis, Graece, Hebraice, Chaldaice, ac Syriace doctiſſimus, praeter Polemica, quae typis mandavit, edidit quoque commentarios in libros Eſdrae, & in Libros de Civirate Dei S.P.Auguſtini. Reſolutionis ejus dies fuit Anno MDCXXI.

LEONARDUS MARIUS, Goëſanus, Zelandus, S.Theologiae Doctor, & Colonienſis Profeſſor, Graece, & Hebraice non vulgariter doctus, plurimis in Hollandia apud Catholicos muneribus functus, pluribuſque laboribus pro Orthodoxa fide vindicanda promovendaque adtritus, non paucos ad veram Chriſti Eccleſiam evocavit, inter quos Jodocum Vondelium, Poëtam celeberrimum, & Jacobum Ouzelium, Reformatorum Miniſtrum, alioſque multos inter potiores ac ditiores Amſtelodamenſium familias. Praeter Polemica plura, quae alieno nomine vulgavit, edidit Commentarium in Pentateuchum. Scripſit quoque Adnotationes doctiſſimas in Univerſa Biblia, quarum prope XX. volumina MSS. hodieque adſervantur in Bibliotheca Collegii D.Pulcheriae, ſive Hollandici, in Academia Lovanienſi. Annos natus LXIV. de Eccleſia Dei optime meritus, curſum ſuum conſumavit Anno MDCLII.

LIBERTUS FROMONDUS, Haccurianus, Eburo, Doctor Lovanienſis, Profeſſor Ordinarius, Regiuſque Sacrarum litterarum Interpres, Cornelio Janſenio ad Yprenſem Cathedram evecto in Theologica Cathedra ſuffectus, ne dum inſignis Philoſophus, ſed Matheſeos, & Aſtronomiae, aliarumque ſcientiarum peritus, in pauperes munificentia inſignis, & pietate haud vulgari inluſtris, Decanus Collegiatae S. Petri Lovanii, & Praeſes Seminarii Leodienſis, plura edidit variique argumenti opera, quae in Bibliotheca Belgica adcurate percenſentur, praecipue autem Commentaria in S.Scripturam in duas partes diſtributa, quarum prima continet Epiſtolas S. Pauli, & VII. Canonicas aliorum Apoſtolorum: Pars altera habet Actus Apoſtolorum, Apocalypſin B.Johannis Apoſtoli, & Canticum Canticorum. Aetatis ſuae Anno LXVI. quod mortale erat non ſine gloria depoſuit Anno Domini MDCLIII.

LUCAS PINELLI, Amalphitanus, in Regno Neapolitano, Societatis Jeſu, Theologus, & in Lotharingia publicus Profeſſor, plura Aſcetica, & Theologica edidit. Vulgavit quoque Tractatum de Chriſto, & Deipara, quo utriuſque vitam ex Patribus concinnavit. Migravit a Seculo vir pius, & doctus Anno MDCVII.

LUCAS WADDINGUS, Hibernus, Waterfordienſis, Ordinis Minorum eruditiſſimus Scriptor, Theologus, & Hiſtoricus inſignis, exhibuit etiam Concordantias Bibliorum. Occubuit An. MDCLV.

LUDOVICUS ALCAZAR, Hiſpalenſis, Jeſuita, edidit Opuſculum de ponderibus, & menſuris S.Scripturae. Itidem veſtigationem arcani ſenſus in Apocalypſi, & in eas partes Veteris Teſtamenti, quas reſpicit Apocalypſis, videlicet Cantica Canticorum, Pſalmos quamplures, multa Danielis Capita, & plura aliorum librorum. Peregrinationis tempus explevit Anno MDCXIII.

LUDOVICUS AQUINUS, ex Judaeo Catholicus, Gallus, edidit notas Gallicas in librum Eſtheris Pariſiis MDCXXIV. quas Dupinius, & Colmaſius exiſtimant eſſe verſionem Hebraici Commentarii R. Salomonis Jarchi.

LUDOVICUS DE BAR, Gallus, Senonenſis, Subdiaconus Apoſtolicus, Paſſionem Chriſti ex IV. Evangeliſtis contexuit Anno MDXCI.

LUDOVICUS FERRAND, Gallus, Tolonenſis in Provincia, doctrina ſimul, & probitate nitens, Hebraice peritus, Pariſienſis Parlamenti (ut ajunt) Advocatus, aliiſque muneribus inſignitus, edidit Paraphraſin in VII. Pſalmos Poenitentiales. Librum Pſalmorum cum argumentis, paraphraſibus, & adnotationibus Innocentio XI. R. P. nuncupatum, nec non Pſalterium Latinum Gallice verſum: & Diſſertationes Prolegomenicas in Scripturam. Vivere deſiit Anno MDCXCIX.

LUDOVICUS A S.FRANCISCO, Ord. Minorum, Luſitanus, ſcripſit ad Ferdinandum Mediceum tunc S.R.E. Cardinalem, & Ordinis Protectorem, poſtea M. Etruriae Ducem, librum cui titulus: Globus, & Canon Arcanorum linguae Sanctae, ac Divinae Scripturae, editum Romae MDLXXXIX.

LUDOVICUS GRANATENSIS, Hiſpanus, a patria ſic dictus, Ordinis Praedicatorum, de quo repetere lubet, quod N. Echardus ſcripſit: „ Vir „ toto Orbe nominatus, de quo facile illud uſurpes, „ fama ſuper ethera notus. „ Theologus conſpicuus, Aſceta inſignis, Eccleſiaſtes eximius, plura edidit in S.Scripturam, praeſertim Poſtillas, & Homilias in Evangelia de Tempore, & de Sanctis. Paraphraſin in Pſalmum quinquageſimum. Explicationem Parabolarum Evangelicarum. Plura alia lucubravit opera ad Myſticam, Aſceſin, Conciones, & Polemica ſpectantia, pluribuſque etiam honoribus, dignitatibus ac Infulis lubentiſſime nuncium miſit vir eximiae virtutis, ſed praeſertim humilitatis, & regularis obſervantiae exactiſſimus cuſtos, qui meritis, & annis plenus Olyſipone tranſivit ad Dominum Anno MDLXXXIV.

LUDOVICUS-ELLIES DU-PIN, Gallus, Pariſienſis Presbyter, & Doctor, e veteri Normannica familia originem ducens, vir inſignis utique litteraturae, quamvis Critices aſperioris, quo ex momento plura ejus opera in Indice Romano notantur, plura ſcripſit, quae omnibus ſunt notae, praecipue in S.Scripturam Prologomena, Praeliminarem etiam Diſſertationem, quam praepoſuit novae Bibliothecae Authorum Eccleſiaſticorum. Notas in Pentateuchum. Pſalmorum interpretationem Latinam Vulgatam ad Hebraicum textum accomodatam, & alia quae in ejus Bibliotheca paſſim occurrunt. Annos natus LXII. Denatus eſt Pariſiis Anno MDCCXIX.

LUDOVICUS LEGIONENSIS, ſeu DE LEON, Hiſpanus, Ord. Eremitarum S.P.Auguſtini, Graece, & Hebraice doctus, Sacrarum litterarum in Salmanticenſi Academia publicus Interpres, praeter Quaeſtiones Theologicas, & III. Libros de Chriſti nominibus, Librum vulgavit de Utriuſque Agni, Typici, & Veri immolationis tempore, nec non Commentarium eximium in Cantica Canticorum, quem ſummis laudibus Martinus del Rio extollit. Mortem ſubiit Anno MDXCI.

LUDOVICUS MARACCIUS, Italus, Lucenſis, Congregationis Matris Dei Sacerdos, plae converſationis, praecipue erga Deiparam ſingularis devotionis, quo ex momento cum plura de eadem ſcripſerit, Bibliothecam quoque Marianam edidit, Vertit Novum Teſtamentum Arabice, & Univerſa Biblia Arabica recognovit vir doctus in eadem lingua peritiſſimus, ejuſque Profeſſor. In vivis erat Anno MDCLII.

LUDOVICUS DE MIRANDA, Hiſpanus, Pincianus, Ordinis Minorum, Theologus haud vulgaris, plura moralia, diverſique argumenti opera, ty-

Digitized by Google

cypis mandavit, praesertim vero Tractatum de sensibus S. Scripturae in XXVI. Quaestiones divisum. Romae aderat Anno MDCXII.

LUDOVICUS DE SOTO MAJOR, Ordinis Praedicatorum, natione Lusitanus, patria Olysiponensis, clara nobilique stirpe natus, S. Theologiae Cl. Magister, Angliam primum missus ad restituendam in ea fidem, deinde ad Tridentinam Synodum Theologus, tandem in Conimbricensi Universitate Sacrarum litterarum Interpres, edidit Commentarios in Cantica Canticorum. Item in eadem Cantica notas posteriores, & breviores. Commentarium in I. & II. Paulinam Epistolam ad Timotheum, nec non in ejusdem Apostoli epistolam ad Titum. MSS. reliquit lecturas in Jobum, in Partem Psalmorum, in Evangelium Lucae, & Johannis, sicut & alia, quae a Nostratibus laudantur. Dierum & laborum plenus ad finem vitae pervenit Anno MDCX.

LUDOVICUS TENA, Baeticus, Accitanus, S. Theologiae Doctor Complutensis, & Episcopus Detrusanus, edidit Isagogen in totam S. Scripturam, sive de S. Scripturae existentia, quidditate, & qualitatibus, de integritate Textus Hebraici, de Translationibus, deque singulorum librorum authoritate, Authoribus, & idiomate, quo scripti sunt. Vivebat Anno MDCXX.

LUDOVICUS THOMASSINUS, Oratorii Domini Jesu, seu Berulliani, Sacerdos, Aquis in Provincia natus, vir eximiae virtutis, animique moderationis, ac humilitatis, eximiae in pauperes charitatis, Theologus eruditissimus, & in pluribus Seminariis Professor insignis, Historiae Ecclesiasticae, Sacrorum Canonum, Veteris, & Novae Ecclesiae Disciplinae peritissimus, ut ex ejus operibus perspicuum est: Hebraice & Graece doctissimus Tractatum edidit de methodo incumbendi studio Bibliorum, nec non Glossarium insigne, ubi ex Hebraeo velut ex radice exoticarum omnium linguarum voces deduxit. Innocuum spiritum Deo reddidit Anno MDCXCVII.

LUDOVICUS DE VERA, Limae apud Occidentales Indos natus, & Ordini B. Mariae de Mercede adscriptus, illiusque Ordinis ibidem Vicarius Generalis, edidit Commentarios in IV. Libros Regum Anno MDCXXXV.

LODOVICUS YSTELLA, Ord. Praedicatorum, Hispanus, Valentinus, bis totius Ordinis Vicarius Generalis, Theologus Cl. sub Paulo V. etiam Palatii Apostolici Magister, edidit Commentarios in Genesim, & in Exodum. Elenchum quoque in Evangelia, quae per Anni circulum in Ecclesia leguntur. Romae defunctus tumulatus fuit in Ecclesia S. Mariae super Minervam ad gradus Arae Principis Anno MDCXIV.

LUPERCIUS DE HUETE, Ordinis Praedicatorum, Aragonus S. Theol. Magister, Sacrarum litterarum studiosissimus, edidit expositionem Metaphrasticam in I. Caput Geneseos ex PP. Sacris DD. & Scholasticis Theologis. Mortuus est Anno MDC.

M

MARCELLUS BARONE, Neapolitanus, Ord. Praedicatorum, Congregationis S. Mariae Sanitatis, S. Theologiae Magister, nec ignobilis Poëta, edidit opusculum Chronologicum de exacto Annorum computo a Creatione Mundi ad Christum usque, quo totius S. Scripturae Chronotaxis explicatur. Obiit Anno MDCXCIV.

MARCUS DE LA CAMERA, Complutensis, Ord. Minorum, edidit Quaestionarium conciliationis simul, & expositionis locorum difficilium S. Scripturae Anno MDLXXXVII.

MARCUS MARINUS, Italus, Brixianus, Canonicus Regularis S. Salvatoris, Hebraice doctus edidit Commentarios in Psalmos. Grammaticam Hebraicam, & Thesaurum linguae Sanctae Anno MDXCIII.

MARCUS-VITUS PISA, Ord. Minorum Siculus, Claromontanus, Dioecesis Syracusanae, edidit Sermones super Psalmum L. *Miserere* Messanae MDLXXXIX.

MARINUS MERSENNAS, Gallus, Cenomanensis, Ord. Minimorum S. Francisci de Paula, linguis, & mathematicis instructus, prolixum edidit Commentarium in sex priora Geneseos Capita, seu potius Quaestiones in difficiliora & celebriora hujusce libri loca, potissimum ad Atheos philosophicis adsertionibus convincendos. Plura alia, eaque erudita, varii argumenti opera edidit, quae legere est apud P. Hilarionem de Coste, Perrault, Niceron, & alios. Naturae debitum persolvit An. MDCXLVIII.

MARIUS A CALASIO, sic dictus ab oppido nativo, quod inter Samnitum Montana non longe ab Aquila in Regno Neapolitano distat, Ordinem Minorum de Observantia professus ita in divinis litteris, ac linguis Orientalibus profecit, ut facilius Hebraice quam Italice loqueretur. Paulo V. charus in Urbe Sanctae Linguae Magistrum ac Doctorem egit singulari elogio adhuc post mortem in Bibliotheca Vaticana clarus. Edidit Grammaticam Hebraicam. Canones Generales linguae Sanctae. Dictionarium Hebraicum. Concordantiarum Sacrorum Bibliorum Tomos IV. praegrandes, in quibus Chaldaicae etiam concordantiae librorum Esdrae, & Danielis suo loco inseruntur, deinde post Thematum, seu radicum omnium derivata, & usu latius deducta, ac linguarum Chaldaicae, Syriacae, & Arabicae, vocabulorumque Rabbinicorum cum Hebraicis convenientium, Latina ad verbum versio adjungitur: demum ad ultimi Tomi calcem nomina propria Sacrorum Codicum novo ordine diriguntur. Septuagenarius & ultra, Romae Sacris Ecclesiae ritibus expiatus munitusque Psalmos Hebraice concinens perlecta coram se Christi passione obdormivit in pace Anno MDCXX.

MARTINUS-ANTONIUS DEL RIO, Societatis Jesu, origine quidem Hispanus, sed natione Belga, patria Antuerpiensis, Hebraice, & Chaldaice doctus, Philosophus, Poëta, Theologus, & Orator, plura edidit varii argumenti opera, sed ad rem nostram, Commentarios in Cantica Canticorum. In Threnos Jeremiae. Adagialia Sacra e Veteri Testamento. De difficilioribus, & utilioribus S. Scripturae locis. Ad extremam horam devenit A. MDCVIII.

MARTINUS BECANUS, Societatis Jesu, Hilvarenbeca Campaniae Brabanticae municipio oriundus, Theologus lectissimus, Ferdinando II. Caesari a Confessionibus, plura scripsit Theologica, praesertim contra Heterodoxos. Edidit etiam Analogiam Novi, & Veteris Testamenti. Viennae Austriae vivere desiit Anno MDCXXIV.

MARTINUS EISENGRENIUS, Germanus, Praepositus Veteris Oetingae in Bavaria, & Pro-Cancellarius, edidit Postillam Evangeliorum Dominicalium & Festivorum Coloniae A. MDLXVII. Et Postillam Catholicam in Evangelia totius Anni, Ingolstadii MDLXXVI.

MATTHAEUS GALENUS, Westcappellius, in Walachria Zelandia, Duacenus Doctor, Thologiae, & linguae Sanctae Professor, & deinde ejusdem Universitatis Cancellarius, edidit Commentarium in Epistolam Pauli ad Hebraeos, Homilias Catecheticas, & innumera alia optimi argumenti opera typis mandata post ejus mortem, quae accidit Anno MDLXXIII.

MATTHAEUS PETIT DE DIER, Gallus, Monachus Benedictinus Congregationis S. Vitoni, vir eruditissimus, quem praesens suscepit, ac suspexit Seculum, quum plures alias lucubrationes dederit, exhibuit quoque Dissertationes Historico-Critico-Chronologicas in Libros Veteris Testamenti. De Statu, & imperio Reipublicae Hebraeorum, ubi libros

Digitized by Google

bros Agiographos omnes expendit, omniaque ab Adamo ad Christum usque occurentia ad trutinam revocavit, nec non quaestiones difficiliores eo spectantes resolvit. Florebat initio hujusce seculi toti Orbi litterario apprime notus.

MATTHIAS CHEFNEUX, Leodius, Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, saepius Prior, & S.Th. Professor, Ecclesiastes facundus, qui tamen ex humilitate nullos Accademicos gradus suscipere voluit. Edidit Explanationem in Psalmos. Speculum Chronographicum Ecclesiae Catholicae ab Origine mundi ad Christum usque. Floruit Anno MDCLXX.

MATURINUS QUADRATUS, Ebroicus, Ordinis Minorum, Doctor Parisiensis, edidit Homilias in Joëlem, Commentarios in Amos, & Conciones in Malachiam. Superstes adhuc erat Anno MDLXXXIII.

METELLUS CARACCIOLUS, Jesuita, Neapolitanus, clarissimo sanguine ortus, sed scientia clarior, edidit commentarios in Isaiam Prophetam III. voluminibus comprehensos, Inter mortales esse desiit Anno MDCLI.

MICHAEL AMATO, Neapolitanus, Regius Curatus Castri novi, seu majoris Arcis, vir omnigenae eruditionis, suavisque conversationis, plures edidit Dissertationes, & ad Divinam Scripturam spectantes sunt De descensu Christi ad inferos. De loco inferni ad illud Apocalypseos XVI. De duplici Calice in ultima Coena a Christo adhibito ad illud Lucae XXII. Opusculum etiam de Opobalsamo, ubi agit de Vineis Engaddi, & de Balsamo in Scripturis indicato. Plura meditabatur studio deditus Sacerdos, sed quia itidem animarum curae sedulo incumbebat, ex munere contracto morbo immaturus utique, sed laetus mortem excepit Anno MDCCXXVIII.

MICHAEL GHISLERUS, Romanus, Clericus Regularis Theatinus, Agellii discipulus, Orientalium linguarum peritissimus, dedit Commentarios in Cantica Canticorum, Concinnavit etiam Catenam Veterum PP. Graecorum, aliorumque DD. in Jeremiam, & Baruch. Vivebat adolescente XVII. Seculo.

MICHAEL DE MAROLLES, Gallus, a vico natali in Provincia Turonensi nuncupatus, Abbas Villalupensis, Novum & Vetus Testamentum vertit, addiditque notas litterales & eruditas pluribus libris, necnon tres Canones adjecit pro integra Bibliorum versione, & explicatione Geneseos, Exodi, & Levitici. E vivis excessit Anno MDCLXXXI.

MICHAEL DE PALATIO, Hispanus, Granatensis, in Salmanticensi Academia Theologiae Professor, praeter alia scholastica opera typis mandata edidit etiam Commentaria in Isaiam Prophetam Anno MDLXXII.

MICHAEL PALUDANUS, Belga, Gandavensis, Ord. Eremitarum S. P. Augustini, Lovaniensis Doctor, a primis aetatis pubescentis annis adulti ac maturi ingenii judiciique, voce stiloque elegans, Ecclesiastes etiam conspicuus, inter alia edidit Sacram, & Theologicam Chronologiam & Concordantiam temporum Regni Juda, & Israël a Saule ad Cyrum usque. Occubit Lovanii Anno MDCLII.

N

NATALIS ALEXANDER, Ord. Praedicatorum, Gallus, Neustriae, Rotomaginatus, & inter Primores Sorbonae Doctores adscriptus, Philosophiae, etiam, Rethoricae, Historiae Sacrae, ac profanae, Criticus, Sacrarum Scripturarum, Canonumque Ecclesiae peritissimus, cui certe ut similem pariant Secula laborabunt plurimum, quem propterea nedum Orthodoxi eruditi, sed ipsi doctiores Acatholici suspiciunt, laudantque. Inter innumera, quae reliquit, sui ingenii monumenta, eaque omnia certe inlustria, laudanda in praesentiarum occurrunt Historia Veteris Testamenti duobus Voluminibus comprehensa, qua etiam quaestiones ad eam spectantes resolvuntur. Expositio litteralis & Moralis in IV. Evangelia. Commentarius absolutissimus in XIV. Paulinas Epistolas, & in VII. Canonicas aliorum Apostolorum Epistolas. LXXXVI. Annos natus vir magnae pietatis ac doctrinae denatus est Anno MDCCXXIV.

NATALIS-AUBERTUS VERSE', Gallus, e Calvinismo, & Socinianismo ad Catholicam Ecclesiam evocatus, omnes intendit nervos, ut finistras Jurieu in Apocalypsin explicationes confutaret, quapropter eam dilucide, catholice, eruditeque explicavit duobus in eam editis Commentariorum Tomis. In sinu Ecclesiae defunctus est A. MDCCXIV.

NATALIS TAILLEPIED, Gallus, Ordinis Minorum, Doctor Parisiensis edidit Commentarios in Threnos Jeremiae Parisiis MDLXXXVIII.

NICOLAUS ABRAMUS, natione Lotaringus, patria Xerovallaeus, Jesuita, inter cetera, quae vulgavit, opera, edidit Pharum Veteris Testamenti, sive Sacrarum in Divinum Foedus Quaestionum libros XV. Religioso fine quievit Anno MDCLV.

NICOLAUS DU BOIS (natione Belga Doctor Lovanienfis, ut scribit Augustinus Calmetus, quamvis in Bibliotheca Belgica nullimode pictum sit ejus nomen) dedit Lectiones Academicas in Acta Apostolorum. Florebat Anno MDCLXVI.

NICOLAUS CHARPI, de S. Cruce, Gallicum Commentarium in Apocalypsin exhibuit. Mortuus est Anno MDCLXX.

NICOLAUS LOMBARDUS, Societatis Jesu, natione Gallus, patria Macerienfis ad Mosam, Nehemiam, & Esdram commentario Litterali, Morali, & Allegorico inlustravit. Mortalitati cessit A. MDCXLVI.

NICOLAUS RICCARDI, Ord. Praedicatorum Italus, Ligur, Januam habuit patriam, eruditione magna polluit, quare a Philippo III. dum eum coram se concionantem audivit, Monstrum adpellatus, insigniſque Theologiae Magister pluribus in locis eam docuit, ac per plures annos in Conventu Minervitano Romae in munere primarii Regentis, donec ab Urbano VIII. Sacri Apostolici Palatii Magister fuerit institutus. Quamplura etiam edidit, diversique argumenti, opera, quae praesertim Leo Allatius commendavit, praecipue Commentarios in omnes Scripturae libros cum glossis & paraphrasi ab ipso sex dierum opere, quorum nonnulli fuerunt impressi Romae Anno MDCXXXIII. Tractatum de optimo genere interpretandi Sacram Scripturam. Novum Commentarium in Cantica Canticorum de B. Virgine Maria, aliaque. Romae robusta adhuc aetate, annos vix LIV. natus, apoplexia correptus mortalitatem implevit, suorum, Aulaequae Romanae moerore A. MDCXXXIX.

NICOLAUS SERARIUS, Societatis Jesu, Lotharingus, patria Rambervillanus, in Dioecesi Metensi, Latine ne dum, sed Graece, Hebraice, & Syriace doctus, plura edidit ad Sacram Scripturam pertinentia, nimirum, De Jesuanis Sacerdotibus. De Poenitentia Salomonis. De Nahamano Syro. De Herode. De Apostolis. De S. Paulo. De Juda Proditore. Commentarios in Josue. Judices. Ruth. Tobiam. Judith. Esther. Machabaeos. Omnesque Canonicas Epistolas. Dedit etiam Prolegomena Biblica. Migravit a Seculo Anno MDCIX.

NICOLAUS TALON, Societatis Jesu, natione Gallus, patria Molinensis, edidit Historiam Sanctam totius Veteris Testamenti in IV. Partes distributam Anno MDCLV.

NICOLAUS LE TOURNEUX, Gallus, Rothomagensis, Prior Villarensis edidit expositionem literalem & ascenticam in Epistolam ad Romanos excusam Parisiis Anno MDCCII. Ipse vero annos natus XLVI. decessit An. MDCLXXXVI.

NICOLAUS TOYNARD, Gallus, Aurelianensis, ex inlustri familia natus, linguarum Orientalium, & rei antiquariae peritissimus Harmoniam Grae-

Digitized by Google

Graecam IV. Evangeliſtarum concinnavit, adpoſuitque praefationes ſingulis Evangeliis; Chronotaxin quoque temporum ad limam, & trutinam revocavit. Ad terminum ſuae peregrinationis pervenit Anno MDCCVI.

O

OCTAVIANUS DE TUFO, Neapolitanus, Societatis Jesu, edidit commentarium in Eccleſiaſticum, Mortem incurrit Anno MDCXXXIX.

OLIVERIUS BONARTIUS, Jeſuita, Belga, Yprenſis, edidit commentarium in Eſtherem, & Eccleſiaſticum. Fato ceſſit Anno MDCLV.

P

PAULUS MEDICE, Etruſcus, Liburni natus ex parentibus Hebraeis, ab eiſque per circumciſionem & doctrinam legis Synagogae adſcriptus, ſed divina miſerante clementia annos natus XVI. ad Chriſtianam fidem evocatus luſtralibuſque undis expiatus, ſincero conſtantique animo Chriſtianae Religioni adhaeſit, ſacriſque initiatus verbo, & calamo Hebraeos impugnavit Theologus & Eccleſiaſtes haud ignobilis, ac Florentiae linguae Sanctae Profeſſor. Plura edidit ad Divinam Scripturam pertinentia, nimirum etruſco idiomate Dialogos in Sacram Scripturam. De Ritibus Hebraeorum, alioſque Tractatus etiam Latine editos ad confirmandam fidem ex textibus Divinae Scripturae, vel etiam ad enucleanda vocabula Divini Foederis, eaque ad linguam Sanctam ſpectantia. In confeſſione verae fidei pia morte mundum commutavit Anno MDCCXXXIX.

PAULUS MINERVA, Ordinis Praedicatorum, & filius Conventus S. Dominici Majoris Provinciae Regni, Apulus, Barii in Neapolitano Regno natus, Philoſophus, & Theologus inſignis, Graece, & Hebraice peritiſſimus, inter alia, quae edidit, vulgavit opuſculum de Nehomeniis perpetuis Salomonis. Neapoli in ſuo Conventu in ſenectute bona dies ſuos complevit die Sancto Thomae Aquinati ſacro Anno MDCXLV.

PAULUS PALACIOS, ſeu DE PALACIO SALAZAR, Hiſpanus, Granatenſis, Theologus, & Eccleſiaſtes inſignis, edidit Commentarium in Eccleſiaſticum. In XII. Prophetas Minores. In Evangelium Matthaei. Vivere deſiit vir doctrina non minus quam pietate celebris Anno MDLXXXII.

PAULUS YVO DE PEZRON, Abbas Ciſtercienſis, natione Gallus, Hennebon in Armoricis natus, S. Facultatis Pariſienſis Doctor, cum profanae, tum ſacrae eruditionis laude clariſſimus, edidit librum de antiquitate temporum contra Judaeos, recentioreſque Theologos. Commentarium litteralem in Prophetas, pluresque Pſalmos. Hiſtoriam Evangelicam, Judaeorum, ac Romanorum hiſtoriis inluſtratam. Tractatum de lingua Hebraica. Hiſtoriam verſionis LXXII. Interpretum. Gallicam verſionem Geneſeos, & Latinum commentarium in Geneſin. Hiſtoriam Apoſtolicam, aliaque plura ad Eccleſiaſticam, Divinam, & profanam Hiſtorias ſpectantia, quae Dupinius, & Niceron percenſent, praecipue Hiſtoriam Criticam eorum, qui Commentarios in utrumque Teſtamentum ediderunt. Abdicata a ſe Abbatiali dignitate, ut liberius poſſet ſacris ſtudiis operam navare, LXIII. annos natus ad communem hominum metam devenit Anno MDCCVI.

PAULUS SHERLOGUS, Jeſuita, natione Hibernus, patria Waterfordienſis, nobilitate ſanguinis, & doctrinae coruſco inluſtris, edidit Antiloquia in Salomonis Cantica, & Commentarium in Cantica Canticorum. Antiquitatum Hebraicarum Dioptram, ſeu de Republica Hebraeorum. De antiquitatibus Biblicis. Solutus e corporeis vinculis abſceſſit Anno MDCXLVI.

PETRUS ALOIS, Societatis Jesu, Neapolitanus, edidit Commentariorum in Evangelia Quadrageſimae Tomos III. Octogenario major vivere deſiit Anno MDCLXVI.

PETRUS BACHERIUS, vulgo DE BACKERE, Gandavenſis, Ord. Praedicatorum, Lovanienſis Doctor, Theologus, Poëta, Orator, & praecipue in Heterodoxos fervidus facundusque declamator, edidit Tractatum ſuper Orationem Dominicam. Homilias in Epiſtolas Quadrageſimales. Homilias in Evangelia per Annum, aliaque plura Theologica. Lovanii annos natus LXXXIV. quod mortale eſt reddidit terrae Anno MDCI.

PETRUS CALVUS, Ordin. Praedicatorum, gente Luſitanus, patria Portuenſis, S. Th. Magiſter, & Philippi III. & IV. Hiſpaniarum Regum Eccleſiaſtes, inter plura, quae edidit, opera, typis mandavit duo volumina Homiliarum in Evangelia totius Anni. Claruit ſurgente Seculo XVII.

PETRUS CANISIUS, Societatis Jesu, Noviomagi apud Gelros natus, vir doctrina praeſtans, ſanctitate inluſtris, verbo efficax, haereticorum malleus rite recteque audit, quum plurimum verbo, & ſcripto pro Eccleſia laboraſſet, plura reliquit inluſtria ſui animi monumenta, praeſertim Commentarium de Verbi Dei corruptelis adverſus Magdeburgenſes Centuriatores. Notas in Evangelicas Lectiones, quae per totum annum Dominicis, Feſtiviſque diebus in Eccleſia recitantur. Migravit ad Chriſtum MDXCVII.

PETRUS-DANIEL HUETIUS, Gallus, Cadomi ex nobili ſtirpe natus, Sveſſionenſis primum, deinde Abricenſis Epiſcopus, linguarum Latinae, Graecae, & Hebraicae callentiſſimus, omnigenaeque eruditionis, cum ſacrae, tum profanae Doctor, plura edidit opera. Quae autem nunc laudanda occurrunt, ſunt Origeniana in Sacram Scripturam. De navigatione Salomonis. Demonſtratio Evangelica. De ſitu Paradiſi. De Claris interpretibus. Floruit labente XVII. Seculo.

PETRUS IMPENS, Belga, Lovanienſis, Sac. Th. Baccalaureus, Canonicus Regularis Ord. S. Auguſtini ad S. Martinum Lovanii, prae ceteris edidit Hiſtoriam Veteris, ac Novi Teſtamenti carmine deſcriptam Anno MDCLVIII.

PETRUS A JESU MARIA, ſeu DE LASERNA, Hiſpanus, Ordinis Excalceatorum S. Mariae de Mercede, edidit commentarium in Apocalypſin. In vivis erat Anno MDCXXXIII.

PETRUS LOYCX, Turnhoutanus, Protonotarius Apoſtolicus, & ad S. Willebrordum in ſuburbano Antuerpienſi Paſtor, variae multaeque virlectionis, edidit Commentaria in Pſalmum CXVIII. *Beati immaculati*. Obiit Anno MDCXLVI.

PETRUS DE MARCA, Gallus, Bearnenſis, Archiepiſcopus Pariſienſis, typis inter alia mandavit Diſſertationes in Genealogiam Chriſti. De Magis adoratoribus. Receſſit ab Orbe MDCLXII.

PETRUS MONTANUS, Parvvetanus, quod eſt celebre municipium Gallo-Brabantiae, ex Rectore Lovanienſis Academiae S. Franciſci inſtitutum amplexus, pro fide tuenda cum Fratribus ſuis e Belgio exul multa pertulit, edidit quoque Commentaria in VII. Pſalmos Poenitentiales, & Enarrationem Dominicae Paſſionis ſecundum IV. Evangeliſtas. Obiit Anno MDLXXVIII.

PETRUS PICHIUS, Ordin. Praedicatorum, Umber, Trebias patria, S. Theologiae Magiſter inſignis, ac facundiſſimus Orator, non modo Hebraicae, ſed plurium linguarum, & diſciplinarum peritiſſimus, ab Paulo V. ad Hebraeos in Urbe Concionator datus, quorum plures ad fidem, & Sacrum Baptiſma perduxit, typis dedit ſequentes Tractatus Latine. De partu Virginis Deiparae adverſus Haebreos. Italice Epiſtolam ad Hebraeos ex Dei Verbo Meſſiam jam veniſſe probantem. Tractatum de Paſſione Meſſiae. Et de ſtolidis Hebraeorum placitis cum confutationi-

Digitized by Google

bus. Obiit Anno MDCXXXVII.

PETRUS PITHAEUS, Dominus Savoyedic, Gallus, Trecis in Campania ex nobiliſſima progenie natus, U.J.D. & in utraque Hiſtoria eruditiſſimus, edidit opus de Latinis interpretibus, nec non de Claris editoribus Bibliorum. Alia itidem opera typis mandavit. Devixit Anno MDXCVI.

PETRUS POSSINUS, Jeſuita, Narbonenſis, Graece, & Hebraice doctus, & Sacrarum litterarum Profeſſor, quum plurima lucubraverit opera, edidit etiam Catenam Graecorum Patrum in S.Marcum. Anno MDCXXXIII.

PETRUS DE ROXAS, Hiſpanus, Ordinis Minorum, edidit de Concordia Evangeliſtarum libros duos Matriti MDCXXI.

PETRUS SERRANUS., Epiſcopus Caurienſis, natione Hiſpanus, ſcripſit Commentarios in Leviticum. In Ezechielem. Et In Apocalypſin. Dormivit cum Patribus ſuis Anno MDLXXVIII.

PETRUS SIMONIS, Flander, Tiletanus, & II. Iprenſis Epiſcopus, doctrina clarus, & in Lovanienſi olim Academia Profeſſor, cum varia edidiſſet opera Theologica, dedit quoque in Sacram Scripturam varios Tractatus, nimirum, De Epiphania Domini. De puero Jesu cum Doctoribus in Templo diſputante. De Chriſto transfigurato. De differentia partus Evae, & Mariae Virginis. Requievit in pace A.MDLXXXV.

PETRUS STEVARTIUS, Belga, Leodienſis, Profeſſor Ingolſtadienſis, edidit brevem explicationem VIII. priorum Capitum Epiſtolae ad Romanos. Diſputationem deſumtam ex III. prioribus capitibus I. ad Timotheum. Analyſin priorum capitum Epiſtolae ad Hebraeos. Commentarios in duas ad Corinthios. In epiſtolam ad Philippenſes, & in poſteriorem ad Timotheum. In I. Canonicam Jacobi. Plenus dierum ac meritorum obiit Leodii An.MDCXXI.

PETRUS THIRAEUS, Soc. Jesu, Noveſius, Germanus, plura edidit opera, quae Poſſevinus percenſet, nimirum ex Biblicis, De apparitionibus Chriſti filii Dei novi Teſtamenti Mediatoris, & Commentarios in Novum Teſtamentum. Pro catholica fide adverſus haereticos mire certavit, exiitque de mundo circa An.MDCX.

PETRUS-VINCENTIUS MARSILLO, Caeſarauguſtanus, Patre Senatore natus, Benedictinis Monachis adlectus, & Compoſtellanus Profeſſor inſtitutus, edidit Paraphraſin in Pentateuchum Anno MDC.

PHILIPPUS BOSQUERIUS, Ord. Minorum, Montibus Hannoniae natus, a Juſto Lipſio ob ejus pietatem ac eruditionem ſumme laudatus, plura edidit tribus Tomis comprehenſa, praeſertim Homilias plures in Vitam, & Paſſionem Jesu Chriſti, Naturae debitum ſolvit Aveſnis in Hannonia A.MDCXXXVI.

PHILIPPUS CADURCUS, Gallus, e parentibus heterodoxis natus, illorumque erroribus diu detentus, Dei gratia inluſtratus, & Romanae communioni adſcriptus, Galliarumque Regi a Secretis inſtitutus, plura exegetica edidit, nimirum Commentarium in Job. Adnotationes in verſus 16. 17. 18. Cap.IX. Epiſtolae ad Hebraeos. Similiter Gallice vertit Libros Job, & Salomonis: edidit quoque diſſertationem in Genealogiam Jesu Chriſti. Vivebat Anno MDCXLV.

PHILIPPUS GUADAGNOLO, Neapolitanus, inter Clericos Regulares Minores cooptatus eximiae probitatis, ac literaturae ſpecimen praebuit, Graece, Latine, Hebraice, Chaldaice, & Arabice doctiſſimus, Sacro Purpuratorum Collegio, & Urbano VIII. percharus, Novum Teſtamentum Arabice vertit: alia itidem plura dedit, quae Nicolaus Toppius refert. Terram reliquit Anno MDCLVI.

PHILIPPUS MASSARIA, Panormitanus, Jeſuita, edidit Vitam Servatoris noſtri J. C. e libro Pſalmorum, juxta Veterum Patrum interpretationem in ordinem hiſtoriae diſpoſitam, & adnotationibus inluſtratam. Dies ſuos explevit Anno MDCLV.

PLACIDUS MENENSIS, Siculus, Menenſis, Soc. Jesu, doctrina & pietate conſpicuus, praeſertim erga Deiparam ſingulari devotione adfectus, plura de eadem Domina ſcripſit, praeſertim edidit expoſitionem litteralem, & myſticam Canticorum Salomonis. Expoſitionem in Threnos Jeremiae: & Meditationes in aliquot Scripturae loca. MSS. reliquit Meditationes morales in Geneſim, Libros Regum, Paralipomenon, Tobiae, & duos Machabaeorum, in Actus Apoſtolorum, nec non in Oſeam, Michaeam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Agaeum, Zachariam, Baruch. Expoſitiones in Pſalmos, & Iſaiam, ac fere in omnes libros Novi Foederis. Videſis Cl. Mongitore *Bibliot. Sicul. T. II.* Non ſine ſanctitatis odore, omniumque dolore Panormi deceſſit A.MDCXXXVI.

PROTHASIUS HENRIET, Gallus, Franciſcanus Recollectus, edidit Harmoniam Evangelicam cum notis literalibus, & moralibus: eamque in tot partes diviſit, quot ſunt Apocalypſis ſigilla, nempe VII. atque in tot capita, quot ſunt Davidis Pſalmi, nimirum CL. Dormivit cum Patribus ſuis Anno MDCLXXXVIII.

R

RAYMUNDUS PASQUEL, Ord. Praedicatorum, Barcinonenſis, Theologus tota Aragonia clarus, coactus tandem edidit Commentaria in Epiſtolam ad Hebraeos Barcinone MDCXCVII.

RICHARDUS SIMONIUS, Congregationis Oratorii Berulliani Presbyter, Normannus, Dieppenſis, linguarum Orientalium peritiſſimus, edidit Hiſtoriam Criticam Novi, & Veteris Teſtamenti. Diſquiſitiones Criticas. Hiſtoriam Criticam praecipuorum Commentariorum in Novum Teſtamentum. Bibliothecam Criticam. Novorum Bibliorum polyglottorum ſynopſin. Gallicam Pentateuchi, ac novi Teſtamenti verſionem. Vir certe eruditus, & cum laude ſuſpiciendus, ſed in aliquibus caute nimium legendus, quum novas quaſdam, eaſque aſperiores tenuerit opiniones ab univerſo Eruditorum coetu haud probatas, & ex novitate a pluribus ventilatas: quare Cardinales de Noailles Archiepiſcopus Pariſienſis, & Jacobus-Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in ſuis reſpective Eccleſiis Simonii operum lectionem interdixerunt. Vide quae de eo ſcribunt eruditi Critici praeſertim Dupinius, & Calmetus. Obiit autem Simonius Anno MDCCXII.

ROBERTUS BELLARMINUS, e Societate Jesu, S. R. E. Cardinalis, natione Italus, patria Politianus, Marcelli II. Romani Pontificis ex Sorore nepos, Archiepiſcopus Capuanus, Hebraice, Graece, & Latine doctus, magnae exiſtimationis Theologus, praeſertim quia adverſus Novatores e primis calamum movit. Edidit de Verbo Dei ſcripto contra Heterodoxos. De Septem Verbis Domini e Cruce pendentis. Commentarios in Pſalmos, & Grammaticam Hebraicam. Piiſſimus, juxta ac doctiſſimus Cardinalis in Domino quievit Ann.MDCXXI.

ROCHUS MAMEROT, Ord. Praedicatorum, Gallus, Autiſſiodorenſis, S.Th. Magiſter, & Sorbonicus Doctor, Catholicae fidei adverſus Calvinianos ſtrenuus pugil, & Mariae Stuartiae Jacobi V. Scotiae Regis filiae unicae haeredi, unique Franciſci II. Regis Francorum uxori a Conſiliis, & Confeſſionibus, inter alia edidit Homilias in Jonam, & in Evangelia Adventus, & Nativitatis Domini. Anno MDLXXXVII. Spiritum reddit Creatori.

RODERICUS DOSMA DELAGADO, Hiſpanus, Pacenſis, Salmantinus Doctor, & Philippi II. Hiſpaniarum Regis Chronographus, Hebraice, Graece, Latine, Chaldaice, & Syriace peritus, edidit Tomos II. de ſpectantibus ad Sanctorum Evangeliorum cognitionem. Paraphraſin in Pſalmos, & in Cantica Canticorum cum adnotationibus, & ſcholiis,

Digitized by Google

lisſ, nec non de authoritate S. Scripturae Tractatum dedit. Defunctus eſt ante Annum MDCVII.

S

SALVATOR DE LEON, Hiſpanus, Murcienſis, edidit Commentaria in XV. priora Capita Eccleſiaſtici Antuerpiae MDCXL.

SAMUEL LOYAERTS, Arthenovius, Brabantus, Doctor Lovanienſis, edidit Enodationes Evangeliorum de Tempore, & de Sanctis Tomis VI. Commentarium Flandricum in Cantica Canticorum. Deceſſit Anno MDCXIV.

SCIPIO SGAMBATUS, Jeſuita, Neapolitanus, Graece, & Hebraice doctus, edidit Archivorum Veteris Teſtamenti Libros III. nimirum de rebus ad Deum ſpectantibus. De primis Parentibus. De viris inluſtribus Veteris Teſtamenti. Alia itidem in S. Scripturam MSS. reliquit, quae fortaſſe Socii edent in vulgus, ſicut noviſſime Archivorum opus fuit Neapoli typis commiſſum Anno MDCCIII. Obiit autem Sgambatus Anno MDCLII.

SEBASTIANUS BARRADIUS, Societatis Jesu, natione Luſitanus, patria Olyſiponenſis. Theologus, & Eccleſiaſtes inſignis, edidit Commentariorum in Concordiam, & Hiſtoriam Evangelicam Tomos IV. Itinerarium filiorum Iſraël ex Aegypto in Terram promiſſionis. E vivis ereptus abiit Anno MDCXV.

SEBASTIANUS BRAVO, Hiſpanus, patria Methymnenſis, Ordinis Praedicatorum, ſcripſit Commentarios in utrumque Teſtamentum ex expoſitionibus S. Thomae Aquinatis, ſed ſolum I. Pars continens Commentarios in Pentateuchum fuit typis mandata. Carnis molem depoſuit Anno MDCVIII.

SEBASTIANUS PEREZ, Baeticus, Epiſcopus Uxamenſis, edidit opus de ſenſibus S. Scripturae Burgis MDLXXXVII.

SERAPHINUS CAPPONI, a gentilitio agnomine vulgo PORRECTA dictus, Italus, Bononienſis, Ord. Praedicatorum, Theologus primi nominis, & in quampluribus Univerſitatibus Anteceſſor inſignis, praeter alia Theologica edidit Poſtillas in Vetus Teſtamentum, ex cujus monumentis heterodoxos ventilavit. Commentarios etiam in IV. Evangelia, praeſertim ad anagogiam pertinentes, ut nimirum contra haereticos veritatem fidei propugnaret. Tandem non ſine Sanctitatis odore, nec ſine miraculorum fama Bononiae, ubi etiam veluti Sanctus colitur, ſancto fine quievit Anno MDCXIV.

SILVESTER PETRASANTA, Italus, Romanus, Societatis Jesu, omni genere litterarum inſtructus, qui etiam quamplura lectu digna vulgavit opera, edidit Sacras Bibliorum metaphoras, & ex iis documenta morum. Vitam hanc pia morte concluſit Anno MDCXLVII.

SIMON DE MUIS, vel MAROTE, Gallus, Aurelianenſis, Archidiaconus Sveſſionenſis, linguae Sanctae in Pariſienſi Academia Profeſſor, linguas fere omnes calluit, qua de cauſſa dicebatur ex joco nullibi natus, qui omnium linguis loquebatur: ſcientiis & virtutibus ornatus, comitate inſigni praeditus nulli unquam diſplicuit, in vultu ejus itidem leporibus, & gratia ridentibus, cunctis chariſſimus fuit. Edidit commentarios in Geneſim, ubi integrum fere Pentateuchum expoſuit. In Pſalmos. In Selecta Veteris Teſtamenti Cantica. Opus itidem vulgavit inſcriptum *Varia Sacra*, quo difficillima loca a Geneſi ad Librum Judicum uſque expendit. Novam Vulgatam editionem ad Hebraicum Textum dedit, & adverſus Johannem Morinum de veritate Hebraici textus ſcripſit. E lachrymarum valle probus, & jucundus homo diſceſſit Anno MDCXL.

STANISLAUS SOKOLOVIUS, Polonus, Canonicus Cracovienſis, & Stephani Battorii Regis Theologus, ac Eccleſiaſtes, plura dedit Theologica, & Aſcetica opera. Exegetica autem quae edidit ſunt: Notae Evangelicae in Matthaeum, Marcum, & Lucam. In Chriſti Domini mortem ponderationum librum, cui titulum adjecit: *Juſtus Joſeph*. Scripſit etiam de ultimo excidio Hieroſolymitano. Floruit labente XVI. Seculo.

STEPHANUS FIRMANUS, Italus, Canonicus Regularis Lateranenſis, circa Annum Domini MDLXX. edidit materna lingua Enarrationem in Apocalypſin, Latine redditam Antuerpiae Anno MDLXXXI.

STEPHANUS SALAZAR, Hiſpanus, Granatenſis, ex Eremita Auguſtiniano Monachus Carthuſianus ab Anno aetatis ſuae XXXVIII. Commentarium in Evangelium S. Matthaei concinnavit. Vivere deſiit Anno MDXCVI.

T

THADDAEUS PERUSINUS, Italus, qui Concilio Tridentino interfuit, Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini Prior Generalis, Tomos II. explanationum in Iſaiam vulgavit Peruſii A. MDXCVIII.

THEODORUS GRAMINAEUS, Ruraemondanus, Mathematum Profeſſor Coloniae, praeter alia Philoſophica variis temporibus edita, dedit plura ad Divinam Scripturam pertinentia, nimirum Orationem in Eſaiam. In Opus ſex dierum Geneſeos. Myſticum Aquilonem, ſive vaticinium Jeremiae: *Ab Aquilone pandetur omne malum*, & tandem Prodromum Antichriſti Coloniae Anno MDLXXVII.

THEODORUS-ANTONIUS PELTANUS, Ex Pelta Leodienſis Campigiae pago oriundus, Societatis Jeſu, in Academia Ingolſtadienſi Graecae, Hebraicaeque litterarum Profeſſor, Theologus haud ignobilis, edidit varios Theologicos Tractatus, pluresque Patres e Graeco Latine vertit. Dedit itidem Paraphraſin, ac Scholia in Proverbia Salomonis, itidemque Graecorum PP. Catenam in eaſdem Parabolas. Homilias XVII. Graecorum PP. in praecipua Chriſti Servatoris feſta. Ad Creatorem ſuum ivit Anno MDLXXXIV.

S. THERESIA A JESU (quam ab hoc Elencho arcere placulum duxi) in ſeculo dicta Thereſia a Zepeda, & Aumada, Hiſpana, nobilis Aulenſis e Regno Veteris Caſtellae, primae Regulae Carmelitarum renovatrix, Virgo plurium inluſtriumque cum filiorum tum filiarum foecunda Parens, ſanctitate, miraculis, & doctrina conſpicua, plura ſcripſit aeterno cedro digna, praeſertim in Cantica Canticorum librum unum. Seraphicis conſumta ardoribus Angelicis coetibus ſocianda Coelum evolavit Anno MDLXXXII. Sanctorum faſtis fuit adſcripta a Gregorio XV. Anno MDCXXII.

TIMOTHEUS CIAMBRA PIMENTELIUS, Luſitanus, ex Olyſiponenſi Canonico Monachus Carmelita, S. Th. Doctor, Hiſpalique quondam Philoſophiae Profeſſor, ac Urbano VIII. in Palatio Apoſtolico a Concionibus, vulgavit Davidis fundam adverſus Luſitaniae Judaeos. Sermones de Chriſto, & Apoſtolis. Commentaria fuſiſſima cum Moralitatibus in Epiſtolam Pauli ad Timotheum. Peregrinationis ſuae curſum explevit circa Annum Domini MDCXXXIII.

THOMAS BEUXAMIS, Gallus, Carmelita, Theologus Pariſienſis, plura dogmatica opera edidit, Similiter Homilias XXVIII. in Habacuc Prophetam. Homilias in omnia Evangelia, quae in Quadrageſima leguntur. Homilias in praecipua Myſteria Redemtionis noſtrae, nimirum in S. Coenam, in Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti. In Caput VI. Johannis de veritate Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia. Concordiam etiam, ſeu Harmoniam Evangelicam ex Antiquis Eccleſiae Patribus. Mortalitatis penſum exſolvit Anno MDLXXXIX.

THOMAS LE BLANC, natione Gallus, patria

Digitized by Google

ria Victoriacenſis, in Dioeceſi Catalaunenſi, e Societate Jeſu, linguae Hebraicae, & Sacrae Scripturae interpres, eximiaeque pietatis cultor, vulgavit in Pſalmos eruditiſſimos Commentarios pluribus voluminibus comprehenſos. Funus ejus fuit Anno MDLXIX.

THOMAS DU FOSSE, Gallus, Rotomagenſis, humilis nimium corde, Sacerdotio se indignum reputans, ſatis habuit tonſura initiatus Sacro Altari inſervire, ſed virtute ne dum, verum & doctrina claruſ enituit. Edidit quippe Commentarios in Jeremiam, Ezechielem, Danielem, Machabaeos, & IV. Evangelia, qui omnes extant in Bibliis Sacr. Pariſiis devixit Anno MDCLXXXIV.

THOMAS MALVENDA, Ord. Praedicatorum, Setabitanus, in Hiſpania Tarraconenſi natus, Latine, Graece, & Hebraice doctiſſimus, innumeros pene in S. Biblia Tractatus edidit, nimirum opuſculum de Hebraica voce *Hoſanna*. Diatribam de ineffabili Dei nomine יהוה quod Graeci τετραγράμματον dicunt. De obſtruſis S. Scripturae locis. Adnotationes, & caſtigationes locorum depravatorum in Vulgata editione ex oſcitantia Scriptorum. Commentaria in Davidicos Pſalmos. De Geſtis Chriſti Salvatoris. Diſſertationes plures in Novum & Vetus Teſtamentum. Novam verſionem ex Hebraico textu, & expoſitionem librorum Veteris Teſtamenti quinque Voluminibus comprehenſam, nimirum in Pentateuchum. Joſue. Judices. Ruth. IV. Regum. II. Paralipomenon. Eſdram. Nehemiam. Tobiam. Judith. Eſther. Job. Pſalmos. Proverbia. Eccleſiaſten. Cantica. & Eccleſiaſticum. Iſaiam. Jeremiam, & Ezechielem uſque ad Caput XVI. verſ. XVI. Edidit quoque duo alia erudita volumina, De Paradiſo terreſtri unum, alterum vero de Antichriſto. Alia quoque exegetica praeclara opera paraverat, ſed virum doctum, ac Dei amore ferventem mors medio curſu ſiſtere juſſit Anno MDCXXVIII.

THOMAS CALONA, dictus *Panormitanus*, a natali ſolo in Sicilia, Ordinis Minor. Capuccinorum, edidit Commentarios in Prophetas, & in librum Judicum Panormi Anno MDCXLVI.

THOMAS SOUSA, Luſitanus, nobilis genere, Sebaſtiano Portugalliae Regi a Concionibus, edidit Commentarios in Oſeam, & Joëlem. Claruit circa Annum MDLXX.

THOMAS STAPLETONUS, Henfildanus, in Suſſexia Angliae Provincia nobilibus natus parentibus, Canonicatu ſub Maria Regina in Ciceſtrienſi Eccleſia donatus mire claruit: deinde rerum potiente Eliſabetha in Duacena Academia S. Th. Doctor renunciatus, Theologiam Aquicincti docuit: Lovanii inde S. Scripturae Profeſſor, & Canonicus S. Amati, S. Facultatis eſt Regens adlectus: plura ſcripſit cum Anglice tum Latine adverſus Acatholicos recentiores, praeſertim Antidota Evangelica. Antidota Apoſtolica in Acta Apoſtolorum. In Epiſtolas Pauli ad Romanos, & II. ad Corinthios. Promtuarium Morale in Evangelia. Et promtuarium Catholicum in eadem. Romam a Clemente VIII. ejuſque nepote Card. Aldobrandino evocatus, galero Cardinalitio (ut dicebatur) aut alia certe inſigni dignitate decorandus; ſed ſenio podagriciſque doloribus confectus eo adripere iter nequivit, ad aeternitatem perfecturus, ſuorumque laborum ab Regum Rege percepturus mercedem Anno MDXCVIII.

THOMAS-VINCENTIUS MONELIA, Ord. Praedicatorum, natione Italus, patria Florentinus, Romanae Provinciae alumnus, Graece & Latine doctiſſimus, varia erudition conſpicuus, edidit Diſſertationes II. abſoluteſſimas de Annis Jeſu Chriſti Servatoris, & de Religione utriuſque Philippi Auguſti Romae MDCCXLI. alia quoque praelo parat vir doctus, qui impraeſentiarum Piſis publici Anteceſſoris, nec ſine laude, munus exercet.

VICTORINUS MANSO, Neapolitanus, Averſae natus, ex Abbate Coenobii SS. Soſii, & Severini Neap. Congregationis Caſinenſis Ord. S. Benedicti ad Stabienſem Eccleſiam evectus primum, deinde Arianenſis Epiſcopus inſtitutus, plura edidit Theologica opera, praeſertim dedit explicationem in Eccleſiaſten. Tabernaculum carnis depoſuit Anno MDCXI.

VINCENTIUS AVINATRI, Neapolitanus, Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, pietate, & litteris conſpicuus, ſcripſit hiſtoriam paſſionis D. N. Jesu Chriſti a noviſſima Coena incipiens ad ſepulturam uſque ex IV. Evangeliis concinnatam, PP. ac inluſtriorum interpretum commentariis inluſtratam, optimiſque notis diſtinctam, pulcherrimiſque aeneis figuris ornatam, ediditque ei tractatum de doloribus Deiparae Virginis. Annos natus LXXIII. coeleſtium chariſmatum ubertate repletus in Domino quievit Anno MDCLXXXV.

VINCENTIUS AVVOCATUS, Siculus, Panormitanus, Ordinis Praedicatorum S. Th. Baccalaureus, dum haec ſcribo, edidit libros duos de Sanctitate librorum qui Eccleſia conſacrantur. Prior eſt cum inſcriptione de Praeparatione Biblica & An. MDCCXLI. prodiit Panormi. Poſterior, qui eſt de Demonſtratione Biblica, Anno MDCCXLII. fuit in vulgus editus.

VINCENTIUS FLUMARENSIS, Neapolitanus, Ord. S. Benedicti, Vitam Jesu Chriſti ex IV. Evangeliis & ad amuſſim Propheticarum praedictionum typis mandavit. Floruit inclinante XVI. Seculo.

VINCENTIUS GILIBERTUS, e Saponaria, quae eſt Lucaniae oppidum in Neapolitano Regno, Clericus Regularis, ſeu Theatinus, ejuſdem Cl. Congregationis Praepoſitus Generalis, edidit Volumina III. Coeli Davidici, variis in eo Pſalmorum verſionibus adnotatis. Dedit etiam explicationes in quinquaginta priores Pſalmos, & Tractatum de Paſſione Domini. Ad finem dierum pervenit A. MDCLVI.

VINCENTIUS-LUDOVICUS GOTTI, Ord. Praedicatorum, natione Italus, patria Bononienſis, natus die VII. Septembris MDCLXIV. & in Ordine per omnes ſcholaſticos agones ad Magiſterii lauream promotus, Bononiae in praeclara ea Academia Controverſiarum Profeſſor, his Prior Provincialis utriuſque Lombardiae, inter Primores Theologos merito cooptandus, ut praeſertim ex iis, quae adverſus heterodoxos adhuc in Clauſtro ſcripſit, luculenter clareſcit: morum gravitate, ac converſationis ſuavitate ſuſpiciendus, a Benedicto XIII. pro merito ad Cardinalitiam purpuram adſumtus die XXX. Aprilis An. MDCCXXVIII. clarius enituit; Ea quippe in dignitate conſtitutus, primaevae Regularis obſervantiae cultos, ſanctioriſque devotionis cultor, priſci laboris ſtudlique non immemor, quae inceperat in Ordine, complevit Cardinalis, opera Dogmatico-Scholaſtica Theologiam nempe XVI. Tomis diſtinctam: alia itidem, eaque commendanda opera eo in munere, ſibi haud parcens, vulgavit, nimirum adverſus Johannem Clericum de vera Religione ſeligenda, nec non XII. Tomos de Veritate Chriſtianae Religionis, in quorum prioribus V. agit de Sacra Scriptura, ejuſque authoritate, inſpiritatione, verſionibus, &c. de ſingulis Canonicis libris, illorumque Authoribus, nec non de vita Chriſti, & de Deipara Virgine: in VI. Apoſtolicam Hiſtoriam expendit. Orbi toti propterea clarus & charus. At proh dolor! qui etiam ſupremo dignus honore ſe vicit, mundum ſubegit, haereſes debellavit, victus a morte fuit. Dum enim haec typis mandantur, nimirum hoc Anno MDCCXLII. die XVIII. Septembris, tantus vir Annos natus LXXVIII. & tredecim amplius dies, dolente Urbe, moerente Orbe, ſolus placide laetuſque mortem adſpexit, pie, nempe, religioſeque, ut ſemper vixit, in oſculo Domini defunctus, poſt ſe tamen immortali relicto nomine ad Purpurae, Ordinis, Litterariae, ac Chriſtia-

Digitized by Google

stianae Reipublicae decorem.

VINCENTIUS MOLES, Neapolitanus, germanus frater Friderici Equitis, nobilitate conspicuus, scientia clarus, Medicinae Doctor, ac Philosophus, edidit Panthologiam de morbis in Sacris literis; nec non Philosophiam naturalem corporis Jesu Christi. Vivebat Anno MDCXLII.

VINCENTIUS REGIUS, Siculus, Panormitanus, Societatis Jesu, non minus sanctimonia, quam eruditione clarus, edidit Evangelicarum dilucidationum libros VIII. & Evangelicum Enchiridion. Pretiosa morte piam vitam coronavit Ann. MDCXIV.

VINCENTIUS RICCARDUS, Neapolitanus, Clericus Regularis Theatinus, Theologus, Graece, & Hebraice doctus, edidit Catenam Graecorum PP. a se Latine versorum in Lucam cum adnotationibus, & scholiis eruditis. Scripsit quoque Hebraicam Grammaticam. Alia itidem sui ingenii monumenta publici juris facta reliquit. Claruit An. MDCXXV.

FINIS.

Menda, quae fortasse inrepserunt, in calce II. Tomi simul cum aliis, quae forsitan ibi occurrent, corrigentur.

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacrae Theologiae Professor, ac Totius Ordinis Praedicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique authoritate Officii, Facultatem, quantum in Nobis est, concedimus tibi Adm. Rev. P. M. Ex-Vicario Generali Fr. Pio-Thomae Milante Congregationis nostrae Sanitatis, ut possis typis mandare opus, cui Titulus, *Animadversiones Criticae in Xistum Senensem*, a te compositum; dummodo ab Adm. RR. PP. Magistris Fr. Thoma del Balzo, & Fr. Josepho-Maria Lopez praefatae nostrae Congregationis luce dignum judicetur, eorumque Censorio in scriptis calculo approbetur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae super Minervam die 5. Decembris 1741.

FR. THOMAS RIPOLL MAGISTER ORDINIS.

Reg. Pol. 16. a tergo.

Fr. Vincentius Maria de Francisco Mag. & Socius.

QUa par est observantia obtemperantes mandatis Reverendissimi P. M. Generalis Ordin. Praedicatorum F. Thomae Ripoll non sine animi nostri voluptate perlegimus Bibliothecam Sanctam N. Sixti Senensis criticis, ac theologicis animadversionibus, necnon duplici adjecto Sacrorum Scriptorum elencho adauctam, & illustratam a doctissimo P. F. Pio-Thoma Milante Congregationis nostrae S. Mariae Sanitatis Ex-Vicario Generali, nostrique Conventus alumno, S. Th. Magistro, & in Regia Neapolitana Universitate Primario Antecessore, &c. eamque Bibliothecam, sic perpoliram, adauctam, & ornatam perspeximus omnibus numeris absolutam, orthodoxae fidei conformem, Saniori Theologiae consonam, & Critices regulis omnino concordem. Hinc quemadmodum Sixti Senensis opus nunquam pro merito ab eruditis ipsis laudatum novo praelo dignum censemus, ita non impari elogio commendandum judicamus nostrum emeritissimum Theologum ejusdem operis illustratorem, qui licet variis detentus curis, variis, iisque seriis gravatus muneribus, atque oneribus, innumera pene lustravit volumina, ut meliora seligeret, sanctiora depromeret, & diu noctuque praefato operi insudando sibi non pepercit, ut aliis prodesset. Quapropter de hujusce operis Cl. Authore P. M. Milante testimonium laturi repetendum duximus, quod olim de S. Hieronymo scripsit Sulpicius Severus *Dialog. 1. de virtutibus Monachor. Orientalium*. „ Vere dixerim, catholica hominis scientia, „ sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est; non die, non nocte requiescit: aut legit „ aliquid semper, aut scribit. „ Jure optimo igitur existimamus, ut opus hoc quantocius edatur in vulgus, praesertim ut ad Ordinis gloriam, & ad multorum profectum, faustum ac felix, idemque omnino fatum sortiatur, quod sortita sunt alia Cl. Authoris opera, quae ab eruditis commendata non sine laude pervolant per orbem. Hoc, quod vere sentimus, sincere proficemur, & nostra subscriptione firmamus. E Conventu S. Spiritus Kalendis Augusti Anno Reparatae Salutis MDCCXLII.

F. Thomas-Maria del Balzo Magister Ex-Vicarius Generalis Congreg. S.M.S.
F. Joseph-Maria Lopez Magister, & Prior Conventus S. Spiritus.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE

GEnnaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in queſta Fedeliſſima Città di Napoli, ſupplicando eſpongono all'Em.V., come deſiderano dare alle ſtampe un'Opera intitolata: *Bibliotheca Sancta Sixti Senenſis Criticis, ac Theologicis animadverſionibus adaucta, & inluſtrata a F.Pio-Thoma Milante Ord.Praed. S.Th.Mag. & Primario Profeſſore, &c.* Per tanto ſupplicano l'Em.V. darne il permeſſo, e l'averanno a grazia ut Deus.

Rev. Dom. Abbas D.Franciſcus Pertuſio revideat, & referat. Datum Neapoli hac die IX. Julii 1741.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Can. Julius Tornus pro Dom.Can.Gizio.

EMINENTISSIME DOMINE

BIbliotheca Sancta Sixti Senenſis, quam ſolidum opus ſit, nemo Dogmaticae peritus eſt, qui ignoret; Quantique apud omnes ſemper habita fuerit, vel ex hoc conſtat, quod & ipſi Romanae Eccleſiae hoſtes meritis illam laudibus, & inviti non defraudarunt. Ea Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto ab Auctore primum edita, pluries deinde, ſed nunquam aut vix in melius, recuſa, nunc tandem ſeveriſſimae cenſurae ope, veluti ignis fuſorii experimento, probata, penitioriſque Eruditionis adaucta luminibus, & novorum, recentiorumque omnium, qui de Agiographis hactenus tractarunt, acceſſione locupletior, nitidiorque, en, Deo annuente, reſurgit. Si igitur antehac iſtud Sixti opus, quale ab Auctore prodierat, quamplurimi aeſtimatum fuit, quamvis ruditatem antecedentium temporum quodammodo ſaperet, quanti profecto poſthac erit, quando ei acceſſit quidquid in ſacris hujuſmodi ſtudiis duo fere ſaecula profecerunt?

Id autem omne acceptum referimus ſummis laboribus, aſſiduiſque vigiliis, quibus Eximius, Celeberque Vir Pius Thomas Milante Vetuſtiſſimi, ſemperque Inclyti Praedicatorum Ordinis, vaſtum hunc Sacrarum Litterarum agrum ſagaciſſimae critices ſarculo excolere, omnigenarum doctrinarum rivulis irrigare, & novorum Operum ſobole in diem divitare feliciter pergit.

Tuum igitur eſt, Eminentiſſime Praeſul, tuae iſtius Neapolitanae Eccleſiae adoleſcentem Clerum, cujus verae Eruditioni tam enixe conſulis, necnon & univerſam omnem Eccleſiam tam praeſtanti Opere munificare; nam quoad me, qui illud Tuo Juſſu accurate perlegi, ipſum non modo dignum, ut praelo typographico mandetur, cenſeo, verum &, ut mandari jubeas, ad uberiorem Dei, Chriſtianique nominis gloriam, qua par eſt animi ſubmiſſione precor.

Franciſcus Maria Pertuſius.

Attenta relatione Domini Reviſoris Imprimatur. Datum Neapoli hac die XXI. Auguſti 1742.

C. EPISC. ANTINOP. VIC. GEN.

Julius Tornus Canonicus Deputatus.

S. R. M.

SIGNORE

GEnnaro, e Vincenzo Muzio pubblici Padroni di Stampa in queſta Fedeliſſima Città di Napoli, ſupplicando eſpongono alla M.V., come deſiderano dare alle ſtampe un'Opera intitolata: *Bibliotheca Sancta Sixti Senenſis Criticis, ac Theologicis animadverſionibus adaucta, & inluſtrata a F.Pio-Thoma Milante Ord. Praed. S.Th. Mag. & Primario Profeſſore, &c.* Per tanto ſupplicano la M.V. darne il permeſſo, e l'averanno a gratia ut Deus.

U.J.D. D.Marcellus Cuſanus hujus Univerſitatis Studiorum Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Neapoli die 4. menſis Julii 1741.

Nicolaus de Roſa Epiſcopus Puteolanus Cap. Major.

CRiticas animadverſiones ad Bibliothecam Sanctam Xyſti Senenſis ab eruditiſſimo Viro S.T.M. atque D. F.Pio-Thoma Milante Regio S.T. Profeſſore ſcriptas legi: eas deprehendi non ſolum Regiae Juriſdictioni & bonis moribus non refragantes, verum conſonas verae Critices artis principiis, maxima Sacrarum Rerum eruditione refertas, atque tanto Viro dignas: immo etiam neceſſarias, ne operam navantes in Xyſti Bibliothecae lectione incaute aliquos contrahant errores: & ut Scriptorum Rerum Eccleſiaſticarum & illorum operum notitiam conſequuti, certum de cujuslibet authoritate judicium pronunciare queant: ideo illarum editionem rei literariae maxime profuturam exiſtimo. Neapoli III. Kal. Novembreis CIↃIↃCCXLI.

Marcellus-Papinianus Cuſanus Primarius Legum Anteceſſor.

Die 5. Menſis Decembris 1741.

Viſo reſcripto S.R.M. de die 29. proximi elapſi menſis Novembris, & approbatione facta de commiſſione Reverendi Regii Capellani Majoris ordine M.S. per Rev. D. Marcellum Papinianum Cuſanum Reviſorem.

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, & approbationis dicti Reviſoris, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

MAGIOCCO. CASTAGNOLA. FRAGGIANNI.

Illuſtris Marchio de Ipolito Praeſes S.R.C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Illuſtris Marchio Rocca non interfuit.

Maſtellonus.

99 961869

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google